IOANNIS BAPT. VWENI ANTUERPIENSIS E SOCIET. IESU...

Jan Baptist Uwens




BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
8 H
13 — L
19


IOANNIS BAPT.
VWENI
ANTVERPIENSIS
E SOCIET. IESV
COMMENTARIVS
LITTERALIS ET MORALIS
IN
IONAM
PROPHETAM
PER LECTIONES
SIVE
SERMONES EXEGETICOS LX.
DISTRIBVTVS.
Cum Indicibus locupletissimis.
ANTVERPIÆ
IOANNEM MEVRS
ANNO
M.DC.XL.

AVGVSTISSIMÆ, POTENTISSIMÆ, GLORIOSISSIMÆ CÆLORVM, TERRÆ, MARIS DOMINÆ, REGINÆ ANGELORVM ET HOMINVM VIRGINI MATRI MARIÆ SINE MACVLA CONCEPTÆ.



IONAM, typum filij tui, AVGVSTISSIMA PRINCEPS, tuis clientibus, SODALIBVS TVIS, ad amplioris pietatis ac virtutis incitamentum, non vno loco, neque anno proponens; conatus ſum, TIBI, tuæque gloriæ, iſtud qualecumque ſtudium meum, laborem, & vocem impendere, cui ergo nunc potiùs calamum? Certè tuis hunc arripui in manus auſpiciis, tuis hoc vti cœpi, tuis deſij. TIBI igitur, omni iure, omni merito, debetur hoc Opus: tuum quippe eſt, ampliùs etiam aio, eſt tuum omne quod meum. Nam ſi quid à me vmquam profectum eſt boni, quod ſcio quàm ſit exiguum, id non niſi ope tuâ, tuoque profectum ſubſidio. Fateor, opitulante TE, obueniſſe mihi à Deo, quidquid obuenit, ſiue in oblatis aliquando dubiis certioris cognitionis, ſiue luminis clarioris in rebus obſcuris, ſiue in negotiis arduis fortitudinis, ſiue in aduerſis caſibus melioris ſolatij; ita vt teſtari optimè poſſim, &, ſi gratus eſſe velim, debeam; veriſſimum eſſe illud Bernardi, tui olim amantiſſimi: NIHIL NOS DEVS HABERE VOLVIT, QVOD PER MARIAE MANVS NON TRANSIRET.

Ser. 3. de Vigil. Natiuitatis.

Memini, & iuuat meminisse, quàm mihi fauore gratiâque tuâ prorsus indigno; cùm, vt subinde homines solent, in graui versarer discrimine, non semel benignè adfueris, quàm terrâ & vndis, mente & corpore periclitanti, velut optima MATER, succurreris; quàm iuueris consilij inopem, quàm feceris meorum me compotem sæpè votorum. Etiam memini, quàm meritò, quàm ex debito, pro accepta à TE beneficiorum magnitudine, & multitudine, optarim, non quidem vti debebam ardenter, optarim tamen, APPLICARI AD OSTIVM, ET POSTES domus tuæ, ibique non PERFORARI AVREM SVBVLA, sed pectus heu durum & frigidum nimis! igneo amoris tui percuti iaculo, ac penitiùs confodi, esseque & scribi TIBI SERVVS non tantùm IN SÆCVLVM, sed etiam in perpetuum.

Votum meum, piumque hoc desiderium ampliùs testaturus, accedo nunc ad domus tuæ adyta, & erectum Mechliniæ nuper in æde Societatis filij tui, propensissimâ TE, cultumque tuum amantium, non minùs munificentiâ ac liberalitate, quàm voluntate; Oratorium, insignitũ titulo IMMACVLATÆ CONCEPTIONIS TVÆ, ipsa eiusdem festiuitatis sacrâ luce, venerabundus ingredior, & profero de tenuitate mea, amoris hoc qualecumque symbolum, Opus omnino impolitum ac rude, quod tamen, vti spero, nitoris aliquid & lucis à nominis tui splendore gloriaque accipiet.

LECTIONES sunt, siue CONCIONES EXEGETICÆ LX. quas TIBI tamquam VI. decadum corollam adnumeraturus venio, atque appendo ad aram tuam anathema perpetuum. Illis IONAM contendo, non tantùm Prophetam, sed Theologum quoque, & Oratorem efficere. Faue VIRGO MATER, atque in Lectorum mentibus, vt talis euadat, eos nempe erudiens vt Theologus, vt Orator ad virtutem mouens & incitans, dum hìc à me proponitur, tuo patrocinio effice.

Admitte etiam, quâ soles benignitate, hoc qualecumque pignus amoris in TE mei, atque ipsum me benignissimis clementiæ tuæ oculis, ita efflictim flagito, intuere propitius MATER MISERICORDIÆ: talem namque hìc in ara tua TE lego, talem agnosco, talem veneror, talem TE sensi hactenus, atque vtinam æternum sentiam. Votorum meorum istud

arden-

ardentissimum & maximum est, tuo sanctissimo famulatui non tantùm perpetuò viuere mancipatum; verùm etiam, cùm Deo placitum fuerit statuere mihi supremum vitæ terminum, & certam illius metam ponere; vbicumque locorum, quocumque demum in orbis angulo, posse ad crepidinem altaris, IMMACVLATÆ CONCEPTIONI TVÆ sacri, animam ponere; testarique hoc modo, quàm optauerim, & viuens, & moriens, esse tuæ intemeratæ innocentiæ, etiam quoad culpam originis, vindex, propugnator, propagator, cultorque perpetuus.

Ita vouebam Mechliniæ, in domo Probationis Societatis, anno à partu TVO *virgineo* M. DC. XXXVI. *die felicis Conceptionis* TVÆ; VI. *nempe Idus Decembris.*

Nunc quando in annũ præsentem M. DC. XL. Societati nostræ Sæcularem, nescio quâ, aut infelicitate, aut felicitate potiùs, protractum est prælum, & expeditio Operis huius dilata, Liræ in altera, sed virorum maturiorum Probationis vlterioris domo, in qua inter Patres sæpè de tuis laudibus sermo, sæpè commentatio instituitur; atque ita illorum animi in TVI amorem ardentiùs inflammantur, supplex iterùm pedibus aduoluor tuis, die triumphi tui ac gloriæ, quâ nimirum super omnes choros exaltata Angelorum, fruita es beato filij tui conspectu in cælis; atque post istud quod nuper voui votum, iisdem animis repetitum, TIBI, tot hodie gaudiis cumulatæ, festiuam huius anni lætitiam, nobis omnibus in Societatem filij tui vocatis post Deum acceptam referens, in partem præcipuam TE quoque eiusdem lætitiæ voco.

Debemus profectò eam TIBI vel maximè; quoniam tuis Societas & nata auspiciis, & tuo adoleuit fauore; & in hunc vsque annum protectione tuâ conseruata feliciter, inter aduersa non pauca, infracta semper atque incolumis perstitit.

Natam tuis auspiciis satis ostendit quòd TV paruulum IESVM vlnis complexa, eiusdẽ parenti Ignatio, decũbenti ex vulnere, atque interim meliora cogitanti, fulgore eximio,

quo radiabas, tuam declararis præſentiã; quòd eidem Manreſæ hoſpiti, primis illis ſuæ conuerſionis initiis, Te ſtiteris ſæpiùs; quòd illas ſpiritus exercitationes, quibus tantũ ſibi, tantum aliis profuit, eũdem docueris; quod Conſtitutiones & Regulas, quibus ſtaret & conſtaret condita ab eo Societas, multâ curâ, precibus, lacrymis conſcribenti adfueris, atque in opere pio deſudantem mirificè recrearis. Agnouit ipſe priora beneficia, quando poſt annos tredecim, hac ipsâ feſtiuitate tuæ Aſſumptionis in cælum, cum ſociis ſex (plures enim necdum habebat) in æde tua, vulgò dicta Mons Martyrum, non procul Lutetiis, Societatis mox inſtituendæ (ſingulis ſe iſtic Deo votis ritè nuncupatis in perpetuum obſequium offerentibus) prima velut fundamenta conſtituit. Agnouit deinde hæc ipſa, vbi in religionem coaluit à Sede Apoſtolica comprobata, Societas tota, quæ diem illum quaſi natalem ſuum, ſingulari religione atque memoriâ colendum perpetuò cenſuit.

Sicut tuis nata auſpiciis, ita tuo quoq; fauore adoleuit, tuo patrocinio creuit; Tibi omnino maximã partem eorum virorũ, quos habuit, (non loquor de iis quos adhuc habet in viuis) pręſtãtiſſimos, ſi non omnes, ſingulariter debet. Ex adoleſcentioribus Aloyſium, Staniſlaũ, Berckmannũ, quibus vt inirent Societatẽ ipſa aut auctor, aut certè adiutrix fuiſti. Ex iis qui euaſerunt in viros, Thomam Sanchium, ſcriptis ſuis notiſſimum, cui ad eamdem calidè aſpiranti, impedimentum, quod habebat à linguæ balbutie, ademiſti; Ioannem Nunniũ, mox Æthiopiæ Patriarcham, quem ante religionis ingreſſum de Societatis inſtituto edocuiſti; Sebaſtianum Barradium, cui Vlyſſippone loqui dignata ingreſsũ in ipſam imperaſti; Franciſcum Suarium tantâ laude doctrinæ toto orbe celebrem, quem, iam initâ Societate, ad eam eruditionẽ euexiſti: quippe in quæſtionibus arduis maximeque difficilibus, factâ prece, Te ſemper conſulere ſolitũ, & numquam non redeuntem ab eiuſcemodi prece conſultationeque doctiorem. Ex iis quoque quos habuit operis domeſtici adiutores, Alphonſum Rodericiũ, miraculo ad Societatem vocatum, ac omnibus vitæ ſuæ conſequentibus annis (fuerunt ij ſeptem & quadraginta) maximo in Te ſtudio & amore feruentem. Denique innu-

innumeros ex omni genere, conditione, & ordine alios.

Multum dixi hactenus, cùm dixi tuis natam auſpiciis, tuis auctã tot præſtantibus viris Societatem: at longè maius eſt, eam, iam inde à ſui exordio, à Te materno velut gremio ſuſceptam: primò quidem Romæ in capite Orbis, incertis adhuc ſedibus vagantẽ, æde tuâ, dicta Maria de Strada, Domui Profeſſæ ipſo ſtabiliti ordinis anno primo eidem feliciter obueniente; deinde Laureti, in eo domicilio, in quo nata, educata, ſalutata ab Angelo, ac Dei Mater effecta es; vbi ei ſedem conſtituiſti, velut tecum perpetuò commoraturæ.

Taceo particularia innumeris locis à Te accepta beneficia: quale illud quod obtinuit in Braſilia Emanuël Nobrega, ad cuius poſtulationẽ, ſociis ibidem aquæ penuriâ laborantibus, ſubitò limpidiſſimum fontem, copioſè ſcaturientem vſque modò, liberaliter obuenire nouo prodigio feciſti. Longum eſſet ſimilia recenſere.

Venio ad id quod maximum eſt: natam, auctam, ditatam per te infinitis beneficiis Societatem; Tv iam ſæculo integro inter tot obtrectatorum, ſiue hæreticorum, ſiue maleuolorum linguas & calamos, inter tot tempeſtates & turbines, inter tot caſus aduerſos, omnibus ſuperiorem malis, ad omnia aduerſa infractam ſeruaſti. Graues quidẽ in eam exorti fuêre motus non ſemel, etiam à tempore S. Ignatij, in ipſa fundanda conſtituendaque adhuc occupati: neque pauciores, aut minores deinceps, quando pulſa ſuis ſedibus non ſemel, neque vno in loco. Sed nec defuerũt aliquando grauiſſimi, qui illius quietem & progreſſus felices aut retardare, aut impedire omninò poſſe videbantur. Inter quos vnus, quorundam potentium ſtudio excitatus anno M. DXCVIII. aliquamdiu tenuit, neque vllis videbatur humanis ſedandus ſubſidiis; hunc tamen, (vbi, iubente Claudio Aquauiua ſupremo Sociorum moderatore, in laudes tuas & preces, recitatis Litaniis ab omnibus itum eſt) Tv quoque, non minùs quàm ceteros, nullo negotio depuliſti; & tempeſtate ſedatâ tranquillitatem ei priſtinam reddidiſti.

Excedit longè priora omnia beneficia, quod meritò in ſumma felicitate locandum, Te aliquando, ad commune omnium noſtrûm ſolatium, per ſpeciem exhibere dignatã, ſeruo

tuo Martino Gutieres (illi ipſi qui multa deinde ab hæreticis paſſus in carcere ex incommodis obiit) IPSAM TE, eximiâ ſpecie micantem, atque ſub veſte tua latè expanſa atque diffuſa, complectentem Societatem vniuerſam; quaſi ſic virtute, fauore, gratiaque tua, cuſtodiendam ab hoſtibus, ſeruandam à periculis, donandam etiam ſuo tempore optatiſſimæ patriæ ac ſedibus Beatorum.

Pro tot tantiſque TVIS in Societatē meritis, atque ampliſſimis beneficiis, non modò æquum fuit; verùm etiā, vel ſolo gratitudinis titulo, debitum, adeoque neceſſariū, vt quiſquis illi nomen daret, is & hæc perpetuò agnoſceret, & viciſſim in laudes ac gloriam tuam factis æquè ac verbis ſumma contentione excurreret.

Conatus id eſt, vti primus in acceptis beneficiis, ita primus quoque in gratiis referendis, S. Ignatius Societatis conditor: hinc ipſo ſuæ conuerſionis exordio, ad TE, in montem Serratum, ibi ſacræ ſuæ militiæ tirocinium poſiturus, contendit; & ſæculi armis ad aram tuam poſitis, noctem egit inſomnem, peruigilio Annuntiationis TVÆ TIBI ibidē, & pro fauſtis initiis gratias agens, & opem tuam vlteriùs implorans. Hinc iterum, iam ſacris initiatus, non alibi quàm in æde tua principe, quam MARIAM MAIOREM vocant, ad præſepe atque incunabula filij tui, Romæ, voluit primam Deo hoſtiā litare; neque etiam alibi, quàm ad aram tuo nomine inſignitā, TIBI dicatam, in æde D. Pauli extra muros, te auſpice, te teſte, te præſide, cū ſociis ſuis vota ſolemnia nuncupare; atque, vt TE velut præſentem tam heroici actus patronam compellando, omnes reliqui id facerent impoſterum, inſtituere.

Conatus id eſt poſt parentem filius, & ab eo primus Præpoſitus Generalis, Iacobus Lainius, occaſionibus variis; maximè verò cùm Tridentinæ Synodo, tamquam Pontificius Theologus intereſſet, agereturque in ea de CONCEPTIONE TVA: tum enim, etiam ex quartanâ infirmus, ita tribus horis continuis, coram vniuerſa Patrum multitudine dixit ſapienter, eruditè, conſtanter & fortiter, ad ſtuporem omnium, vt perſuaſerit, non videri à Sixti IV. ſententia recedendum; neque TE ceteris adnumerandam cū labem originis incurriſſe omnes, ipſi decernerent. In quo conatu perſtitit ſemper, & etiamnū perſtat

vni-

vniuerſa Societas; quæ numquam in ſcholis, numquã in ſacris pulpitis, aliud docuit, quã fuiſſe Te, quod gloriæ tuæ eſt, ſine labe conceptam. Illuſtrarunt verò hanc doctrinam egregiè ſcriptis ſuis plures eiuſdẽ filij, nominatim Robertus Cardinalis Bellarminus, Franciſcus Suarius, & poſt hos Ferdinandus Quirinus de Salazar, volumine integro. Sicuti verò hi lucubrationibus ſuis promouerunt & permouerũt quoad tuam Immacvlatam conceptionem ſtudium voluntatemque multorũ; ita Alphonſus Rodericius pietatem: hic namque totis annis quadraginta, Officiũ de ea recitans quotidie, ad obitum vſque (quod Tibi non ingratũ fuiſſe aliquãdo intellexit) mirè ad id ipſum præſtandum ſuo exemplo plurimorũ animos inflammauit. Quam deinde pietatẽ, excuſis vulgatiſque omni propè linguâ officij huius exemplaribus, & recitatione eiuſdem pleriſque cõmendatâ multũ per ſuos promouit Societas.

Conatus quoque eſt gloriam tuam ſartam tectam ſeruare Franciſcus Turrianus, quãdo Præsentationis tvæ feſtiuitatem ex ſacris diptychis, aut ſaltem Eccleſię precibus, velut recentiorẽ, nec à veteribus ſat agnitã, proindeque expunctam, à Pio V. vt reſtitueretur, adductis antiquorum Patrũ de ea luculentiſſimis teſtimoniis effecit: cui Tv quoque die illâ non multos poſt annos abeunti è vita mortali, viſa es eâ ratione mercedis loco beatum in ſuperos tranſitum obtinere largirique voluiſſe.

Conati multa ad cultum & honorem tuum innumeris locis ſunt plures, excitatis hominibus potentioribus qui Tẽpla, Oratoria, Sacella, Altaria tuo nomine nobilitanda erigerent; aliis quoque qui ſtatuas, imagines, tabulas, ſculpẽdas, pingendas, delineãdas curarent; procuratis inſuper per Eccleſiæ Præſules diuinis officiis (quale inter cetera illud de nomine Tvo quod ab Illmo Mechlinienſi Archiepiſcopo à paucis annis approbatum) ſupplicationibus, precibus.

Longus verò mihi ſit texendus catalogus ſi vel enarrandi tantũ, qui de tuis virtutibus, cultu, vita, miraculis, gloria, patrocinio, è Societate luculenter ſcripſerunt. Vnus Petrus Caniſius vaſtũ opus edidit, dictũ Mariale, in vi. libros diuiſum, in quo & gloriæ tuæ obtrectatores hæreticos egregiè cõfutauit, & ita ſcriptis ſuis Te eſt exornare conatus; vt, ſecundùm Ho-

ſium

ſium Cardinalem, vix à quoquam magis fueris illuſtrata. Non pauciora ediderunt de laudibus tuis Petrus Antonius Spinellus, Martinus Antonius del Rio, Blaſius Viegas ſcribēs in Apocalypſin D. Ioannis, Didacus de Celada in Iudith, Sebaſtianus Barradius in Concordiam Euangelicā Tomo primo, & alij.

Hiſtoriā TVAM ex teſtimoniis Patrū vulgauit Chriſtophorus de Caſtro: de Imitatione TVI ſcripſerunt Franciſcus Arias, & Ioannes Bonifacius; Hortulum, quem à TE Marianum vocat, Franciſcus de la Croix. inambulandum amicis tuis oſtendit; Kalendariū de TE confecit Antonius de Balingem, & Parnaſſum ex hymnis olim in laudem tuam vulgatis; emblematibus TE exornauit in ſuo Pancarpio Ioannes Dauid. De TE piiſſimè meditati, aliis ad id quoque præſtandum inſignem materiam ſuppeditarunt, Franciſcus Coſterus, Vincentius Brunus, Lucas Pinellus, Ludouicus de Ponte, Ioannes Bourgeſius, qui omnes plurimum honori tuo & gloriæ ſeruire conati ſunt.

Nec minùs conati, qui præclarè de TE dixerunt, & populum de tuis virtutibus erudituri, TIBI vocem, pectus, latera, ſudorem & ſanguinem, ſi ſic dicere liceat, annis plurimis impenderunt; quales longè adhuc prioribus plures. Certè Alphonſus Salmeron, non ignotum poſteris nomen, creberrimis & celeberrimis, quas habuit feruens ſpiritu totâ Italiâ, concionibus, quoties eſſet de laudibus tuis dicendi occaſio, eam arripiebat auidè; & ſi vmquam aliàs, tum certè omnes ingenij ſui & facundiæ vires, quibus fuiſſe inſtructum non mediocriter nouimus, ampliùs explicabat: diebus autem Sabbati, tamquam TIBI peculiariùs ſacris, etiamſi verno ieiunij tēpore aliud pertractaret argumentum, illo tantiſper ſepoſito, ſemper de promouendo cultu tuo diſſerebat, auditorum ſuorum magno & fructu & gaudio. Quid alij Concionatores eximij hoc in genere prꝫſtare conati ſint, recenſere velle, eſſet vaſtum Oceanum ingredi.

Hoc ergo relicto non poſſum quin TIBI exhibeā VIRGO MATER conatum Societatis præcipuum, qui ſemper verſatus fuit quàm maximè, atque etiamnū verſatur, in multis ad cultum tuum adducendis, per Sodalitates ſub tutela tua variis titulis erectas; maximè verò ab anno ſuperioris ſæculi LXXXIV. quando eas erigere auctoritate Apoſtolicâ licuit. Ab eo quippe

pe

pe tempore ad annum vſque ſæculi huius duodecimum, ſunt qui numerarint ex iis, quarum extabat tum in litteris memoria, ſupra quadringentas. Ego verò, in ſola noſtra Flandro-Belgica Prouincia anno trigeſimo ſæculi huius, numeraui non niſi duas pauciores centum; in quibus Latino, Flandrico, Gallico idiomate, in laudes tuas excurritur, conuenientibus ad eas locis variis, omnis ætatis, ordinis, & conditionis hominibus; qui vno animo, vnâ voluntate Tibi ſeruiunt, Te pro poſſe ſuo affectione magnâ honorant & colunt.

Similibus dirigendis, quoniam ego quoque inter alios Louanij, Ruræmundæ, Cortraci, annis propè quatuordecim opellam meam impendi; neque (quæ gratia tua fuit) vlli rei maiori vmquam voluptate, ſit & eiuſdem gratiæ tuæ, quæſo, ac bonitatis, acceptum habere conatum hunc meum; mihique viciſſim patrocinium tuum, ô benigna Domina clementer impendere; vt ſicut opvs hoc extare deſidero teſſaram voluntatis in Te meæ, perpetuique obſequij; ita per Te aliquando accipiam Tvi in me patrocinij monumentum in cælis: Societas verò vniuerſa, cui vno nunc ſæculo impensè fauiſti, tuâ quoque protectione, multis deinceps conſequentibus ſæculis, quibus tuam ſemper gloriam in ipſam æternitatem, ad terminos vſque orbis terrarum ampliùs & ampliùs propaget, ſecura conſiſtat. Ita ſubmiſsè rogo

AVGVSTISSIMA PRINCEPS ORBIS DOMINA

Minimus ſeruorum tuorum

IOANNES BAPTISTA VWENVS.

SVM-

SVMMA PRIVILEGII CÆSAREI CVM FACVLTATE R.P. PROVINCIALIS PER FLANDRO-BELGICAM.

CVM ex mandato Sacræ Cæsareæ Maiestatis, omnibus & singulis Typographis, Bibliopolis, atque aliis quibuscumque librariam negotiationem exercentibus, seriò strictèque inhibeatur, ne quis libros vllos à Societatis nostrę Patribus hactenus editos, aut edendos in posterum, intra S. Rom. Imperij, regnorumque & dominiorum Sacræ Cęsareæ Maiest. hęreditariorū fines, simili alióve charactere aut forma, siue in toto, siue in parte, excudere, vel recudere, vel aliò recudendos mittere, aut alibi etiam impressos inuehere, vendere, aut distrahere clam, seu palàm, citra supradictorum Patrum consensum ac testimonium audeat vel præsumat; ego Ioannes de Tollenare Soc. IESV per Prouinciam Flandro-Belgicam Prępositus Prouincialis, concedo facultatem IOANNI MEVRSIO Typographo Antuerpiensi, vt opus inscriptum, IN IONAM PROPHETAM COMMENTARIVS LITTERALIS ET MORALIS DISTRIBVTVS IN SACRAS LECTIONES SIVE SERMONES EXEGETICOS LX. Auctore P. IOANNE BAPTISTA VWENO Soc. nostræ Theologo typis mandare & vulgare possit; idque potestate ad hoc mihi facta ab admodum Reuerendo P.N. Mutio Vitellesco Soc. nostræ Præposito Generali, postquam tres Soc. nostræ Theologi opus illud recognouerunt & in lucem edi posse probauerunt. In quorum fidem has manu mea subscriptas sigilloque officij munitas dedi Antuerpiæ IV. Octob. M. DC. XXXIX.

IOANNES DE TOLLENARE.

APPROBATIO.

R.P. IOANNIS BAPTISTÆ VWENI è Soc. IESV Theologi COMMENTARIVS LITTERALIS ET MORALIS IN IONAM, SIVE SERMONES EXEGETICI LX. *bono publico prodibunt in lucem, vt omnes, & Prophetæ & Interpretis monitis, ad pænitentiam, ceterarumq́, virtutum exercitationem excitentur, atque imminentia vel hoc tempore Christianis prouinciis mala, placato numine, propulsent. Actum Antuerpiæ* I. *Octob.* M. DC. XXXIX.

GASPAR ESTRIX S. Theol. Licent.
Plebanus ac Lib. Censor Antuerp.

SVMMA PRIVILEGII REGII CVM FACVLTATE AVCTORIS PRO TYPOGRAPHO.

CVM facta sit mihi potestas à sua Maiestate Catholica, concessumque Priuilegium in Concilio Brabantiæ, anno 1638. vltimo Iunij, notatum à Secretario Cools deligendi iuratum Typographum, qui Commentarium meum distributum per Lectiones, siue Sermones exegeticos in IONAM solus hic imprimere, & vulgare possit nouem proximis annis; per me licebit id faciat D. Ioannes Meursius, quoties & quando id ei placuerit.

IOANNES BAPTISTA VWENVS.

REVE-

REVERENDO PATRI
P. IOANNI BAPTISTÆ VWENS
SOC. IESV THEOLOGO
eruditos in IONAM Commentarios edenti
FRATRI SVO
GEORGIVS VWENS EQVES
IN SVPREMO BRABANTIÆ SENATV
Regius Consiliarius.

QVID clausum pluteo premis, nouóque
Rursum carcere detines IONAM?
An pœnam semel exigente cælo
Persoluisse parum est? parúmne culpam
Coniurantibus expiasse nautis?
Cùm præceps datus obrutusq́ue ponto,
Et multâ caput implicatus algâ,
Tres soles olidâ sepultus aluo
Pistricis iacuit? quid ô, quid vltra
Inclusum pluteo premis, nouóque
Rursum carcere detines IONAM?
Quas tum naufragus edidit querelas,
Et supra tumidos iere fluctus,
Et supra volucres iere nubes,
Et flexere Deum; virique fatum,
Quæ vexit pelago vagata pistrix.
Legit littora reddiditq́ue terris
Ingens depositum: suaq́ue nondum
Te flectit prece, publicamq́ue lucem
Exorare tuus potest IONAS?
Dum cæcâ gemuit miser cauernâ
Ipsæ (si qua meis fides camœnis)

Desertæ Halcyones, vagiq́ mergi
Plangorem trepidis dedere pennis,
Et quid nescio præter aut amores
Aut luctus veteres, vtriq́ mæstum
Auditi querulo referre cantu:
Donec carcere squallido solutus,
Post discrimina mille, post labores
Aspexit superos & astra vates.
Ergo si gemitus, & auiarum
Questus Halcyonum, vagiq́ mergi
Flexerunt tumidos maris furores;
Tun' votis potes omnium rogatus
Non noctes modò tresue quattuorue
Quot cæcâ latuit sepultus aluo,
Sed tot iam solidos tenere menses
Damnatum grauioribus tenebris,
Clausum carcere longiore vatem,
Et tantum decus inuidere terris?
Ohe iam satis est, ohe morarum;
Iam vates iterùm sibi superstes,
Et stridentibus erutus procellis,
Et nigrantibus erutus latebris,
Per te prodeat hauriatq́ lucem.

IACOBI

IACOBI VWENS, REGII, DVCATVS LVXEMBVRGENSIS SENATORIS, IN FRATRIS SVI IOAN. BAPTISTÆ SOCIETATIS IESV. Sacerdotis, ac Theologi commentaria, SVPER IONAM PROPHETAM,

EPIGRAMMA.

DVM *fugit imperium* IONAS, *& iussa Tonantis,*
Iuit in æquoreas hospite pisce domos.
Ter rediens duxit surgentia Lucifer astra,
Ter lauit salsis sidera Vesper aquis.
Intereà magna IONAS *habitator in aluo*
Prodiit, & iam quæ littora fugit, habet.
Tu IONAM *menti longis includis ab annis*
Frater, & ingenÿ colligis hospitio.
Et quamuis prece sollicita, votisq; petitum,
Non das in lucem, nec sinis ire foras.
Sed tandem audimur; totiesq; petitus IONAS
Iam sinitur nostras liber adire manus.
Cur cete exiguo conclusit tempore Vatem?
Cur tecum tanta debuit esse mora?
Nempe indigestum (si fas mihi ludere) cetus
Exspuit, atque tibi sic recoquendus erat.

IN IONAM
R. P.
IOANNIS BAPTISTÆ VWENI.

REIECTVS olim, ſpatia poſt lucis tria,
Natantis aluo belluæ, vocem extulit
IONAS ſonantem, tota quam Niniue audiit,
Obediitque. Fallor? an IONAS nouus,
Vweniani pectoris docto ſinu
Prognatus, auras lucis ætherias ſubit?
Non fallor: aures pepulit. O qualem audio
Quantumque! magnâ voce clamarit vetus;
Maiore IONAS voce clamabit nouus.
Vrbs vnica illum; tota ſed IONAM tuum
Europa, & omnis audiet mundi plaga.

IACOBVS LIBENS
S. I.

PRÆ-

PRÆFATIO AD LECTOREM.



Mice Lector, propè viginti anni sunt, ex quo horis subcisiuis scriptionem hanc saltem à longè meditor, & illi subinde manum appono; ampliùs quàm duodecim ex quo finem Operi primâ manu impono, atque rudi modo, non tamen tamquam prælo seruiturum aliquando, absoluo. Exinde, Maiorum voluntate, distractus in varia, ipsum adhuc prorsus rude & impolitum, non modò non polire, sed vix vmquam inspicere per occupationes occurrentes quotidie, potui. Vnde accidit, vt cùm iam ab anno vno alterove, quando

—— Deus nobis hæc otia fecit,

veteres chartas in manus sumpsi, & fœtum hunc velut relambere statui; ita fuerim in eo peregrinus & laboris pristini immemor, vt vix eum ampliùs pro meo agnoscerem. Virg. Ecl. 1.

Occasionem olim huic consilio dederant habitæ aliquamdiu de proposito argumento Exhortationes seu Conciunculæ. Primò quidem, anno huius sæculi millesimo sexcentesimo decimotertio, & quarto, ad cœtum Sodalium Beatissimæ Virginis *è Theologis coadunatum in Alma Louaniensi Vniuersitate. Deinde anno decimo quinto, sexto, septimo, aliisq. pluribus, ad vsque septimum supra vigesimum, & vltrà, sed vicibus aliquantum interpolatis, ad alterum etiam cœtum Partheniorum Sodalium perillustrem & numerosum, vtpote ex viris primoribus vtriusque Curiæ, Ecclesiasticæ & sæcularis, Ruræ-mundæ (quæ vrbs est in Ducatu Geldriæ inter eas quæ stant contra confœderatos Ordines à partibus Regis Catholici facilè princeps) conflatum.*

Inscribo Opus, seu quem præ manibus habes librum, & pono in fronte illius, pro præcipuo & magis peculiari titulo Lectiones; *fortassis nouo tibi & in hoc scriptionis genere inaudito, aut certè minùs noto, vocabulo; non tamen ignoto veteribus, neque ab illorum cùm dicendi, tum etiam scribendi consuetudine alieno. Nam habendarum in Christiana Ecclesia Lectionum tam vetus est mos, vsusq. tam celebris atque antiquus, vt cum ea natus quodammodo videatur. Certè Carolus Regius, scribens de officio Oratoris Christiani, obseruat; & rectè, à vetere Hebræorum Ecclesia (apud quam stati erant conuentus, recitatio, & sermo) ad Christianos hanc olim fuisse consuetudinem deriuatam. Conueniebant siquidem Iudæi ad synagogas suas quolibet sabbato; ibiq. tum temporis, coram ea, quæ conuenerat, multitudine, recitabatur de libro sacrorum Voluminum pars aliqua; quam sermo, ad morem concionum earum, quas hîc* Lectiones *voco, modò parænetieus, modò didascalicus, modò ex vtroque mistus, seruiens scilicet, vel dilucidandis S. Scripturæ locis quibusdam obscurioribus, vel proponendæ ac commendandæ impensiùs vitæ morumq. emendationi, solebat excipere.* Carolus Regius lib. 1. c. 4.

Fecisse quid simile ipsummet Christum Dominum, fontem omnis sapientiæ, apud D. Lucam legimus: habuisse, inquam, in synagoga Iudæorum Lectionem. Verba Lucæ de Christo loquentis hæc sunt. Intrauit secundùm consuetudinem suam die sabbati in synagogam, & surrexit legere. Et traditus est illi liber Isaiæ Prophetæ. Et vt reuoluit librum, inuenit locum vbi scriptum erat: Spiritus Domini super me. *Postq. recitatum vlteriùs locum hunc Isaiæ, subiungit:* Et cùm plicuisset librum, reddidit ministro, & sedit. Et omnium in synagoga oculi erant intendentes in eum. Cœpit autem dicere ad illos: Quia hodie impleta est hæc scriptura in auribus vestris. *Hæc D. Lucas.* Lucæ c. 4. v. 16. Versu 20.

Paulum quoque Doctorem Gentium, cùm venisset Antiochiam cum Barnaba, ibidem cum hoc synagogam ingreßum, post Legis & Prophetarum lectionem, sermonem habuisse exhortatorium, id postulantibus synagogæ principibus, Apostolorum Acta testantur. (Act. c. 13. v. 16.)

Tertullianus deinde, qui secundùm Cardinalem Bellarminum, & alios, paullò post annum à Christo nato ducentesimum vixit, & scripsit, non obscurè insinuans, quàm huiusmodi Lectiones eius temporibus haberentur: Cogimur, *inquit,* ad diuinarum Litterarum commemorationem, si quid præsentium temporum qualitas, aut præmonere cogit, aut recognoscere. Certè fidem sanctis vocibus pascimus, spem erigimus, fiduciam figimus, disciplinam præceptorum nihilominùs inculcationibus densamus. *En paucis verbis descriptum omnem Lectionum eius tempore haberi solitarum modum ac rationem. Siquidem conueniebant fideles, quod significatur verbo* Cogimur: *Legebatur deinde aliquid ex Litteris sacris, quod hic vocatur* Commemoratio. *Lectionem verò istam siue Commemorationem excipiebat depromptus ex eadem sermo, siue ad animandos in spem fiduciamq́; maiorem præsentes, siue ad eorum inueteratam consuetudinem prauam moresq́; improbos corripiendos ac castigandos, sicuti cetera Tertulliani verba iam recensita sat indicant, aptè concinnatus atque compositus.* (Bellar. de scrip. Eccl. An. D. 203. — Tertull. Apologetici c. 39.) *Tertullianum secutus post annos ducentos S. Augustinus* Hipponen*sis Episcopus,* Lectionum *suo etiam tempore habitarum in Ecclesiis meminit, in illa epistola, qua D. Hieronymum non parum perstringit, eò quòd ad vocem cuiusdam Episcopi, secundùm ipsius translationem in hac* IONÆ *historia legentis pro* Cucurbita Hederam, *magnum aliquod fuisset in populo murmur exortum, cuius ipse auctor hac interpretationis nouitate videri potuerit.* (S. August. Tom. 2. Operum, Epist. 10. ad Hiero. c. 3.)

Porrò, ne longum veterum auctorum, quibus fuit olim hoc dicendi scribendiq́; genus familiare, catalogum texam, consule si placet omnes antiquorum Patrum lucubrationes, & inuenies eas, si rectè expendantur, pro parte saltem potiori, aliud non esse quàm habitas ad populum sacras Lectiones; *quibus huic similium rerum ignaro, ipsi peritißimi diuinorum Librorum locos exponebant; expositos verò illustribus, ad vitam omnem moresq́; secundùm Christianæ religionis normam componendos, documentis exornabant, vel certè hac illis miscebant.*

Sic teste Hieronymo Sermones S. Ephrem, ad vtrumque facti, in multis Ecclesiis post lectionem Scripturæ sacræ, tamquam illius Commentarius quidam populum præclarè erudiens, publicè legi consueuerant.

Sed & Nicephorus auctor est, fuiße morem Alexandrinis proprium, eumq́; solemnem, vt quartâ & sextâ cuiusque hebdomadis die Scripturas legerent, quarum deinde interpretes essent Doctores. Quod ipsum ait facere solitos Cyprios & Cappadoces, sed diebus aliis; Sabbato nimirum atque Dominicâ post lucernarum accensionem, Episcopis & Presbyteris interpretibus. (Niceph. lib. 12. Hist. Eccl. c. 34.)

Neque verò antiqua habendarum Lectionum ad populum consuetudo, nunc exoleuit adeò; vt illarum, in locis præsertim celebrioribus & frequentioribus, vbi sperari poßit studiosus, eruditus, aut capax saltem maioris cuiusdam & sublimioris eruditionis auditor, vsus ampliùs non sit, illumve esse nequaquam expediat.

Memini audire me Romæ, anno sæculi huius quinto & sexto, varios; atque inter hos Benedictum Iustinianum, illum ipsum qui scripsit in D. Paulum doctos & elegantes Commentarios, & Gregorium Mastrillum (cuius inter multa alia laboris præclara monumenta, prodierunt anno trigesimo Neapoli typis Aegidij Longi discursus triginta Italico, prout ipse aliquando eos pronuntiauit, idiomate, in IONAM) *vtrumque & insignem Theologum, & disertum Oratorem: quorum ille tum temporis tertium Caput Geneseos, hic primum Euangeliorum S. Ioannis horis pomeridianis in æde domus Profeßæ Societatis à* IESV *vulgò nuncupata, lecto & copioso auditori, qui non rarò dicta calamo excipiebat, præterquam quòd eadem*

Densum humeris bibit aure vulgus,

per

per modum Lectionum re & nomine proponebant.

Horum exemplo atque imitatione, quod pari felicitate pariq; successu non audeo polliceri, veni & ego in illam deliberationem ac mentem; primò, vt exponendum mihi sumerem apud eum, quem nactus eram non ineruditum auditorem, IONAM PROPHETAM: *deinde, vt quæ more meo hunc exponendo pertractaram, publici iuris aliquando facerem, & sicuti verè fuerant,* Lectiones, *inscriberem.*

Si in his occurrant interdum Quæstiones non planè ad gustum tuum LECTOR BENEVOLE, *vtpote quibus Litteralis dumtaxat sensus pleniùs discutitur: & quia præter hoc nihil aliud magnoperè continent, quod reconditam aliquam sapiat eruditionem, aut mores seu vitæ peculiaria quædam præcepta concernat, eæ quasi spinosæ nimiùm & tetricæ tibi minùs sapiant, minùs arrideant; memineris quæso, colligi etiam de spinis rosas; neque suum his fructum deesse, qui si minùs suauis, profectò apprimè vtilis amantibus præsertim cognitionem sacrarum Litterarum futurus sit.*

Adhæc dictas à me Louaniensibus Theologis Lectiones has siue Conciones aliquando, paullò antè admonui. Solebant illis tamquam cognitionis & scientiæ in eo genere satis auidis, Quæstiones eiusmodi, satis pro palato & genio esse, cui illorum genio, hoc etiam indulgendum videbatur tum temporis. Fortassis nunc etiam alios aliquos oblectabit varietas. Fateor conatum me, vt quantum fieri posset, facerem omnibus satis, nulli essem ob nimiam prolixitatem fastidio, ob rerum ac quæstionum diuersitatem alicui etiam oblectamento. Hinc omnibus, prout varius est hominum genius, vt vnum vni, alterum alteri seruiat; nonnulla sunt enucleatiùs à me proposita; quædam subinde in omnem partem copiosiùs ventilata, sæpè etiam allatæ plurium SS. Patrum ac Doctorum sententiæ; controuersæ quædam hinc inde inter Catholicos & Acatholicos pleniùs agitata atque discussa; & (quod Theologis potissimùm seruit) quædam ad Cleri institutionem ac mores, sicubi incompositi fuerint, componendos, prout suggerebat præsens materia, paucis inserta; nec prætermissa, cùm fuit locus hæc adducendi opportunus, monita Politico-Christiana, viros Principes, Consiliarios, Senatores, aliosq;, qui ad clauum sedent Reipublicæ, adiutura; vt nimirum sciant, aut si iam antè sciuerint, neque nostrâ (quod facilè concesserim) cohortatione indigeant, meliùs meminerint, quid sibi pro religionis Christianæ conseruatione, defensione, tutela, atque ampliori (si quando ad id conferre quidquam possent) incremento faciendum. Nolim tamen existimes, Lector, hæc, quemadmodum modò scripta, ita olim pronuntiata fuisse; atque ad illos quibus dicta præ ceteris pertinere, fuisseq; aut olim, aut modò etiam particulariùs directa. Paucis dicimus, multis, imò omnibus scribimus: sic vt quæ minimè vni loco ac Genti, ea alteri sæpè quàm maximè seruiant: hoc verò agimus, dum libros vulgamus, vt quàm plurimis quà erudiendo, quà monendo, publico prælo toto Orbe prodesse possimus.

Desiderabis, sat scio, in verbis, sententiis, totaq; dictione & ratione scribendi ac stylo ornatius aliquid, imò plurimum deesse videbis: non libenter quidem videri velim, si quo modo aliter possim, de toto barbarus, sed neque scrupulosus sectator Latinitatis: affectatam sermonis elegantiam, & procedentem ad numeros periodorum fluxum diffugi studio, secutus quod monet quodam loco D. Hieronymus: De scripturis disputantem, non decet Aristotelis argumenta conquirere, nec ex flumine Tullianæ eloquentiæ ducendus est riuulus, nec aures Quintiliani flosculis, & scholari declamatione mulcendæ; sed pedestris & quotidianæ similitudinis, & nulla lucubratione redolens oratio necessaria est, quæ rem explicet, sensum edisserat, obscura manifestet.

Igitur, si quod vult D. Hieronymus, relictis verborum phaleris, veritatem cum claritate, quod intendo, tuo iudicio assecutus fuero, multum mihi gratulabor. Non omittam tamen, quantum potero conari, vt proximè imiter Saluianum Massiliensem Episcopum dicentem: Nos rerum magis quàm verborum amatores, vtilia potiùs quàm plausibilia sectamur; neque id quærimus, vt in nobis inania sæculorum ornamenta; sed vt salubria rerum emolumenta laudentur. In scriptiunculis

Saluianus Proœ. ad lib. de Prouidentia.

nostris non lenocinia esse volumus, sed remedia; quæ scilicet non tam otiosorum auribus placeant, quàm ægrotorum mentibus prosint. *Quare, quæ digna reprehensione videntur, reprehendo, Christianâ quadam, & tibi, vti spero, non displiciturâ libertate. Hinc subinde vapulant luxus, superbia, gula, libido, auaritia, & similes vitiorum pestes, ac quidquid cum his* Niniue, *id est mundus hic, habet malorum: hæresis verò origo & fons horum omnium (quemadmodùm me SS. Patres illius hostes acerrimi docuerunt) quàm maximè.*

Id si cui fortè, quod nolim, displiceat, non habeo quod reponam, nisi illud Petri Damiani, viri doctrinâ, eloquentiâ, & sanctitate celeberrimi, cùm in turpia quædam sui sæculi vitia inuectus, grauiorem idcirco imminere sibi à nonnullis liberioribus ac minùs pudicis hominibus, censuram prospiceret, dicentis: Si in cuiuslibet manus libellus iste deuenerit, aut conscientiâ minimè suffragante superiùs comprehensa fortè displiceant, meque proditorem delatoremque fraterni criminis arguat; nouerit me fauorem interni iudicis toto intentionis studio quærere; prauorum verò odia, vel linguas detrahentium non timere. Malo quippe cum Ioseph, qui accusauit fratres apud patrem crimine pessimo, in cisternam innocens proiici, quàm cum Heli, qui filiorum mala vidit, & tacuit, diuini furoris vltione mulctari. *Non dabo tamen, opitulante Deo, cuiquam, saltem volens, iustæ causas querelæ; quando præsertim, aliud nihil intendo, quàm ob oculos ponere scelerum & erratorum, quæ iam pridem inualuerunt, aut paulatim ampliùs inualescere incipiunt, turpitudinem; atque à vitiis & erroribus animos vel non rectè sentientium, vel minùs benè volentium, si hæc fortè legant, aut audiant, auocare: non verò, ne quidem cum Catholicæ fidei hostibus, tametsi cum illis mihi sit subinde aliquid amplius futurum negotij; multo minus cum alio aliquo altercari, aut importunè contendere: sic tamen vt crassos errores hæreticorum detegere, ac damnare; & si quid liberius dixerint, id eadem libertate refutare, veritatem verò semper enitar rationibus quàm maximè claris & euidentibus, stabilire.*

Petrus Damianus lib. Gomor. c. 15.

Ad studium & laborem Operi huic impensum quod attinet: sanctè affirmare possum, conatum me omnes, qui de hoc scripserunt argumento, auctores conquirere; conquisitos atque inuentos studiosè peruoluere, quidquid habebant singulare atque eximium in rem meam transferre. Ita tamen (licet vtar ijs, quæ apud alios hoc modo reperi singularia, non dissimulatis auctorum nominibus apud quos ea reperi) vt nullo non loco propria quoque suppeditem. Tui erit iudicij decernere, Prophetæ mentem, adeoq. veritatem ipsam, rectène assequar an secus; num prudenter sapienterq. moneam cùm oportet; num de iis quæ ad vitam faciunt Christianam, & mores probos, Lectorem Auditoremve sufficienter erudiam; num quæ esse possint magno ad virtutem incitamento dilucidè satis proponam: quæ quatuor in hac scriptione intendi potissimùm. Excusabis, ita confido, pro tua humanitate beneuolentiaq., si quid vspiam erratum.

Terentius. Homo sum, humani nihil à me alienum puto.

& hunc qualemcumque laborem meum æqui boniq. consules, quod vt facere digneris submisse flagito. Vale.

ELEN-

ELENCHVS SCRIPTORVM IN IONAM.

De hoc Monitiuncula.

EXistimavi facturum me operæpretium, si hîc in fronte Libri Catalogum texerem eorum Auctorum, qui Vaticinium Ionæ, quod tracto, aut illius partem aliquam scriptis suis illustrarunt; vt curiosus Lector, tamquam in tabula quadam sibi proposita, vno velut oculo intueri possit, quis, quid, quantum, quo tempore in hoc argumento desudarit, scripserit, & vulgarit.

1. Ordini seruando, recensui ante omnia sacri Textus *Versiones varias*, quibus me vti subinde contigit.

2. Post has *sanctos Patres*, priores tempore, auctoritate potiores, primo loco posui; ferè præter propter singulos recensendo pro ætate, qua vixerunt, floruerunt.

3. Subiunxi *Interpretes*, quos inuenire potui ex iis, qui alicubi ad hæc vsque tempora scriptis Commentariis, Glossis, Notationibus, Paraphrasi, noti.

4. His *Concionatores* attexui, & *Homiliographos*.

5. Addidi deinde *Historicos*, siue illi *Annalium Scriptores*, siue *Chronologi*, quorum etiam nonnullos, licet pauciores, recensui.

6. Denique, ne quid deesset, subiunxi quotquot, quantum quidem scio, Ionæ *Prophetæ, aut vaticinij*, quod tractamus, ab eodem peculiari hoc libello vulgati, *meminerunt*.

7. Neque excludendos putaui *Hebræorum Rabbinos*.

8. Imò nec *Scriptores Hæreticos*, si non omnes, eos saltem qui in manus meas inciderunt: fateor non esse eos aliàs à me studiosè admodum conquisitos. Plures inueniri forsitan potuissent; sed cùm in iis quos habui vix aliquod esset operæ pretium, à pluribus conquirendis supersedendum putaui.

9. Prodiisse, præter eos, quos suis singulos classibus posui, ad easdem spectantes, à nonnullis hinc inde alij memorantur; hactenus à me, post sedulam in hoc operam positam, non reperti: horum etiam nomina prout à variis recensita sunt, ordine alphabetico, serie quadam singulari, hîc annotanda censui, vt Lectori de lucubrationibus ipsorum, aliquo saltem modo nomine tenus constaret.

VERSIONES VARIÆ.

PRima antiquitate, post Prophetarum libros, ab ipsis Prophetis conscriptos, aut certè dictatos idiomate Hebræo, *Versio*, (saltem inter eas quæ nunc extant) est LXXII. *Interpretum*, facta sub Ptolemæo Ægypti Rege; non, vti quidam volunt, Lagi filio; sed Philadelpho, & quidem regni ipsius anno decimo septimo, annis secundùm Bellarminum Cardinalem, qui in hoc S. Epiphanium sequitur, ante natum Christum ducentis nonaginta & vno. In hac laborarunt seni ex singulis tribubus Israel, vno animo, vno ore, & quasi vno calamo; adeò vt nullus eorum ab aliis in vno puncto dissentiret. Ait S. Augustinus, secutus Iustinum, Irenæum, Cyrillum, & Clementem Alexandrinum, quò maioris esset momenti, atque auctoritatis illorum translatio, & omni collusionis alicuius suspicione

(Bellar. l. 2. de verbo Dei c. 6.) (August. lib. 18. de Ciuitate Dei c. 42.)



Irenæus lib. 3. c. 25. Cyrillus Hierosol. Catechesi 4. Clemens Alexand. lib. 5 Stromacum.

spicione careret; singulos singulis fuisse collocatos cellulis, quarum se adhuc vidisse reliquias affirmat Cyrillus; verùm cellularum eiusmodi Aristæas, qui negotio interfuit, & de his LXXII. Interpretibus librum conscripsit, nullam facit mentionem; atque hanc historiam ridet Hieronymus. Quidquid interim sit de cellulis istis, multum est, quòd tanta fuerit inter illos LXXII. siue loco seiunctos, siue coniunctos, consensio, vt ne quidem in vllius verbuli ordine, nedum in verbo vllo, quod idem significaret, & tantundem valeret, vnus dissentiret ab altero, vti scribit Augustinus. Quare hæc translatio semper meritò maximi habita est, à Iudæis æquè ac Christianis; ab Hebræis quippe lecta in synagogis, citata verò deinde ab Apostolis in Ecclesia. Sed multa in eam hinc inde menda successu temporis irrepserunt. Prodiit tandem prioribus emendatior Romæ, Sixto V. Pontifice, studio Antonij Cardinalis Carafæ, additis variis Notationibus & Lectionibus ex Codicibus Manuscriptis antiquis, per Flaminium Nobilium Lucensem, Anno 1588.

Aristæas Tom. I. Biblioth. SS. PP.

Secunda ordine vetustatis, *Versio est Chaldaica*, quam in Prophetas paraphrasticè concinnauit *Rabbi Ionathan* filius Vzielis, annis quadraginta duobus ante natum Christum: tunc enim secundùm Galatinum, vixit Rabbinus ille. Hæc Latinitati donata triplex nunc extat. Prima, Ariæ Montani edita in Bibliis Regiis. Secunda, Petri Costi, quæ anno 1554. Lugduni prodiit. Tertia Complutensis, iussu Francisci Ximenij, Cardinalis & Archiepiscopi Toletani in lucem data. Ariæ Montani ceteris breuior est, expurgari cœpta à multis Rabbinorum commentis & fabulis, vti notauit Tirinus in Indice Auctorum à se citatorum in Bibliis.

Tertia Versio, & ex Hebraico in Linguam Græcam secunda, est illa quam fecit *Aquila*, Ponticus natione, patriâ Synopæus, anno duodecimo Hadriani Imperatoris, Verbi Incarnati centesimo vigesimo, vt auctor est Epiphanius. Fuit hic *Aquila* primùm Gentilis, deinde Christianus; pulsus verò (vt ait Bellarminus Cardinalis) eò quòd Astrologiæ iudiciariæ esset studiosior, ab Ecclesia, factus est ex Christiano proselytus Iudæorum. Et quoniam eo tempore quo apostatauerat Scripturas interpretatus est, non satis bonâ fide hoc egit; irruens enim in LXX. Interpretum translationem, quædam loca de Christo aliter exposuit.

Quarta Versio, ex Hebræo similiter in Græcum, est illa quam fecit *Theodotion*, quem S. Epiphanius Ponticum, Euthymius Ephesium dicit, Imperatore Aurelio Commodo, ante annum Domini centesimum octogesimum. Hic licet ex hæretico Marcionista, factus etiam sit proselytus Iudæorum, maiori tamen fide, vt ait Epiphanius, vsus est in interpretatione quàm ceteri eius similes, quæ magna commendatio est: atque hinc, teste D. Hieronymo, legit semper Ecclesia Danielem ex Interpretatione ipsius.

Epiph. lib. de Mensuris & Pôderibus. Hieron. Præf. in Danielem.

Quinta versio est *Symmachi*, qui ita ex Hebræo in Græcum sacros Libros transtulit, vt non verbum verbo, quod Aquila fecerat, sed sensum sensui respondētem reddiderit. Fuit autem *Symmachus* natione Samaritanus, de numero sapientum Gentis illius, apud quam cùm obtinere principatum non posset, se Iudæis adiunxit, & secundò circumcisus est, vt vult Epiphanius. Alij aiunt deinde ad Christianos transisse, & Ebionitarum hæresim fuisse sectatum; quod ipsum priùs factum alij affirmant. Vixit Septimio Seuero Imperatore, anno Domini centesimo nonagesimo. Ita tradunt post S. Epiphanium Sixtus Senensis, Antonius Posseuinus, aliique complures.

Recentiores sunt qui sequuntur, neque ex Hebræa in Græcam linguam, sed in Latinam sacra Volumina transtulerunt. Et quidem

Sanctes Pagninus natione Italus, Lucensis patriâ, professione Ordinis S. Dominici, hortante Leone X. Pontifice Max. vetus Testamentum ex Hebræo,

colla-

collatis inter se multis probatissimis Hebræorum exemplaribus, Nouum ex Græco in Latinum conuertit, anno Domini millesimo quingentesimo vigesimo octauo. Apponens vnà Capitibus singulis breuiter eorum argumentum.

Isidorus Clarius & ipse Italus, patriâ Brixianus, ex Monacho & Abbate S. Mariæ Cesennæ Congregationis Cassinensis, Ordinis S. Benedicti, Episcopus Fulginas, Biblia ex Hebræo in Latinum vertit, eaque cum scholiis magna ex parte à Munstero mutuatis, vti notauit Tirinus, edenda curauit Venetiis anno 1542. Ipse verò obiit 28. Maij anno 1555. ætatis suæ 60. Versio hæc vti & Sanctis Pagnini non est pro vulgata habenda.

Franciscus Vatablus, vel potiùs, quæ eius nomine circumfertur *versio Tigurina* (Vatabli enim non est) à veritate Hebraica longissimè aberrat; & cùm variis erroribus sit conspersa, legi non potest, nisi vt est in Hispaniis expurgata, & edita Salamanticæ anno 1584. Notationes quoque, quæ versioni illi coniunguntur non sunt Vatabli; sed hæretici cuiusdam, fraude Roberti Stephani typographi suppositæ Vatablo, à quo falsi crimine postulatus Robertus, solum vertit, Geneuam profugit, & Lutetiæ in simulacro exustus est, vt tradunt Genebrardus, Posseuinus, Gretserus, & ex iis Tirinus. Ceterùm fuit Vatablus Regius Hebraicæ linguæ Professor Lutetiæ per annos sedecim, vir probatæ semper, vti fidei, ita & doctrinæ. Obiit anno Domini 1547. 16. Martij.

Hę ferè sunt Versiones, quas citare subinde in hoc Opere soleo. Ceteris quia vix vsus sum, eas etiam hic recensere omitto.

SS. PATRES.

Q. *Septimius Florens Tertullianus* Carthagine in Africa, patre Centurione Proconsulari natus, non sanctus (nam ad mediam vsque ętatem Presbyter Ecclesię Carthaginensis, religione Catholicâ mox desertâ, in Montani hęresim est prolapsus) sed antiquissimus scriptor inter PP. atque idcircò à me hîc primo loco positus, *Carmen Heroicum de* IONA *& Niniue* panxit. Habetur in fine Tomi VIII. Bibliothecę SS. Patrum, editæ Parisiis anno 1689. Verùm in eadem Bibliotheca aucta & recusa Coloniæ, sumptibus Antonij Hierati, anno 1618. ipsum nequaquam reperio. Stylus tamen Tertullianum mihi omninò sapere videtur. Vixit ipse Seuero Imperatore sub an. Domini 200.

S. Zeno Vrbis Veronensis VIII. Episcopus, Martyr sub Galieno Imperatore, scripsit *Sermonem vnum in* IONAM, qui habetur inter reliquos ipsius Sermones Veronæ editos anno 1586. & Tomo III. Bibliothecæ SS. Patrum secundùm editionem Coloniensem anni 1618. pagina 106. columna 2. Claruit anno Domini 260.

S. Athanasius Episcopus Alexandrinus, cognomento Magnus, Arianorum hostis acerrimus, scripsit *Synopsim totius S. Scripturæ*, cuius libro XVIII. *Historiam* IONÆ paucis complectitur lineis. Obiit anno Domini 379. sub Valente Imperatore.

Dorotheus, non Presbyter Tyri, sub Iuliano Apostata Martyr Edessæ in Syria, vt aliqui putant; sed, vt vult Cæsar Cardinalis Baronius, in Notis ad Martyrologium Romanum V. die Iunij, aliquis Abbas Romanus; vel vt alij, alius; Librum scripsit, cui titulus: *Synopsis de vita Prophetarum & Discipulorum* CHRISTI, illius cap. VI. habetur *Vita* IONÆ. Liber hic non caret subinde fabulis, vt benè obseruauit Bellarminus. Extat Tom. III. Bibliothecæ SS. Patrum, editæ Coloniæ anno Domini 1618. pagina 144. Cùm verò de auctore certò non constet, constare etiam non potest, quo tempore liber ille conscriptus sit & vulgatus. Plerique & scriptorem, & scriptionem reducunt ad an. circiter 360.

S. E-

S. Ephrem Diaconus Edessenus in Syria, scripsit sermonem vnum: *De Pœnitentia Niniuitarum.* & alterum: *De Pœnitentia in genere*; in quo etiam IONÆ, *& Niniuitarum* lugentium ac pœnitentium meminit copiosè. Vterque satis est prolixus; & valet pro populo, Niniuitarum exemplo, permouendo ad pœnitentiam. Habentur Tom. III. Operum illius editorum Coloniæ an. Domini 1603. apud Arnoldum Quentelium, & an. 1619. Antuerpiæ apud Keerbergium opera & studio Gerardi Vossij. Scripsit sua hic Sanctus Valente Imperatore sub quo & mortuus est, vt ait S. Hieronymus, & ex eo Bellarminus, qui ad an. Domini 365. hoc refert. Abbas Tritthemius ad an. 380.

Hieron. in Catal. c. 126.

S. Epiphanius Salaminæ Cypri Episcopus, qui secundùm Bellarminum floruit sub Valente, Gratiano & Theodosio Augustis, librum scripsit, cui Titulus: *Historia de Prophetarum vita, & interitu.* In hoc IONÆ *vita & mors* peculiari capite describitur. S. Epiphanium mortuum ait Bellarminus an. Domini 370. Tirinus an. 380. Baronius ait adhuc fuisse superstitem an. 401.

Bellar. de scrip. Ecclesi. Tirinus in Indice Auctorū. Baron. in Notis ad Martyrol. die 12. Maij.

S. Ambrosius Ecclesiæ Doctor atque Mediolanensis Ecclesiæ Episcopus, scripsit *in Caput* III. *&* IV. IONÆ *Prophetæ Enarrationes duas.* Habentur Tomo II. Operum ipsius editorum Parisiis an. Domini 1586. pagina 1417. & editorum Coloniæ apud Hierat. an. Dom. 1616. pagina 528. Prior enarratio inuenitur etiam in antiquioribus editionibus, & recensetur ibi inter Homilias Ambrosij num. XL. Sed DD. Colonienses hanc S. Maximo tribuunt. Posterior Enarratio in quibusdam veteribus editionibus non reperitur. Obiit Ambrosius, secundùm Honorium de Scriptoribus Ecclesiasticis, & Abbatem Tritthemium an. Dom. 380. secundùm Baronium & Bellarminum de Scriptoribus Ecclesiasticis an. Dom. 397. ab obitu Theodosij Imperatoris anno tertio necdum elapso, vt ait in eius vita Paulinus; secundùm Genebrardum in Chronico an. Dom. 400.

S. Ioannes Chrysostomus Archiepiscopus Constantinopolitanus, scripsit *Homiliam vnam*, cui Titulus: *De* IONA PROPHETA. Habetur Operum ipsius Tom I. estque VI. à fine.

Idem de hoc ipso argumento multa habet *Homilia V. ad Populum*, à medio ad finem; & *Homilia I. de Pœnitentia.* Vtraque reperitur Tom. V. Illa quidem pagina 23. hæc verò pagina 335. ex editione facta Antuerpiæ apud Belleros an. 1614. Obiit hic secundùm Honorium & Tritthemium, an. Dom. 400. secundùm Bellarminum an. Dom. 407. Imperatorum Arcadij & Honorij an. XIII. Episcopatus sui IX. Opera ipsius, in quibus (vt ait B. Isidorus) *plurima cordis compunctio & magna suauiloquentia*, recusa sunt sæpiùs Venetiis an. Dom. 1574. Lutetiæ Parisiorum an. 1588. Antuerpiæ 1614. & alibi.

S. Basilius Seleuciæ in Isauria Episcopus, scripsit *in* IONAM *Orationes duas*; suntque inter eas, quæ nunc extant num. XII. & XIII. His totam historiam prosequitur breuiter. Prodierunt Opera ipsius seorsim per Claudium Dausqueum, atque eadem deinde inserta sunt Bibliothecæ SS. Patrum editæ Coloniæ an. 1618. Habenturque tomi V. parte III. pag. 409. Fuit hic Basilius S. Ioannis Chrysostomi synchronos; ad quem, vti arbitratur Photius in sua Bibliotheca, non verò ad D. Basilium Magnum Cæsareæ Episcopum, vt alij putant, ipse librum de Sacerdotio misit.

S. Hieronymus Dalmata, Stridonensis patriâ, Presbyter Antiochenus, & Doctor Ecclesiæ, qui omnibus S. Scripturæ Interpretibus viam aperuit, scripsit sicut in omnem penè S. Scripturam, ita etiam *in* IONAM *Commentarium*; quo Litteralem & Allegoricum sensum passim complectitur, & Moralem subinde insinuat. Extat hic Commentarius Operum ipsius Tomo VI.

Quod ad controuersiam *De Hedera siue cucurbita*, quæ illi cum S. Augustino intercessit, spectat, videnda est Responsio eiusdem ad tres S. Augustini episto-

las

las Tom. II. Operum ipsius posita, quæ incipit: *Tres simul epistolas*, &c. In hac sub finem, status quæstionis inter ipsos controuersæ breuiter ponitur, & se Hieronymus suamque sententiam tuetur. Migrauit ex hac vita, secundùm quod refert Cardinalis Baronius in Notis ad Romanum Martyrologium, secutus S. Prosperum in Chronico, an. Dom. 420. Theodosio nonùm & Constantio tertiùm Coss. Baron. in Notis ad 30. Sept.

S. Aurelius Augustinus Hipponensis in Africa Episcopus, & Doctor Ecclesiæ, IONÆ *historiam* Allegoricè aliquousque *Christo applicat*; sed breuiter, Libro IV. de Symbolo cap. VI. Habetur Tomo IX. Operum circa finem.

Idem epistolâ XLIX. ad Deo gratias, Quæstione VI. copiosiùs agit de *ceto* IONAM *absorbente, de cucurbita* (sic enim legit ipse pro hedera) & *de verme*, tam historicè quam allegoricè; vbi etiam Paganos hæc ridentes redarguit. Habetur Operum ipsius Tomo II.

Insuper verba IONÆ clamantis, prout habet vulgata Lectio: *Adhuc quadraginta dies, & Niniue subuertetur*, prout verò LXX. *Adhuc tres dies*: conciliare nititur idem Augustinus libro XVIII. de Ciuitate Dei, capite XLIV.

Denique Hieronymum grauiter reprehendit, quòd pro *cucurbita* posuerit *Hederam*, factâ hac de re mentione in duabus epistolis ad eum datis, quæ recensentur inter ceteras Augustini X. & XIX. habenturque Operum ipsius Tomo II. Obiit verò Augustinus, teste Possidio in eius vita, an. Dom. 433. Ita ex Prospero in Chronico Bellarminus de Scriptoribus Ecclesiasticis.

S. Maximus Taurinensis Episcopus, scripsit *Homiliam vnam*, cui Titulus: *In Litaniis de Ieiunio Niniuitarum*, quam sic orditur: *Legimus in Prophetis*, estque eadem cum illa quæ numero XL. inter Homilias S. Ambrosij in veteribus editionibus ponitur, & inter *Enarrationes in Ionam* prima in eiusdem Operibus recensetur, nullo verbo mutato; nisi quod incipiat pro eo quod habet S. Maximus *Legimus in Prophetis: Legimus in recitata Ionæ Prophetæ lectione.* quod fortè à quopiam, qui verba ipsa Prophetæ in Ambrosio, huic Enarrationi præposuit, ita fuerit immutatum.

Verùm non est hæc Homilia Ambrosij, secundùm Gennadium, Posseuinum, Bellarminum, & Doctores Colonienses Tomo V. Bibliothecæ SS. Patrum, Parte I. pagina 26. sed sancti Maximi, qui etiam Homiliam scripsisse fertur in illud IONÆ cap. 4. vers. II. *Qui nesciunt quid sit inter dexteram & sinistram.* Verùm hanc in sancto Maximo reperire non potui. Mortuus est, secundùm Baronium, post ann. Dom. 465. nam hoc anno eum Romanæ Synodo, celebratæ sub Hilaro Papa, adhuc interfuisse in suis Notis ad Martyrologium ipse affirmat.

Seuerus Sulpitius Aquitanus Presbyter, vt ait Gennadius in Catalogo, Cardinalis Baronius in Annalibus ad an. Dom. 430. & Posseuinus in Apparatu, æqualis & amicissimus S. Paulino, vti ex epistolis ad inuicem scriptis est manifestum, edidit *Historiæ sacræ libros duos*: in fine I. complectitur paucis lineis quæ IONÆ legationem concernunt, totamque de Niniuitis historiam. Obitus eius à Bellarmino Cardinali refertur in an. Dom. 420. ab aliis, vti Baronio, Tirino, in an. 430.

S. Cyrillus Episcopus Alexandrinus, vir sanctissimus & doctissimus, qui imperante Theodosio iuniore, an. Dom. secundùm Sixtum Senensem, præfuit Concilio Ephesino I. nomine S. Cælestini Papæ, damnauitque Nestorium, edidit *Commentarium in* XII. *Prophetas Minores*, inter hos etiam *in Ionam*,

nam, quem, anno huius sæculi septimò, Iacobus Pontanus Societatis IESV sacerdos è Græco Latinitati donatum, vtraque lingua vulgauit, Ingolstadij Typis Adami Sartorij in folio. Antonius Posseuinus obiisse ait S. Cyrillum an. Dom. 444. Bellarminus an. 430. Tirinus an. 435.

Theodoretus, Antiochiæ in Syria nobilibus ac piis parentibus ortus, iuuenis in Episcopum Cyri assumptus, scripsit inter reliquos Prophetas etiam *in Ionam*, & singula illius Capita, tamquam Commentator, succinctè & clarè explanauit. Contemporaneus fuit sancto Cyrillo Alexandrino. Viuere desiit, secundùm Sixtum Senensem, sub an. Dom. 450. secundùm Honorium de Illustribus Ecclesiæ Scriptoribus an. 460. secundùm alios an. 430.

Eusebius, *Emissenus* dictus, non tamen ille qui Emissæ oppidi in Ægypto vicini Alexandriæ Episcopus fuit, regnante Constantino II. & fratribus eius Constante atque Constantio, vt putat Gagneius; sed alter, quem Antonius Posseuinus, Andreas Scottus, & Doctores Colonienses in Bibliotheca SS. Patrum Gallicanum vocant, scripsit *Homilias duas*. Vnam, quæ est II. inter XI. quas habet *de Pascha*. Hac *Ionæ in cetum ingressum*, *eiusdemq. ex eo regressum* CHRISTO *sepulto & resurgenti applicat*. Alteram, cui Titulus. *De pœnitentia Niniuitarum*; quâ illam potissimum complectitur. Sunt qui has, vti & reliquas nomine Eusebij Emisseni editas, Eucherio Lugdunensi Episcopo, sunt qui Cæsario Arelatensi tribuant. Quisquis auctor fuerit, non vixit saltem ante an. Dom. 430. vti notauit rectè Bellarminus.

Sanctus Petrus Chrysologus, sic dictus ob auream vim dicendi & eloquentiam, nobili loco natus in Foro Cornelij, quod iam Imola dicitur, Rauennæ Episcopus, inter ceteros sermones, habet vnum num. XXXVII. cui Titulus: *De Ionæ Prophetiæ signo*. Hoc pulchrè figuram applicat figurato. Sermones ipsius editi sunt vltimò seorsim in 8. Parisiis an. Dom. 1622. anteà verò inserti Tomo V. Bibliothecæ SS. Patrum Parte II. pagina 688. editæ Coloniæ an. 1618. Obiit ipse 2. Decembris an. Dom. 449. vel 450.

VValfridus Strabus Germanus Natione, Rabani Mauri discipulus, ex cuius operibus decerpsit Explicationes Scripturarum, & composuit *Glossam Ordinariam*. Edidit illam, sicut in omnes libros sacræ Scripturæ, ita etiam *in Ionam*. Ex Monacho Fuldensi Decanus S. Galli & Abbas in Augia diuite. Floruit sub Ludouico Pio Imperatore ann. Dom. 840. vti testantur Sixtus Senensis, Posseuinus, Bellarminus. Obiit verò, an. 849.

Haymo ex Monacho & Abbate Hirsfeldensis Monasterij Ordinis Sancti Benedicti, Episcopus Halberstadensis, Alcuini discipulus, scripsit, sicuti in reliquos Minores Prophetas, ita & *in Ionam* Breuem Commentarium, vocat *Enarrationes*; in his ferè abbreuiatorem agit Sancti Hieronymi, & eiusdem vt plurimum verbis vtitur. Obiit, secundùm Cardinalem Baronium in Annalibus, an. Dom. 853. Halberstadij, vbi Episcopum egerat annis XIII. prout notauit Trithemius.

Remigius Antisiodorensis Monachus Ordinis S. Benedicti, Rhemis professor publicus, & sua ætate vir doctissimus, *Commentarium* scripsit in omnes Minores Prophetas, adeoque etiam *in Ionam*, secutus verbotenus ferè Haymonem, & vterque D. Hieronymum.

Expo-

Expositio in Ionam inter opera eius inuenitur Tom. IX. Bibliothecæ sanctorum Patrum Parte II. pagina 549. editæ Coloniæ an. 1618. Prodierat iam aliquoties antè ipsius in Minores Prophetas Commentarius. Floruit sub Carolo Caluo Imperatore anno 877. vt ait Tirinus in Indice Auctorum à se citatorum; vti Posseuinus in Apparatu, an. 880. vti Bellarminus, 890.

Theophylactus Archiepiscopus Bulgarorum, tempore Alexandri II. Pontificis Max. & Romani Diogenis Imperatoris, scripsit *In Ionam Commentarium*. Vixisse eum circa an. Dom. 1071. demonstrat Cardinalis Baronius in Annalibus, ex propria Theophylacti epistola.

Anselmus Laudunensis Scholasticus, Gallus; composuit, ex breuissimis Patrum annotatiunculis, Explanationes in vtrumque Testamentum, quas vocant, *Glossam interlinearem*, eò quòd minutioribus characteribus, inter lineas Textus poni solerent, ad distinctionem Glossæ marginalis, à Strabo concinnatæ plus quàm ducentis annis antè. Extat nunc hæc vnà cum Glossa Ordinaria & Lyrani postillis siue commentario passim impressa. In IONAM habet paucula. Vixit secundùm Bellarminum an. Dom. 1077. S. Anselmi Cantuariensis æqualis, aut paullò iunior.

Rupertus Natione Germanus, Abbas Tuitiensis, Ordinis Sancti Benedicti iuxta Coloniam Agrippinam (ope Beatissimæ Virginis, acceptâ cælitus incomparabili scientiâ) satis prolixum scripsit *Commentarium in* XII. *Minores Prophetas*. In IONA magis Allegorico quàm sensui Litterali inhæret. Vixisse adhuc an. Dom. millesimo centesimo vndecimo, patet ex ipsius de diuinis Officiis lib. VIII. cap. IV. nam hunc annum ibi notat. Floruit tempore Paschalis Papæ & Henrici Imperatoris. Obiit verò, secundùm Honorium de Illustribus Ecclesiæ Scriptoribus, & Sixtum Senensem in Bibliotheca, an. Dom. 1124.

Philippus, Cognomento *ab Eleemosyna*, Monachus Ordinis Præmonstratensis, & Abbas Monasterij *Bonæ Spei* in Belgio, synchronos S. Bernardi Claræuallensis Abbatis, Tractatum scripsit *De silentio Clericorum*; in quo totis quatuor Capitibus, nimirum LXXIX, LXXX, LXXXI, & LXXXII. *Ionæ Historiam* tractat. Stylum habet singularem, qui ferè totus similiter cadentibus & desinentibus verbis atque sententiis videtur constare. Opera huius Auctoris omnia, post 450. ac ampliùs annos, quibus latuerant, demum prodierunt an. Dom. 1623. Duaci, typis Bellerianis in folio. Floruit ille sub an. Christi 1150.

Petrus Blesensis Gallus, sed Bathoniensis in Anglia Archidiaconus, & apud Cantuariensem Archiepiscopum Cancellarius, inter Opera sua edita à R. P. Ioanne Busæo Societatis IESV Theologo an. 1600. Moguntiæ apud Albinum, *Sermonem* habet, dictum ad Prælatos, estque numero XLVIII. super illa verba IONÆ cap. I. v. 5. *Descendit Ionas ad interiora nauis & dormiebat sopore graui.* quo primam Legationem IONÆ, moralibus documentis breuiter illustrat. Floruit tempore Alexandri III. Pontificis & Henrici II. Regis Anglorum sub an. Dom. 1177.

INTERPRETES.

INCIPIO *Classem hanc à sæculo* XIII. *quo multi fuere præclari Scriptores. Primus in nostro argumento occurrit,*

Hugo de Sancto Caro, sic dictus, quòd fuerit ex oppido S. Cari in Delphinatu Galliæ, diœcesis Ebredunensis oriundus, Professione Ordinis S. Dominici, & primus ex eodem creatus ab Innocentio IV. Cardinalis tit. S. Sabinæ, scripsit *Commentarios in vniuersam sacram Scripturam*, adeoq; etiam in IONAM. Multùm vtitur D. Hieronymo & Glossa Ordinaria, doctus & solidus est. Recusa sunt omnia eius opera Coloniæ apud Gymnicum an. 1621. Claruit sub Frederico II. Imperatore. Ipse verò è viuis excessit, vt notant Sixtus Senensis, & Posseuinus an. Dom. 1262. Lugduni, vbi & in templo PP. Prædicatorum sepultus est.

B. Albertus ob singularem sapientiam dictus *Magnus*, Sueuus natione, ex oppido Langigēsi, Instituto ordinis D. Dominici, S. Thomæ Aquinatis Magister, Ratisponensis Archiepiscopus ab Vrbano IV. creatus; *Commentarium* scripsit *in* IONAM, satis iustum, doctum, & varium. Obiit (depositâ vltrò administratione sui Archiepiscopatus, & reuersus Coloniam ad monasterium suum vt priuatus sibi & Deo viueret) an. Dom. 1280. ætatis suæ LXXXI. ibidem sepultus in choro templi PP. Prędicatorum. Relatus à Sanctissimo Domino nostro Vrbano VIII. in numerum Beatorum an. *1635. 6.* Martij.

Nicolaus, à Lyra Normanniæ vico cognominatus *Lyranus*, ex Iudæis oriundus, Ordinis D. Francisci, *Postillam* seu *Breuem Commentarium* edidit *in totam S. Scripturam*, valdè laudatum, simul etiam *in* IONAM. Opus ipsius recognitum, impressum est Lugduni an. 1590. ac deinde sæpius prodiit. Claruit secundùm Trithemium, Sixtum Senensem, & Bellarminum temporibus Ludouici IV. Imperatoris, & Ioannis Papæ XXII. Mortuus an. Dom. 1349. 14. Octobris, vt ait Tirinus Lugduni, vt alij Parisiis, in magno Minorum cœnobio: vbi & aiunt sepultum, & ostendi eius sepulchrum, atque in eo epitaphium hexametrum scribit Genebrardus, eumque secutus Serarius in Prolegomenis Biblicis c. 28. quæst. 15.

Dionysius Rikelius, Belga Natione, Professione *Carthusianus*, illoque nomine magis ferè quàm Rikelij notus, scripsit *in omnes vtriusque Testamenti libros* vtilem & doctum *Commentarium*; inhærens, quod proprium est Interpretis, maximè sensui Litterali. Vixit, mortuus, & sepultus est in sui Ordinis Monasterio Ruræ-mundæ in Geldria; vbi eius veneranda ossa sub altari maiori asseruantur, & ostenduntur etiam modò. Vti & in Bibliotheca dicti Monasterij plerique Codices Dionysij manu scripti, qui deinde variis temporibus & locis impressi. Recusus est eius in Minores Prophetas, etiam in IONAM, Commentarius secundò Coloniæ an. Dom. 1549. apud Ioannem Quentel. deinde etiam alibi. Obiit an. ætatis suæ LXIX. Religionis initæ XLVIII. Humanæ autem salutis 1471.

Ioannes Benedictus Parisiensis Doctor Theologus, edidit vnà cum Bibliis vulgatę versionis à se correctis & expurgatis à pluribus mendis, *Scholia breuia in Totam S. Scripturam*, ex vetustis Patribus, quos citat, collecta, atque ad marginem S. Scripturæ posita. Obseruationes eius in IONAM ferè sunt ex D. Hieronymo & Eusebio Emisseno. Prodiit opus primò Parisiis anno Domini 1549. ibidemque recusum est iterum anno 1563. Claruit auctor sub Carolo V. Imperatore, circa an. Dom. 1550. vti ex scriptis eius primò editis patet, & notauit Sixtus Senensis.

Ioa-

Ioachimus Perionius Gallus natione, professione monachus Ordinis S.Benedicti, Parisiis Græcarum Litterarum Interpres Regius. Librum edidit *De vitis rebusq́ gestis Prophetarum*. In hoc, licet non agat Interpretem, habet tamen nonnulla quæ pro interpretatione Propheticorum sermonum aliquid lucis adferunt. Ad IONAM quod attinet, Titulo *De vita* IONÆ, paucis describit Natales, Legationem, Mortem, Sepulturam illius. Floruit an.Dom.1550. Obiit, vt ait Bucholcerus, an. 1559. vt alij, 1570.

Ioannes Chatardus Gallus Natione, patriâ Aquaspersanus edidit, approbante Sorbonâ, *Enarrationem in* IONÆ *Prophetiam*, *Concionibus & Christianæ consolationi*, vti scribit, verè *accommodatam*. Adiecit etiam seorsim *mysticam eiusdem Prophetiæ Paraphrasim*. Prodiit Opus primò Parisiis an.1561. in 8. atque iterum recusum est ibidem an.1601. etiam in 8. Auctor claruit, secundùm Sixtum Senensem libro IV. suę Bibliothecæ, an.Dom. 1550.

Paulus Palatius, siue *de Palatio*, origine Hispanus, patriâ Granatensis, insignis Theologus, SS. Litterarum Professor Conymbricæ, atque Henrici I. Lusitaniæ Regis & Cardinalis Concionator & Eleëmosynarius. *Scripsit Commentarium in Minores Prophetas*. Prodiit Coloniæ an.1583. Parisiis, & alibi in 8. opere non ita spisso. In hoc interpretatus est IONAM pręclarè.

Benedictus Arias Montanus Natione Hispanus, patriâ Hispalensis, conscripsit & typis Plantinianis edendum curauit Antuerpiæ *Commentarium in* XII. *Prophetas Minores*. In IONAM multa curiosè & satis copiosè annotauit. Opus primò prodiit in folio an.1571. deinde ibidem recusum est in maiori quarto an. 1583. Auctor obiit an.Dom. 1598. Hispali 6. Iulij, an. ętatis 70.

Franciscus Ribera, Hispanus, ex oppido Castellę Villacastin, Societatis IESV Theologus, & in Salamanticensi Vniuersitate SS. Litterarum Professor, scripsit, vt ait Ribadeneira in Catalogo Scriptorum Societatis, *insignes*, *in Minores Prophetas*, atque inter hos in IONAM, *Commentarios*. In his, vti & in reliquis, triplicem sensum, Litteralem, Allegoricum, Tropologicum pulchrè prosequitur. Est is sæpè variis locis & temporibus recusus. Opus hoc in compendium redactum *Commentarios historicos selectos* inscribunt. Obiit an Dom.1591. ętatis suæ anno 57.

Emanuel Sà Lusitanus, Interramnensis patriâ, Societatis IESV, in qua vixit totos annos 50. Romæ Philosophiæ, Theologiæ, & S. Scripturę aliquando Professor, scripsit *Notationes in totam S.Scripturam*, breues quidem, sed magno studio elaboratas. In IONAM pauca notauit. Mortuus est Arronæ diœcesis Mediolanẽsis an.Dom.1596. 30. Decembris, septuagenario maior. Ribadeneira in Catalogo scriptorum Societatis.

Franciscus à Messana Prior Dominę Nostræ Remedij de Barrameda, ciuitatis San Lucar nuncupatæ, Ordinis D.Hieronymi Theologus, Commentario suo cum vberiore Paraphrasi in Zachariam Prophetam, subiunxit *Paraphrasim* magis concisam & breuem in cęteros Prophetas Minores, *in* IONAM etiam suo loco. Prodiit Antuerp. an.1597. apud Martinum Nutium in 4.

Petrus à Figueiro Natione Lusitanus, professione Canonicus Regularis S. Augustini Congregationis S. Crucis Conymbricensis, scripsit *Commentarium in Prophetas duodecim Minores*. In IONAM scribens, præter sensum Litteralem annotauit non pauca moralia. Opus est posthumum, editum facilè annis viginti à morte auctoris, scilicet an. Dom. 1615. Lugduni apud Horatium Cardon in folio. Obiit enim circa an.1594. An fortè priùs adhuc aliàs in Lusitania editum, ignoro.

Christophorus à Castro, siue vt alij scribunt Castrius, Natione Hispanus, patriâ Ocaniensis, Societatis IESV, partim Compluti, partim Salamanticæ S. Scripturę Professor. Scripsit iustum *Commentarium in omnes Minores Prophetas*. Cui

operi præmisit Libros IV. de vaticinio, ad intelligentiam Prophetarum valdè vtiles an.1611. Prodiit opus hoc an. Dom.1615. Lugduni apud Horatium Cardon. Et an.1616. Moguntiç apud Schouwetterum.

Gaspar Sanctius Hispanus, patriâ Centumputeolanus, Societatis IESV sacrç Scripturæ in collegio Complutensi Professor, *Commentarium* scripsit, vt prior, *in omnes Prophetas Minores*, sed aliquantò copiosiorem. In IONAM floridus est, & multa habet Moralia. Prodiit an.Dom.1621. excusus Lugduni apud Horatium Cardon.

Ioannes Mariana Hispanus, patriâ Talabricensis, diœcesis Toletanæ Societatis IESV variis locis S. Theologiam publicè professus, *Notas* edidit *in vniuersam sacram Scripturam*, paullò fusiores quàm Sà. Prodiit opus illud ipsius primò Madriti an.Dom.1619. deinde Parisiis an. 1620. Denique vnà cum Notis Emanuelis Sà an.1622. Antuerpiæ apud Moretum.

Ioannes Treminius Hispanus, patriâ Alonensis, sacræ Theologiç Doctor, & Canonicus Oriolensis, scripsit *in* IONAM *Commentarium siue Expositionem duplicem, vnam Litteralem, alteram Allegoricam*, cui subtexuit *Paraphrasim Poëticam*. Prodiit Oriolæ apud Ludouicum Berosium an.Dom. 1623.

Cornelius à Lapide Natione Belga, patriâ Breensis, Societatis IESV, primò Louanij, deinde Romç sacratum Litterarum multis annis Professor, inter plurima sui laboris monumenta, etiam extare voluit *Commentarios in Minores Prophetas*. Explanãs IONAM nostrum, habet nonnulla curiosa & rara. Opus hoc prodiit an. Dom. 1628. apud Martinum Nutium Antuerpiæ. Obiit auctor in Romano Collegio an.1637. 11. Martij.

Gulielmus Estius Natione Belga, patriâ Gorcomius, Doctor Theologus & Professor Duaci, maximi nominis suo tempore ibidemque Vniuersitatis Cancellarius (vbi etiam obiit, an. Dom. 1613. 20. die Septembris) scripsit *Breues Annotationes in præcipua ac difficiliora sacræ Scripturæ loca*. In IONA *quatuor aut quinque locos obscuriores dilucidat*. Prodiit Opus primò Duaci an.Dom.1621. deinde ibidem auctius an.1629.

Stephanus Menochius Natione Italus, patriâ Mediolanensis, Societatis IESV Theologus, scripsit in totam sacram Scripturam, adeoque etiam in IONAM *Breues explicationes*. In his indicare varietatem sententiarum, quando occurrunt, non prætermittit. Prodiit, cum adiecto Textu Romano vulgatæ editionis, an. Dom.1630. Coloniæ, Tomis duobus in folio, apud Kinchium. Est etiamnum superstes.

Iacobus Tirinus Belga, patriâ Antuerpianus Societatis IESV Theologus, edidit *Commentarium Breuem in totam sacram Scripturam*. Cui præmisit Chronicon ab Orbe condito vsque ad destructionem vrbis Ierusalem & Templi, variis locis sacrorum Librorum multum adferens lucis. Subiecit eidem Indices varios admodum vtiles. Prodiit Antuerpiæ apud Martinum Nutium III. Tomis in folio an.Dom.1632. Obiit an.1636. ibidem in domo Professa Societatis IESV 14. Iulij.

Iacobus Gordonus Natione Scotus, patriâ Lesmorius, Societatis IESV Theologus, *Commentarium* scripsit *ad sensum litteræ in totam Scripturam sacram*. Prodiit Lutetiæ an.1632. apud Cramoisy, Tomis tribus in folio; verùm non licuit mihi hunc nisi obiter videre.

CON-

CONCIONATORES.

PRIMVS, *quod sciam*, IONÆ *Historiam vulgatis de ea Concionibus attigit:*
Gulielmus Pepin natione Gallus, Ordinis PP. Prædicatorum, conuentus S. Ludouici Ebroicensis, Doctor Theologus Parisiensis. Hic scripsit *Sermones* XL. ad destructionem vitiorum sub typo euersionis magnæ ciuitatis Niniue. Opus suum inscripsit: *Destructio Niniue*: sed in eo neque IONÆ, neque *Niniue* historiam attigit, nisi *Sermone I.* aliquousque deinceps mores sui temporis castigandos suscipiens, quod præclarè præstitit. Prodiit, credo recusum, Tomis II. in 8. Parisiis an. 1618. apud Reginaldum Chaudier. Obiit auctor secundùm Sixtum Senensem Carolo V. Imperatore anno Romanæ direptionis, id est à Natiuitate Domini 1527.

Ioannes Ferus Natione Germanus, Instituto Ordinis S. Francisci, celebris in Cathedrali Moguntina Ecclesia annis pluribus Concionator, scripsit *Conciones in* IONAM, à se Moguntiæ habitas per Quadragesimam an. 1542. Editæ sunt in 8. Lugduni an. 1554. apud Gulielmum Rouillium; an. 1557. Antuerpiæ apud Martinum Nutium, aliàs alibi. Monet Auctor catalogi librorum prohibitorum, esse eius scripta cautè legenda, quòd subinde plus æquo fidei, & minùs operibus tribuere videatur. Obiit an. Dom. 1571. vt habet Simlerus in Bibliotheca, vt Bucholcerus an. Dom. 1554. 8. die Septembris.

Rochus Mamerotius Natione Gallus, patriâ Antisidiorensis, Ordinis S. Dominici, Parisiensis Theologus, Ecclesiastes & Confessarius Mariæ Stouartiæ Scotiæ Reginæ, vxoris Francisci II. scripsit *in* IONAM *Conciones* XX. à se coram Regina in Scotia habitas. Sunt eę breues sed valdè morales impressæ Virduni in 8. à Martino Mercatore, an. 1574. quo tempore Mamerotius ibi Priorem sui monasterij agebat.

Ioannes Cotreau Doctor, Parisiensis Theologus, Cathedralis Ecclesiæ Tornacensis Archidiaconus, & Canonicus, scripsit *in* IONAM *Conciones* XXV. Gallico idiomate quo eas Tornaci ad populum per Aduentum habuit. Dicauit opus suum Alexandro Farnesio Principi Parmensi, tum temporis pro Rege Catholico Belgij Gubernatori. Prodierũt Parisiis in 8. apud Gulielmum Chaudiere, an. Dom. 1588. Tractat hinc inde, prout ex tunc erant tempora, nonnulla inter Catholicos & hæreticos controuersa.

Franciscus Feuardentius Natione Gallus, Ordinis D. Francisci S. Theologiæ Doctor Sorbonicus, scripsit *in* IONAM *Commentarium*, magis Concionatoribus, (sicuti ipse insignis etiam concionator erat:) quam Interpretibus. Excurrit hinc inde in varios locos communes quibus Lectorem oblectat. Prodiit primò Parisiis, deinde etiam Coloniæ apud Henricum Falkenburg in 8. an. 1595. Adhuc viuebat an. Dom. 1605. agens an. ætatis 66.

Gregorius Mastrillus Italus natione, patriâ Nolanus, Societatis IESV Theologus, & suo tempore celebris Concionator, scripsit *in S.* IONÆ *Prophetæ historiam discursus* XXX. Italico idiomate, quorum priores XIX. in solum Caput I. sunt. Historiam vbique Christo Domino Patienti & Resurgenti accommodat, & in hoc post indicatum sensum litteralem, & nonnulla moralia, eius potissimum studium versatur. Prodiit opus hoc illius Neapoli an. 1630. Typis Ægidij Longi in 4. Obiit auctor ibidem 7. Februarij an. 1633.

HISTORICI ET CHRONOLOGI.

FRECVLPHVS ex Fuldensi Monacho Ordinis S. Benedicti Episcopus Lexouiensis. In historia, quam scripsit ab Orbe Condito ad Christi aduentum, meminit IONÆ Tom. I. lib. III. cap. XIII. Extat Tom. IX. Parte I. Bibliothecæ SS. Patrum editæ Coloniæ an. 1618. Floruit auctor an. Dom. 830.

Petrus Comestor Lombardus origine, &, vt reperio in libro eius edito anno 1513. annotatum calamo, Canonicus Parisiensis, licet alij dicant fuisse Trecensis Ecclesiæ in Campania Galliæ Presbyterum, *auctor Historiæ Scholasticæ*. Tractat de IONA breuiter, prosequendo historiam lib. IV. Regum cap. XXI. Foruit an. Dom. 1160.

Petrus de Natalibus Episcopus Equilinus, *vitam S.* IONÆ *Prophetæ* conscripsit. Recenset hanc ipse inter Vitas Sanctorum mensis Ianuarij, in libro quem inscripsit *Catalogus Sanctorum*, edito Lugduni an. Dom. 1514. Obiit an. 1470.

Gilbertus Genebrardus Gallus, Aruernus, ex Monacho S. Benedicti & Litterarum Hebraicarum Professore Regio, Parisiis Archiepiscopus Aquensis, edidit *Chronographiæ libros* IV. quorum I. ad An. Mundi 3356. *Legationis* IONÆ pro instituto suo satis copiosè meminit. Prodiit opus recusum Parisiis an. Dom. 1600. Obiit auctor an. 1597. 10. Martij.

Augustinus Torniellus Natione Italus, patriâ Nouariensis, instituto Clericus Regularis Congregationis S. Pauli, Annalium suorum (quos feliciter scripsit ab Orbe Condito ad eundem Christi passione redemptum) Tomo II. IONÆ *parentes, & tempus quo prophetauit refert* ad An. Mundi 3211. Fusiùs deinde *totam Ionæ Historiam* elucidat ad An. Mũdi 3227. vterque Tomus prodiit Francofurti an. Dom. 1611. Auctior deinde & emendatior quartâ editione quod satis auctorem commendat Antuerpiæ an. 1620. ex Officina Moreti.

Iacobus Gordonus idem ille, quem suprà diximus edidisse Commentarium ad sensum Litteræ in totam sacram Scripturam, *Chronologiam* scripsit *ab Orbe Condito*, cuius Tom. I. meminit IONÆ ad an. mundi 3155. quo eum floruisse & prophetasse putat, neque de illo ibi aliud habet. Prodiit opus Coloniæ an. Dom. 1614. ex Officina Ioan. Critij in folio.

Iacobus Salianus Natione Gallus, patriâ Auenionẽsis, Societatis IESV Theologus, *Annales* scripsit ab Orbe Condito ad natum Christum Tomis VII. quorum quarto ad An. Mũdi 3212. *Ionæ* enarrat *natales*, & ad annum 3216. *totam eiusdem Historiam* explicat, eo ordine quo in sacris Litteris habetur. Subnectit deinde Allegoriam seorsim, atque ostendit, in quo IONAS CHRISTI *figura*, in quo non fuerit. Hic IV. Tomus prodiit an. Dom 1622. Parisiis ex Officina Niuelliana, ex qua & alij, & an. 1623. Coloniæ ex Officina Hieratij.

Abrahamus Bucholcerus Germanus, sectâ quidem Lutheranus, sed mollis, & minimè in Catholicos acerbus, qui tamen ex occasione ostẽdit se suum Lutherum atque eius asseclas magni facere, scripsit *Indicem Chronologicum ab Orbe Condito ad an. Christi 1616.* quo Opus ipsius anteà editum in 8. recusum est Francofurti etiam in 8. meminit is IONÆ ad An. Mundi 3120.

Leonardus Krentzheim Iphofius, Francus, sectâ Lutheranus, vti prior; sed in Catholicos, & eorum Scriptores acerbior. Scripsit *Obseruationum Chronologicarum libros* IV. exorsus ab Orbe Condito. Totum Libri I. caput 24. est de *Ionæ Prophetæ sæculo.* Prodiit opus Lignicij an. 1606. in folio typis Nicolai Sartorij. Obiit an. 1598. 12. Decemb. ætatis an. 66. Fraunstadij in Polonia.

Varij

Varij, apud quos est Ionæ, siue ipsius ad Niniuitas vaticinij, memoria.

IONÆ meminit inprimis *Flauius Iosephus* Hebræus, libro IX. Antiquitatum Iudaicarum cap. XI. vbi totam, de qua agimus, historiam paucis recenset; sed non tam solidè, vt in quibusdam multos refragatores non habeat. Obiit an. Christi 99.

Gratianus in Decreto, Parte II. distinctione I. de Pœnitentia Canone XXXVIII. Quamobrem, vbi enarratâ propositâque Niniuitarum pœnitentiâ, ostendit quomodo ad eam Deus mutarit suam de vindicta sumenda sententiam, *non per iudicij veritatem; sed eorum mutatione, qui conuersi per pœnitentiam meruerunt liberari*, vt ibi dicitur.

Petrus Aureolus ex Ordine Minorum, Doctor & Rector Academiæ Parisiensis, Archiepiscopus Aquensis & Cardinalis, scripsit *Breuiarium Bibliorum*, singulis verò eius libris proposuit *Tabulas Analyticas Nouelletius*. Quod IONAM concernit perstringit paucis, neque ferè aliud habet, quàm quòd Prophetiam eius per partes siue contenta in ipsa, secernat & diuidat. Vnde ibi Titulus est: *Diuisio* IONÆ. Prodiit opus hoc recognitum cum iam dictis Nouelletij tabulis an. Dom. 1585. Parisiis in 8. Floruit Aureolus an. 1317.

Petrus Bercorius Natione Gallus, Pictauiensis, Ord. S. Benedicti, Prior Cœnobij S. Eligij Parisiis, tres Tomos conscripsit, pro vt diuisa sunt Opera illius, ab eo qui vltimam editionem factam Antuerp. apud Keerbergium an. 1609. adornauit; in singulis verò Tomis IONÆ speciatim meminit.

Tomi I. dicti *Reductorium Morale*, quo de rerum proprietatibus agitur libro IX. cap. XXII. ad mores applicat quæ *ceto* conueniunt; quod spectat ad II. Caput IONÆ. Libro X. cap. CXI. quæ *vermi*. Libro XII. cap. XLVIII. quæ *hederæ*; & hæc ad caput IV. pertinent.

Tomi II. conflati ex Tom. I. Libro XVI. etiam *Reductorium Morale* nuncupati, & diuisi in libros XXXIV. Libro XXV. ex IONA potissimùm conatur ostendere, quàm etiam à viris magnis & potentibus, exemplo Regis Niniue, audiendi sint Concionatores, agendaque ad illorum vocem pœnitentia.

Tomi III. qui *Repertorium* seu *Dictionarium Morale* inscriptus, ordine alphabetico vocabulorum Biblicorum interpretationem continet, verbo IONAS, exponitur nostri Prophetæ nomen, & ex eo multa quæ ad mores, multa quæ ad munus illius spectant, deducuntur. Claruit Bercorius, secundùm Sixtum Senensem, temporibus Caroli IV. Imperatoris, & Innocentij VI. Pontificis, an. Dom. 1360. non verò, vt apud eum mendosè vitio typographi positum est, an. 1260.

Sacrosanctum Concilium Tridentinum, haberi cœptum an. Dom. 1546. die 7. Ian. disertè loquitur de IONÆ prædicatione, & secutâ inde *Niniuitarum pœnitentiâ* sessione XIV. cap. IV. quod est de Contritione.

Godefridus Tilmannus Carthusiæ Parisiensis alumnus, Opus concinnauit ex auctoribus variis, cui præfixit Titulum: *Allegoriæ, simul & Tropologiæ, in locos vtriusque Testamenti selectiores*. In eo annotauit ad IONAM moralia quædam non contemnenda. Prodiit an. Dom. 1551. quo tempore auctor vixit, excusum Parisiis apud Sebastianum Niuellium in 8.

Sixtus Senensis Ordinis Prædicatorum, Concionator eximius, edidit opus, dictum: *Bibliotheca sancta*. Huius lib. I. pag. 32. secundùm editionem Venetam

tam an. 1566. *nomen*, *originem*, *& mortem Ionæ* breuiter exponit.

Libri v. Annotatione CCLIII. verba illa IONÆ cap. I. verſ. 12. *Tollite me, & mittite in mare.*

Annotatione CCLIV. illa capitis III. v. 4. *Adhuc quadraginta dies & Niniue ſubuertetur.*

Annotatione CCLV. illa capitis IV. v. 6. *Et præparauit Dominus Deus hederam.* variis SS. Patrum illuſtrat ſententiis. Vixit an. Dom. 1566. tempore Pij V. Pont. Max. cui Opus hoc ſuum dicauit.

Leuinus Lemnius, Zirixæus patriâ, Medicus profeſſione, ſcripſit librum *ſimilitudinum quæ in Bibliis ex herbis & arboribus deſumuntur.* In hoc, cap. 33. tractat de *Hedera Ionæ.* Prodiit an. 1568. Antuerpiæ apud Gulielmum Simonem in 8.

Georgius Ederus Germanus, è Bauaria, patria Friſingenſis, Iuris Conſultus inſignis, Maximiliani II. Imperatoris Conſiliarius aulicus, ſcripſit *Oeconomiam Bibliorum*, quâ totam ſacram Scripturam proponit per tabulas. Habet *Partitionem Ionæ Prophetæ* libro II. Tabula CCXXVIII. Habet etiam alia quædam ad hanc hiſtoriam ſpectantia, ex SS. Patribus collecta, & annotata pag. 264. & 265. iuxta editionem Colonienſem an. 1568. quando Opus primum prodiit. Dicauit ipſe illud Pio V. Pontifici, & Maximiliano II. Imperatori iunctim.

Baſilius Sanchius Natione Italus, patriâ Bergomas, ſcripſit *Breues Notationes in omnes ſacræ Scripturæ libros. In* IONA vnicum illum explicat locum: *Surrexit Ionas, vt fugeret in Tharſis à facie Domini* ex doctrina SS. Patrum. Recuſus eſt an. Dom. 1602. Coloniæ apud Mylium in 8.

Chriſtianus Adrichomius Belga, Delphenſis, ſcripſit *Theatrum Terræ Sanctæ.* In hoc meminit variis locis IONÆ noſtri; nominatim patriæ & ſepulchri ipſius pag. 140. ex editione Colonienſi Brickmannica an. 1613. Eiuſdem *Hiſtoriam* breuiter recenſet in Chronico ad annum Mundi 3136. Scripſit ſub annum Domini 1590.

Antonius Poſſeuinus Natione Italus, patriâ Mantuanus, Societatis IESV, Sedis Apoſtolicæ nomine in Sueciam, Poloniam, Moſcouiam magnorum negotiorum gratiâ aliquando miſſus, vt notauit Ribadeneira in Catalogo, ſcripſit Librum, cui Titulus: *Apparatus ſacer.* Huius Tomo I. verbo IONAS totam vitæ ipſius hiſtoriam complectitur. Subiungit deinde aliquos, qui in eius vaticinium ſcripſerunt Commentarium. Obiit an. Dom. 1611. Februarij menſis die 26. Ferrariæ.

Martinus del Rio Natione Belga, patriâ Antuerpianus, ſed Hiſpano patre, ex Conſiliario Regio in Ducatu Brabantiæ, honore iſtoc ſpreto & munere abdicato, factus Societatis, in eaque Philoſophiam, Quæſtiones de Moribus, Linguam Hebræam, & S. Litteras profeſſus, *duos* (inter cetera laboris ſui & ingenij monumenta) *Tomos* edidit *Adagiorum veteris & noui Teſtamenti:* Horum I. ſub finem, interpretatur illud IONÆ cap. IV. verſ. 11. *Qui neſciunt quid ſit inter dexteram & ſiniſtram.* Obiit Louanij an. Dom. 1608. die 19. Octobris, ætatis ſuæ an. LVII. Opus hoc adagiorum poſthumum eſt, excuſum Lugduni apud Horatium Cardon. An. 1612. Tomus I. an. 1613. Tom. 2. prodiit.

Ioannes Pineda Natione Hiſpanus, patriâ Hiſpalenſis, Societatis IESV, in qua Philoſophiam, Theologiam, & Sacras Litteras, variis locis docuit, ſcripſit *Salomonem Præuium*, ſiue *de rebus Salomonis Regis Libros* VIII. Horum Libro IV. cap. XII. Caput II. IONÆ Prophetæ luculenter exponit, atque ibidem diſputat quo loco IONAS exceptus à ceto, quo loco euomitus: vbi, quomodo, quando, & qualem orationem ad Deum fuderit, eandemque fusè ſatis interpretatur. Prodiit variis temporibus & locis excuſus ſæpius Lugduni apud Cardon 1609. aliàs alibi. Obiit an. 1620.

Robertus

Robertus Bellarminus Natione Italus, patriâ Politianus, Marcelli II. Pontificis Maximi ex sorore nepos, Societatis IESV Theologus, atque ex ea assumptus à Clemente VIII. ad dignitatem Cardinalitiam inuitus an. 1598. scriptis suis celeberrimus, inter cetera edidit etiam Librum *de Scriptoribus Ecclesiasticis*, in quo IONÆ meminit. Pagin. 18. secundùm Editionem factam Coloniæ per Bernardum Gualterum an. 1613.

Idem enumerat in *Indice Explanatorum sacræ Scripturæ*, huic libro à se adiecto, aliquot, qui in omnes Prophetas Minores, vnum alterumve qui in solum IONAM scripserunt. Obiit Romæ ad Sancti Andreæ in domo Probationis Societatis IESV an. Dom. 1621. 17. Septembris, ætatis suæ an LXXIX.

Vincentius Regius Natione Siculus, patriâ Panormitanus, aliquando Viennæ Austriæ in Cæsareo Societatis IESV Collegio, Messanæ quoque Theologiam cum laude professus, scripsit *Dilucidationes Euangelicas*. Harum parte II. Libro IV. cap. XII. digressione III. & IV. morali, totam *Ionæ Historiam* reuocat ad V. Capita: videlicet I. *Ad ipsius personam*, II. *Ad tempestatem*, III. *Ad nautarum trepidationem*, IV. *Ad Ionæ proditionem*; V. *Ad Niniuitarum pœnitentiam*. Hæc Capita ille ibidem prosequitur, proferens varia documenta moralia apta Concionibus. Opus prodiit Coloniæ apud Bernardum Gualterum Tomis tribus in folio an. 1615. altero anno ab obitu auctoris. Obiit enim Panormi 16. Decembris an. 1614. ætatis 70. Religionis 56.

RABBINI HEBRÆORVM.

RABBI *Salomon Iarhi*, siue vt alij legunt, *Iarchi*, filius Isaac, Gente Hebræus, sed patriâ Trecensis, in Gallia natus, tantæ apud Iudæos auctoritatis, vt ab iis cognominetur *Caput tribuum Israel*, scripsit in totum *vetus Testamentum*. Ea quæ habet in IONAM, maxima ex parte fabulæ potiùs sunt, quàm Commentarius. Vixit secundùm Sixtum Senensem sub an. Dom 1000. Wormatiæ, vt ait Munsterus Præfatione in vetus Testamentum, ibique est mortuus.

Rabbi Abraham, quem Hebræi vocant *Aben-Ezra*, id est Abraham, filius Ezræ, Hispanus Natione, vir primæ apud Iudæos Hispanos auctoritatis, scripsit vti R. Salomon *in totum vetus Testamentum*. In IONAM non minùs quàm ille, fabulas. Mortuus est in insula Rhodo, vbi celebris vixerat an. Dom. 1217. vt ait Sixtus.

Rabbi Dauid Kimchi genere Hebræus, patriâ Gallus, Narbonensis, vt putant plerique, licet Arnoldus Pontacus (qui hos tres Rabbinos scribentes in IONAM & nonnullos alios Prophetas transtulit, & edidit Parisiis an. 1566.) Hispanum dicat. *Commentarios* scripsit *super Legem*, *Prophetas*, *& Hagiographa*. In IONAM nihil habet veriusquàm duo priores. Vixit, secundùm Pontacum, qui etiam horum trium Rabbinorum vitam illorum commentariis præposuit, non multò post R-Aben-Ezram, secundùm Sixtum verò an. Dom. 1380.

HÆ-

HÆTERODOXI.

MARTINVS *Lutherus* Germanus Natione, patriâ Islebiensis, nostrorum temporum hæresiarcha, qui positis suæ hæreseos primis principiis, an. 1517. 31. Octobris, Wittenbergæ contra Pontificias Indulgentias ad valuas templi Positiones fixit, & in easdem inuectus est publicè. An. verò 1521. palam Ecclesiæ Catholicæ bellum indixit. Edidit *Commentarium in Minores Prophetas*, certè parum elegantem & concinnum. Excudit eum Wittenbergæ Ioannes Lufft an. 1574. Nonnulla ex eo hinc inde refellam suis locis. Extinctus est vti vixerat miserè, & infeliciter an. 1546. 18. Febr. ætatis suæ 63.

Franciscus Lambertus Gallus Natione, patriâ Auenionensis, sectâ Lutheranus, scripsit in *Ionam Commentarium*, impressum Argentorati anno 1525. in 8. in quo satis contumeliosè quædam in Catholicos, etiam Reges ac Principes eructat. Obiit Marpurgi anno Domini 1530. die 18. Aprilis, vti notauit in Indice suo Chronologico Abrahamus Bucholcerus.

Ioannes Oecolampadius Winspergensis in Germania, ex Monacho Sanctæ Brigittæ primò Lutheranus, deinde Sacramentarius, scripsit *Commentarium in Prophetas*. *In Ionam* scribens, valdè impugnat bona opera. Obiit Basileæ an. 1531. Calendis Decembris, ætatis an. 49. vt ait in sua Chronologia Bucholcerus.

Ioannes Bugenhagius Pomeranus, sectâ Lutheranus, scripsit *in Ionam*, maximè insistens Lutheri sententiis. De fide sine operibus saluante multa hinc inde infarsit. Obiit Wittenbergæ ann. Dom. 1558. 20. Aprilis, ætatis suæ 73.

Ioannes Caluinus Natione Gallus, patriâ Nouiodunensis, ex Sacerdote Catholico à fide apostata, ac discipulus Zuinglij, & Minister Geneuensis, mox etiam an. 1538. Hæresiarcha, edidit *Lectiones in* XII. *Prophetas Minores*, quas habuisse videtur ad auditores suos, siue in scholis, siue in templis. Ex iis quas vel in solum IONAM habuit, multo tamen clariùs ex *Institutionibus* eiusdem, patet hominis vafrities & nequitia, tecta colore pietatis. Prodiit in Minores Prophetas an. Dom. 1559. Geneuæ impressus in folio. Recusus ibidem an. 1610. apud Vignion. Obiit an. 1564. 27. Maij, ætatis 54. morbo pediculari à vermibus etiam corrosus, blasphemans ac desperans vt ait in eius vita Hieronymus Bolsecus, cap. 22. & ex eo Iacobus Gaulteri in sua Chronographica.

Ioannes Mercerus sectâ Lutheranus, Hebraicæ linguæ multis annis Professor Parisiis, scripsit Commentarium in 5. priores Prophetas Minores, qui excusus est Geneuæ, non apposito anno. Promouisse prælum aut ipsum curasse videtur Petrus Cheualerius, qui operi Præfatiunculam in laudem auctoris, non magnoperè laudandi, apposuit. In IONAM commentatus pauca habet sua. Deligit 1. ex Luthero, deinde ex Oecolampadio & Pomerano, quæ ipsi maximè ad gustum. Adiicit deinde excerpta ex D. Hieronymo, Lyrano, & Rabbinis nonnulla. Denique ponit tamquam propria, quæ ex Hebræorum radicibus deriuat, quasi ad sensum Litteralem spectantia, & nonnulla quæ non appositis certis auctoribus hinc inde collegit. Obiit, si Bucholcero credimus, an. 1573. Vticæ in patria sua.

Ioannes

Ioannes Tosarrius Aquiloquicanus scripsit *Paraphrasim in omnes Prophetas.* In IONAM adeò breuem, vt non sit nisi nuda historiæ per capita, quemadmodum est ab ipso Propheta conscripta, aliis verbis enarratio. Opus prodiit Basileæ an. 1558 apud Oporinum in folio. Non est multarum paginarum, neque magnoperè lectu dignum.

Ioannes Drusius Natione Belga, sectâ (vti suspicor) Caluinianus, scripsit *Lectiones in Ionam*, quas sic vocat, quòd eas, sicuti monet Præfatiunculâ suâ ad Lectorem, publicè in Academia Lugduni Batauorum Auditoribus suis prælegerit. Præstitit in his tria. I. Textum Hebraicum in Latinum sermonem de nouo transtulit. II. Notas siue Commentarium adiecit, explicans modestè satis, nullis erroribus insparsis, quidquid spectat ad historiam sensúmque Litteralem. III. Addidit seorsim coniectanea quædam, & fragmenta ex versionibus veterum, vt Aquilæ, Symmachi, Theodotionis. Prodiit Lugduni Batauorum ex Officina Plantiniana apud Raphelengium an. 1591. in 8.

Auctores editis Commentariis, Notis, Postillis, aut aliis eiuscemodi scriptis, siue in totam sacram Scripturam, siue in omnes Minores Prophetas, siue in solum IONAM, *noti alicubi; sed à me hactenus non reperti, ordine Alphabetico recensiti.*

ORTHODOXI.

ALEXANDER *ab Ales*, siue *Alensis*, Anglus, Ordinis S. Francisci, Præceptor S. Bonauenturæ & S. Thomæ Aquinatis, *Postillam super tota Biblia* edidit an. 1245.

Franciscus Forerius Vlyssiponensis, Ordinis Prædicatorum, *Commentarium* scripsit *in Isaiam & Prophetas Minores* an. 1580.

Sanctus Fulgentius Afer, Carthaginensis, Ruspæ Episcopus, fertur scripsisse Sermonem de IONA, qui incipit: *Cùm Ionas mitteretur Niniuitis interitum prædicare*; verùm inter Opera illius hunc Sermonem non reperi. Obiit secundùm Baronium Annalium Tomo VI. a. Dom. 529.

Godelbertus Presbyter Poëma, quo libris IV. *Historias & Allegorias Biblicas ab Orbe condito ad B. Virginis partum prosequitur versu Heroico*, composuit sub an. Dom. 500. inquit Sixtus Senensis.

Godefridus, vel vt eum vocat Bellarminus in libro de Script. Eccles. *Gothefridus Viterbiensis*, Capellanus, & Notarius aulæ Imperialis temporibus Conradi III. & Frederici I. Imperatorum, scripsit in vtrumque Testamentum Opus aliquod, quod vocat *Pantheon*, constans Prosâ & versibus Leoninis, dicatum, vt quidam volunt, Vrbano III. vt Posseuinus, qui se hoc opus vidisse ait, Gregorio VIII. Floruit an. 1187.

Guido Carthusianus, & (vt ait Tritthemius) V. Prior Maioris Carthusiæ, scripsit *in omnes Prophetas Commentarium*, sub ann. Domini 1140.

Gulielmus à Melitona, siue *Melitonensis*, scripsit *Postillam in* XII. *Prophetas Minores*. Sixtus Senensis esse Placentiæ in Monasterio PP. Prædicatorum, hoc opus illius testatur, sed non videtur prodiisse.

Gulielmus Lyssia Ord. S. Francisci, singulos *Prophetas Minores* singulis libris explanauit *per Postillas*.

Gulielmus Iuæus Anglus Natione, conscripsit in XII. *Prophetas Minores*, *Libros* XII.

Hesychius, siue *Isychius*, primò Presbyter, deinde Episcopus Ierosolymorum, tempore Gregorij Magni, scripsit Græcè στιχηρὸν siue κεφάλαια, hoc est *Capita in* XII. *Prophetas Minores*, quæ ex vetustis membranis Bibliothecæ Augustanæ edita Augustæ an. 1602. se ait vidisse Antonius Posseuinus in Apparatu.

Ibidem etiam, *Auctore incerto*, prodiisse tunc dicitur ex Codice Augustano impressa *Synopsis Prophetarum* idiomate Græco.

Ioannes Annius Viterbiensis, Ordinis S. Dominici, scripsisse *in Minores Prophetas* perhibetur sub an. Dom. 1460.

Ioannes Arboreus Laudunensis patriâ, Theologus Parisiensis, scripsit *Theosophiam, de difficilioribus vtriusque Testamenti locis*, libris vndeviginti, duobus Tomis comprehensam, vt notauit Serarius in Prolegomenis Biblicis, c. 28. quæst. 15. Secundùm Sixtum Senensem claruit Carolo V. Imperatore an. Dom. 1550.

Origenes Alexandrinus, ob infatigabile studium dictus *Adamantius*, discipulus Clementis Alexandrini, scripsit, Teste Epiphanio, *sena millia librorum, & pænè in totam Scripturam*. Scripta illius in *Minores Prophetas*, & quidem manu B. Pamphili Martyris exarata, vidisse se adhuc suo æuo testatur S. Hieronymus. Nunc ex iis pauca extant, in IONAM nihil. Vixit vsque ad tempora Galli & Volusiani Imperatorum, an. Dom. 254.

Paulus Acauantius, Italus Natione, patriâ Florentinus, Instituto Seruita, scripsit *in* XII. *Minores Prophetas* ante an. Dom. 1500.

Petrus Cantor patriâ Parisiensis, & ibidem aliquando Episcopus, Librum scripsit dictum ab eo, vt ait Trithemius, *Grammatica Theologorum*, continentem *Glossam in vniuersa Biblia*. Quædam illius Operis à se visa, refert Sixtus in Bibliotheca PP. Prædicatorum Lugduni, sed non meminit ibi Glossæ *in Ionam*. Secundùm eundem Sixtum vixit an. Dom. 1200.

Petrus Carbonellus Ordinis sancti Francisci, sancti Ludouici IX. Galliæ Regis Magister, scripsit *Postillam in vtrumque Testamentum* sub an. Dom. 1230.

Rabanus Maurus Natione Germanus, patriâ Fuldensis, deinde ex Abbate Fuldensi Ordinis sancti Benedicti VI. Archiepiscopus Moguntinus, scripsit quidem, vt ait Honorius de Illustribus Ecclesiæ Scriptoribus, *Commentarium in vniuersam sacram Scripturam*, sed multa eius scripta interierunt. Cùm nuper conquisita sunt diligenter Opera illius, & recusa, nihil in IONAM prodiit. Perierit igitur hic illius Commentarius cum ceteris. Obiit tempore Ludouici Iunioris Imperatoris an. Dom. 856.

Remi-

Remigius Nannius Italus, Florentinus, Ordinis sancti Dominici, edidit *Annotationes in Libros vtriusque Testamenti*, quibus historiam virorum illustrium, descriptionem animalium, plantarum, lapidum, montium, fluminum, vrbium, oppidorum, quorum in his mentio est, complectitur. Ita Nicolaus Serrarius, Prolegomenon Biblicorum Capite XXVIII. Quæstione XV. Viuebat an. Dom. 1566.

Renatus Benedictus Gallus Natione, Andegauensis patriâ, edidit *Stromata in vniuersum Organum Biblicum*. Prodierunt Venetiis anno 1569. Parisiis an. 1575. Coloniæ an. 1577. & an. 1586. apud Cholinum, prout annotauit in Apparatu suo Posseuinus.

Robertus Canutus Anglus, scripsit *Commentarium in* XII. *Prophetas Minores*. Vixisse, ait Posseuinus, an. Dom. 1170.

Robertus Scriba Anglus, instituto Canonicus Regularis, inter alia scripsit etiam *Commentarium in Prophetas Minores*. Vixit an. Domini 1180.

Stephanus Anglicus Doctor Parisiensis Theologus, XII. *Prophetas moraliter & subtiliter secundùm modum scholasticæ Lectionis exposuit*, ait in suo Catalogo Henricus à Gandauo. Vixit an. Dom. 1200. secundùm Trithemium.

Stephanus Langton Anglus, Cantuariensis Archiepiscopus, & S. R. Ecclesiæ Presbyter Cardinalis, scripsit *Commentarium in Minores Prophetas*. Obiit Cantuariæ an. Dom. 1228.

VVolfangus Sedelius Germanus Natione, Officio Concionator aulicus Ducis Bauariæ ab an. Dom. 1532. vsque ad an. 1548. edidit *Homilias in* IONAM *Prophetam* in aula à se habitas, quas omninò videre optassem; verùm etiam diligenti curâ adhibitâ, eas nancisci non potui.

HÆTERODOXI.

IOANNES *Hummelius* Iennensis in Thuringia Professor, tres Prophetas à se expositos edidit, hoc Titulo: *Triga Prophetica Ionas, Nahum, Abdias*. Prodiit Lipsiæ in 4.

Ioannes Piscator Natione Germanus, sectator Caluini, Breuem *Commentarium* scripsit *in* XII. *Prophetas Minores*. Prodiit Herbornæ an. 1615. in 8. Obiit Argentinæ an. Dom. 1546. 27. Martij.

Ioannes VVinkelmannus similiter Germanus, exposuit, vti prior, XII. *Prophetas Minores*. Prodiit Francofurti an. 1603. in 8.

Varij prætereà ex Sectariis Biblia verterunt, sed more suo, id est, infidè: quare eorum versiones conquirere non putaui operæpretium.

Inter ceteros, qui hoc conati sunt, censentur præcipui:

1. *Sebastianus Munsterus*: fecit hoc ipse an. Dom. 1525.

2. *Ioannes Oecolampadius* ann. 1530. Prodierunt verò eius Biblia anno 1535.

3. *Leo Iudas*: sed hic morte præuentus absoluere suam Versionem non potuit; perfecit & absoluit *Theodorus Bibliander*, adiutoribus *Conrado*

rado Pelicano , & *Petro Cholino*. Vocantur Biblia ab his translata (eò quòd edita sint Tiguri in Heluetia) *Tigurina*. Prodierunt verò an. Dom. 1544.

4. *Sebastianus Castalion*. Edidit hic sua Basileæ an. Dom. 1556.

5. *Iunius* cum socio suo *Tremellio*, vterque Heydelbergensis Professor, nouam fecerunt Bibliorum Versionem, eamque Geneuæ ediderunt an. Dom. 1590. Hæc recusa est Hannouiæ an. 1602.

En quæ de sacro Textu, Interpretibus, aliisq; in IONAM *Scriptoribus insinuanda, atque Operi huic præmittenda, pro vniuersaliori aliquâ notitiâ, occurrerunt. Boni consule Lector laborem hunc meum, & fruere.*



ELEN-

ELENCHVS QVÆSTIONVM CIRCA LITTERALEM SENSVM,

in Historia IONÆ occurrentium, quæ in hoc Opere, variis locis, prout materia suppeditat, discutiuntur, & elucidantur.

Primus numerus designatus littera P. paginam, secundus designatus littera N. numerum marginalem, siue §. indicat.

CAPITE PRIMO.

CAPITE SECVNDO.

c.2. v.1. QVandonam Deus piscem hunc ad eum glutiendum & seruandum præpararit? ad verba illa: *Præparauit Dominus piscem grandem, vt deglutiret Ionam.* p.250. à num.16. vsque ad 21.

Quisnā modus in pisce hoc præparando fuerit seruatus à Deo? p.251.n.21.

c.2. v.1. Fueritne IONAS triduo integro in ventre piscis, secundùm quod dicitur: *Erat Ionas in ventre piscis, tribus diebus & tribus noctibus*; an verò tantùm die vno integro & aliis ex parte? p.259. num.18.& 19.

Quando, siue quo die captiuitatis suæ ipse orationem à se editam composuerit? p.264. num.5.

Verumne sit, quod aiunt Rabbini aliqui, IONAM eiectum è pisce mare in piscem feminam? p.264. num.6.7.

An viderit, vt iidem asserunt, existens in pisce, locum transitus filiorum Israel per mare Rubrum? p.265. num.9.& 10.

IONAS quomodo existens in pisce clamarit? p.274.n.9. 10. 11.

cap.2.v.3. Quid significet quod ait ipse in Cantico, siue Oratione sua; *De ventre inferi clamaui?* Num viuus ipse ad infernum descenderit? p.276.n. 19.20.21.22.

Num pisce conclusus, vnà cum eo ad maris intima, & maximè profunda penetrarit? p.282.n.7. & 8.

Piscis, IONA iam intra viscera sua suscepto, an eum ad multa maria deuexerit? p.283.num.8.

c.2.v.4. IONAS an circa ostium aliquod fluminis sit missus in mare? Quomodo proinde intelligendum quod de se ipse ait: *Flumen circumdedit me.* p.285.num. 17. 18. 19.

An Prophetæ, vt quidam putant, in templo tantùm, vt alij solùm in Ierusalem, vt alij in terra Israel, & non alibi prophetarint? p.62.n.8.& p.295.n.22.

cap.2.v.5. De quo templo loquatur IONAS cùm ait, constitutus in ventre piscis: *Rursus videbo templum sanctum tuum.* p.295.n.23.24.25.

c.2. v.6. Quid sit *Suph* positum in Hebræo, pro eo quod nos habemus *Pelagus*, cùm dicitur: *Pelagus*, siue vt habent Hebræa, *Suph operuit caput meum.* p.300. num. 11. 12.13. 14.

c.2. v.8. Ad quod templum respiciat IONAS cùm ait: *vt veniat ad te oratio mea ad templum sanctum tuum?* p.313.n.31.

c.2. v.9. Idem de qua loquatur vanitatum custodia, dicendo: *Qui custodiunt vanitates frustrà, misericordiam suam derelinquent?* p.315.n.3.

Quænam vota Deo nuncuparit IONAS, quorum memor solutionem spondet his verbis: *Quæcumque voui reddam pro salute mea Domino.* p.323.n.1.2.3.

c.2. v.10. Vndenam piscis IONAM post triduanum hospitium euomuerit in aridam? p.332.num.8.

An eum euomuerit illæsum & immaculatum? p.332.n.11.

Quomodo euomi, ad terram vsque, à pisce potuerit? p.332. & 333. num.12. 13. 14. 15.

In quod littus eum euomuerit? p.333. & seqq. à n.16. vsque ad.22.

IONAS eiectus ad littus, num Ierosolymam contenderit, an verò rectà in Niniuen sit profectus? p.334.n.18.

Quid nautis factum sit post missum IONAM in mare? p.336.n.29.

CAPITE TERTIO.

Nini-

An

CAPITE QVARTO.

Quan-

Quare



REVE-

REVERENDI PATRIS

IOANNIS BAPTISTÆ VWENI

E SOCIETATE IESV

IN IONAM PROPHETAM COMMENTARIVS.

LECTIO I. PROEMIALIS.

Venite, & ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob: & docebit nos vias suas, & ambulabimus in semitis eius. Isaiæ c. 2. v. 3.



1 PETRVS Aureolus, ante annos trecentos viginti, eximius simul Theologus, simul eruditus diuinarum interpres litterarum, è Sancti Francisci familia in Purpuratorum Patrum adlectus numerum; libelli sui, quem in Vniuersam S. Scripturam per modũ Commentarioli elucubrauit exordio; Lectorem ad amorem cognitionis mysteriorum in verbis diuinis latentium accensurus vehementiùs; vsurpat illud Isaiæ: *Venite & ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob: & docebit nos vias suas, & ambulabimus in semitis eius.*

Posseuinus in Apparatu sacro. Bellar. de scriptorib. Ecclesiast.

2 Vsurpabo & ego ipsa illa magni Prophetæ verba; magni inquam Prophetæ, vt qui Seraphicorum auscultator concentuum, & gloriæ Domini, illius omnino, qui sedebat super solium excelsum & eleuatum, contemplator fuit, cumque meæ mentis interpretem faciam, ac quâ par est demissione rogabo, mihi liceat, hoc ipso eius diuino eloquio inuitare vos quoque *magnæ Virginis, magnæ Matris Sodales*, vt excelsi montis (sic sacram Scripturam hîc nuncupo) clium aliquem conscendere cupientem, ac profunda IONÆ perillustris Vatis aperire conantem consilia, totius huius peregrinationis ac viæ meæ, vos socios lubentes volentesque iungentes, paululùm subleuetis.

3 Nam, dicam quod res est, & fatebor ingenuè; nisi ab aura vestræ beneuolentiæ plurimum sperarem subsidij, eaque aspirante, putarem posse me longè quàm aliàs promptiùs, longè securiùs, iter meditatum decurrere; ex nunc mutato consilio cederem tempori, timens torrentem illi similem, quem vidit Ezechiel, & pertransiri non poterat; *quoniam intumuerant aquæ profundi torrentis, qui non potest transuadari.* Imò ampliùs, cùm in huius decursu itineris enauiganda sint maria infesta scopulis, concitata procellis, exposita ventis atque turbinibus; sint inquam sui etiam in IONA difficiliores nonnulli loci & obscuriores, quàm primâ fronte appareant; quos elucidare oporteat, & velut scopulos

Ezechiel. c. 47. v. 5.

pulos vincere; priusquam ad portum, atque ex eo ad montem veniamus; id est, sermonis prophetici cognitionē, atque eam quam optamus scientiam intelligentiamq; cōsequamur, secundùm quam deinde in viis Domini securiùs ambulemus; vererer vehemēter, ne tandē IONÆ, qui immanis belluæ absorptus rictu, in eius aluo mortuo propior quàm viuo triduum egit, particeps infelicitatis, animi, virium, fortè etiam, quod maximè cauendum, veritatis naufragium paterer: futurus in hoc vate IONA, quem interpretandum suscepi, infelicior, quòd optatum conspicere portum, quem illi inter tot pericula & aduersos casus licuit mihi nequaquam liceret, multò autem minùs, quem animo destinaueram montis cliuum ascendere.

4 Sed adest, tantum mihi de vestra beneuolentia audeo polliceri, priuatus singulorum, & publicus omnium fauor. Quare in instituto itinere hoc pergo libètius; connitar etiam atque adlaborabo, vt tantò expeditiùs, tātoque velociùs, quantò aptiorem, gratiorem, magis firmam, ac diutius duraturam, imo perennaturam *hederam*, post emensa plena periculis, plena incommodis itinera, obitamque ad vos *Domini mei* legationem hanc, parari & mihi, & vobis planè confido, extra mundi huius *Niniuen*, in cælesti patria, quæ est *mons Dei, mons pinguis: mons in quo beneplacitum est Deo habitare in eo*: sub cuius vmbra, cum Beato IONA, adeoque cum CHRISTO ipso quiescamus.

Psalm. 67. v. 16. & 17

5 Priusquàm in meditatum vos iter induco, nonnulla quæ in eius progressu moram aliquam nobis possent iniicere, & retardare properātes paulisper amoliar. Simul etiā facem præferam cognoscēdæ propius atque euidètiùs veritati. Dicam scilicet, sed pro argumenti copiā minùs copiosè, quòd hæc ante me alij pertractarint.

Quid Prophetia.

Quinam veri Prophetæ.

Quibus hi olim nominibus celebrati, laudati.

Quod eorum munus, quæ dignitas.

Qui ex eorumdem oraculis lectis, auditis, populo pro concione propositis, fructus.

Altera deinde vice, quæ maximè & propinquissime ad rem nostram facturæ.

Quis Ionas, qua ætate vixerit, floruerit, Prophetam egerit, & vbi locorum.

Quid ex eius vita, & moribus, quid ex Prædicatione in exemplum priuatamque institutionem nostram depromendum videatur.

6 Erit hic fortè aliquis nimium emunctæ naris, qui in ipso statim limine hæreat, & in primo aditu, vel solum IONÆ nomen horreat, exclamans, quid nobis cum IONA veteris Legis ac moris vate? clamet ille & quo voluerit modo suis decātet Niniuitis pœnitentiā. Illi sic ego. Nunquid alius veteris Legis, alius nouæ est auctor? imò nunquid, non ipsus ille, qui olim per Prophetas, mox per filium, assumptā mortalitate se nobis sistentem & nobiscum agentem in terris sanctissimam suam volūtatem humano generi referauit? Nunquid, dicente Paulo, credimus & confitemur quòd *multifariam, multisq; modis olim Deus loquens patribus in Prophetis, nouissimè diebus istis locutus est nobis in filio.* Nunquid vti nos IESVM Christum vnicum Dei filium, mundi Redemptorem, conceptū natumque de Virgine venisse in mundum credimus: ita Prophetæ, & per eos quotquot fuēre tum temporis fideles, eumdem venturum & nasciturum credidêre? Quomodò ergo nihil ad nos IONAS? typus Christi sepulti, typus resurgentis, cum quo se ipsemet conferre dignatus, sic Scribas & Pharisæos affatur: *Sicut fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus: sic erit Filius hominis in corde terræ*

Ionas opportunum sermonibus argumentum ostenditur.

Ad Hebr. c. 1. v. 1.

Propheta Christum nasciturum credidêre, prædicauêre.

Matt. c. 12 v. 40.

terræ tribus diebus, & tribus noctibus.

7 Quis ergo dubitat, quin plurimùm ad nos IONAS? Maiores nostros instruxit & nos instruet: prædicauit olim Niniuitis & nobis prædicabit; illis suasit & persuasit in cinere & cilicio pœnitentiam agerent, idem nobis persuadeat. Ampliùs & manifestiùs patebit, si opus, quàm ad nos IONAS pertineat, considerare volentibus paullò attentiùs Christum Prophetarum omnium, omniũque, quæ vnquam ab eis emanarunt, oraculorum scopum fuisse: *quem* (sic loquitur Hieronymus Pradus) *si tollimus, Scripturæ omnes infirma sunt & egena elementa, infantum nuces, Iudæorum digna Theologia, hirsuta castanearum opercula sine medulla, cadauer sine anima, sine corpore vmbra, sine persona imagines, promissiones vanæ, mandata intolerabilia, leges mortis, litteræ damnationis administræ, chyrographa decreti interitus.* In IONA igitur, quemadmodum in ceteris Prophetis, ampliùs etiam quàm in cæteris, ad Christum dirigendus mentis obtutus, ab illis potissimùm, qui filij dilectionis per baptismum regenerati sunt in sanguine illius, & exuentes veterem hominẽ cum actibus suis, nouum iam pridẽ induerunt.

Prophetarum scopus Christus.

In Ezech. c.1.

8 Si quis tamen pertinaciùs, his non obstantibus, reclamare audet, meminerit Romanis ab Apostolo dictum: *Quæcumque scripta sunt*; nihil excipit, quidquid est sacrorum voluminum hac propositione complectitur, *ad nostram doctrinam scripta sunt; vt per patientiam, & consolationem Scripturarum, spem habeamus.* Porrò, quod vniuersim de Scriptura sacra Magnus monet Gregorius: *nonnumquam*, inquit, *non solùm nobis sanctorum virtutes asserit, sed etiam casus innotescit, vt & in victoria fortium, quid imitando arripere, & rursùm videamus in lapsibus, quid debeamus timere.* Id potissimùm valere in nostro Propheta non obscurè notabitis; si, dum historiam proponimus, frequenter ad vnũ & alterum mentis oculos intendatis. Quod dum facitis, vestrum hac de re quæso iudicium tantisper suspendite, nec malè vobis fore cum IONA arbitremini.

S. Scriptura ad instruendum nos vtilis variis modis.

Epist. ad Romanos c.15. v.4.

Gregor. lib.2. Moral. c.1.

9 Prælusimus hactenus: nunc ad proposita primæ huius Lectionis Capita veniendum.

Prophetiam: D. Thomas ex Cassiodoro definit *inspirationem, vel reuelationem diuinam, rerum euentus immobili veritate denuntiantem.* Rectissimè *diuinam reuelationem* vocat: talem enim esse Prophetiam oportet. Nam secũdùm S. Petrum Apostolorum Principem: *non voluntate humanâ, allata est aliquando prophetia: sed Spiritu sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines.* Quare nec veterum auguria; nec superstitiosæ diuinationes; nec sortilegia; nec rerum obscurarum ignotarúmve, siue futurarum, siue præsentium, per necromantiam cognitio; neque si quid aliud generis eiusdem, prophetiæ nomine censendum; cùm sint ab ea quàm remotissima. Originem namque suæ seu veritatis, seu falsitatis, hæc non à diuini, sed à maligni spiritus inspiratione sortiuntur, & qui ea locuti, spiritu nequam, non sancto inspirante locuti, satis ex sua, cum eo, quo loquuntur spiritu communicatione atque commercio, quales sint non verbo tantùm, sed & opere manifestant.

Quid Prophetia? 2.2. quæst. 171. art. 1.

Epist. 2. c.1. v.21.

Prophetiæ nomine quænam censeri non possint.

10 Certè cum Christo nascẽte potestas diaboli longè lateque suũ exercentis imperium arctaretur, quæ tot anteà locis audiebantur oracula; vti Apollinis Pythij, Clarij, Dodonæi, ipsis mirantibus Ethnicis id testante Plutarcho, continuò cessasse animaduersum. Hinc ipse Octauianus Augustus indagandæ cupidior veritatis, Apollinem Pythium consulens, causam sciscitatus silentij, responso non dissimili accepto audiit:

Christo cùm nascitur cessant Deorum oracula.

Me puer Hebræus, diuos Deus ipse gubernans,
Cedere sedè iubet, tristemq; redire sub Orcum:
Aris ergo dehinc tacitus abscedito nostris.

Suidas in Augusto Niceph. lib.1. c.17.

Abscessit, & in vrbẽ reuersus, in Capitolio

tolio arce Romani Imperij aram erexit hac inscriptione à se nobilitatam: *Ara primogeniti Dei.*

11 Igitur, quod primum est, requirit, vt diximus, Prophetia *inspirationem vel reuelationem diuinam.* Deinde, quod alterum, *Immobilem*: id est certissimam *veritatem.* Etenim, si vel semel qui vaticinatur falsum dixerit, iam non ampliùs oracula loquitur, iam non Propheta, sed pseudo-propheta cēsendus: neque enim vnquam ex ore Domini, cuius se dicit Prophetam, auditum mendacium. Et hanc Dominus ipse notam tradit certissimam, discriminantem veros à falsis Prophetas, libro Deuteronomij, euẽtus inquam, infallibilem veritatem: *Quòd si*, inquit, *tacita cogitatione responderis: quomodò possum intelligere verbum, quod Dominus non est locutus? hoc habebis signum: quod in nomine Domini propheta ille prædixerit, & non euenerit; hoc Dominus non est locutus; sed per tumorem animi sui propheta confinxit: & ideò non timebis eum.*

Prophetia requirit immobilem veritatem.

Deut. c. 18 v. 21.

12 Prophetiæ hieroglyphicum vidisse se in Bibliotheca vaticana inter præstantes illius picturas Cornelius à Lapide memorat. Videlicet graphicè depictam matronam insignem, velatam oculis; quod obscuritatem vaticiniis propriam: dexterâ euaginatum tenentem gladium vnà cum tuba; quod minas necis & prædicationis clangorem: sinistrâ catenam ex sole supereminente deriuatam; quod prouidentiæ diuinæ seriẽ, & ab ea manantem denuntiatam veritatem: habentem ad verticem columbam; quod Spiritum sanctum seu diuinam reuelationem indicabat. Quo ex hieroglyphico, sicuti vaticiniorum seu prophetiarum perfectionem veritatemque cognoscimus; ita veros Prophetas à falsis nullo negotio secernimus.

Prophetia hieroglyphicum. Præfat. in Proph. minores. quæst. 3.

13 Cùm hoc ipso hieroglyphico propè coincidunt quatuor illa, quæ ad muneris prophetici perfectionem absolutissimam ait desiderari Antiochus Brondus Sardus Calaritanus in Apocalypsim scribens. Primùm ponit, vt Prophetæ ipsius cognitio vera sit, proindeque aut fallere, aut falli nescia. Sit etiam rerum, quæ neque præsentes sunt, neque sub aspectum cadunt; sed ignotarum prorsus; earum verò potissimùm, quæ futuræ, vnique Deo notæ: cùm Prophetia propriè non nisi futurum tẽpus respiciat, licet per catacresim subinde, & præteritũ complectatur, & præsens, secundùm illud Maronis:

In Prophetia quatuor ab Antiocho Brondo requisita.

Disput. 9. in c. 1. q. 2.

Prophetia est rerum non cognitarum.

Nouit namque omnia vates,
Quæ sint, quæ fuerint, quæ mox ventura trahantur.

Virg. 4. lib. Geor.

Expressum id fuit superiore hieroglyphico, per matronam suorum oculorum integumento, obscuritatem; catenâ ex sole supereminente deriuatâ synceram veritatem à Deo manantem innuente; à quâ cum absint longè, qui somnia sua pro diuinis oraculis & pro supernis illustrationibus nugas venditant, facilè est assequi quanto adhuc absint remotiùs, qui fingunt mendacia, Prophetæ vt videantur & habeantur; at quantùm illis fidei tribuendum; nempe, vt mendacibus, nihil omnino.

14 Fuit superius seculum admodùm huiuscemodi impostorũ ferax, quando ferè Nouãtium singuli suam omnem in hoc contulisse videntur industriam, & inter se contẽdisse non segniter, quis alterum prophetandi, fingendi volebam dicere, superaret industriâ. Cœpit Martinus Lutherus Pseudo-prophetarum sui temporis coryphæus; qui sicut homo erat turbulentus, & rerum nouarum, si quisquam, auidus: cùm iam arma sumpsissent, & improbè tumultuarẽtur Principibus suis rebelles in Germania rustici: vt nouâ illos velut tubâ ampliùs in certamen accenderet, prophetico, seu potiùs fanatico spiritu, prædixit victoriam rusticis, ruinam Principibus. Verba ipsius sunt, sat inuentia incensum ad facinus animum: *Gladius vobis Principibus super collum iam imminet, adhuc tamen putatis tam firmiter sedere vos in sella, vt nemo vos*

Hæretici Pseudo-prophetæ.

Lutherus quomodò prophetarit

Lib. quem inscripsit. Exhortatio ad pacem super 12 articulis rusticorum Sueuiæ.

vos excutere possit. Hæc securitas, & obstinata præsumptio, franget vobis collum, hoc videbitis. At omnino aliter accidit: cæsi rustici victique, Principes verò facti victores. Quid tum Lutherus, magnus ille Prophetarum sui æui princeps? egregiè palinodiam cecinit: non successerat de futuris vaticinium, feliciùs vaticinari de præteritis, siue potiùs de præsentibus cœpit. *Arbitror,* inquit, *nullum esse ampliùs in inferno diabolum; sed omnes prorsus in rusticos ascendisse.* Quid censetis de hac prophetandi ratione? Nihil iam dico de eo quòd diuinans bellè, vt solet, dixit aliquando, moriente se euersum iri Pontificis Romani Sedem, dignitatem, imperium. Notum est vaticinium.

Ioannes Cochlæus in Actis Lutheri ad A. D. 1525. ex eiusdem libello contra latrocinantes rusticos.

Pestis eram viuens, moriens tua mors ero Papa.

Sed illius æquè ac prioris falsitas vsque hodie patet. Stat enim, & stabit B. Petri & successorum eius Romanorum Pontificum Sedes inuiolata, stat & stabit auctoritas; neque, nisi fallat, qui nec fallere, nec falli potest: *Portæ inferi præualebunt aduersus eam.* Voluisset credo Lutherus commentum illud suum ad veritatem valere; sed non quod voluit potuit, Deo prauis eius conatibus repugnante. Ipsius aliud quoddam vaticinium non minùs prioribus dignum posterorum memoriâ, vt pseudo-propheticus hominis spiritus prorsus pateat, narrat Gaspar Vlenbergius, qui de eius vita moribusque scripsit copiosè: nobis hæc delibasse sufficiat, & sic nouisse ex vngue leonem.

Mat. c. 16. v. 18.

Gaspar Vlenbergius in vita Lutheri c. 5. in fin.

15 A magistro ad discipulum veniamus, dignum sanè patellâ operculum. Michaël Stiphelius à Luthero edoctus prophetare, meliùs dixero, strophas dolosque cudere, videri voluit nihil iam illi in hoc genere debere. Itaque fidem facturus quàm esset in Dei arcanis versatus, effutiit aliquando ad confertam concionem, omnibus stupore attonitis, rem abditissimam. Fore scilicet, vt Anno Domini tertio supra millesimum quingentesimum trigesimum, die quem vt certum notabat, orbis periret vniuersus. Credidêre miselli, itaque continuò in varia multorum studia exarserunt: nonnulli gemere, lacrymari, commoueri animo vehementer; alij iam non ampliùs operari velle; coloni non pauci aratra suspendere, agrorum culturam negligere, nullam frugum deinceps rationem habere; alij liberaliter genio indulgere, abdomini ventrique de toto seruire, esculentis, poculentis, lusibus, iocis, absumere, abligurire omnia: dicentes, vt est apud Isaiam: *Comedamus & bibamus: cras enim moriemur*; alij paullò religiosiores de vita rectiùs instituenda, deque feliciori exitu cogitare, atque in eum finem velut mox morituri se Sacramentis communire; omnes denique quid tandem futurum anxiâ sollicitudine præstolari. Verùm frustrà hæc, neque enim aliud actum, quàm vt breui impostoris fraus patuerit; dies namque præstituta veritatem edocuit, nullâ re prorsus circa mundi cursum & ordinem innouatâ, neque tunc, neque adhuc modò, quando centum & ampliùs annis ab indicto per impostorem excidio stat, & stabit, quamdiu eius Conditori placuerit, qui suum circa hoc beneplacitum ignotum voluit omnibus, dicente discipulis suis Christo: *De die illa, & hora, nemo scit: neque Angeli cælorum, nisi solus Pater.* Neque verò cùm percunctarentur aliàs ab eo solliciriùs iidem eius amantissimi filij: *Domine, si in tempore hoc restitues regnum Israel?* aliud responsum acceperunt, quàm: *Non est vestrum nosse tempora, vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate.* Quomodo ergo hæc Stiphelius nouerit?

Lutheri discipulus Stiphelius quomodo prophetarit.

Isa. c. 22. v. 13.

Mat. c. 24. v. 36.

Act. c. 1. v. 6. & 7.

16 Nescio an non etiam acceperit ab hero suo Luthero prophetandi industriam cocus eius. Is cùm IONAS vocaretur, se IVSTVM IONAM prædicabat, vt testantur in suo Chronico Genebrardus, & de schismate Anglicano scribens Nicolaus Sanderus. Videtur sanè is nostro Prophetâ sanctior sapientiorque haberi vo-

Lutheri cocus Ionas quomodo prophetarit.

Genebr. lib. 4. An. 1550. Sanderus lib. 1.

voluisse, illi fortasse indignatus, quòd aliquando à facie Domini fugerat. Bone Deus tantum virum quis non veneretur, & colat! Numquid vobis videtur omni commendatione prædicationeque dignissimus, qui seipsum tam egregiè prædicat? Infelices nos, quòd in hæc nostra tempora non Iustus ille IONAS inciderit, certè rogare eum potuissemus non pauca curiosè: Quando nimirum, & quâ ratione factus sit iustus? Num & ipse aliquando à ceto absorptus, in eius aluo delituerit, ibive diu hæserit? quomodo euaserit? & cùm multa fortè de IONA cognouerit velut Propheta, arcaniora nonnulla rimari de illo ab hoc licuisset, quæ me pro tenuitate mea fateor ignorare.

Nunc quoniam iam pridem abiit ad suos, manes eius quiescere patiemur, neque ex olla Vulcania hominē euocabimus: sed intacto ei relicto suo prophetandi priuilegio, suffecerit nobis debito hîc Iustum illum IONAM Pseudo-prophetæ encomio celebrasse.

17 Prophetici honoris & tituli ambitus, simul cum hæresi & Catholicæ oppugnatione veritatis, etiam ad Caluinum eiusque sectæ socios transiit. Neque enim hi minùs dici Prophetæ Lutheranis voluêre; sed vti pares munere, sic pares in dicenda veritate. Et quidem Caluinus, pro dignitate sua, non contentus communi vaticinandi ratione, quæ verbo fit, etiam opere, erat enim hoc illustrius, prophetare cœpit. Itaque quasi alter Eliseus (qui sui contactu corporis defuncto vitam restituens, se verum Prophetam ostendit) Burleum quemdam, lucri causâ inductum pretio vt se mortuum simularet, verè, id iam frustra simulantem, nouo & ante illa tempora inaudito prodigio, è viuo mortuum fecit. O Prophetam egregium!

Caluinus & Caluinistæ quales Prophetæ.

Bolsecus in vita Caluini c.13.

18 Optandum huic erat, vt mercedem sui laboris acciperet, qualem olim à Rege Persarum Manes, cui vaticinij huius gloriâ non fuit absimilis. Dixerat ille aliquando tumidus vanitate & superbiâ, magis etiā insaniâ; Spiritum sanctum se esse, qui & nouisset, & posset omnia. Rogatus itaque Regis filium, tam peritus rerum omnium artifex, laborātem ad desperationem vsque medicorum, curandum susciperet & sic suam potentiam sapientiamque ostenderet: suscepit, & simul spopondit ausu temerario, effecturum se breui, quòd totum medicorum collegium nec potuisset, nec posset; nempe redditurum se Regis filio sanitatem. Manum quidem admouit, sed tam feliciter, vt breui nec medicis, nec medicamentis eguerit ampliùs: quippe, quod erat vitæ residuum illo agente æger subitò perdidit. Factâ tam præclarâ ægro medicinâ, debebatur haud dubiè medico nō minus præclarum stipendium. Id ei quasi ex debito persoluendum Rex iussit, simulq; ex copiosa liberalitate eundem edocuit, quàm non esset Spiritus sanctus, cùm spiritus carnem & ossa nō habeat. Sed quàm nec meritò queri posset, minùs secum rectè actum, in erogando eiusmodi stipendio, à quo nihil pati, nihil accipere incommodi, tamquam spiritus, vti dicebat, omnium tormētorum corporis expers, valeret. Fuit verò stipendium, de quo hîc agimus, misero homini persolutum, insignis quædam carnificina, quâ viuenti & videnti detracta est pellis, simul ad ludibrium, simul ad tormentum; quæ deinde, receptaculum tantæ improbitatis, vt ait D. Cyrillus, diu hęsit tamquam vter ad portam suspensa, omnibus ad memoriam cùm improbitatis, tum etiā ignominiæ illius. Non absimilis illi debebatur merces, si in fidelē creditorem incidisset; quamquam dilatam tantùm existimate, & iam cū fœnore redditam, ab eo qui solus potens magnus rerum arbiter Deus, nihil irremuneratum, nihil impunitum finit.

Manes Pseudopropheta à Rege Persarum punitus.

Cyrill. Ierosolymit. Catech. 6. Epiphan. Hæresi. 66. Niceph. hist. Eccl. lib. 6. c. 32. Theodor. lib. 2. Fabularum Hęreticarum. Baronius Tom. 2. Annaliū ad Ann. Christi 277. n. 17.

19 Sicut non in vno, vt vidimus, Luthero, sic nec in vno Caluino stetit pseudo-propheticæ spiritus falsitatis: is dimanauit sicut ad illius discipulos & familiares, ita ad huius quoque commilitones & posteros. In his excelluit Fredericus Braunboin homo obscu-

Pseudoprophetia Frederici Braunboin Caluinistæ enarratur.

obscurus, qui nuper illustraturus, aut potiùs obscuraturus nomen suum ampliùs; saltem immortalitati, vt putabat, illud quoque modo consignaturus, Tractatum edidit (cuius in Præfatione libelli sui *de titulis Caluinistarum*, meminit Martinus Becanus è Societate Iesv inuictissimo Cæsari Ferdinando II. olim à sacris Confessionibus) duplici vaticinio insignem. Vocat eum solemni inscriptione, ex qua ferè quid hominis sit auctor operis appareat: *Florum Flaminiorum, Romanensium, Bapalium seu Papalium Decadem*; illustribus planè titulis & nouis. In hoc tractatu præter alia, duo posuit à se conficta egregiè, Vaticinia.

Pag.16. Primum: Numquã potituros Hungaria Turcas, proindeque non ad Turcicum, sed ad Romanum bellum Imperij Principes sese seriò debere accingere. Cuius prædictionis iã pridẽ veritas patuit; quando hæc occupata à Turcis magna ex parte illorũ Imperatori multis locis tributaria esse cœpit.

Pag.17. Alterum non magis verax: Pontificatum Romanum iuxta communem calculum desiturum anno sæculi huius quadragesimo primo: tum verò futurum illum, de quo loquuntur sacræ Litterę Orbis interitum. Et vt ampliùs oraculi huius faciat fidem, constanter affirmat: hoc licet ignorarint Apostoli, ignorarit ipsemet Christus, esse exploratissimum sibi. Vnum addere debuisset se Apostolis, se Christo maiorem Prophetam, & tum non fuisset de enunciata veritate relictus vllus vlteriùs dubitandi locus.

20 An non metuere ad horum enarrationem incipitis tam vicinum magnum illum diem Domini, adeò certò, & tam constanter à tanto Vate prædictum? Optimè, vt videtis, Braunboinus Caluini, & discipulus Lutheri Stiphelius, in arte prophetandi conueniunt; idem dicit vterque, & eadem prorsus veritate, falsitate volebam dicere, atque impudentiâ.

Hæreticorum Pseudoprophetæ varij. Nec defuerunt Prophetæ plures huius farinæ illo ipso superiori sæculo. Notat Genebrardus, & ex eo Sãderus, fuisse Tolosæ qui sancti Ioannis Baptistæ spiritum se habere; Lutetiæ, qui se D. Petri genio foueri; Basileæ, qui se Moysis Angelum possidere dicerent. Osiander quoque alterũ se Enochum iactabat. O quæ hominum monstra! Genebrardus lib. 4. An. Dom. 1550. Sanderus l. 2. de Schismate Angli. paullò post medium.

21 Sed cùm Lutheri & Caluini magnorum magistrorum scholam lustrauimus, solumne Anabaptistarum gymnasium insalutatum velut peregrini & hospites pertransibimus? nullóne est istic reperire Prophetas? Ne putetis eos ceteris sectariis hoc in genere viliores. Stomachum illis moueret postulatio: inter suos Prophetas an habeant? Profectò, me etiam assentiente, si qui vmquam spiritu acti, hi vel maximè, nec prioribus dissimili, fanatico inquam & phrenetico, ne dicam diabolico. *Anabaptistæ quales Prophetæ.*

22 Horum de numero anno millesimo quingentesimo quadragesimo quarto fuit apud Frisios Hermannus Sutor, qui cælestem se Patrem mentiebatur; apud Westphalos Ioannes Sartor, Leydâ oriundus, qui à Monasteriensibus, pulso suæ vrbis Episcopo, anno millesimo quingentesimo trigesimo quarto electus in Regem, eo regno nequaquam contentus, asseruit eundem se promissum veteribus Israëlis Regem venisse tandem, suos è diuturna seruitute, in veram diuque peroptatam asserturum libertatem. Sed perbreue fuit angustumque miserrimi Regis imperium: etenim noua molientem plebeium hominem, cùm sibi regni sedem Monasterium vrbem Westphaliæ principem delegisset, conspirantes Episcopi, quibus erat auxilio Ioannes Fredericus Saxoniæ Dux, vbi hominẽ, capta vi vrbe, comprehenderunt; eum agnitum tantarum turbarum auctorem, dignis quoque suppliciis curarunt plectendum. Hæc erant: vt productus in theatrum, ac palo alligatus, ignitisque forcipibus excarnificatus staret ad horam; deinde, vt nonnulli volunt, mucrone pectus transfixus ac mortuus, vt alij, adhuc viuus & spirans, ex editio- Abrah. Bzouius Con. in 5. Dom. post Epiphan. *Ioannes Sartor Monasterij in VVestphalia Propheta.* Genebrard. in Chronico ad An. 1534. Abrah. Bucholcerus in Indice Chronolog. ad A. 1536. *Eiusdem supplicium recensetur.*

Buchol. in Indice suo Chronologico.

re loco (turrim aiunt esse) crati vimineæ alligatus, siue, vt narrat Bucholcerus, caueæ ferreæ inclusus, à sole torrendus, muscis & auibus pabulum, duos inter socios medius, sed illis quantum est hominis statura penderet sublimior. Numquid non impedire Rex Israëlis hoc potuit?

David Georgius Basilea Prophetat. Surius in Chronico. Bellar. in Chron. ad Ann. 1555. huius quoque meminerunt.

23 Successit non multò pòst Dauid Georgius Delphensis, qui se (ita narratur in libello de eius vita & doctrina per Basileensem Academiã edito impressoque apud Guilielmũ Simonem Antuerpiæ anno millesimo quingentesimo sexagesimo, re tũ prorsus recenti) verum Dauidem, fortè per metempsychosim, à Deo missum, & quod mirum atque insanum magis, ipsum Dei filium Domino nostro IESV Christo maiorem; resurrecturum verò non die, sed anno tertio, ac tum Regnum Israël, vti iactauerat Leydensis ille Sartor, ore non minùs impio, restituturum audacter spopondit. Sed nequaquam sponsioni respondit euẽtus. Nam mortuus Basileæ est (quò à Batauis venerat profugus, prorsus ignotus hospes, Anno Domini millesimo quingentesimo quadragesimo quarto) die octauo Kal. Octob. anni eiusdẽ sæculi quinquagesimi sexti; atque ibidem agnitis eius imposturis, delata res ad Iudices triennio pòst, prçuiaque examinum ac forensium iudiciorũ solemnitate consuetâ, per summos illius Reipublicæ arbitros, prolata est, in vitâ functum & tumulatum licet, sentẽtia: vt nimirum effossum cadauer, in æde D. Leonardi anteà conditum, extra portam lapideam, vbi est destinatus reorum suppliciis locus, vnà cum libris atque effigie ipsius ex hastâ suspensâ impositis currui, à carnifice raptaretur, ibideḿq; simul omnia rogo iniecta verterentur in cineres, bonis publico çrario illatis; non secus ac cum viuo superstiteque futurum ex lege Cçsarea fuerat. Quod vbi executioni mandari cœptũ, & aperiri tumulus, animaduersum habuisse villoso è serico pileum, suffultum purpurâ, impositam insuper capiti è rosmarino corollam, puluillos quoque

Senatus Basileensis in eundem defunctum sententia capitalis.

Exhumato Georgij Delphensis cadauere, quomodo id conditum fuerit à suis triennio antè, apparet.

non ignobiles ceruicem fulcientes, & quæ corpus supra mundam vestiret sindonem, togam vndulatam. Ex quo apparet quãti apud suos sint impostores huiusmodi. Sed mox productus in publicum, confluente ad spectaculum tantâ multitudine, quanta esse vrbe totâ non credebatur, legibus factum est satis; & quas viuus debuerat, mortuus pœnas dedit. Si hoc resurgere est, Dauidem Georgium resurrexisse, & quidem anno à morte suâ circiter tertio, nequaquam inficior: alioqui lapsi nunc anni non tres tantùm, sed etiam tres supra octoginta, ex quo fato concessit; neque hactenus de eius resurrectione audiuimus; sed neque audituri sumus, nisi quando in nouissimo magni Iudicij die, vt loquitur Paulus: *Omnes nos manifestari oportet ante Tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis, prout gessit siue bonum siue malum.*

Sententia in eundem lata executio vlterior.

2. Cor. c. 5. v. 10.

24 Fuit etiam huius sectæ Melchior Hofmannus, qui ab Elia se missum videri volebat; palàm dictitans reuelatum sibi, fore vt magna cum gloria, centum quadraginta quatuor discipulorum sociatus millibus, Argentorato discederet. Sed illius quoque exitus, non multò quàm aliorum fuit felicior: nam in pœdore & squalore carceris exstinctus miserè periit.

Anabaptistarũ Propheta, Melchior Hofmannus & alius quidam. Florim. Remundus de Origine Hæreseon lib. 2. c. 4. §. 5.

Alius ex iis Propheta suasit aliquando Auditoribus suis qui satis frequentes conuenerant, vt Christi mox adfuturi aduentum sedulò præstolarentur: atque multis id vt facerent etiam persuasit: quare vni tantùm linteamini incubantes, totam noctem in rupium cauernis exegerunt, albo illo colore innocentiam suã velut testaturi, ibidem lamentabili voce multisque suspiriis Dei implorantes clementiã. Verùm, vbi transactâ nocte, se lusos & delusos viderunt, non sine pudore ad suos lares reuersi, sui Pseudo-prophetæ strophas, si oculos aperire aliquando placuit, agnoscere potuerunt.

Idem. Ibidem.

25 Potestis videre etiam vos, quàm comprobata egregiè prædictionum multarum, quas retulimus, veritas, fidem

fidem faciat de Prophetis illis, qui si ampliùs crescerent, & numero, & tam liberali tantorum manifestatione arcanorum, timendum esset vehementer, vt ait Becanus, ne totum Septentrionem peruagantes, quidquid hactenus soli Deo notum, passim propalarent, quæcumque recondita panderent, atque exhauriendo omnia, nihil in sacrario diuino sat tutùm lateret imposterùm.

Præf. libelli de Tit. Caluinistarũ seu Priuilegiis.

26 Interim tamen non cessat adhuc apud Heterodoxos in hodiernum vsque diem genius ille propheticus. Nam anno quo hæc scribo millesimo sexcentesimo trigesimo sexto inuenti etiam in Anglia, vt nullus sit orbis angulus hoc spiritu vacuus, sicut nec ætas, noui Prophetæ. Richardus Farnham & Ioannes Bull. vterque opificio textor; ac ne quid deesset, accessit etiam Prophetria, Margareta nescio quæ, prioris vxor. Hi Londini Ioannis Lambe Equitis & Thomæ Turner Iudicum examini se sistere iussi, dixerunt: Richardus quidem Dei spiritum se habere, quo abdita quæque cognoscat; hinc certò scire imminere orbi peste & famem, sibi insuper iniustam necem, quam post triduum exceptura sit resurrectio, vita, gloria, & felicitas maior, & quidem Ierosolymis, vbi sit sicut olim Dauid & Salomon regnaturus. Esse se quoque duorum testium, quorum S. Ioannes in Apocalypsi meminit, alterum, quæ quàm inter se cohæreant videtis. Certè prophetare volentem, tametsi mendacem, sui meminisse oportet, ne parũ lo[illegible]ens consentientia, vel sic proprio se ore condemnet, & Pseudo-propheta appareat. Ioannes verò Bull. se alterum testium esse asseruit. Reperti igitur istic duo testes fideles. Sed nec ille hoc contentus munere, Sacerdotem se quoque iactauit, occidendum Ierosolymis, ibidem etiam paucos post dies suscitandum à mortuis, vt denuò sacerdotio fungatur. Bone Deus! magni illi Prophetæ non nisi regna & sacerdotia cogitant! Timete Reges, timete Ecclesiæ Principes; ne vestris vos sedibus pellant, & dominos se constituant orbis terrarum.

Noui Pseudo-propheta in Anglia Richardus Farnham & Ioannes Bull. A. 1636.

Margareta nobilis illa Prophetria, quo titulo gloriabatur apud Iudices, nõ tam oracula, quàm blasphemias in Principẽ Prophetarum IESVM Christum Dominum nostrum locuta; negauit eum mundi Seruatorem; proinde eius solemnitates seu festos dies nequaquam colendos, sed Sabbatum tantùm, festum Domini exercituum cùm Iudæis iudaisans, fortasse etiam Iudæa, constanter asseruit.

Ibidem eodem anno Pseudo-prophetria Margareta nomine.

27 Hæc habeo, mense Mayo anni illius quo euenerunt Londino ad amicum perscripta Mechliniam à viro fide digno alteri in ampla dignitate constituto ab arcanis, iisdem quibus ea narraui circumstantiis, ex ipso autographo. Porrò quidnam consecutum iuridicum illud examen ignoro, viuantne etiamnum Prophetæ, an mortui sint sumptumque de illis, vt merebantur, supplicium, quemadmodùm in Germania factum eo ipso anno quo Lintsij Propheta nescio quis, nequidquam pro eo deprecante vxore Iudicum damnatus sententiis, viuus flammis est traditus.

Lintsij Pseudo-propheta anno 1636 flammis traditur.

Multa præfari, multa in laudem commendationémque propriam comminisci, varia de se suisque rebus iactitare, sat facile est: præfari cum veritate, & diuinitus cognita, cum dimissione animi, non ex suo, sed Domini sensu proloqui difficile; neque id nisi pauculis mortalium datum à Deo. Hoc qui facere potuerit & fecerit, is, hac saltem ex parte, Propheta censebitur.

In Propheta requiritur. 1. veritas.

Pseudo-prophetarum nugis diutius quàm cogitaueram immorati sumus: effecit hoc, gliscens illud mendaciorum sparsum per eos aconitum, quod plura secula & ætates infecit; licet non nisi de nostra ætate loqui placuerit. Nunc denuò ad veros legitimosque Prophetas sermonem conuertamus.

28 Secundum quod in iis requirit Brondus (nam de priore, quod erat

2. Intelligentia requiritur.

veritas

veritas cognitionis, egimus hactenus) etiam ex mente præcipuorum Patrum Basilij, Hieronymi, Epiphanij est, vt quæ vaticinantes aliis nunciant, ipsi quoque intelligant. Et consentit cum eo quod in hieroglyphico per columbam supra matronæ verticem consistentem, quâ diximus Spiritum sanctum seu diuinam reuelationem indicatam, exprimitur. Certè à ratione diuinæ præsentiæ vehementer abhorret, amentem reddere eum, quem implet sapientiâ: & verò quis credat aliis vtilem denuntiationibus suis Prophetam, esse sibi soli, quippe proferentem à se non intellecta, inutilem.

Errores veterum hæreticorum circa Prophetas.

Error fuit olim Montanistarum Cataphrygarum, & Priscillianistarum, Prophetas arreptitiorum more non intellexisse quæ dicerent: sed error quem Patres damnarunt, secundùm quod ait Daniel: *Intelligentia est opus in visione.*

Daniel. c.10.v.1.

Neque Pharao, neque Nabuchodonozor, neque Caiphas Propheta.

29 Ex quo sequitur neque Pharaonē, neque Nabuchodonozorēm, quamuis futura prædixerint, fuisse Prophetas; vti nec Caipham, quem licet D. Ioannes prophetasse asserat; tamen cùm quid diceret ignorarit, nequaquam est Prophetarum numero accēsendus. Hinc cùm prædictionis eius fit mentio, rectè à Ioannne additur: *Hoc à semetipso non dixit: sed cùm esset Pontifex anni illius, prophetauit*; videlicet non formaliter, vti in scholis loquimur, sed materialiter tantùm. Si quidem & in Caipha, & in Pharaone, & in Nabuchodonozore, is operabatur, qui os asinæ Balaam aperuit.

Ioan. c.11. v.51.

Propheta licet alienati à sensibus in raptu, nouerunt quid dicerent.

Fateor fuisse non rarò alienatos à sensibus raptosq; in extasim Prophetas; vti in Patmos, scribens sanctus suā Apocalypsim Ioannes; at non minùs idcircò quid propherarent cognouerunt: cùm Deum diuino illo raptu priuare cælestium cognitione suos voluisse non sit credibile; sed potiùs abstractos à sensibus, & omni humano priuatos obtutu, perfectiùs abdita cognouisse, atque arcana Dei penetrasse profundiùs minimè ambigendum videatur.

3. Requiritur in Propheta manifestanda prophetia libertas.

30 Adhæc requirit Brondus in Prophetis, quod est tertium, religiosam quandam audaciam, & eorum, quæ sibi fuerint reuelata, liberè dicendi denuntiandique facultatem. Est hoc expressum in hieroglyphico per gladium & tubam, quæ matronę dexterâ continentur. Nullum est dubium quin idcircò Deus quædam amicioribus suis fidentiùs aperiat; vt illi tanto fortiùs & constantiùs pro eius gloria agant, & quæ hanc spectant sine tergiuersatione enuntient. Hinc olim dictū ab eo ad Ieremiam: *Ecce dedi verba mea in ore tuo, ecce constitui te hodie super gentes, & super regna; vt euellas, & destruas, & disperdas, & dissipes, & ædifices, & plantes.* Prorsus ac si illi dicat apertiùs & sic cum eo imperantis more agat: Volo intermineris hostibus meis, quos in regionibus, quas incolunt, plantaui, conseruaui, adinstar ędificiorum erexi, multis dotaui bonis; eos me bellis, vastationibus, captiuitatibus, ni resipuerint euulsurum; ædificaturum verò, & plantaturum denuò, quos euulseram, si ad saniorem mentem redierint. Huius tu voluntatis meæ interpres eris, huius tu præco sententiæ.

Ieremiæ c.1.v.9.

Concionatores Christiani liberè debent dānare vitia & monere.

31 Oratoribus nostris est hęc quoque Christiana libertas apprimè necessaria, cùm illis non minùs quàm olim Prophetis mandatum affirmet Magnus Gregorius: Ex homine, superbiæ, iracundiæ, libidinis, vitiorum omnium euellant imperium, atque in eo plantent castimoniam, demissionem animi virtutesque alias dignas Christiano, quæ mox altis nixæ radicibus adolescant in culmum perfectionis, & fructus ferant æternæ felicitatis & gloriæ. Quod vtinam tam fiat ab vnoquoque strenuè, tam fideliter, tam fortiter & constanter, quàm olim à Ieremia; quem non minaces Regum & Principum vultus, non vincula & carceres, non mors proposita terrere potuerunt. At qui nunc

3. part. Pastor. c.35.

nunc tales? fortè inter millenos aliquot vnus, aut nullus. Non ero hic longior; licet multorum, qui ad hominum salutem curandam vocati, socordia, bene longam, iustam tamen, querelam deposceret.

4. Requiritur in Propheta diuina reuelatio.

32 Ad extremum in Prophetis Brondus requirit, vt quæ sciuerint, dixerint, non per studiosam mentis exercitationem, non per labores ingenij, non per quamuis aliam humanam industriam; sed per reuelationem diuinam sibi, aut bonorum ministerio Angelorum, aut Deo ipso propius cooperante, modo aliquo supernæ prouidentiæ maximè congruo, factam sciuerint, dixerint. Exprimitur id in hieroglyphico per Solem, qui Deum adumbrat, à quo catena descendit, hoc est cognitio futurorum.

Astronomi non sunt Prophetæ.

Quare Astronomi licet circa rerum futurarum euentus ex motu cursuque syderum multa prædicant, & subinde quædam, sicut prædicta, eueniant; non idcircò Prophetæ; cum naturalium scientia, labore, & industriâ cõparata, Prophetam non faciat, sed reuelatio diuina.

In Ecclesia omni tempore veri Prophetæ fuerunt.

33 Quatuor hæc hactenus ex Antiocho Brondo recẽsita inuenire fuit in omnibus veteris æquè ac nouæ Legis Prophetis, quibus nullo tempore Ecclesia caruit, vt proinde de rerum ab illis prædictarum veritate ambigi nequaquam potuerit; cùm verò abfuerint ab Heterodoxorum pseudoprophetis, non mirum si omnibus illorum commentis derogatâ fide, per illa, quæ tanquam mendaciorum propolæ proponebant, ridiculos sese & sannais dignos apud populum fecerint, apud Principes & Magistratus suppplicijs.

34 Venio ad tertium propositorum à me Capitum, quo susceperam Prophetarum nomina, quibus olim celebrati, recensere.

Tituli Prophetarum varij 1. Prophetæ dicti Dei homines.

In sacris paginis *Dei homines* nuncupatos sæpius legimus, qui titulus Samueli, Eliæ, Elisæo, Moysi, Dauidi, passim tribuitur; à Philone Iudæo omnibus Prophetis. Sic namque de his ille: *Prophetæ sunt Dei homines quorum maior est dignitas, quàm vt se misceant humanæ Reipublicæ, & mundi ciues sint: sed sublimiores omnibus rebus sensibilibus, migrarunt in mundum intelligibilem, ibi sortiti domicilium, adscripti Reipublicæ idearum incorporearum & incorruptibilium.* En quanta eorum laus & dignitas! Philo mortales adhuc, atque inter homines, ac cum hominibus agentes, velut immortales facit, atque in cęlo collocat. Lib. de Gigantibus in fine.

Prophetæ dicti os Domini.

35 Dicti etiam Prophetæ *os Domini* per quos scilicet Dominus placita sua proposuit populo, per quos intimiora reserauit, dicente apud D. Lucam Zacharia, qui & ipse Propheta: *Sicut locutus est per os Sanctorum, qui à seculo sunt, Prophetarum eius.* Quocirca, vt notatum bene per Cornelium à Lapide, docent nos ipsi, velut os Domini, sapientiam illius, Sanctorum scientiam, iustorum prudentiam, vt hæc edocti, ipsi deinde alios doceamus, ac cum Diuo Ioanne Baptista: *Paremus Domino plebem perfectam.* Lucæ c. 1. v. 70. Procem. in minores Prophe. Lucæ c. 1. v. 17.

Prophetæ dicti videntes.

36 Præterea Prophetæ apud Hebræos vulgò vocabantur *videntes*: quòd, secundùm D. Thomam, ea quæ nemo alius videret; & quæ ceteros latebant, conclusa mysterio, ipsis patefactâ veritate, iam essent manifesta. De Abrahamo Patriarcha dixit aliquando in hunc sensum, Seruator noster: *Exultauit vt videret diem meum; vidit, & gauisus est. Vidit*, quia illi vt Prophetæ reuelatum magnum illud sanctissimæ & indiuiduæ Trinitatis mysterium; cùm tres vidit, & vnum adorauit. Atque hæc est expositio Sanctorum Hieronymi, & Gregorij. Vel, vt D. Augustinus interpretatur, *vidit* quia Incarnationis & Natiuitatis Domini illi reseratum arcanum. Ioan. c. 8. v. 56.

Aliter cur Prophetæ dicti *videntes*, S. Basilius interpretatur nimirũ quia vt inquit, *futura tanquam præsentia conspiciunt*; quæ causa cur etiam dicantur *Ecclesiæ oculi*, talesque, vt re-uera Basil. Præf. in Isaia.

uerà sunt, habeantur: quod hebræa vox *Roëh* id est *videns* siue *contemplator* clariùs explicat. Etenim Prophetæ velut publici quidam oculi, quæ toti Ecclesię corpori abdita sunt, quæ obscura & ignota omnibus, contemplantur & vident.

Propheta dicti Præfatores. 37 Dicuntur etiam ab Hebræis titulo quodam eximio, nec minùs solemni *Nabiim* id est *Præfatores*. In cuius confirmationem Tertullianus in Apologetico: *Prophetæ*, inquit, *de officio præfandi vocantur*, & Isidorus *Prophetas* quasi *Præfatores* dictos cupit, eò quòd porrò fantur, id est loquantur de remotis, deque futuris vera prædicant. Alij à radice hebræa *Præfactores* potiùs quàm *Præfatores* dicendos non multùm dissimili interpretatione contendunt, quòd nimirum absentia & dissita procul, ita subiiciant oculis, quasi de facto euenire, & esse præsentia videantur. Tertull. Apolog. c.18.

Propheta dicti Angeli Dei. 38 Adhæc quia erant officio nuntij, sæpè enim à Deo cum mandatis mittebantur ad homines, *Angeli Dei*, quod idem est ac nuntij vocati non raró. Quoniam verò satis constabat, tum ex auctoritate per concreditam eis legationem vsurpata; tum ex certo denuntiatarum rerum euentu, per ipsos Dominum loqui; plurimùm apud populum, plurimùm apud Reges & Principes, non parum ipsorum comminationibus terreri solitos, quà dicendo, quà exhortando, quà comminando poterant. Quò factum, vt secundùm Rupertum, eorum codices æqualem penè libris Moysi & quidem apud Hebræos, legis suæ & legislatoris tam amantes, auctoritatem obtinerent: licet ipsi sæpius, tanquam veritatis (quæ semper inuisa mortalibus) constantes assertores, & impendentium malorum intrepidi buccinatores, in multorum oculos, linguam, manusque incurrerent: certè vix vnquam inuidiam declinare possent, subinde etiam nec ludibria, nec verbera, nec extremum supplicium subterfugere. *Auctoritas librorum propheticorum maxima est.*

39 Ex his nunc magnâ parte liquet, quod proximè dicendum, quæ dignitas, quod olim munus Prophetarum; sunt enim hæc eorum titulis nominibusque expressa; quæ non vana fuère, vt magnatum nostrorum nomina, magis ad splendorem familiæ quam ad opus exercitationemque comparata. Si ergo dicti, vt suprà recensuimus, *Præfatores*, si vt tales etiam *os Domini* nuncupati, siue diuinæ interpretes voluntatis; quid mirum, si eius mandata promulgare, si subinde etiam ex eius imperio clamare iubeantur; atque eâ contentione, vt aures quidem, sed multò magis eorum ad quos mittuntur, animos feriant. *Dignitas Prophetarum.*

40 Audit Isaias magnum Domini sui imperium: *clama ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam*; tuam, tuam inquam vocem exalta, tibi quidem illam dedi, sed vt mihi eam impendas, qui per te loquor. Et vt nouerit quid sibi clamandum: *Annuntia*, inquit Dominus, *populo meo scelera eorum, & domui Iacob peccata eorum*. Quid de hoc censetis imperio? Non erat profectò magnas populo delicias facere, exprobrare crimina: publicè eorum noxas detegere, non erat captare beneuolentiam: interminari supplicia, non erat se multùm amabilem reddere. Neque putetis id Isaiam, id ceteros cùm mitterentur ignorasse Prophetas, qui non sine causa hæc aut similia vaticinari iussi tam graue imperium *Onus* vocabant. Nouerant quippe futuros se aliis, non secus quàm sibi, eâ ratione non parùm onerosos, molestos, & graues. *Propheta liberè peccata populi reprehendebant.*

41 Igitur sicuti ex eo quod Prophetæ dicti *Præfatores*, vnum eorum munus, quod est aperire abdita; ita ex eo quod *videntes*, quasi Ecclesiæ oculi (vt sol oculus dicitur mundi *per quem videt omnia tellus*) alterum, quod est contemplari abscondita, manifestè cognoscimus. Vtrumque commisit Ezechieli Deus cum ait: *Fili hominis speculatorem dedi te domui Israel.* En videntis officium: ac si dicat: Tu à me in Prophetam delectus ad *Munus Prophetarũ duplex: cognoscere occulta, & manifestare.* Ezech. c.3.v.17.

adinstar speculatoris esse debes, qui in sua constitutus specula, semper vigil obseruat assiduè, quid agat hostis, accedat, recedat, quo sit numero ac robore, suósque de illius monet conatibus, atque progressibus; sic inquã te facere oportet, habereque oculum intentum, in omnia vigilem, solicitum, non euagantem, non euariantem. Subiungit, *& audies ex ore meo verbum, & annuntiabis eis ex me.* En officium *Præfatoris*: ac si dicat, vbi audieris arcana, quæ dixero tibi, pronuntiabis ea, denuntiabis, promulgabis coram omnibus; non ex te, sed ex me; non quasi tua, sed vt mea, Dei & Domini iusta imperia.

Propheta missi vt nuntij à Deo ad homines, & vicissim ab hominibus ad Deum.

42 Quæ hic Ezechieli, hęc & aliis Prophetis communicata potestas. Absentia non minùs quàm præsentiã intueri illorum singulis proprium est: sicuti etiam tanquam sponsi nuntios cum mandatis ad sponsam proficisci, & vicissim, vt sponsæ paranymphos ad sponsum remitti. Quare sicut nuntiorum functos munere, ita & donatos diximus nomine. Dedit hoc in Aggæo, & aliis nonnullis erroris causam; quibusdam imperitè arbitrantibus, quòd cùm ille Græcè ἄγγελος, Hebraicè Malach dictus, sicut & Malachias, Ioannes Baptista, & alij nonnulli; illum, atque etiam hos non solùm officio, sed naturâ quoque Angelos fuisse, humanâ carne vestitos.

Error nonnullorum Aggæum, Malachiã, Ioannem Baptistam verè Angelos putãtium vnde natus.

Prophetarum varia adhuc munia.

43 Præter oracula publicis priuatisque hominum denuntianda cœtibus, erat etiam Prophetarum diuinam legem promulgare; eam doctrinâ, verbóque veritatis fulcire; falsorum Deorum cultus, simulacra, religionem impiam damnare, proterere; zelo magno Regum, Principum, Magnatum, vniuersæ delicta multitudinis insectari; piis monitis, consilio, futurorum bonorum promissione, mæstos ac iacentes erigere; continere statutis & legibus; pœnam peccati, seu priuatam, seu publicam; vti pestem, annonæ caritatem, bella, euersiones regnorum, Regum interitum, intrepidè proclamare; pios Reges sacris ritibus publicè inaugurare, eos sacro oleo vngere, impios sceptro, throno, regno, regiâ, omni dignitate, potestate, imperio priuare. Quæ si attentiùs perpenderitis facilè intelligetis quàm eos non solùm sanctos, prudentes, animosos & fortes; sed etiam doctos & sancto Spiritu plenos esse oportuerit; cùm & Theologos, & Concionatores agerent; insuper & Oratores; nec non Dei Optimi Max. ad homines Legatos, mundi denique, id est, regnorum & Imperiorum, hominum summorum & infimorum, plebis, ciuium, Optimatum, Principum, Regum, Imperatorum Iudices & arbitros.

Laus Prophetarum.

44 Hactenus de prophetici amplitudine muneris & potestate. De dignitate quid dicam? vnum sit instar omnium, quòd ferè æquis semper passibus gradiantur potestas & dignitas. Mirum tamen in modum locupletauit hanc eorum dignitatem titulo eminentiore, imò super omnia eminentissimo ipse Dominus, agens cum seruo suo Moyse, quando eum Prophetam eximium, pro eâ quâ fungebatur legatione Deum nuncupauit. *Ecce constitui te Deum Pharaonis* inquit. Neque parum est, quòd Ieremiam alterum Prophetam in maternis adhuc latentem visceribus, voluerit antè sanctificatum quàm natum. *Antequam*, inquit, *exires de vulua sanctificaui te, & prophetam in gentibus dedi te.* Adde quod & SS. Patrum sententiâ Clementis Romani, Chrysostomi, Augustini, eodem sacro Vnctionis oleo, quo ex Legis præscripto inungebantur Sacerdotes & Reges, inuncti quoque putentur Prophetæ. Hinc nempè volunt præceptum Eliç: *Elizæum filium Saphat vnges Prophetam pro te.* Quamquàm bonâ Patrum illorum veniâ, non adeò simile vero Prophetas omnes sacro illo vnctionis oleo vnctos, & consecratos fuisse. Vnde enim in Samaria & Bethel apud idololatras illud vn-

Dignitas Prophetarum copiosius describitur.

Exod. c. 7. v. 1.

Ieremiæ c. 1. v. 5.

Prophetæ aliquando sicuti sacerdotes & Reges fuêre inuncti.

3. Reg. c. 19. v. 16.

ctionis oleum? & hoc tametsi reperiri ibidem potuisset, quis credat homines impios, eam vnctionem & solemnem quodammodo inaugurationem permissuros fuisse? Quidquid interim hac de re fuerit, illud prorsus indubitatum & certum, quosdam saltem in Iudæa Prophetas vnctos consecratosque si de omnibus hoc asserere nimiùm fortasse sit liberalem videri.

45 Inter cetera quoque Prophetarum dignitatem non tenuiter commendabat illorum quotidianus habitus, vilis quidem; sed sanctus, quem proinde suspiciebant omnes, omnes venerabantur. Ferunt fuisse saccum, vel cilicium, de hircorum cōtextum pilis, cum zona pelliceâ. Hoc decorus Elias describitur: *Vir pilosus, & zonâ pelliceâ actinctus renibus.* Et apud Zachariam, profligandos Pseudo-prophetas promittitur, hac ferè verborum formulâ: *Nec operientur pallio saccino*, vel, vt 70 legunt, *pelle cilicinâ, vt mentiantur.*

Prophetarum quis habitus.

4. Regum c. 1. v. 8.

Zachariæ c. 13. v. 4.

Porrò ciliciis vtebantur Prophetæ, vt exemplo æquè ac verbo ad pœnitentiam populum velut manuducerent, incitarent, prouocarent; his etiā sicuti habitu suo modò nostri seculi religiosi, à vulgo tum temporis secreti in honore passim erant, humanarum rerum despicientiâ clari.

46 Accedebat ad habitum, victus ratio tenuis & sobria, cibique palato ingrati. Amos namque sycomoris, id est fatuis ficubus; Ezechiel pane hordeaceo subcinericeo, & aquâ; Daniel leguminibus; Ioannes Baptista præcursor Domini locustâ & melle sylvestri; filij Prophetarum oleribus victitabant; alij aliis æquè parum sapidis, & ad gustum factis. Ex quo discāt illi, qui Prophetarum more Verbum Domini loquuntur, & prędicant, non lautitias, non vestium splendorem & luxum; sed tenuem tenuioris cibi potionisque mēsuram; sed saccum asperum, vel certè vestem compositam ac religiosam, pœnitentiæ & demissionis indicem, corpori contegendo, non ornando, amare & quærere; non verò produx vt fœmina compti.

Quis Prophetarum cibus.

Ouid. in Epist. Herod.

47 Commendabat deniquè Prophetas magis quàm cetera omnia, illustris tot inter quotidianas calumnias, opprobria, contumelias, & quasuis alias verbo factóve illatas iniurias patientia, inuictaque constantia. Hac & necem substinebant alacres. Certè Isaias serrâ dissectus sub impio Rege Manasse; Amos ab Amasia sacerdote idolorum rebellionis accusatus, ac tandem per tempora vecte transfixus; Ieremias, post multos labores ab ingrato populo lapidibus obrutus; Ezechiel à Principe populi sui obtruncatus, Zacharias inter ædem, & altare occisus quantâ fuerint virtute, quantâ animi fortitudine ostenderunt. Hos commendat ad Hebræos scribens Paulus cùm ait: *Alij ludibria & verbera experti, insuper & vincula & carceres, lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladij mortui sunt.* Ceteri quibus tantum non obuenit felicitatis, vt coronâ donarentur martyrij, de quibus idem Paulus *circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus; in solitudinibus errantes & speluncis, & in cauernis terræ*; dicere saltem potuêre egregiè aduersis omnibus exercitati probatique, vnanimiter in illis tam duris probationibus suis & tam assiduis, ad Deum: *Propter te mortificamur tota die: æstimati sumus sicut oues occisionis.*

Prophetarum patientia, fortitudo, constantia, martyrium.

Ad Hebræos c. 11. v. 37.

Psalm. 43. v. 22.

48 Nunc verò quid digniùs, quid ampliùs ad veram gloriam spectat, gloriam inquam numquàm intermorituram; quam post obitos pro Dei cultu, pro iustitia & veritate, pro inuiolata sacrarum legum custodiâ labores præclaros, post tolerata cuiusuis generis probra, post vincula & carceres, vel lapidatum, vel sectum, vel minutum capite, vel distentum eculeo inter compedes, laminas, ferrum, catastas & ignes animam posuisse? Reuerà hominem ad hæc tanta, tamque ardua intrepidum, esse ne-

necesse est insignem humanarum rerum conteptorem; qui opes, honores, voluptates, cõmoda seculi, seculum ipsum, & cum seculo vitã præsentem flocci faciat. Eum verò qui quotidianis exercetur amicorũ inimicorumq; calumniis, maledictis, iniuriis, vt plerique illorũ, vsque adeò inuictum; vt solâ magnanimitate atque cõstantiâ, irritos faciat improborum hominum conatus, itentidẽ occinens illud Dauidicum, quod ei sit pro clypeo, telo, loricâ, & galeâ: *Exurge Domine, adiuua nos: & redime nos propter nomen tuum.*

Psal. 43. v. 26.

Quales igitur homines, ad eiusmodi expeditissimi, Prophetæ nostri? quid homines dico? paullò antè Angelos nuncupaui; & quis non hoc titulo dignos cẽseat eos, qui in carne sine vlla carnis cõtagione, mundi in immundo mundo, sancti in medio nationis prauæ, velut solitarij in pleno plurimorũ mortalium congressu, in cœtibus frequentissimis, subinde etiam in aulæ ipsius strepitu vixêre?

Prophetæ quàm meritò dicti Angeli.

49 Scio vt plena sunt ac fuerunt superiora secula, non secus ac nostra, hominibus sceleratis; olim Simonem Magum, Carpocratem, Valentinum, Ptholemæum, & id genus mõstra, dixisse, testibus Sanctis Irenæo & Epiphanio, Prophetas à malignis spiritibus suscitatos, subornatos, adactos. Scio Marcionitas, Appellitas, Cerdianos, quemadmodùm etiam à Tertulliano notatũ, fanatico spiritu se illis prætulisse. Scio Manichæos, Euchytas, Psallianos, & nostrâ memoriâ Anabaptistas, Spiritum sanctũ in Prophetis contumeliosè aspernatos, improbè etiam ac sceleratè blasphemis linguæ & calami iaculis impetisse. Sed facessant illi, quique vixerunt apud Deũ & homines obscuri atque inglorij, apud nos etiam memoriâ careant. Illis verò etiam reclamantibus, ac nequidquàm contradicentibus; nos quoniam Prophetarum doctrinâ erudimur, prudẽtiâ monemur, pascimur sapientiâ, eorũ non tantùm verbis, virtutẽ & gloriam; sed multò magis factis imitationeque prędicemus.

Variorum Hæreticorum in Prophetas maledicta.

Lib. 5. aduersus Marcionem.

50 Quod ad eorum imitationem inter cetera requiro, in iis qui animis curandis incũbunt est, vt sicut nouerunt quorumdam quidẽ morborum facilem, aliorũ verò tam esse curationem difficilem, vt causticis opus sit: ita ne interdũ vereantur suo loco & tempore, ferro vti & ignibus; secent inquam & perimant grassantem impunè luem, stricto prudentis reprehensionis gladio, si alioquin viderint inualituram paulatim, præualituramque immedicabili malo.

Propheta à Concionatoribus imitãdi in fortitudine & dicendi libertate, tempore & loco suo.

51 Fateor hîc spiritu opus, & hunc dabit lectio Prophetarum attẽta, accurata, assidua. Eum viri sancti & eruditi inde olim hauserunt, & etiamnũ hauriunt. Pauci ex iis sunt qui Prophetas omnes non legerint, & relegerint iterum iterúmve, nũquam eorum lectione saturi. Habent namque hoc Sacra volumina, quòd nec afficiant lectorem tædio, nec vnquam repleant cognitionis saturitate: vt verissimè dictum sit ab Hugone: *Sacra Scriptura est liber vitæ, cuius origo æterna, cuius incorporalis essentia, cuius cognitio vita, cuius Scriptura indelebilis, cuius inspectus desiderabilis, cuius doctrina facilis, cuius scientia dulcis, cuius profunditas inscrutabilis, cuius verba innumerabilia, & vnum tantùm verbum omnia.* Ergo à viris doctis & sapientibus voluendi codices sacri, voluendi Prophetæ pro spiritus augmento præ ceteris. Lectio horum, hominem attentum vel maximè afficit, & in ea verum omnino erit illud Horatij,

Propheta legendi diligenter.

Lib. de Arca Noë

S. Scripturæ laus.

Hæc placuit semel, hæc decies repetita placebit.

In Arte Poëtica.

Sæpius ergo resumendi, imò nunquàm deponendi de manu Prophetę.

52 Verùm quis inde fructus? erat hoc quintum, & vltimum hodiernæ Lectionis caput à me propositũ: Fructus ex Prophetis desumendus, meâ quidem sentẽtiâ ad duo potissimùm reuocari potest, quorũ alterum voluptas, alterum vtilitas, & si verũ illud,

Duplex ex lectione Prophetarum fructus. 1. iucunditas.

Omne tulit punctum, qui miscuit vtile dulci

Horat. in Arte Poëtica.

omnia in Prophetis habemus. Ad volupta-

luptatẽ quòd attinet quid iucundiùs, quid dulciùs sermone prophetico? pascit enim animos mirum in modũ, eorum præsertim, qui prudentes & æqui existimatores rerum, magnis & homine dignis capiuntur. Certè Ionatham Iudæ Machabæi fratrem, in summis acerbissimorum bellorum, quas bini Machabęorum libri recensent, angustiis, assiduam Scripturarum lectionem tanti fecisse accepimus; vt Spartiatis scribens, affirmaret se *habentem solatio sanctos libros* nullâ re aliâ indigere.

Exempla eorum quibus sacra Scriptura lectio iucunda fuit.

Lib.1.Machab.c.12. v.9.

Vetus diceris est istud, dabo recentius. Alfonsus Aragonum Rex, quod propius ad rem nostrã, gloriari solebat se Prophetas, nec hos modò, sed totum vetus Testamentum æquè ac nouum decies & quater, vnà cum Commentariis & Glossis, inter publicas easque grauissimas regni occupationes & curas, ita perlegisse, vt pleraque etiam teneret memoriâ, sic vt ex illa pronũtiare hæc posset: quod abundè ostendit, quàm fuerit lectione istiusmodi delectatus.

Panormitanus in vita illius.

Optandum hoc excitentur exemplo, qui ex ordine sacerdotali nullis seculi curis distenti, toti Deo sacri, illi soli viuere existimantur; & desinant aliquando inanibus studiis occupari, magis verò sacris hisce seriisq; incũbere. Profectò magnum probrũ est, & dedecus, talium manibus studiosiùs quemuis contrectari alium librum, quàm Litteras sacras; hæ sunt enim quas debeant, tanquam codicem sacerdotalem,

S. Scriptura à sacerdotibus semper voluenda.

Nocturnâ versare manu, versare diurnâ.

Horatius in Arte Poëtica.

53 Et hoc quia, qui alter est fructus, non minus instruunt, quod vtilitatis est, quàm oblectant; si tamen qui legit intelligat. *Legere* enim, sic loquitur Cato, *& non intelligere negligere est.* Non intellecta verò oblectare quî possunt. Dictũ ab Augustino verissimè: *Scriptura, vbi dilucescit, ibi dulcescit.* Ex quo valet à contrariis argumentũ; iis videlicet nõ sapere, quibus obscura est, quiq; hanc decurrũt, vel ut ambulãtes, & palpãtes in tenebris.

2. Fructus ex lectione Prophetarum, vtilitas.

Augustin. serm. 2. de verbis Domini.

54 Mirabitur fortasse non nemo de tenebris & obscuritate aliqua à me fieri mentionem, cui iam pridem luce meridianâ clariora omnia videãtur. Dixit olim S. Hieronymus: *Agricola, cæmentarij, fabri metallorũ, lignorũ cæsores, lanarij quoque & fullones, & cæteri, qui variam supellectilẽ, & vilia opuscula fabricant, absq; doctore esse non possunt, quod cupiunt. Quod medicorum est promittunt medici, tractant fabrilia fabri; sola Scripturarũ ars est, quam sibi omnes passim vendicant, hanc garrula anus, hanc delirus senex, hanc sophista verbosus, hanc vniuersi præsumunt, lacerant, docẽt antequàm discant.* Nescio an non idem nunc dicere possim & debeam, multi enim sunt, qui nescio quâ philautiâ, cuncta se suopte ingenio assequi posse confidunt, & iam docere priusquàm didicerint, quibus meritò exclamandum cum Regio Propheta: *Spiritum rectũ innoua in visceribus meis.*

Sacra Scriptura non ita facilis est, vt ab omnibus possit per se intelligi.

Hieron. Epist. ad Paulin. Præfat. omnibus diuinæ Historiæ libris communi c.6. Idem ad Demetriadẽ virginem.

Psalm. 50. v.12.

55 Hanc de qua loquimur vtilitatẽ rectè percepisse videtur D. Pauli discipulus, & imitator Timotheus abeo maximoperè commendatus, quòd ab infantia sacras Litteras didicisset, nõ dubium quin veteris, quod tum dumtaxat exstabat Testamẽti, Prophetarum præcipuè, qui obscuritate, profunditate, varietate, sapiẽtiâ præcellunt; in quibus & ipse Paulus ad Gamalielis pedes edoctus studuit; & quia magnam vtilitatem expertus, in exercitatione tam vtili & fructuosa vt pergat, magnopere eundem discipulum suum hortatur, dicens: *Dum venio attende lectioni, exhortationi, doctrinæ,* & rursum, *Attende tibi & doctrinæ, insta in illis.*

1. ad Timotheum c.4. v.13. & 16.

Agnouit similiter & sensit eandẽ lectionis sacrorum codicum vtilitatem S. Carolus Boromeus; qui existens Archiepiscopus Mediolanensis, D. Ambrosium illi populo suâ virtute quodammodò rediuiuum dedit, non ita pridem à sanctissimo Domino Paulo V. Pontifice Maximo Sanctorum Fastis adscriptus. Vnde sex posterioribus vitæ suæ annis oratione præ-

Studium & pietas in lectione S. Scripturæ S. Caroli Boromei.

præmissa, vnà cum Diuo Thoma Scripturam sacram, & eam quidem poplitibus flexis, diu multũque voluebat quotidie; atque ex Prophetis, vt auctor est in eius vita Augustinus Valerius Veronensis Episcopus, locos difficiliores pulchrioresque pro concione tractabat. Detinebat eum hoc studium vehementiùs, quòd non ignoraret, verissimum esse illud Hieronymi ad Rusticum: *Ama scientiam Scripturarũ, & carnis vitia non amabis.*

56 Et hinc apparet vtilitas altera longè maxima, quam sacrarum parit studium, & cognitio litterarum. Videlicet vitiorum, quibus nihil nocentius exstirpatio; eorum præsertim, quæ amica sensui magis aduersus spiritum militant. Quæ sanè non parum commouere nos debet, vt in eam cognitionẽ seriò incumbamus; nos inquam, quibus hoc ex statu, conditione, munere proprium. Ceteros autem, quibus per occupationes familiæ, externa negotia, administrationem Reipublicæ, id ita non licet; quibus etiã magis arduum esset aliis, qui iam pridem in hac re multum operæ posuerunt, in eo studij genere sibi minùs proprio, versari, vt saltem de similibus disserentes audituri magnâ auiditate accurrãt, patulis deinde auribus eorum dicta excipiant, in cor altiùs dimittant, ac demum quasi Prophetas ipsos, certè Prophetarum interpretes, audierint, sedulò dicta sibi, vnius Dei timore amoreque proposito exequantur.

Vtilitas studij sacra Scriptura, vitiorum victoria.

57 Dixit plura de vtilitate lectionis sacræ Scripturæ S. Ioannes Chrysostomus paucis verbis, quàm ego possim plurimis, illum audiamus: *In Scripturis*, inquit, *ignorans inuenit quod discat, contumax etiam quod timeat*; & copiosiore eloquio D. Augustinus, compẽdio tamen omnes complexus vtilitates. *Quidquid*, inquit, *homo extra didicerit, si noxiũ est ibi damnatur: si vtile est, ibi inuenitur; & cùm ibi quisque inuenerit omnia quæ vtiliter alibi didicit, multò abundantiùs ibi inuenit eã, quæ nusquam omnino alibi; sed in illarum tantummodo Scripturarum mirabili altitudine, & mirabili humilitate discũtur.* Ex quo apparet omnino multus & varius lectionis fructus. Addit alio loco Chrysostomus ad fructum necessitatem etiam maximam: *Fieri*, ait, *non potest vt quisquam salutem assequatur, nisi perpetuò versetur in lectione spirituali*; & quænam magis spiritualis lectio, quàm sacræ Scripturæ? cuius *verba spiritus & vita sunt.* hæc ergo apprimè necessaria, & vsurpanda præ reliquis.

SS. Patres lectionis sacra Scriptura varias vtilitates enarrant.
S. Chrysostomus in cap. 24. S. Matth.
S. August. lib. 1. de Doctrin. Christiana c. vlt.
Chrysost. Concione 3. de Lazaro.
Ioannis c. 6. v. 64.

58 Fateor in hac cum optato fructu versari, in Prophetis potissimùm, qui ferè obscuriores, paucorum est, & tantùm peritiorum. Hinc ab eo conatu & studio multi per obortas in singulis prope versibus, ne dicam verbis, difficultates fuêre deterriti; nec immeritò, cùm Augustinus ipse, inter Doctores Ecclesiæ aquila, verè portentum ingenij, tantam hîc sapientiæ agnoscat altitudinem, sublimitatem tantam; vt annosissimis, acutissimis, & discendi cupiditate flagrãtissimis, & hoc contingere dicat, quod ait Ecclesiasticus: *Cùm consummauerit homo tunc incipiet.*

Sacra Scriptura obscura est, & interprete indiget.
Ecclesiast. c. 18. v. 6.

59 Esset igitur imperito atque in eo studij genere parum exercitato, vel doctus magister, vel fidus interpres adhibẽdus. Muto interprete habet hoc ampliùs viua vox, quòd velut emortuum sermonem ipsa animet, & sic magis animum feriat, altiùs penetret, oblectet suauiùs, efficaciùs flectat, dicẽte Magno Gregorio: *Collocutionis vox corda torpescentia, plus quàm sermo lectionis excitat, & quasi quadam manu sollicitudinis, vt euigilent pulsat.* Quod non ignorans seruulus Iro pauperior, & litterarum ignarus, cuius idẽ Gregorius meminit, ex eleemosynis de libris sacris sibi prospiciẽs, ac eosdẽ legi sibi procurans, aliis similiter vt ipse litterarum ignaris, quod audiendi assiduitate memoriæ inhæserat, prædicabat. Subiit similiter animum meum desiderium, vt quod priuato studio lectioneq; variorum auctorum mihi paraueram ad *Dominos meos Sodales* aliquando proferrem, si for-

Quia viua vox lectione vtilior, audiendi Concionatores potiùs, quàm legendi Interpretes pro motu.
Gregor. lib. 40. Homiliarum Hom. 21. Initio.

fortasse & illis prodesse sic possem.

60 In hoc autem potissimùm meus conatus versabitur, vt sensui Litterali atque Allegorico ita iungam quæ ad mores, vitæ præcepta, institutionemque spectant; vt suppeditetur & interpretationem desiderantibus, & viuendi postulantibus documenta pro votis singulorum, aliquid saltem, si non quod prorsus placeat, non etiam omnino displiceat. Verùm hoc moneo, vti cursim multa legisse, ita multa per transennam & velut alterâ aure audisse non prodest. Attentum sermones sacri auditorem in primis desiderant; qui deinde studiosè perceptis auditisque mente cogitationeque immoretur, vt ea profundiùs penetret, mox etiam in opus praximque deducat: *Scienti*, enim, *bonum, & non facienti, peccatum est illi.* Quæ causa cur nequam seruo, scienti sui domini voluntatem, neque tamen facienti, apud D. Lucam dicatur quòd *vapulabit multis*.

In Concionibus opus auditore attento pro fructu.

Epist. D. Iacobi c.4.v.17.

Lucæ c.12 v. 47.

61 Audite igitur, atque sequimini, B. Iacobi Apostoli monitum, dicentis: *Estote factores verbi, & non auditores tantùm.* Mementote, quòd Christus Dominus Seruator noster beatos vocet, non qui verbum Dei audiunt tantùm, sed qui simul *custodiunt illud.* Beatos & ego vos dixero, si, quemadmodùm frequentes & seduli conuenire ad audiendum soletis, ita quoque conemini, *vt fructum adferatis, & fructus vester maneat.*

Auditarũ rerum praxis, Cõcionum præcipua vtilitas est.

Iacob. Epist.c.1. v.22.

Lucæ c.11. v.28.

Ioan. c.15. v.16.

62 Fructus quem opto, & desidero vehementer, nec minùs ardenter expecto, est pietatis incrementum & vita, quæ etiam, sicuti plerique vestrûm personæ sunt publicæ, aliis caecar sit ad virtutem. Hæc tametsi iam pridem ausus mihi fuerim polliceri, cùm sciam quàm multos hîc habeam Christianæ perfectionis amantes, quàm multos etiã in ea aliquousque prouectos; vt nihilominùs *qui iustus est iustificetur adhuc, & qui sanctus est, sanctificetur adhuc*, singulos tantùm hoc vnum, quo reliqua omnia continentur, rogo & obsecro. Semper se quisque quocumque loco, occasione & tempore *Reginæ Cælorum, Virginis Matris seruum, Sodalem & filium*, fuisse iam pridem, esseque meminerit. Quare compellabo vos iis prope verbis, quibus itineris in Brasiliam socios de Societate IESV, cùm in Gallos pyratas incidissent, ab iis Catholicæ religionis odio pessimè habiti, cõpellauit Franciscus Pererius Godoius & ipse Societatis, eos animans ad moriẽdum fortiter, vti factum non sine corona martyrij. *Eia*, inquiebat ille, *fratres non degeneremus à precelsis cogitationibus filiorum Dei*; & ego: *Eia Sodales; nõ degeneremus à præcelsis cogitationibus filiorum tantæ Matris.* Meminerimus quàm pia desideria corde aliquando conceperimus, quas voces ore protulerimus, quanto feruore & studio illi Dominæ, illi Matri, illi Virgini seruiendi aliquando dixerimus: *Sancta Maria Mater Dei & Virgo. ego te in Dominam, Patronam, & Aduocatam eligo, firmiterq́ statuo ac propono me numquàm te derelicturum.* Agàmus igitur, & efficiamus, vt quicumque nos nouerit, ea à nobis non magis verbo pronuntiata, quàm opere præstita fuisse, ex tota nostra agendi ac conuersandi ratione videat, planeque intelligat.

Apocal. c.22. v.11.

Sodales B. Virginis semper se esse Sodales meminisse debent.

Ludouicus de Ponte in vita Baltas. Aluarez. c.10.§.1.

Recolere etiam lectã à se Orationem cùm facti Sodales.

LECTIO PROEMIALIS SECVNDA.

Prophetam in gentibus dedi te. Ieremiæ c.1.v.5.

1 IEREMIAM apud summum illum hominumque cælitumque Imperatorem Deum, tanto in honore esse; vt, diuinorum arcanorum particeps, agens inter Iudæos, & ipse Iudæus, de Ægyptiis, Babyloniis, aliisque gentibus iubeatur occulta Dei consilia pandere, ei illustris planè laus & commendatio est.

2 Sed

Iona laus; Legatio illius à Deo in Niniuen

2 Sed non minor IONÆ nostro, quòd diuini numinis auctoritate atque imperio, publicâ, eaque maximè solemni, ad gentes legatione fungitur, missus in Niniuen, vrbem regiam, totiusque Imperij Assyriorum nobilissimi iuxtà ac potentissimi caput; illam causam acturus; quæ istic omnium; omnium non modò fortunas, bona, vitamque; sed æuiternam felicitatem beatitatemque concernit.

Maior laus quòd secūdò mittatur Ionas.

Imò tantò maior & amplior est præpotentis Domini in eum fauor atque benignitas, quòd semel proteruè rebellis, semel sceleratè profugus, inter aquarum vortices, & maris tumultuantes vndas, intra præferuida ceti viscera seruatus incolumis, iterum nequaquàm legatione hac factus indignus, mittitur docturus, moniturus, re, verbo; homines sceleratos, populum nequam; eumdem, vti reuerà fecit, ad pœnitentiam adducturus, ad veniam, ad salutem, ad vitam.

3 Sed quis ille IONAS cuius tanta apud Deum gratia, apud mortales potestas; quid hic hominis est? cuius voci sceleratissimi quique, & quidem adeò promptè obediunt; cui nemo repugnare, nemo contradicere audeat? Est hoc postremum inter propositas nuper quæstiones caput, discussis prioribus, paullò nunc studiosiùs pertractandum.

Ionas ex minoribus 12. Prophetis vnus.

4 Censeri eum inter Prophetas minores, de quibus generatim Ruffinus: *Minores non pro meritis, sed pro numero versuum nominantur*, compertum est omnibus; non quòd ipse auctoritate, dignitate, rerum ac verborum pondere, fide, maioribus inferior: sed quòd non æquè ac illi, argumento ac sermone copiosus. Suam enim dumtaxat ad Niniuitas legationem, eiusque successum describit. Poterat, si ita placuisset, scribere aut plura, aut maiora volumina, ac transmittere ad posteros, quæ sub Ieroboamo, mandante Domino, Israelitico populo nuntiârat; nam & huic vaticinatum concionatumque liber quartus Regum manifestè meminit. Sed aliud placuit, & sua quoque breuitati laus est, quam nonnulli studiosè sectantur, &, vt nunc sunt tempora, in Christiano Oratore plerique desiderant, dicentes ferè cum Marco Tullio: *Satiùs est minùs quàm nimis.* Notum est quid in Protogene desiderârit aliquādo Apelles, videlicet vt sciuisset manum amouere de tabula. Hoc ipsum nunc multorum est desiderium, Oratores verbosi ne sint, sed breues. Certè noster IONAS summus Orator, qui Niniuitis, hominum inquam multitudini propè innumerabili, paucis, iisque aculeatis vocibus multa magnaque persuasit; in factorum suorum commemoratione longus etiam esse noluit; quatuor capitibus, & quidem breuibus, vniuersa complexus. Recensetur ipse à 70. interpretibus inter minores Prophetas sextus; ab Hebræis, quos sequitur Hieronymus, quintus.

Præf. in Oseam.

Cur Ionas inter minores Prophetas censeatur.

Breuitas placere solet.

Cicero lib. 2. de Oratore.

5 Magna fuit olim, & etiamnum est de eius progenitoribus, deque natalibus disceptatio. Filium esse Amathi, ipso id sub initium libelli sui referente cognouimus. Sed quis Amathi? sitne patris an matris nomen nonnulli dubitant, licet patris esse sat certum videatur.

Ionæ c. 1. v. 1.

Nonnullorum de matre Ionæ sententia.

IONÆ matrem plerique Hebræi mulierem Sareptanam fuisse dicunt, ipsumque filium illum mulieris huius, cùm non nisi vnicum haberet, quem mortuum suscitauit Elias, matrique vehementer afflictæ restituit. Hebræis consentiunt Petrus Comestor in Historia Ecclesiastica, & quēadmodùm Dionysius Carthusianus testatur, ex Latinis scriptoribus Isidorus Hispalensis Rupertus, Lyranus: accessit deinde Ioachimus Perionius. Consentiunt ex Græcis S. Epiphanius, & qui circumfertur nomine Dorothei Tyri Episcopi, libellus de vita & morte Prophetarum.

Petr. Comestor Histor. lib. 4. Regum c. 21.

6 Argumentum quo vtuntur, qui ita de IONÆ matre sentiunt parum est meo iudicio solidum. Ducunt qui-

dem id ex ipsis Sareptanæ verbis Eliæ post suscitatum filium suum dicentis: *Nunc in isto cognoui, quoniam vir Dei es tu, & verbum Domini in ore tuo verum est*; sed non satis appositè: sic namque ratiocinantur: *Amathi* significat *veritatem*, hanc locutus Elias, dixit Sareptanæ statim à suscitatione filij: *En viuit filius tuus*, sic Prophetam se probans; suscitatus ergo ab eo iam dictus filius; filius est *Amathi*, id est, filius *veritatis*. Verum quid ni illa ratiocinatio retorqueri possit hoc modo: *Amathi* siue *veritas* non mulieri cuius suscitatus est filius, sed suscitanti tribuitur; ergo si inde colligendum parentis nomen, potiùs Eliæ suscitantis, quàm Sareptanæ, cui is suscitatus ab Elia, IONAM filium dici, hac spectata significatione, oportuit. Hæc tamen interpretatio, de quocũque demum agatur, non dat nobis nisi leuem aliquam cuiusdam coniecturæ futilis, perobscuræ, & admodùm ambiguæ occasionem, cui niti nequaquàm possimus.

3. Regum c.17.v.24. — 3. Regum c.17.v.23.

7 Quamobrem nolim etiam vllo modo arbitremini, hæc idcircò à me dicta, quasi vobis persuadere velim, esse IONAM Eliæ filium. Nam prætérquam quòd hoc aliàs est à veritate quàm maximè alienum, nomen *Amathi*, nostri Prophetæ parenti adscriptum, proprium est, non appellatiuum, ab rei alicuius euentu pronatum. Adducor vt ita sentiam, quòd sacra Scriptura non soleat nisi vera & propria progenitorum nomina prodere, ad quorum interpretationem si foret recurrendum, veritas narrationum, vti bene obseruauit Salianus, eludi sæpius posset. Est autẽ indubitatum & certũ, non fuisse aut Eliam, aut viduam Sareptanam proprio nomine *Amathi* nuncupatos; quare nec hoc nomẽ, aut huius aut illius intuitu in IONÆ parente locum inueniet; Sareptanæ autem consideratione omnium minimè, cùm dubium esse non possit, non matrem, sed patrem IONÆ Amathi nuncupatum. Ita mecum sentiunt complures, inter ceteros Rochus Mamerotius, & Augustinus Torniellus.

Ionas non est Eliæ filius. — Salianus in Annalibus ad A. M. 3112. n. 7.

8 Ceterùm prædictam de Sareptana IONÆ matre sententiam, Rabbinorum auctoritate nixam, potissimùm recentiores plerique, vt Benedictus Arias Montanus, Rochus Mamerotius, Paulus Palatius, Franciscus Feuardentius, Emanuel Sà, Franciscus Ribeyra, Ioannes Treminius, Augustinus Torniellus, Iacobus Salianus, Gregorius Mastrillus, & alij, quos recẽsere longum foret, prorsus respuunt. Neque apparet quo pacto Rabbini, & cum iis sentientes Sareptanâ matre, non Iudæâ genitum IONAM vindicare à gentilismo possint. Dicere autem ex gẽtibus ortum, non ex Iudæis, nimium euidenter cum huius historiæ prophetica narratione pugnat. Nouimus namque, nautis increbescente tempestate rogantibus: *Ex quo populo es tu?* eum, deprehensũ sorte reum, dixisse: *Hebræus ego sum*. Nouimus auctorẽ libri quarti Regum de eodem dicere, quòd *erat de Geth, quæ est in Opher*, Tribus videlicet Zabulonis, vt indicat liber Iosue, & tradit Adrichomius. Ergo nisi vtriusque libri sacri derogatum velimus auctoritati & veritati, quod nefas, verum erit similiter IONAM Iudæâ, non verò Sareptanâ matre natum, quod alij opinantur.

Mamerotius Conc. 1. in Ionam. Torniellus ad A. M. 3212. n. 2. *Ionas non est filius viduæ Sareptanæ.* — *Ionas Iudæus est, non gentilis.* Ionæ c.1. v.8. lib. 4. Reg. c.14. v.25. ibidem v.9. Iosue c.12. v.17. Tribus Zabulo. N.56. Adrichomius.

9 Alterum pro hac veritate argumẽtum, atque etiam efficacissimum, vehementer contra aliter sentientes pugnat, quod nobis suppeditat tẽporum ratio. Etenim si Bellarmino Cardinali, Rocho Mamerotio, Feuardẽtio, Treminio; potissimùm verò Torniello, & Saliano, qui in suis Annalibus hoc probè discusserunt, fidẽ adhibendam censemus; ab anno quarto Iosaphati & octauo Achabi, quando celebris illa fames Israëlitas vexauit, & Sareptanæ filius ab Elia est suscitatus, ad annum quo IONAS in Niniuen abiit, minimùm intercessere anni octoginta & octo. Ergo si idem ab Elia suscitatus, & deinde in disciplinam traditus, ac mox ad Achab Regem

Ionas tempore posterior est muliere Sareptanâ, cuius filius ab Elia suscitatus.

gem missus, nunciaturus instantem quam optauerat pluuiam, (vt ait Ioannes Ierosolymorum Antistes) quando saltem annorum viginti esse debuit: si inquam, idem ille, qui post annos deinde octoginta octo missus ad Niniuitas; certè per ætatem, iam omnino decrepitus, & centenario maior, aptus esse non poterat ad legationem huiusmodi obeundam; & hoc ipsum facilè in prioris erroris sui defensionem à Deo increpitus castigatusque ipse Propheta attulisset. Accedit quod ex S. Epiphanio memorat Gaspar Sanchius, hanc à IONA susceptam legationem, non iam decrepito, sed *vbi ad iustam prouectus ætatem:* quod non consistit cum tempore illo, quod à natiuitate eius ad hanc intercessisse alios confiteri necesse est.

Ioannes Episcopus Ierosolymitanus Tom. 4. Biblio. SS.PP. in lib. de Institut. monachorum. c.12.

Prolego. 4. in Ionam.

10 His positis corruunt quæ nonnulli comminiscuntur. Et primò quidē Abdiam Prophetam Sareptanæ maritum fuisse, ac IONÆ patrem: Deinde quod habet Ioannes Ierosolymorum Episcopus IONAM Eliæ discipulum omnium primum per eum ad vitam vocatū monasticam, eidem ministrasse, cūque oraret Elias pro pluuia in monte Carmeli, missum ab eo, remissumque septies in locum, vnde, quid de cælo sperandum, videre posset, donec apparuit nubecula paruula, quasi vestigium hominis, idque oranti Eliæ magistro suo nuntiauit, à quo ad Regem Achab, instantem pluuiam quam auidè præstolabatur, indicaturus, mandato illius properarit. Denique minùs verum cognoscitur, quòd idem Ioannes Ierosolymitanus, eumque secutus Ioannes Mariana, & alij nonnulli affirmant; IONAM post Eliæ raptum in cælum, factum Elisæi magni illius viri portentis & prodigiis celeberrimi discipulum, esseque hunc illum ipsum, quem Elisæus cum lenticula olei, vt Iehu in Regem super Israël vngeret, in Ramoth Galaad destinauit.

Propheta Abdias, nec Sareptanæ maritus fuit, nec Pater Ionæ.

Vbi suprà.

Neque discipulus Eliæ fuit Ionas.

Neque post raptum Eliæ fuit discipulus Elisæi Ionas.

4. Reg. c.9. v.3.

11 De parentibus ergo IONÆ, deque iis quibus conuixit certi aliud non habemus, quàm quòd ex *Amathi* genitus, quem Hebræi volunt quoque Prophetam fuisse: aiunt enim Prophetas illos omnes fuisse filios prophetarum, quorum parentum nomina exprimuntur. Sed sicut hoc falsum, ita alterum valdè est incertum secundùm Paulum Burgensem & alios. Certiora sunt ac omnino certissima, quæ de eius gente & patria sacræ Litteræ loquuntur: videlicet fuisse Iudæum origine (prout ipsemet rogatus: *Quæ est terra tua?* respondit: *Hebræus ego sum*) Gethęum patria, natum inquam in viculo Geth, in regione Opher in Tribu Zabulonis sito, qui distat euntibus Tiberiadem, secundo Sephorim, (quæ Brocardo Sephoron & Sephorus dicitur, Egesippo & S. Hieronymo Diocæsarea, patria Sanctorum Ioachim & Annæ) milliario; vti ex Christiani Adrichomij tabulis liquet.

Paulus Burgensis in 1. caput Oseæ.

Origo, Gens, Patria Ionæ.

Adrichomius. Tribus Zabulonis. p.56. & 88.

12 Ex quo apparet error B. Epiphanij, Dorothei, Ruperti, & aliorū qui hos secuti, dicentium ex Geth non procul Azoto vrbe Philistinorum celebri mari conterminâ IONAM oriundum. Etenim confundunt illi Geth viculum Zabulonis cum Geth vrbe regia in Tribu Dan, è qua famosus ille Goliath ortus, dictusque Gethæus, quæ non ita procul Azoto: hîc autem viculus, vtpote in Tribu Zabulonis, ab Azoto remotissimus.

13 Est & alia difficultas prioribus maior, vt certi aliquid circa tempus legationis à IONA ad Niniuitas obitæ statuatur. Sub quibus id Regibus factum faciliùs assequemur; sed quonam regni illorum anno difficiliùs, quo Orbis conditi difficillimè; hîc enim ferè quot capita, tot sententiæ. Facit tamen non parum ad historiæ cognitionem veritatis, hæc penitiùs indagare. Nam, vt benè dictum à Lactantio Firmiano: *Qui veritatem studet comprehendere, non modò intelligendis Prophetarum vocibus animum debet intendere: sed etiam tempora, per quæ quisque illorum fuerit, diligentissimè inquirere, vt sciat, & quæ futura prædixerint:*

Temporis cognitio illustrat historiam.

Lactantius lib. 4. diuin. Institut. c.5.



rint, & post quot annos futura completa sint.

Ionas quo tempore prophetarit.

14 Certum creditur, cùm ex traditione Hebræorum, tum ex Patrum communi sententia; vt D. Hieronymi, Augustini, Clementis Alexandrini, Eusebij, Theodoreti; quos & plerique Interpretum, inter ceteros Dionysius Carthusianus & Franciscus Feuardentius; etiam alij Auctores graues; vt Augustinus Torniellus, & Robertus Cardinalis Bellarminus sequuntur; IONAM iisdem cum Osea, Amos, Isaia floruisse temporibus: prophetasse verò inter Minores Prophetas primum ab Osea, Cornelius à Lapide cum pluribus aliis opinatur.

Quàm fuerit antiquus.

Quare oportet fuerit Gentium Philosophis antiquior, etiam illis septem celeberrimis Græciæ sapientibus, qui demùm sub Cyro post captiuitatem Babylonicam floruerunt; id est post IONAM annis plus minus ducentis. Antiquior etiam Vrbe Româ, atque eius conditore Romulo, qui eam exstruxit & condidit secundùm Bellarminum anno Achaz Regis Iudæ duodecimo; secundùm Horatium Tursellinum paulò adhuc seriùs, videlicet sub Ezechia. Denique antiquior ipsis Græcorum Olympiadibus, à quibus primùm exacta cœpit temporum supputatio; hæ enim exortæ secundùm Bellarminum anno quarto Ioathan Regis Iuda; secūdùm Cornelium à Lapide Oziæ siue Azariæ decessoris Ioathan anno quadragesimo, siue vltimo; cùm IONAS, vt mox dicturi sumus, prophetarit anno regni illius secundo; ergo triginta saltem & octo annis ante Olympiades, & ante æram Christianam annis ampliùs octingentis.

Bellarm. in Chronologia sua. Tursellinus in Epitome Historiæ.

Ionas sub quibus Regibus prophetarit.

15 Certum etiam est IONAM nostrum prophetasse sub Ieroboamo secundo filio Ioas Rege Israël. *Illi* enim, vt ait Iosephus in libris Iudaicarum Antiquitatum, *prædixit, quòd deuictis Syris ditionem suam esset ampliaturus, prolatis eius terminis ad Septentrionem, vsque Amatham vrbem, à meridie verò vsque ad Asphaltitem lacum.* Porrò secutum prædictionis euentum testantur libri Regum, quorum quarto, ne de quo IONA sermo esset, vllus daretur ambiguitati locus, vocatur *filius Amathi.* Verba libri sunt: *Ipse,* nempe Ieroboam filius Ioas, *restituit terminos Israël ab introitu Emath, vsque ad mare solitudinis, iuxta sermonem Domini Dei Israël, quem locutus est per seruum suum* IONAM *filium Amathi Prophetam, qui erat de Geth, quæ est in Opher.* Et hoc fuit primum IONÆ vaticinium; alterum, idque posterius, ad Niniuitas sub eodem Rege Israël, Rege verò Iuda Ozia, patre Ioathan, auo Achaz, regnante in Latio Procâ Syluio auo Romuli; apud Assyrios Sardanapalo, qui in Niniue sede Imperij, dum longè lateque imperaret aliis, non multum verò sibi, & animo suo; fuit tum temporis prædicatione IONÆ conuersus ad pœnitentiam.

Iosephus l. 9. c. 11.

4. Regum c. 14. v. 25.

Ionas bis prophetauit. 1. ad populum Israël. 2. ad Assyrios.

Venit in Niniuen tempore Sardanapali Regis.

16 Neque obstat, vt quidam putant, quòd minùs consentientia cum Sardanapali effeminatissimis moribus videantur (solebat enim in mulierum triclinio ipse medius, magis mulier quàm vir, lasciuiens nere, & pensum cum illis ducere) quæ de Rege Niniues eiusque illustri conuersione, cum tantâ laude coniuncta, noster Propheta vulgauit. Hoc inquam non obstat: potuit namque, vti posterioribus temporibus factum sæpius cum aliis multis legimus, audiuimus, vidimus; Rex, quantumuis scelestus, territus tam grauis interminatione supplicij, quæ diuini esse vis verbi solet, redire aliquantisper ad mentem; deinde verò iterum vt sus immunda, ad volutabrum suum, ad antiquas inquam cupedias, & voluptates spurcissimas repedare. Quod ita factum fuisse Chrystophorus à Castro in Commentariis suis, & Salianus in Annalibus cum non paucis aliis censuerunt.

17 Et suffragatur temporum ratio. Ieroboamo quippe Israeliticum regnum tenente, sub quo citra controuersiam floruisse IONAM ostendimus, Sardanapalus Assyrium tenuit. Falluntur

Errores quorumdã Chronologorum circa tempus vaticinij Ionæ.

luntur ergo Kreinthemius; eumque secutus Bucholcerus, vterque aliàs satis accuratus Chronologus, existimantes incidisse vaticinium Ionæ in tempus illud quod à Ieroboamo ad Sardanapalum intercessit; circa vltimos videlicet annos Ocrazapis Regis Assyriorum, siue, vt loquitur Bucholcerus, anno Ocrazapis (qui vno & quadraginta annis regnauit) trigesimo secundo; id est annis nouem ante Sardanapalum. Nam non tanto tempore ante eum regnasse Ieroboamum probabilius creditur. Salianus quinquennio, summùm sexennio opinatur, alij minùs. Sunt etiam qui dubitent, num quid temporis Sardanapali inter & Ieroboami regnum intercesserit, & quis illorum prior imperio; an videlicet Ieroboamus priùs rex Israëlitarum, quàm Sardanapalus Monarcha Assyriorũ; sunt namque, inter quos in suo Chronico Bellarminus, qui ipsum Sardanapalum antecessisse in regno suo Ieroboamum opinantur. Falluntur similiter alij inter quos Rochus Mamerotius, qui dicunt demum post Sardanapali mortem temporibus Phulbeloci, id est, facilè annis cẽtum posteriùs, Ionam prophetasse: nam hoc nimiùm à communi calculo atque annorum supputatione discordat.

Mamerotius Conc. 1. in Ionam.

18 Certum ergo cum sit ex Litteris sacris, vt diximus, floruisse eum tempore Ieroboami secundi Regis Israël, tempore item Osiæ Regis Iuda, quæ coinciduntur; necessum id fuisse, ante Osiæ annum decimum quartum, illo enim obiit Ieroboam, vti ex quarti Regum capitis decimi quinti versu primo iuncto cum versu vigesimo tertio decimi quarti capitis colligit Cornelius à Lapide in Harmonia Chronologica, præuia Commentario suo in Prophetas minores.

Vnde facilè assentior Augustino Torniello, qui cum primariis Chronologis, vel omnino conuenit, vel certè in paucis annis ab illis dissentit, dicenti in Annalibus suis prædicasse Ionam Niniuitis anno regni Ieroboami secundi vigesimo nono, Osiæ secundo, Sardanapali decimo tertio; quod hi secundum eius supputationem concurrant.

Ionas sub quibus regibus, & quo anno Regum Iuda & Israël; quo anno Sardanapali prophetarit.

19 Superest difficultas longè maxima studiosè à multis prætermissa, quonam Orbis conditi anno ad Niniuitas Ionas dixerit; in qua cùm perpensis discussisque diu multumque omnibus nihil certiùs audeam polliceri; eò quòd in huiusmodi supputatione variis ex capitibus nimium dissentiant etiam exactissimi quique Chronologi, secutus Henricum Samerium, & qui hoc ab eo se accepisse fatetur, Cornelium à Lapide; existimo non improbabili coniecturâ, Ionæ tempora ad annum mundi ter millesimum centesimum quadragesimum octauum, & proximè sequentes referenda. Sic tamen vt velim relictam cuique in re, vt verum fatear, non satis certâ; suam aliter opinandi libertatem.

Incertum quo orbis conditi anno prophetarit.

20 Quidquid demum sit de tempore bis eum insigni functum legatione futura enuntiasse denuntiasseque accepimus; ad quos prius, ad quos posterius non omnino liquet. Ioannes Ierosolymitanus, cuius supra semel iterumque meminimus, & cum eo Gaspar Sanctius prius ad Niniuitas, alij prius ad Ieroboamum & populum Israëliticum, quod certiùs diximus. Sed ad quoscumque prius posteriúsve nõ multum inter vtrumque illius vaticinium temporis intercessisse existimo.

Bis Ionas prophetàuit, semel Israëlitis, semel Assyriis, quibus prius incertum.

21 Sunt, vti annotatum à Sanctio, qui, præter duo hæc, aliud ab eo profectum vaticinium memorant, nimirum de aduentu Romanorum, euertendaque ab illis Ierosolyma funditus. Ij S. Epiphanius, & Dorotheus, quibus Chronicon Alexandrinum consentit & Menæa Græcorum; atque etiam, cuius supra meminimus, Petrus Comestor auctor Historiæ Scholasticæ, vti & Petrus de Natalibus in Catalogo Sanctorum vitam Ionæ conscribens. Ipsum audiamus Epi-

Prophetia quædam alia Ionæ referuntur ex quorũdam sententia & expenduntur.

Dorotheus in Synopsi.

Epiphanium: *Prophetauit*, inquit, *Ionas, quod vbi conspicerent olim in Ierusalem innumeras gentes ab occasu tunc radicitus popularetur illa ciuitas, & euerteretur funditus.* Addit Dorotheus, & iam dictum Chronicon, dixisse eum tum futurum illius nobilissimæ ciuitatis interitum, quando visus esset lapis lamentabiliter clamans. Lapidem hunc Christum Dominum rectè interpretantur; verè lapidem angularem, qui fecit vtraque vnum. Is tunc clamauit voce lamentabili & mœstâ,
Lucæ c.19 v.41. & 42 cum *videns ciuitatem, fleuit super illam dicens, quia si cognouisses & tu.*

Verum an fuerint hæ IONÆ prophetiæ admodùm incertum, imo magis certum non esse; cum illarum neque sacræ Litteræ, neque præter prædictos, vlli Patrum meminerint. Simile quid habetur quidem in Abacuc,
Abacuc c.2. v.11. vbi nostra vulgaris versio discrepat nonnihil à 70. nam vulgaris habet, *lapis de pariete clamabit: & lignum, quod inter iuncturas ædificiorum est respondit.* 70. verò διότι λίθος ἐκ τοίχου βοήσεται, καὶ κάνθαρος ἐκ ξύλου φθέγξεται αὐτά. id est, *Propter quod lapis ex pariete clamabit, & cantharus ex ligno loquetur ea.* verum nihil tale in IONA.

Quid Israëlitis Ionas prophetarit. Lib. 4. Reg. c.14. v.25.

22 Legationis ad Ieroboamum à IONA obitæ causa fuit, cuius meminit quartus Regum mandatum Dei iubentis, vt dicat, non obstantibus grauissimis culpis Regis & populi, immaniumque scelerum, quæ patrauerant, fœditate; dandas tamē vna summi numinis benignitate & gratiâ, illis victorias ampliores; sic vt Ieroboamo, regnum suum magnâ ex parte occupatum à Syris; etiam cum fœnore ab introitu Emath, ciuitatis ad radicem montis Libani sitæ, vsque ad mare solitudinis versus meridiem, vbi olim Sodoma & Gomorrha, obueniat iterum, feliciter dilatatum; quò tandem aliquando illâ, tam faustâ denūtiatione obuenturorum bonorum, beneficiorumque; & Rex, & populus, diuini timoris pariter & amoris expertes hactenus, atque ad supplicia omnia impauidi, moueantur, & redeant à simulacris ad Deum viuum & verum.

23 Obitæ verò ad Assyrios ab eodem legationis causa fuit, quam hic, quem tractaturi sumus; libellus ab eo conscriptus complectitur, eiusdem Dei & Domini mandatum, iubentis vt dicat Regi ac populo ciuitatis potentissimæ Niniues; opibus, luxu, gloriâ, longè quàm conueniebat & licebat tumidiori, atque interim sceleribus tabido, ac velut malis immortuo, nisi intra dies non amplius quadraginta, ponant improbitati suæ modū, priores culpas, & lapsus tam enormes ac graues, voluntariis castigent pœnis, atque ita strictum iam, & suis quodammodò impendentem ceruicibus diuinæ vltionis gladium, bonorum operum clypeo auertant; fore vt non modo ipsi, sed & ciuitas, tot scelerum, tamque immanium receptatrix facinorum, subuertatur & pereat.

Quid prophetarit Assyriis.

Hanc vt dixi legationem, & quæcumque eandem sunt subsecuta, is qui illam obire iussus velut Legatus; proindeque omnibus rebus non modò interfuit, sed etiam præfuit; quatuor capitibus IONAS Propheta complexus enarrat; vt proinde de fide auctoris deque rei narratæ veritate, dubitare sit nefas.

24 Quod obseruatu dignum, dignumque memoriâ, in infelicia prorsus tempora eius hæc legatio incidit: iussus enim adornare ad Assyrios iter, illisque dicere cum annis propè ducentis Israëliticus populus ad vitulos aureos, deinde etiam ad Baaliticam impietatē defecerat. Quæ causa cur in Niniuen tam iret inuitus, & eo destinatus latebras quæreret; verebatur enim Gentium conuersione ac pœnitentiâ, populo suo ignominiam pœnamque maiorem. Verum de his suus erit dicendi locus. Opto interim vt ego feliciora paululum tempora, simul tamen Auditorem non minus quam ille beneuolum & benignum, atque doceri monerique facilem, nancisci queam.

Tempore difficillimo prophetauit Assyriis Ionas.

25 Nunc de virtutibus nostri IONÆ dicen-

Tres illustres Ionæ virtutes narrantur. dicendum est aliquid. Commendat eum Gregorius Mastrillus inter cetera laude digna quæ habuit, à tribus potissimùm. Primò à sãctitate, quam ex voluntaria oblatione ad necem in pœnam criminis sui, atque ex feruentibus ad Deum precibus, dum hæret inter belluini angustias vteri, colligit.

Deinde ab animi magnanimitate atque constantia; quâ non veritus ob hominum timorem aut metum, veritatem dicere; vt deinde Herodi Ioannes: *Non licet tibi habere vxorem fratris tui*, *Marci. c. 6. v. 18.* irruit in potentissimam ciuitatem, plateas & forum oberrans, non iuuenem, non senem, non populum, non magistratũ, non cuiusquam potentioris vultum obseruans; omnibus proclamando etiam dynastis, Principibus, Regi, ad quorum aures saltem prædicationis fama peruenit. *Ionæ c. 8. v. 4.* *Adhuc quadraginta dies & Niniue subuertetur.*

Denique eiusdem religiosam quodammodò paupertatem idem Mastrillus pręclarè deprędicat, illi applicans quod de Samuële dicitur lib. *Ecclesiast. c. 46. v. 22.* Ecclesiastici *Pecunias, & vsque ad calceamẽta ex omni carne non accepit*, cùm & incorruptus ad munera fuerit, &, secundum illum nullâ habitâ formæ & cultus corporis ratione, sordidatus lutoque cõspersus, prout è ceto prodierat sese in Niniuen ciuitatem populosissimam egregius sui contemptor ingesserit. Plura de eximiis eius virtutibus hinc inde in Lectionum decursu notabimus.

26 Subnectã nunc verbulo vno, quę de vita, morte, ac sepultura eiusdem quà certa, quà incerta accepimus.

Variorum de gestis Ionæ à Prædicatione ad Niniuitas obitâ sententia. Ad reliquam vitæ ipsius seriem quod attinet, Hugo Cardinalis, quod magis affirmat Petrus Comestor, dici solitum refert, quod peractâ ad Niniuitas legatione, occultè sit Israëliticam terram ingressus, mox etiam matre solâ comite egressus clanculùm, pudore suffusus, & sustinere non valens, contra quàm prædixerat, stare Niniuen, se verò nullâ suâ culpâ Pseudo-prophetam haberi.

Sunt etiam qui putent eum hac ipsâ de causa subiisse voluntarium annorum septem exilium, fortasse alicubi in terra Assur regione gentium, vt vult Dorotheus, qui tamen septennis exilij non meminit; amoturum videlicet vel sic probrum, quod se incurrisse suâ vaticinatione crediderat. Deinde verò mortuâ in itinere matre, atque eius sepultâ manibus, iuxta Libanum montem, postliminiò reuersum in patriam.

27 Hæc ferè S. Epiphanius, Dorotheus, Petrus Comestor, & Hugo Cardinalis, præter illos; quod quidẽ legerim, alius nemo. Egò, quoniam dubia est dictorum fides, nihil certi statuo. Non reperio etiam apud quẽquam; quomodo, quando, quâ ætate, vbi obierit, nisi quod dicat Sixtus Senensis, quem secutus est Antonius Posseuinus, vterq; autẽ Dorotheum & Epiphanium, mortuum in terra Saar, vti ex dicto Epiphanio refert Iacobus Pontanus in vita IONÆ, quam Diui Cyrilli Alexandrini Commentariis, à se ex Græco in Latinam linguam translatis, præfixit. His cõsentit Romanum Martyrologium à Cęsare Cardinali Baronio vulgatũ: sed non admittit quod illi ex Dorotheo & Epiphanio, quibus ferè consentit Petrus Comestor, adiungunt; eum ibidem in specu Cenesæi Iudicis sepultum. *Mors & sepultura Ionæ incerta.* Nam habet dictum martyrologium, tumulatum in Geth viculo illo, ex quo oriundũ diximus, quæ est pluriũ, nominatim D. Hieronymi assertio. Neque hìc dissentit Petrus Comestor, licet cum prioribus dicat in sepulcro alicuius Iudicis tumulatum, quæ an inter se cohæreant, aliis censendum relinquo.

28 Cornelius à Lapide refert ex ore Ioannis Antonij Mariotti Societatis IESV sacerdotis, qui quinque annis antequàm ipse Commentarios suos ederet in Minores Prophetas, & hæc scriberet, id est anno circiter seculi huius decimo octauo mandante PAVLO V. Pont. Max. Syriam & Mesopotamiam peragrarat, eius sepulcrum ostendi vsque in hodiernum diem, magno confluentium Christianorum *Sepulcrum Ionæ in Syria ostendi dicitur.*

norum concursu frequentatum, non procul à ciuitate quadā istic celebri, cui nomen Mussal, Nimuen indigenę dicebant, esseque adeò longum & latum, vt si corpus aliquo modo respōderit, gigantem fuisse oporteat. Verùm neque in Niniue, neque in Saar sepultū existimo. Potuerint interim Niniuitæ IONÆ Prophetæ suo, tanto viro ac tam benè de illorum Republica merito, tametsi alibi defuncto & condito, suis in finibus aliquod quasi Mausolęum ad perpetuandam beneficiorum per eum acceptorum memoriam, erigere.

De morte & sepultura Ionæ probabilior sententia.

29 Probabiliùs, quamquàm nec hîc polliceri certitudinē possim, sicut Gethæum esse cōstat, natum inquam in Geth, ita ibidem mortuum, &, vt ait S. Hieronymus, ibidem sepultum, non procul Diocæsarea Palæstinæ; vbi suo tēpore, id est ante annos plus mille, adhuc ostensum eius sepulchrum memorat Isidorus Hispalensis, atque ex eo Franciscus Feuardentius nostrorum temporum scriptor. Neque probat Hieronymus, quod alij volūt, iuxta Diospolim, id est Liddam, eum & natum & conditum: ait namq; hos non satis intelligere, quod additur *Opher*, id ad distinctionem aliarum Geth vrbium pertinere, quæ iuxta Diospolim siue Eleutheropolim, hodie quoque monstrantur.

Hieron. Præfatione in Ionam.

Ionas Sanctus cultus à Græcis & Latinis.

30 Nunc si vitam IONÆ eiusque mores rursum intueamur, tametsi diffiteri non possimus, quin næuos suos habuerit, & in quibusdam etiam non omnino grauiore culpâ vacarit: nihilominùs mox Deo reconciliatus, sanctitate illustris, toto orbe annorum millibus duobus ac propè quingentis (tot enim ab eius morte transacti) passim audiit. Quare illius inter cælites annumerati memoriam, tam Græci in suo Menologio, quàm in suo Martyrologio Romani, secundùm Cæsarem Cardinalem Baronium ex veteri Ecclesiæ vsu recolunt ad diem vndecimum Kalendas Octobris. Verba appono. Græcorum Menologium, ex Bibliotheca & interpretatione Guilielmi Sirleti Cardinalis editum ab Henrico Canisio, Tomo II. Antiquarum Lectionum ad diem XXI. Septembris sic habet: *Commemoratio S. Ionæ Prophetæ, vnius è numero duodecim.* Menæa verò, eodem die, quo celebratur Octaua Exaltationis sanctæ Crucis, cuius festum die XIV. octaua autem vigesimâ primâ; memoriam addunt S. IONÆ, & vitæ illius, quam ibidem recensent, epitomæ hos tres versus præponunt.

Ἀπὸ προσώπου τοῦ Θεοῦ φεύγεις πάλαι
Νῦν δὲ πρόσωπον Ἰωνᾶ τούτου βλέπεις.
Εἰκάδι δὲ πρώτῃ τὸν Ἰωνᾶν γαῖα κάλυψεν

quod sic sonat ad verbum:

A facie Dei fugis olim,
Nunc verò faciem, Iona, eius vides,
Vigesimâ verò primâ hunc Ionam terra abscondit.

Νέον Ἀνθολόγιον à Clemente VIII. approbatum, & ab Antonio Arcadio Archipresbytero Spoletano editum Romæ; in ὡρολογίῳ Litanias referens, inter Prophetas IONAM constituit his verbis.

Ἅγιε προφῆτα Ἰωνᾶ πρέσβευε ὑπὲρ ὑμῶν ἁμαρτωλῶν. Id est. *S. Propheta Iona ora pro nobis peccatoribus.* hæc Græci.

Romanum verò Martyrologium etiam ad diem XXI. Septembris, post recēsitum diem natalem S. Matthæi Apostoli & Euangelistæ, passi martyrium in Æthiopia, immediatè subiicit: *In terra Saar, Sancti Ionæ Prophetæ, qui sepultus est in Geth.* Petrus de Natalibus ab vtrisq; dissentiens, nescio an aliquo alio auctore, eum inter Sāctos mense Ianuario occurrētes recenset.

Petrus de Natal. in Catalogo. SS.

S. Propheta Ionas monacho morienti apparet.

31 Porrò ne quis esse possit dubitationi locus, quin sit Diuorum Catalogo adscriptus in cælis, cuius memoria in terris solemniter ab Ecclesia agitur, eum vt Sanctum aliquando monacho alicui moribus integerrimo ex hac vita migranti apparuisse Diuus Gregorius memorat. Vos id ex eodem, totidem quot ipse rem gestam verbis enarrat, accipite. *Quidam* inquit, *noster religiosus vir vita valdè laudabilis, cùm ante hoc quadriennium moreretur; in hora exitus sui, Ionam Prophetam*

Lib. 4. Dialog. c. 34.

phetā, Ezechielē quoque, & Danielē cœpit aspicere, eosq; Dominos suos ex nomine clamare: quos dum ad se venire diceret, & depressis luminibus ex reuerentiæ obsequium praeberet, ex carne eductus est. En etiam è cælo de Ionæ nostri sanctitate locuples testimonium.

Ionas testis resurrectionis Christi, cum eo resurgit, secundum quosdam.

32 Suntqui putent, fuisse Ionam vnū de sanctis Prophetis, qui testes resurgentis Domini, cū illo & surrexerūt à mortuis, & corpore simul & animâ gloriosi ascenderunt in cælum. Atque hoc, quoniam ipse præ ceteris Christi post tridui sepulturā resurgētis viuam in se nobis imaginē exhibuerat, è vētre ceti quasi ex sepulcro die tertio prodiens, satis conuenisse videtur; vt qui futurus certissimus testis euidētissimæ veritatis, omniū optimè dicere Iudæis incredulis poterat: Ego sum Ionas, vates Resurrectionis Christi, missus, vt quod olim in figura exhibui, nunc reipsâ factū nuntiem. Testor ergo, quòd vt ego quondam die tertio è ventre ceti prodij; ita à me præfiguratū Christum, die tertio à mortuis surrexisse.

Verùm hoc non satis consentit cum eo, quod nuperrimè scripsit Neapoli vir doctus ad amicū quēdam suum in Belgium, Ionæ corpus è Terra sancta delatum fuisse olim Nuceriam, est ea Cāpaniæ ciuitas, ab Equitibus Sancti Ioannis, qui nunc Melitēses dicti sunt: atque idcirco festum eiusdē celebrari eo loco vsque modò ad diem decimā nonam Aprilis, quâ id accidisse ferūt. Quare circa priora iudiciū meū suspēdo, & suum cuique liberū esse patior.

33 Præter multa iam dicta, est etiam ad Ionæ gloriā illustre, quòd ferunt in amplissimo quodam regionum Orientalium regno, in illa nimirum Scytia, quā Ptolemæus extra Imaum mōtē ponit (à qua fortè nihil illæ prouinciæ differunt, quas Paulus Venetus Tenduchum, Abrahamus Ortelius Argum, Ayton Armenius Tarsem, vocabulis aliis alij appellarunt) longè lateq; dominatum fuisse Regē, qui duos & septuaginta etiam Reges subditos habuerit ditioni suæ, partim Christianos, partim Gentiles, cum successione in honorē Ionæ Prophetæ Ionanam dictum; vt apud Ægyptios primùm Pharaones, inde Ptolemęi, apud Mauritanos Seriphil, apud Persas Xerxes, & Artaxerxes olim, nunc Sophi dicti sunt Reges eorum. Ita Nicolaus Godinius in sua de Abassinorum rebus historia, qui ait, Presbyteri Ioannis, siue Pretiosi Ioannis, aut Prete-Iannis nomen inde etiam deriuatum.

Nicolaus Godinius de Abass. rebus lib. 1. c. 5.

34 Tandem auidi estis, vti opinor, cognoscere, quid ex Iona eiusq; sermone prophetico, quem interpretandum suscepimus, eruditionis, quid virtutis, quid pietatis, quid præceptorum vitæ, sanctè laudabiliterque instituendæ possitis depromere.

Documenta depromenda ex libro Ionæ multa & varia assignantur.

Vt paucis multa complectar, cognoscetis ex eo mirā in primis Dei potentiam, quâ mari imperat, & continuò tumet in fluctus; quâ iterum mādat fluctibus, & subsidunt; ceto iubet demersum in mare Prophetam suum excipiat, & illæsum quàm citissimè excipit, ac triduo seruat illæsum; iubet mox eumdem terræ restituat, & vomit incolumem.

Cognoscetis eiusdem immensam bonitatem & patientiam, quâ sibi rebellem suisq; proteruè obtrectantem imperiis sustinet, pœnitentem verò in gratiam recipit, & iterum vaticinij dono locupletat; quâ Niniuitas, populū sceleratum & nequā, ad pœnitentiam inuitat, exspectat; & venientem ac resipiscentem à supplicio liberat.

Cognoscetis & sapientiam, quâ intimè scrutās & penetrās abditissima & maximè arcana Ionæ consilia, & meditatā nequiter fugā; hāc nautis primū, Orbi deinde manifestat vniuerso.

35 Videbitis, & si sapitis discetis, quàm diuinis mandatis alacriter obsequendum; aduersa, cùm præsertim peccatis nostris ad hæc causam dedimus, toleranda constanter; longa illa & grauiter feriens Dei manus, criminosis omnibus metuenda.

Videbitis quàm agnoscenda statim post crimē admissum culpa, adhibendæ supplices preces, vota nuncupāda; quàm in calamitate publica cōmunibusque periculis, communis & publicus ad Deum clamor tollendus; quàm

Niniuitarum exemplo, impendente vindictâ, ad suspiria, gemitus, complorationes & lacrymas, ad pœnitentiam conuolandum, ad mentis morumque in melius mutationem veniendum; vt mitescat iustè sæuiens ira Numinis, eiusdemque frui liceat benignis promissionibus, nobis hisce Ezechielis Prophetæ verbis expressis: *Si impius egerit pænitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, & custodierit omnia præcepta mea, & fecerit iudicium, & iustitiam: vitâ viuet, & nõ morietur. Omnium iniquitatum eius, quas operatus est, non recordabor.*

Ezechiel. c.18.v.21. & 22.

Videbitis, quomodò, vt bono publico seruiatur, propriæ commoditates abdicandæ sint, humana omnia vt fluxa & fallacia respuenda, de morte, non vt ærumnarum periodo vltimâ ex tædio; sed ex patriæ cælestis amore & desiderio cogitãdum: vtquæ, velut veræ felicitatis initium & origo, Deo nos bonorum omnium fonti iunctura, æternùm victuros.

36 Videbitis deniqúe, quòd opus admirabile Redemptionis humanæ; potissimùm verò Dominicæ Resurrectionis mysterium, excedens naturæ solitum cursum & ordinem, atque etiam, vti apparet, Iudæorum fidem, per ea quæ hîc annis ampliùs octingentis antè sunt gesta; ita fuerit expressum nõ verbo, sed opere, vt non potuerit meliùs, non manifestiùs; ipso Seruatore, quem hoc spectabat, dicente: *Sicut fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus; sic erit Filius hominis in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus.* Quare dixit verissimè S. Augustinus: *Ionam non tam sermone, quàm suâ quadam passione, prophetasse profectò apertiùs, quàm si eius mortem & resurrectionem voce clamaret.*

Ionas typus mortus, & resurrectionis Christi.

Matth. c. 12.v.40.

Lib.18.de Ciuitat. Dei c.30.

37 Atque ne diutiùs communibus recensendis immorer, videbitis singuli ea quæ ad vos spectant. Imprimis vos sacrorum Antistites, hominum interpretes ad Deum, in IONA Ecclesiaste & Propheta, quid à vobis, qui diuinis ministeriis dati, sacrati, mancipati viuitis, exigat is, cui viuitis, aut viuere saltem ex munere votoque debetis; quamque sit indignum & insolens, etiam in rebus difficillimis maximeque arduis, si quæ talia occurrerint, ab eius voluntate ac nutu vel tantillum recedere. Quare & quod iusserit, nec aliud quàm iusserit, dicetis: quid autem iubeat priùs quærentes, verba vsurpabitis Isaiæ: *Quid clamabo?* & mox idipsum quod voluntatis illius esse noueritis clamantes, nihil auribus dabitis, omnia veritati; atque, vt decet viros generosos, verbis grauibus, quæ ad instar malleorum conterentium petras obdurata corda feriant, *Annuntiabitis papulo scelera eorum*; cumque, propositis cælestis iræ, vindictæ, mortis, extremi iudicij, atque etiam gehennæ terroribus, ad pœnitudinem, ad peccati odium, ad virtutis amorem vrgebitis. Quo modo futurus est fructus, quem optauit aliquando à suo Nepotiano D. Hieronymus, vt nempe *docentibus vobis in Ecclesia, non clamor populi, sed gemitus suscitetur, lacrymæ auditorum laudes vestræ sint.* Neque illæ deerunt, eductæ etiam ex imis cordis penetralibus, dummodò vestra ex parte adhibita fuerit acuta linguæ doctæ, prudentis, & piæ nouacula, diuini spiritus cote præparata, aptata, polita.

Officium Ecclesiastici suum à Iona discant.

Isaiæ c. 40.v.6.

Isaiæ c. 58.v.1.

Hieron. ad Nepotia. de vita Clericorum.

38 Videbitis viri Amplissimi, Nobilissimi, Iuri dicundo præsides, qui ad clauum sedetis Politicæ Reipublicæ, quibus legibus cohibere ciues, quâ curâ conseruare Ciuitates, Prouincias, Regna oporteat; quamque proinde vos esse doceat intentos, vt quod vobis incumbit, quodque ex officio facitis, sedulò & sollicitè faciatis; semper in propugnanda, tuenda, promouenda Dei gloria, religione, cultuque peruigiles, semper constantes & fortes; ne si fortè, vestrâ irrepant socordiâ in patriam, ciuitates, & ciues vitia, ibidem sedem delectura, mox etiam in vniuersam immittantur Rempublicam, quæ omnia longè lateque populentur & vastent, diuina flagella.

Officium suum ex Iona, etiam discãt Magistratus.

Videbitis Ciues optimi, quibus suppliciis digna sint loca, quæ habitationem & asylum suppeditant sceleratis,

Discant suum ciues.

ratis, quæ eos sustinent, qui bonis aliorum ac famâ, imò cæde pascuntur & sanguine. Quare tales esse curabitis vos, vt singulorum vestrûm probitate, stet & floreat vestra hæc ciuitas; non moribus prauis, vitaque improbâ collabascat, & pereat.

39 Ad me quod attinet sat video arduum esse, quod molior, docere, monere, & subrepentia vitia grauiùs insectari interdum, ac carpere. Hinc alterum quodammodò IONAM esse oporteat, hæc qui & possit, & audeat: quæ causa cur timidus non semel ipso penè in limine substiti & pedem pressi; tandem verò, factus audacior, mihimet iratus dixi:

Perge age; iam cœptis non leue Numen adest.

Hoc, vti spero, ita fac quæso experiar bone IESV, & si subinde velut inter labyrinthæas ambages viarum ignarus hæsero, iter ostende


Virgil. lib. 6. Æn. *Cæca regens filo vestigia*———

40 Tu verò IONA Beatissime, quacumque cæli parte nos aspicis, audi supplicantis vota, & quem tribus diebus ac noctibus hærentem in ventre ceti, & deinde prodeuntem, significasse resurgentem Dominum, diximus: fac eiusdem, te deprecante, resurrexisse beneficio, nos similiter sentiamus.

41 Me verò præ ceteris torpentem, excita, mihi animos & robur suppedita, ne iis destitutus, dum tecum ad Assyrios peregrinationem molior, turpiùs quàm tu olim missus in mare, non solùm difficultatum vallatus pelago; sed laborum tuorum periculorumque recensendâ multitudine, abreptus fluctibus velut naufragus hæream; sicque non magis à me commendatus feliciter, quàm olim à Domino fugeras, videare.

42 Vos quoque *Sodales Partheny*, si IONAM, imò si CHRISTVM diligitis, si veritatem, si salutem vestram amatis, atque ad eam curandam diligentiùs, moneri & commoueri vultis; hoc mirum in modum à vobis peto, hoc vehementer efflagito, adeste corporibus, adeste mentibus, ne vel aurium, vel animi peregrinatione fructum labori exspectationique meæ, minùs respondere contingat, sicque fiat, vt sicut ego in vobis sedulitatis & attentionis maioris studium, sic vos in me ardorem dicendi maiorem requiratis.

COMPENDIARIA IONÆ HISTORIA TOTIVS OPERIS ARGVMENTVM.



INCREBESCENTE in dies magis ac magis multitudine, simul ac magnitudine enormium scelerum populi Niniues; impleta tandem aliquando fuisse videtur mensura improbitatis eorum; vltra quam non amplius dissimulandum Deo, optimo licet & clementissimo Domino, fuerit. Ne tamen, quod excessus quidam est bonitatis illius atque clementiæ, improuidos opprimat, IONAM Prophetam suum, nuntiaturum imminentem interitum, illuc cum mandatis mittit: vt, si non amore virtutis, terrore saltem supplicij resipiscant. Verùm audax diuini transgressor imperij IONAS, longè alia captat consilia, neque iam in Niniuen ocyus properat; verùm, quâ potest celeritate, contendit in Tharsim, vt longiùs fugiat, sed non impunè: vix enim inuentam in statione nauem conscenderat & vela facere cœperat, cum subitò sæuire tempestas, concitari venti, raucum aquarum murmur circumstrepere, omnia minari naufragium. Timebât ceteri, & depulsuri periculum precibus, suorum Numinum, conatu licet irrito, singuli implorabant auxilium. Dormiebat intereà IONAS; qui mox Gubernatoris voce excitus, & ipse orare compellitur. Vbi neque orando proficitur, neque nauem, vti putabant vectores, prægrauatam, oneribus liberando; sollicitiore animi viriumque conatu, se expedire à præsenti discrimine, contẽdunt vnanimes. At incassum omnia, donec subiit nonnullorum mentem cogitatio, esse fortasse quempiam sceleris reum, quem tam inusitata tempestas ad pœnam deposcit, initumque de tentanda sorte consilium; idque, iam probatum omnibus, re ipsâ tentatur, atque IONAM sors missa reum prodit. Reus verò seruatâ forma iudicij causaque cognita, & iudicum sententiis propriaque confessione damnatus, demersus in mare debitum suppliciũ luit. Tum enim ad extremum, mari tranquillitas redditur, nauigantibus salus, sociorum mentibus quies, Deo forti, & in operibus suis admirabili, talique iam ab omnibus agnito, gratiæ immortales.

Interim IONAS, æquè ac nautæ & socij felix, confestim discrimen euadit. Nam vix sociorum manibus dimissus in mare, cetum inuenit præparatum qui illæsum excipiat, præbeatque etiam inter angustias illas, fœtores, squalores natiuumque calorem vteri non incommodum toto triduo hospitium; in quo culpam suam deploret, pœniteat, preces fundat, petat restitui optatissimæ patriæ, proponat meliora. Sed & mox littori redditur illæsus, saluus, incolumis; portento hoc tam admirabili celebrior & clarior, tot iam seculis orbe vniuerso.

Hîc iam iterum monetur vt prius, Deo auctore, de profectione in Niniue: quam (probè suo malo nuper edoctus minimè fugiendum, minimè cunctandum) aggreditur illicò, atque paucorum dierum itineris interpositâ morâ, ciuitatem ingressus, eam minaci voce conturbat, impendens omnium capitibus malum denuntiat, non dari longiorem, quàm dierum quadraginta ad pœnitẽdum, moram edicit. Et fuit Niniuitis saluti hæc illius tam acris monitio, feralis

vox,

vox profuit, denuntiatio interitus omnes ab interitu vindicauit. Quippe exinde illi credere, culpam agnoscere, malum suum in semet vindicare velle, omni cibo potioneque multo tempore carere, luxum & corporis ornamenta deponere, cineribus sordidari, perfundi lacrymis, saccis indui, questibus, eiulatibus, comploratione adimplere omnia. Rex ipse ad exemplum prodire in publicum, non purpurâ, sceptro, diademate, paludamento, vllóve regio decorus insigni; præire aliis ad contemptum opum, honorum, voluptatum, non segniter viam; oppleri cineribus caput, vestiri cilicio, nihil cibo, nihil potioni, nihil propriis commodis indulgere; grauissimum seuerissimumque, quòd non homines tantùm omnes, cuiuscumque sexus, conditionis, ætatis, adeoque & infantulos, sed ipsa etiam iumenta concerneret, circa instituendam agendæ pœnitentiæ rationem edictum promulgandum curare. Denique tota ciuitas velut confecta senio mœrore quodammodò contabescere.

His porrò; præcipuè autem conceptis propositisque melioris vitæ deinceps instituẽdæ desideriis, effectum; vt citò mererentur absolui, qui pridem damnari meruerant.

Sed inde nouus in Ionæ animo dolor, inquies, indignatio. Expostulat ipse cum Deo, quasi minùs secum sit actum præclarè, quando detrectatam anteà, & iure quidem, vti dicere velle videtur, legationẽ obire debuit; è qua nihil sit honoris, multum verò dedecoris accepturus. Etenim sic ferè ipse ad Deum. Non ignarus consilij tui, non immemor beneficentiæ tuæ Domine, quâ soles quantumuis grauiter delinquentibus, si vel ingemuerint, parcere; sat cogitabam, quid esset futurum, fugiebamque, de meo honore non parum, neque etiam immeritò, anxius: nunc, cum cùm planè prostitutum video, nihil est mihi magis in votis, quàm vt, nequaquàm vltrà ad ignominiam hanc & infelicitatem superstes, breui vinculis mortalitatis eripiar.

Non placuit Deo adeò iniusta Ionæ indignatio: quare cum foris sedentem, præstolantemque num quid fortè accideret, quo prædictionis veritas probaretur, re simul & verbo, ad mentem reuocat saniorem. Sederat fortè aliquamdiu miser aëri soli que expositus; cùm, vbi hæc sibi molestiora sensit, tuguriolum exstruxit. Superaddidit Deus, semper in Prophetam suum, etiam immerentem, beneficus, hederam, quæ, super caput eius ascendens, vmbram faceret magis opacam & commodam. Hac sibi tum admodùm felix Ionas videbatur; sed parum diuturna illi istæc felicitas fuit: nam die altero ad crepusculum matutinum immissus in hederam vermis radicem erosit, frondium honorem sustulit, vmbram ademit. Atque vt esset Ionæ de hoc sensus maior, & ita instrueretur hac probatione meliùs, placuit similiter Deo ventum immittere calidum & vrentem, qui vsque eò caput eius feriret, vt impetitus vndequaque ardoribus maximis, colliquescere quodammodò videretur. Quæ noua indignationis materies, eum denuò parum sana loquentem, habere fecit vitam in tædio, mortem in desiderio.

Tum verò opportunè Dominus sic ad afflictum. Agnosce Iona errorem tuum, indignaris & ad mortem indignaris, quòd frutici vni, vili, & quodammodò nihili; tantùm quia tuo commodo seruiebat, non longiorem vitam indulserim; neque vis eam indulgeam tot hominum ætate prouectiorum millibus, tot paruulis, tot pecoribus & iumentis. O quantum desipis! non sic mi Iona; non sic. Ne dubita, Niniuitæ adhuc magnoperè meæ gloriæ seruient, quare illis parcendum fuit: tu verò disce modò meo exemplo bene velle omnibus, opta Niniuitas, vel mei causa, incolumes, & vel sic tibi optimè per me futurum arbitreris.

PROPHETIÆ IONÆ
CAPVT PRIMVM.
SYNOPSIS CAPITIS.

*N Niniuen Assyriorum regiam à Deo missus* IONAS, *fugit in Tharsis; fugientem tempestas sequitur, & assequitur: reus sorte quæritur, inuenitur, proprio calculo damnatur, in iratum mare mittitur, mare verò hac prædâ placatum iras ponit. In actionem gratiarum à sociis Sacrificia offeruntur, vota nuncupantur.* Breuius S. Gregorius Magnus, & totidem propè verbis, B. Laurentius Iustinianus Proto-Patriarcha Venetus. *Fugitiuum Dei tempestas inuenit, sors ligat, mare suscipit, bellua includit, & quia auctori suo obedire renititur, ad locum, quò missus fuerat, suo reus carcere portatur.*

Gregor. lib. 6. Moral. c. 12. Laurent. Iustinian. lib. ligni vitæ c. 4. de Obedientia.

TEXTVS.

1 ET factum est verbum Domini ad IONAM filium Amathi, di-
cens: 2 Surge & vade in Niniuen ciuitatem grandem,
& prædica in ea: quia ascendit malitia eius coram me. 3 Et sur-
rexit IONAS, vt fugeret in Tharsis à facie Domini, & descendit in
Ioppen, & inuenit nauem euntem in Tharsis: & dedit naulum
eius, & descendit in eam vt iret cum eis in Tharsis à facie Domini.
4 Dominus autem misit ventum magnum in mare: & facta est
tempestas magna in mari, & nauis periclitabatur conteri. 5 Et
timuerunt nautæ, & clamauerunt viri ad Deum suum: & miserunt
vasa, quæ erant in naui, in mare, vt alleuiaretur ab eis; & IONAS
descendit ad interiora nauis, & dormiebat sopore graui. 6 Et
accessit ad eum gubernator, & dixit ei: Quid tu sopore deprimeris?
surge inuoca Deum tuum, si fortè recogitet Deus de nobis, & non
pereamus. 7 Et dixit vir ad collegam suum: venite, & mittamus
sortes, & sciamus quare hoc malum sit nobis. Et miserunt sortes:
& cecidit sors super IONAM. 8 Et dixerunt ad eum: Indica nobis
cuius causâ malum istud sit nobis: quod est opus tuum? quæ ter-
ra tua, & quò vadis? vel ex quo populo es tu? 9 Et dixit ad eos:
Hebræus ego sum, & Dominum Deum cæli ego timeo, qui fecit
mare & aridam. 10 Et timuerunt viri timore magno, & dixe-
runt ad eum: Quid hoc fecisti (cognouerunt enim viri quòd à fa-
cie Domini fugeret, quia indicauerat eis) 11 Et dixerunt ad
eum:

eum: quid faciemus tibi, & cessabit mare à nobis? quia mare ibat
& intumescebat.
12 Et dixit ad eos: Tollite me, & mittite in mare, & cessabit mare à vobis: scio enim ego quoniam propter me tempestas hæc grãdis venit super vos.
13 Et remigabant viri vt reuerterentur in aridam, & non valebant: quia mare ibat, & intumescebat super eos.
14 Et clamauerunt ad Dominum, & dixerunt: Quæsumus Domine ne pereamus in anima viri istius, & ne des super nos sanguinem innocentem: quia tu Domine, sicut voluisti, fecisti.
15 Et tulerunt IONAM, & miserunt in mare: & stetit mare à feruore suo.
16 Et timuerunt viri timore magno Dominum, & immolauerunt hostias Domino, & vouerunt vota.

LECTIO PRIMA.

ET FACTVM EST VERBVM DOMINI AD IONAM FILIVM AMATHI. *Vers. 1.*

ARGVMENTVM.

Præterquàm quòd hîc proposita S. Textus verba accuratiùs expendantur, & explanentur (vti Lectionibus singulis præstabitur) tractatur de Verbi diuini efficacia; de Iona constituto Concionatore à Deo; deque Concionatorum officio.

Ionas propriã scripsit historiam.



1 BEATVS IONAS, quem D. Hieronymus Prophetam præ ceteris hoc illustri decorauit elogio, ne quis eum olim tam turpiter à facie Domini fugientem reprobum crederet; non Gentium, vti Sibyllæ; non Legis nouæ, vt per suam S. Apocalypsim Ioannes; sed Iudæorum, adeoque veteris instituti ac moris, vt reliqui, quos partim Maiores, partim Minores nuncupamus, Vates percelebris; cùm quæ circa seipsum euenêre hoc libello conscripserit, numquàm, quod quidem sciam, aut de fide suspectus, aut minùs verax habitus, apud vllum, quantumuis hostem religionis Catholicæ, viluit; numquàm non fuit in pretio.

Cur Prophetia Ionæ dicta gentibus, inter sacra Scriptura libros ad Iudæos spectantes posita. Rationes.

2 Quærit verò inter suos celebris Rabbi Dauid Kymchi, cur vaticinium istud, Iudæos non spectans; sed Niniuitas, gentem profanam & exteram, sacris illorum sit Voluminibus insertum? Et respondet apposité: Vt exterarum nationum, adeoque Assyriæ gẽtis exemplo, Iudæi in solis maiorum meritis & auita fide gloriosi, omni interim virtute vacui, cordis sui duritiem, quã post creberrimas adhortationes, preces, Vatum minas, in prauitate ac multiplici scelere tam diu perstiterant, tandem aliquando detestentur & damnent.

Caluini in Deum blasphemia.

3 In quo sapuit præ Caluino Iudæus. Caluinus namque ab hominibus crimen amoliens, & in eos, vt apparet, benignus, non veretur esse crudelis in Deum, illique perfidè impingere, quod homini non audet. *Probabile* (inquit) *est abreptum fuisse Iudæis Prophetam; vt Niniuitæ suo exemplo augerent crimen Israëlis.* Quis Prophetam abripuit? Deus. A quibus abripuit? A Iudæis. Quibus dedit? Gentibus. Quorsum? Vt Iudæorum malitia, vt crimen crescat. Hoc sentit probabile

Caluinus in 1. c. Ionæ.

bile

bile Caluinus. Sed quid minùs probabile? quid magis ineptum? quàm dicere Deum fontem bonorũ omnium, velle peccatum malorum omnium pessimum? Suggerit Deus quæ prosint, idque, vt prodesse possint, facit assiduè: fateor, si talia copiosè & amanter suggerentem non audiant, augeri crimen; sed cuius culpâ? an bonum suggerentis? an verò contemnentium & pro bono perpetrantium mala? Ne contemnant, salutaria monita audiant, inspirationibus sanctis obsecundent, alia omnia respuant, damnent, auersentur. Scimus, referente Prophetâ, quod Dominus ait: *Nolo mortem impij, sed vt conuertatur impius à via sua, & viuat.* Scimus item quod Caluinus ait, velle Deum mortem impij: cui credamus? veritati de se loquenti? an Caluino de veritate falsitatem? Dixerit quodcumque voluerit Caluinus, ego cum Orthodoxis assero, id semper egisse Deum, & agere pro sua in nos benignitate, vt viam aperiat & ostendat, quâ rectiùs & tutiùs gradientes, mox æternâ felicitate potiamur. Quæ causa est cur nos ipsos velut arbitros statuens, *Quid est*, inquit, *quod debui vltrà facere vineæ meæ, & non feci?* tantùm abest, vt culparum nostrarum cupiat incrementum, ansam quærens nos & liberiùs & acriùs puniendi. Et esset hoc certè Tyrannum agere, non Patrem; quod absit ab humano pectore, de Deo, cuius natura bonitas, cuius opus misericordia est, aut sentire, aut comminisci. Insaniat ita si velit Caluinus, sed solus insaniat.

Ezech. c. 33. v. 11.

Isaiæ c. 5. v. 4.

4 Altera ratio, cur IONÆ de Niniuitis vaticinium, iunctum sit iis, quæ Prophetæ de Iudæis prodidêre, hæc est: Vt illud, vnà cum reliquis Dei operibus admirandis, posteritati consignatum, ac publicis hisce firmatum tabulis, doceat Iudæos iuxtà ac Gentes, Prophetam post triduum, quo ventrem ceti incoluit, littori redditum saluum, atque ad maiora seruatum, non verbo tantùm, sed verbo simul & facto diuinæ gloriæ seruiisse.

5 Addo tertiam: Ita Iudæos instrui oportuit, non tam gẽtem & populum a Deo spectari, quàm mores, animum, vitam; cumque non gentis, & familiæ origine ac splendore, honoris corporisque cultu, non linguâ, habitatione, patriâ; sed vnâ virtute permoueri. Hęc ratio potissimum D. Cyrillo Alexandrino placuit: vnde suum in hūc Prophetam Commentarium sic orditur: *Dum IONÆ Prophetæ ministerium, & missionem mecum cogito, opportunissimè à B. Paulo prædicatum, illud in mentem venit. An Iudæorum Deus tantùm? nonne & Gentium? siquidem vnus est Deus.* Planè hîc videmus verissimum quod sanctus Petrus Apostolorum Princeps expertum se ait: *Quia non est personarum acceptor Deus: sed in omni gente, qui timet eum, & operatur iustitiam, acceptus est illi.*

Deus non est personarum acceptor.

Act. 10. v. 34.

De his satis. Nunc IONAM ipsum audiamus.

6 ET FACTVM EST VERBVM DOMINI AD IONAM. 70. ex Editione Sixti V. Καὶ ἐγένετο λόγος κυρίου πρὸς Ἰωνᾶν. Chaldæus Paraphrastes habet. *Et factum est verbum Prophetiæ à facie Domini cum Iona.* Fieri ad aliquem verbũ Domini, idem est ac illi Deum Dominum nostrum aliquid reuelare, atque illum prophetico spiritu adimplere. Sic 1. Reg. tertio capite dicitur: *sermo Domini erat pretiosus in diebus illis.* Id est, rari inueniebantur Prophetæ.

Ionas ex abrupto incipit librũ suum.

1. Reg. c. 3. v. 1.

Sine apparatu, sine ambagibus, sine titulo orditur; quòd non tam propheticos sermones, quàm historiam recenseat: aut, quod ait Christophorus Castrius, quasi qui fugiat Deum, omnia perturbatus agit & loquitur; neque curat officij sui facere mentionem, vt qui Propheta esse abnuit. Sed magis mirum videri posit, quo modo à copula, *&*, sumat suæ orationis exordium, quæ eadem ferè est singulorum versuum huius capitis prima vox. ET FACTVM EST &c. inquit. Hoc ante me curiosè perquisierunt Patres: ego verò cùm Bernardo mellifluo, in materia tamen dispari,

Bernard. Hom. 1. super Missus.

dispari, rogo. *Putásne aliquid superuacuè positum sit? nequaquam. Si enim nec folium de arbore sine causa, nec vnus ex passeribus sine Patre cælesti cadit super terram; putem ego de ore Sancti Prophetæ, superfluum diffluere verbum? non puto.*

Rationes

7 Huius ergo initij causa multiplex. Prima quibusdam aliis sacræ Scripturæ libris communis; vt libro Exodi, Leuitici, Numerorum, Iosue, Regum tertio, primo Machabæorum, lamentationibus Ieremiæ, Ezechielis vaticinio, aliisque, quòd phrasi hebræa ac proprio linguæ illius idiotismo sic ad elegantiam hæc vocula vsurpetur interdum. Ita Origenes, Augustinus, Eutymius, Oecumenius, & ex recẽtioribus Hieronymus Prado, Franciscus Ribera, Emanuel Sà, illosque secuti complures. Hoc fortasse minus elegans, imò absonum, secundum aliorum idiomatum vsum alicui videri possit: verùm is sibi persuadeat cùm Francisco Feuardentio, Hebraicæ linguæ satis per se commẽdabilis sanctitatem, nullo alio ornamento egere, proindeque hanc omnes attici æquè ac latij sermonis amœnitates, velut supposititias plumas, aspernari, suo nitore contentam.

Origenes Hom. 19. in Num. August. super Psalm. 4. Eutymius super c. 7. Ioan. Oecum. super. c. 2. epist. ad Roman. Pradus in Ezech. Ribera in hunc locum. Sà hic.

Linguam Sanctam ornatu non egere exemplo ostenditur. Euseb. d. lib. 8. præpar. Euangel. c. 1.

8 Ad huius rei firmitatem facit, quod de Theopompo narrat Eusebius, eum cùm Hebræam linguam, adeoque sacros codices Græcâ oratione politiori, vt putabat, exornare vellet, illicò turbatione quadã mentis & animi perculsum, magno studio Deum rogasse, cuius rei gratia id sibi accideret, audiuisseque per somnium quòd res diuinas lenocinio iniquitatis hominibus adderet. Scilicet nuda veritati increatæ veritas placet, non verborum fucus, non phaleræ. In quam sententiam dictũ quoque à Ioanne Apostolo S. Apocalypseos extremo capite. *Si quis apposuerit ad hæc, apponet Deus super illum plagas scriptas in libro isto. Et si quis diminuerit de verbis libri prophetiæ huius, auferet Deus partem eius de libro vitæ, & de ciuitate sancta, & de his quæ scripta sunt in libro isto.* Quæ longè grauiora, quàm quod Theopompo accidisse retulimus. Ne quis hæc interim miretur in eo, qui non sanctitatem & spiritum, sed nudam in Scripturis elegantiam, fortè etiam aliud aliquid magis indignum veritate summa, Deique spiritu sectabatur, meminerit quid aliquando B. Hieronymo acciderit; qualis & quantus Hieronymus, quantus inquam sanctitate, quantus meritis nemo ignorat: ille interim tantus vir, se acutissimâ correptum febri, & mente ante tribunal æterni iudicis pertractum, ibidem cæsum grauissimè memorat, quòd elaboratas Marci Tullij orationes sacrorum librorum inculto sermoni prætulisset. *Interrogatus* (inquit) *de conditione, Christianum me esse respondi; & ille qui præsidebat, mentiris ait, Ciceronianus es, non Christianus; vbi enim thesaurus tuus, ibi est & cor tuum.*

Nihil in Scripturis addendum, aut mutandum. Apocal. c. 22. v. 18.

S. Scripturæ lectionẽ omnibus præferendam exemplo D. Hieronymi ostenditur.

Hieron. Epist. ad Eustoch. de custod. Virgin. cap. 13.

9 Audiant, & discant quid agere debeant imposterùm, qui libros lectitant nescio quos: vtinam dumtaxat profani sint, & non impudici, ac impij, qui scelus omne, adeoque nefandum hæreseos errorem, scelerum omnium matrem & nutricem contineant, doceant, quibus tamen sic capiuntur, vt iis percurrendis, voluendis, ruminandis, diebus etiam noctes adiungant.

Non legendi libri impudici multò minùs hæretici.

10 Habes hîc quod mecum deplores Dei & auitæ religionis cultor, inueniri inter hos tam impigros noxiorum librorum, vt sic dicam, helluones, qui quod in diuinis ponant temporis nihil reperiunt, quod in istis plurimum; quia videlicet ibi inueniunt quod oblectet, hîc quod terreat. Sed inquiunt; non video quomodo affici sacris Litteris possim in quibus nihil elegans, nihil eruditum. Et ego, omnino elegans & eruditum est, quod non modò eruditum, sed, quod longè maius est, sapientem ac sanctum hominem, vt solent sacræ Litteræ, efficit. Hæ tales effecêre non vnum, sed plurimos, nominatim Bernardum

S. Scripturæ lectio facit sapientes & Sanctos.

nardum Clareuallensem Abbatem, qui ex iis tantam suauitatem, coniunctionem cum Deo tantam, addo humanam diuinamque sapientiam, quâ eum imbutum etiam excelluisse nouimus, velut è penu ditissimo copiosissimoque in se deriuauit, quantam eius scripta loquuntur.

Sacra Scriptura efficax ad persuadendum.

11 Demus interim minùs quorumdam palato sapere sacram Scripturam, demus videri iis minùs elegantem, certè minùs potentem atque efficacem affirmare non possunt. Nam vt dixit aliquando vir apprimè eruditus Ioannes Franciscus Picus Mirandulanus: *Sacræ Scripturæ oratio vim persuadendi maximam obtinuit, non mouent, non persuadent sacræ Litteræ; sed cogunt, agitant, vim inferunt. Legis rudia verba & agrestia; sed viua, sed animata, flammea, aculeata, ad imum spiritum penetrantia, hominem totum potestate mirabili transformantia.* At inquies hanc ego qui de numero hominum sum efficaciam non sentio, vim in me eiuscemodi non experior; vis causam? edisseram. Non hoc agis vt sentias, non laboras vt experiaris; cor ferreum est tibi, fortè etiam adamantinum, quod iam pridem ad omnia, etiam malleum & incudem, interminationem inquam perpetuorum suppliciorũ obduruit: & quid in te agat, quo pacto in cor adeò obduratum influat liquor melleus scripturarum? aut quid hominem eiusmodi, moueat diuinum illud, tametsi ingens, tonitru verborum? Tibi igitur, tuæque imputes peruicaciæ, quod ex tam sacra siue lectione, siue enarratione, deesse animo tuo senseris.

Mirandulanus in lib. Examinis doctrinæ vanitatis gentilium.

Sacrà Scriptura cum spiritu legenda.

Propheta sæpè quæ mente volunt cum iis quæ scribunt cõnectunt, vnde obscuri.

Gregor. hom. 2. super. c. 2. Ezechiel. August. super

12 Alteram causam inusitati exordij à copula tradunt B. Gregorius, Augustinus, Hugo Cardinalis, Glossa, Dionysius Carthusianus, & alij; quòd IONAS, prophetico more, plura spiritu quàm oculis contemplatus, plura mente quàm verbis disserens, scribendo ea connecteret, quæ mente voluisset. Sic & suppresso vno, alterùm hîc dumtaxat narrârit. S. Augustinum audiamus. *Iunctura* (inquit) *mirabiliter fortassis insinuat, prolationem veritatis in voce, cum ea visione, quæ fit in corde, esse coniunctam.* Sic omnino soliti erant Prophetæ, eorũ quæ nossent diuinitus, quędam scribere, quædam tantùm concipere, suo tempore scribenda, reuelanda. Hinc quasi sibi dũtaxat scriberent, subinde posteriora, quæ vulgabãt, cum prioribus, quæ abdita, neque adhuc expressa litteris, componebant. Quæ quoniam ferè ignorantur, perdifficile est in plerisque Prophetarum, priora cum posterioribus, antecedentia cum consequentibus aptè iungere, adeoque nihil in iis difficiliùs, quàm inuenire connexionem, quam aut optes, aut velis, aut in qua iam mente conceptâ, penitus conquiescas.

Psalm. 4. Hug. in hunc locum. August. vbi suprà in Psalm. 4. Tom. 8. ope.

Coniũctionis. cum sententia non præcesserit, cui sequens annectatur.

13 Ad rem nostram quod attinet, Benedictus Arias Montanus, hoc IONÆ vaticinium Niniuitis dictum iungendum putat cum altero, quod Israëlitis idem Propheta vulgauit. Vbi Ieroboamo felicia omnia pollicens: *Restituturum* (inquit) *terminos Israël ab introitu Emath vsque ad mare solitudinis.* Hîc enim, vt docet quartus Regum, *sermo est Domini Dei Israël, quem locutus est per seruum suum Ionam filium Amathi prophetam, qui erat de Geth, quæ est in Opher.* Id si verum esset, quod aliquo modo dubium supra censuimus; verum similiter esset indubiè, priùs Iudæis quàm Gentibus IONAM prædixisse futura.

Lib. 4. Reg. c. 14. v. 25.

14 Quod tertium est, nescio an non etiam præcipuum, Emphasim habet copula *Et* initio posita ex mente Theophilacti: ac si dicat Propheta: quoniam Israëlitæ multa audiuêre multorum vaticinia, sed surdâ aure; multos audiuere Prophetas, nihilo tamen inde facti meliores, sanctiores;

Niniuitarum conuersio, est Iudæorum confusio.

——nihil omnibus actum est
Tantorum impensis operum.

Virgil. xi. Æneidos.

ET FACTVM EST, etiam factum est tandem, VERBVM DOMINI AD IONAM. quorsum? vt ad Assyrios, ad populum inquam Niniues abeat, & tum demum appareat manifestè, an hic non faciliùs credat, quæque à Pro-

Propheta audierit, pluris faciat, promptiusque sequatur, atque adimpleat; quàm Iudæi, quos Deus gentem sanctam, & electam, imò velut peculium suum voluit.

Ethnici conuersi recens ad fidem ferrentiores veteribus Christianis, sunt illis opprobrio.

15 Vti tum ad IONAM; ita postmodùm ad Apostolos, & modò temporibus nostris nouissimis FACTVM EST VERBVM DOMINI ad viros Apostolicos, aut verius, nouos noui orbis Apostolos, abeuntes mādante Domino in Orbem nouum, ad populos immanitate barbaros; vt videamus nos S. Romanæ Ecclesiæ primogeniti filij, quātò ardentius hauriant, hanc veram & beatam Christi Philosophiam, sapientiam inquam Sanctorum, quæ docet mundum & quæ mundi sunt contemnere, gentes exteræ, & ab omni religione ac veritate hactenus alienæ, Indi videlicet, Iapones, Brasili, Sinæ, ipsi etiam Antipodes; quàm multi hoc tempore in nostris partibus Europæi, tepidi Christiani.

Longanimitas Dei concedentis tempus pœnitentiæ, & minantis antequàm puniat, ostenditur.

16 Et hìc vlteriùs notanda bonitas Dei immensa; cùm enim pleni sint abominationibus, pleni sceleribus Niniuitę, flagella quidem minatur, intentat, & velut à longè ostendit; non ferit tamen benignissimus Dominus, imò, ne ferire debeat ad eos nuntium imminentis cladis, dum adhuc tēpus pœnitētiæ, IONAM mittit. Quid ampliùs non iam ab Imperatore, aut Domino, sed vel ab ipsissimo parente exspectes. O numquam æterni Regis satis laudata, satis commendata benignitas. Regis est, Iudicis est, nocentes plectere, quid noster Dominus? Rex est, Iudex est. ergone plectat? sed seuerior videri possit. non plectat? lenior. quid faciat? monebit, minabitur, &, si monitiones non sufficiant ac minæ, tum demum puniet. Sic olim fecit. Ante solemnem illam inundationem, & diluuium orbis terrarum plus centum viginti annis per præconem suū Noëmum hæc flagella intētauit. Ante illud Sodomorum tam vastum incendiū, quod quinque florentissimas vrbes depopulatum est, Loth primum, deinde Angelos monitores misit. Ante Ægyptiorū infelicem inter recurrentes vndas interitum, Moysem & Aaronem rogaturos, mādaturos, populum dimitterent, destinauit. & vti in illis tum temporis, ita in hoc diuinæ pariter & iustitiæ & clementiæ factum satis.

Eadem Exemplis illustratur.

Mittitur namque ad opulentā Niniuen Assyriorum regiam, totius Monarchiæ caput, ante futuram subuersionem Propheta noster, vti hic legimus. ET FACTVM EST VERBVM DOMINI AD IONAM FILIVM AMATHI. quorsum? Certè, quemadmodùm supra diximus, vt appareat Dei & Domini magna cum iustitia æquitateq; benignitas, eùmque agnoscamus, & simul deprædicemus, non minus misericordē quàm iustū: dico ampliùs quodāmodò magis misericordem quam iustum, videntes quod *miserationes eius super omnia opera eius.* Psalm. 144. v. 9.

17 Prodit se insuper magna in IONAM Dei munificētia; quòd nihil tale cogitantem, nihilque minus merentem, ad summa quæque adhibeat, eum velut familiarem, ac omnino domesticum, arcanorum suorū interpretē, simul & præconem statuat. Sic deinde piscatores operi suo intentos, iacientes, lauantes, reparantes retia, nihil minùs quàm de diuinis cogitantes, in Apostolos orbis Principes elegit. Pastores quoque nocturnis vigiliis seruando gregi insistentes per Angelum ad præsepium & cunas Seruatoris euocauit. Et multos nostrum, quæ eius est gratia, sedentes in mediis ignorantię tenebris, ad lucem cognitionemq; veritatis: idque secūdùm suauē dispositionem diuinæ suæ prouidentiæ. Si causam quæras, si percuncteris, cur hos potiùs quàm illos, si cur IONAM & non alium quempiam multis fortasse partibus digniorem? Dico cum Apostolo. *Quis cognouit sensum Domini, aut quis consiliarius eius fuit?* hoc scio, rectè dictum à Dauide, *Misericordia eius praueniet me, & subsequetur me, omnibus diebus vitæ meæ.* Sic est. *Preuenisti nos Domine in benedictionibus dulcedinis tuæ.* paren-

Dei bonitas & misericordia in vocationibus variis; exemplis illustratur.

Ad Rom. c. 11. v. 34.

Psalm. 38. v. 11.

Psalm. 20. v. 4.

parentem te optimum exhibuisti, & exhibes; melius namque tuorum saluti & bono inuigilas, quàm suorum commodis alius quispiam, aut velit, aut possit. Hinc & nocitura arces, & profutura ingeris, & quadam ratione dormientes nec de proprio solicitos, largâ benedictione impertis.

Familiaritas cùm Deo, auctoritatem, & dictis fidem conciliat.

18 FACTVM, vt audiuimus, VERBVM DOMINI AD IONAM: verum nostrâne an Niniuitarum hoc scire interfuit? Sanè vtrorumque: videlicet credamus oportet, non adinuentiones proprias, non philosophica quædam pronuntiata, aut propria sui capitis figmenta à IONA Niniuitis obtrudi, litteris consignari publicis: sed ea, quæ certissimè Deo reuelante cognouit; vt conciliatâ, ope iussuque supremi Numinis, verbis eius auctoritate, hæc & influant suauiùs, & moueant auditorem lectorémve ampliùs; vbi Dei non hominis vocem esse perspexerint.

Ethnicorum circa hoc figmenta.

19 Idem voluissent veteres legum conditores; quare ad aucupādam auctoritatem faciendamque aliis dictorum factorúmve suorum fidem, intimam ementiebantur familiaritatem Deorum: quasi ex hac illa præclara legum inuenta, quæ ad posteros transmitterent, velut oraculo didicissent: Minoem Cretensibus, Solonē Atheniensibus, Carthaginensibus Charondam, Romanis Pompilium, alios aliis condidisse leges nouimus. Faciebāt autē Minos earum auctorem Iouem, Solon Apollinem, Charondas Mercurium, Pompilius Egeriam, alij similiter alios, ne si suas dicerēt, quas propositas populo vellent leges, illæ vt humanæ contemnerentur, vt apparuit suscipiendæ, cùm diuinum aliquid redolerent.

Mahometis figmentum in lege sua promulgandâ.

20 Hâc eadem industriâ Christiano æuo vsus est malitiosissimè spurcissimus [h] Mahomet. Hic namque, cum longo vsu impositis auriculæ suæ frumenti granis, columbam inde cibum capere docuisset, eam abdita Dei consilia & maximè arcana sibi patefacere solitam suis fraudulenter imposuit. Taurum quoque instruxerat, ne de manu alterius cuiuspiam cibum sumeret, cumque id lōgo vsu, & diuturnâ experientia, esset consecutus, inter cornua hærere fecit librum pestilétissimæ legis, Alcoranum vocant; & occultatum aliquamdiu taurum magnâ voce exciuit, qui ferociens, cum propero cursu deiectis aliquot, ad Mahometis genua famelicus accidisset, in eius sinum caput demisit, & mox summâ veneratione arreptū librum, velut diuinum cæloque missū, insanus impostor populo venditauit; quod ad iniquissimæ legis promulgationem, venerationē, cultum, propagationem non parū momenti attulit. Non absimili astu quo prophetam, se Regem quoque statuit. Suspenderat è columbę collo schedulā, his litterarum notis aureis insignem: *Quicūque tauro iugum imponet, Rex esto*; scilicet diuinum hoc erat oraculum, vox cælo missa, quam solus ipse doli totius, omnisque imposturæ machinator & artifex adimpleret. Successit negotium, iugum tauro non ægrè imposuit, regnum vsurpauit; atque ita tyrannidem iuxta ac impietatem suam deinceps, voce quidem & legibus barbaris aliquantisper; sed multò potiùs ac fortiùs ferro propagauit.

[h] Cedrenus anno Heraclij 21. Anast. Bibliothec. in Fragmēto Historiæ ex iis Lælius Bisciola. Horarum subcisiua. Tom. 1. lib. 4. c. 6.

Simile eiusdem in se Rege constituendo figmentum.

Magni belli Duces, familiaritatem cum Diis olim ementiti feliciter.

21 Quosdam etiam summos bellatores historici tradiderunt, diuini colloquij famam de se callidè in vulgus emanare voluisse. Talem fuisse audiuimus inter Græcos Alexandrum Macedonem, inter Romanos Scipionem; quorum hic, cum assiduus fuisset ad Iouis aures in vrbis arce Capitolio, plurimum id sibi profuisse sensit ad Carthaginem Numantiamque delendam. Ille verò, sæpiùs commentitios suos Deos adiens, ab iisque oracula sciscitatus, quamquàm aliàs felix & industrius, plura tamen bella diuinitatis opinione quàm virtute confecit. Vt proinde non mirum videri debeat; si quod & falsò, & perperam affectatum à quibusdam, tantum in huma-

humanis mentibus potuit; id, ab iis, à quibus verè impetratum; ad faciendam dictorum factorumque suorum fidem legitimè propalatum, atque ad posteros transmissum amplius potuisse. Neque aliter fieri hîc cum IONA oportebat in re difficili, &c, quia salutem multorum spectabat, necessariâ.

Paulus verè Deo familiaris, multa ab eo cognouit diuinitus.

22 Imitatus Prophetam nostrum magnus Gentium Doctor, cum Galatis scribens ait: *Notum vobis facio fratres Euangelium, quod euangelizatum est à me: quia non est secundum hominem, neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici, sed per reuelationem* IESV *Christi.* Tum videlicet cùm ab eo raptus in tertium cælum audiui arcana verba. In eundem modum scribit Corinthiis: *An experimentum quæritis eius, qui in me loquitur Christus.* En quàm meritò dicere poterat Euangelium suum non humanum, sed diuinum. Talia igitur cùm sint Prophetarum vaticinia, talia cùm Apostolorum monita, discite *Sodales*, quâ veneratione, religione, fide, ea colere, amplecti, seruare debeatis. Sanè non aliâ, quàm si Deum ipsum è summa cælorum arce vobis loquentem audiretis.

Cap. 1. v. 11.

2. Corint. c. vlt. v. 3.

Deus varijs modis cum Prophetis, & Sanctis loquitur.

23 Agamus modò, & quâ ratione factum ad IONAM Domini verbum disquiramus. Vias ac rationes declarandi voluntatem suam, cum variis varias iniuisse Deum nouimus. Sunt enim quibus per Angelum; vt *a* Abrahæ, *b* Lotho, *c* Tobiæ. Sunt quibus per corpoream quandam speciem externis obiectam sensibus; vt *d* Balthasari, per articulos manus scribentis in pariete. Sunt quibus per formatas Prophetarum voces, vti *e* Dauidi, per Nathan de centesima oue loquentem; *f* Israëli, per Moysem Dei mandata proponentem; vrbi Ierusalem, per *g* Isaiam quid vellet aperuit.

a Genes. c. 18. *b* Genes. c. 19. *c* Tobiæ c. 5. *d* Danielis c. 5. v. 5. *e* 2. Reg. c. 7. *f* Exod. 31. *g* Isaiæ c. 6. v. 8

Visiones Prophetarum variæ.

24 Alij etiam mira sibi videre visi, & ex iis Domini voluntatem edocti. Vidit *h* Isaias Dominum sedentem super solium excelsum & eleuatum. Vidit *i* Daniel antiquum dierum, cuius vestimentum erat candidum vt nix, & capilli capitis quasi lana müda. Vidit *k* Ezechiel 4. animalia diuersarum specierum, rotas itidem quatuor. Vidit *l* Zacharias equites aliquot, quatuor cornua, totidem fabros. Vidit Ioannes multa, varia, & stupenda, quæ nobis totâ suâ Apocalypsi plenè describit. Sed felicissimi, quibus neque per speciem sensibilem, neque per intelligibilem vt terminis vtar scholasticis, neque per inspirationem, neque per internuntium, sed per seipsum (si id aliquando accidit) Deus loquitur. Id beneficij consecutum Moysem, Isaiam, & paucos alios D. Hieronymus in Epistola ad Damasum Papam opinatur, secundùm illud Exodi: *Loquebatur Dominus ad Moysem facie ad faciem, sicut solet loqui homo ad amicum suum.* Quamquàm id alij secus interpretentur, difficulter credentes Dominum in propria specie ab vllo in terris viuentium visum, ipsomet famulo suo Moysi dicente: *Non videbit me homo, & viuet.* Interim quod Moysi & paucis aliis D. Hieronymus, idem obtigisse IONÆ nostro Paulus Palatius disertissimus Ecclesiastes & præclarissimus Theologus Henrici Lusitaniæ Regis ac Cardinalis, vti & Franciscus Feuardentius Ordinis Seraphici Sorbonicus Doctor eximius, opinantur.

h Isaiæ c. 6 v. 8. *i* c. 7. v. 9.

k Ezech. c. 1. v. 5. *l* Zachar. c. 1. v. 18.

Moysi Deus est locutus facie ad faciem, secundum D. Hieronymum.

D. Hier. Epist. 141 ad Damas. ope. T. 3. c. 33. v. 11.

Exod. c. 33 v. 20.

Legatio Ionæ ad Niniuitas, quomodò secundum quosdam imperata à Deo.

25 Hic namque, vt aiunt illi, post plures in concionibus ad decem tribus habitis exantlatos labores, Deū sibi sub augustissima specie visum, dicentem audiit. Falleris, ô IONA falleris, si nunc feriandum, si ducendos sine cura dies, si cum ad solos Israëlitas dixeris, satisfecisse te muneri tuo putes, longè alia te manent viarum incommoda, pericula alia. Ad gentes ignotas & exteras tibi properandum modò est. Confortare igitur, & esto robustus, surge, & molestę peregrinationi, itineri incōmodo, duro labori accingere: velociter propera, moras omnes rumpe, meâ protectione munitus, securus abi, atque accelera.

Verum quidquid sit, siue Deus ipse, vt illi opinantur; siue angelus, Dei personam ac vices sustinens, sese IONÆ videndum exhibuerit, non obscurè illi Dei voluntas innotuit. FACTVM namque EST VERBVM DOMINI AD IONAM.

Ionas non se, sed Deum prædicat.

26 Colligo hinc eum non vanum Ecclesiastem, vt hodie multi, qui ingenij, eloquentiæ, industriæque suæ nimiùm futiles ac stulti laudatores, veritatis cathedras occupant, in iisque non Deum, non religionem illius ac cultum, non virtutes, sed seipsos turpiter prædicant.

Ionas non prædicat, nisi iussus.

Insuper obseruo IONAM nõ prius ad Niniuitas dicere, quàm Dominum dicentẽ docentemque audiit. Sic ille Christi paranymphus ipsius veritatis ore plus quàm Propheta, quo inter natos mulierum non surrexit maior, *Erat in desertis vsq; in diem ostẽsionis suæ ad Israël.* Videlicet nondum factũ erat ad eum verbum Domini, quod vbi factum: *Venit* (D. Lucâ teste) *in omnem regionem Iordanis, prædicans baptismum pænitentiæ in remissionem peccatorum.* Vbi diuino plenus spiritu, pari contentione animi ac vocis, ad turbas dixit: *Genimina viperarum, quis ostendit vobis fugere à ventura ira?* simili etiam libertate Herodi in ipsa sua Regia: *Non licet tibi habere vxorem fratris tui.*

Lucæ c. 1. v. 80.

Cap. 3. v. 3.

Ibid. v. 7.

Marci c. 6. v. 19.

Concionaturi aliis, sibi prius viuant, & concionentur.

27 Habent hîc illustre exemplum, in primis pastores, aliique, quibus ex officio cura de proximo, ne aliena curaturi, hinc inde discurrant, aut alios instituturi abeant, priusquàm sibi domi vixerint. Sanctorum illud consilium est, priùs feruenti prece, ardentibus desideriis cum Deo colloqui, eius exquirere voluntatem, cor gratiæ diuinæ pandere, se ad omnes casus aduersos communire, forti magnarum virtutum præsidio armare, sua agere; ac tum demum ad alios diffundi, ad aliena diffluere. Quod nec rectè facit, quantumcumque sibi vixerit, qui verbum Domini, per Prælatorum Ecclesiæ, summorũque Præsulum mandata non præstolatur, dicente Paulo: *Quomodo prædicabunt nisi mittantur?* Sanè habemus præceptum Apostolis, *Ab Ierosolymis ne discederent, sed exspectarent promissionem Patris*, & baptizarentur Spiritu sancto. Quare vsque dum *Complerentur dies Pentecostes, erant omnes pariter in eodem loco:* his autem completis, Spiritu sancto iam pleni, cùm anteà nihil magnoperè egissent, statim cœperunt loqui variis linguis, dispersique per mundum vniuersum: *Vbi erat impetus spiritus* (sicut de Ezechielis animalibus legitur), *illuc gradiebantur.* Quis verò fructus? omnino maximus. Disseminatũ breui tempore toto orbe Euangelium, conuersæ gentes, diruta simulacra, denique subitò noua quædam terræ facies: Talis esset etiam modò iis in locis, quæ ex Superiorum mandato peragramus, decurrimus, verbum Domini seminantes; si ipsi primò cibo potuque cælesti refecti, ac spiritualibus pasti deliciis, veri animarum zelatores, bono exemplo procedere conaremur in similitudinem fulguris coruscantis.

Non concionentur nisi iussi.

Ad Rom. c. 10. v. 15.

Actor. c. 1. v. 4.

Actor. c. 2. v. 1.

Fructus Cõcionum ex spiritu factarum magnus.

Ezechiel. c. 1. v. 12.

28 Nunc quod subinde parum aliis prosimus, quod magno labore, quod sudoribus multis, parum apud eos proficiamus non alia causa, quàm quia nostra agimus, & non agimus. Nostra agimus, seu potiùs, agere videmur; dum gloriam propriam quærimus: Nostra non agimus; quia saluti propriæ non intendimus, quomodo igitur alienæ? Nihil nunc dico de iis qui præsunt, pastores inquam sunt; sed pascunt non verbo, neque exemplo, sed fabulis, facetiis, iocis, & ludis. Parum dixi: dico ampliùs helluantur & penè dixerim etiam bacchantur cum suis non rarò, ne quid addam grauiùs. Quos ab his magistris exspectes discipulos, nisi aleatores, helluones. Et verò quid damnabunt in aliis, quod ipsi vsurpant; mox si damnent audituri: *Medice cura te ipsum, & eiice primum trabem de oculo tuo, & tunc educes festucam de oculo fratris tui.*

Concionatori oportet verbo & exemplo.

Lucæ c. 4. v. 23.

Lucæ c. 6. v. 42.

29 Quàm

29 Quàm velim conentur omnes illi, quibus incumbit quomodolibet cura de proximo; non hîc de religiosis mihi sermo, sed magis de illis, quibus onus illud, seu cura propria, prospicere inter seculares in seculo hominum secularium saluti ex institutione S. IGNATII Societatis nostræ fundatoris & legislatoris prudentissimi pro suis: *Primò saluti & perfectioni propriarum animarum cum diuina gratia vacare: deinde cum eadem impensè in salutem & perfectionem proximorum incumbere.* Tunc sibi, tunc aliis consulent, tunc Deo, tunc vocationi suæ, tunc saluti propriæ, ad quam obtinendam vel maximè laborandum, facient satis.

Reg. 1. sum. Constitutionum.

30 Ad IONAM reuocor, de cuius origine, prosapia, vita ac moribus, hîc longam disputationem non instituam; contentus dixisse, quod ipse ait, FACTVM EST VERBVM DOMINI AD IONAM FILIVM AMATHI. Pleraque de IONÆ parente, patria, vita, & moribus, quæ obseruaram in auctoribus, quà certa, quà dubia, iam antè recensui. Addo dumtaxat vel potiùs ex prioribus repeto verbulum de parente. Filium se vocat *Amathi*: in Hebræo est *Amitthai*. Græca etiam 70. Interpretum exemplaria in scriptura huius nominis non conueniunt. Nam Regia & Complutensia habent ἀμαθί, Sixtina verò siue Romana ἀμαθί. Nomen hoc patris IONÆ non esse appellatiuum sed proprium, non tantum probabilius, sed certius, ac propè certissimum diximus.

31 Si quispiam quærat cur potiùs IONAS, quàm alij Prophetæ parētis sui nomen expresserit. Respōdent imprimis Hebræi: quod parens æquè ac filius vaticinij dono claruerit. Id enim omnibus Prophetarum parentibus, quorum nomina expressa eorum oraculis continentur, commune existimant. Verùm cùm hoc aliàs videri possit ambiguum, refragatorem habet Diuum Hieronymum; & Paulus a Burgensis in hebręis doctissimus, id planè fabulosum putat, atque ita supra quoque censuimus.

Nomen Patris Ionæ cur in prophetia additum, discutitur.

a Ad Oseæ c. 1.

Rectiùs igitur alij, vt D. Hieronymus, Chrysostomus, Basilius, Theophylactus, Feuardentius, addi quibusdam parentum nomen arbitrantur, ad eorum, qui eiusdem nominis erant, distinctionem: quæ causa cur interdum addatur & patria. Nam quod Rabbini, eum cuius patriæ nulla mentio, Ierosolymitanum comminiscuntur, fabula est. Hoc enim fallit in primis in IONA, cuius patria hîc prætermissa, non Ierusalem, sed Geth viculus fuit, vti clarissimè ex 4. Regum ostendimus.

32 Ad extremum in hisce nominibus obseruatu dignum, quàm conueniant inter se pater & filius. AMATHI nomen patris, veritatem seu veracem, IONAS nomen filij, D. Hieronymo interprete columbam significat, & quid aliud Prophetæ conuenit quàm columbæ simplicitas, & dictorum veritas? vtrumque in IONA reperiemus, in Pseudo-prophetis siue hæreticis nostris neutrum; sed magis falsitatem & dolos; quippe quibus semper proprium, in errorem inducere, fallere, mentiri sine fronte, sine pudore, sine metu. Quare ad vos dictum puteris, quod aliquando dixit ad plebem S. Cyprianus: *Nemo vos fratres errare à Domini viis faciat, nemo vos Christianos ab Euangelio Christi rapiat, nemo filios Ecclesiæ de Ecclesia tollat; pereant sibi soli, qui perire voluerint, extra Ecclesiam soli remaneant, qui de Ecclesia recesserint.* Magis de IONA Prophetâ Domini, participemus simplicitatem, innocentiam, veritatem, simus inquam: *Prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ.* Hoc votum meum est, audi bone IESV, & exaudi: largire, & fac tales simus, quales nos esse voluisti. Ita pro omnibus tuis minimus clientulus tuus flagitat.

Explicatur nomen Ionæ & Amathi ad litteram & moraliter.

Genius Hæreticorū qualis.

S. Cyprianus Epist. 40. ex editione Pamelij.

Matt. c. 10 v. 16.

LECTIO SECVNDA.

SVRGE ET VADE IN NINIVEN CIVITATEM GRANDEM. *Verſ. 2.*

ARGVMENTVM.

IONÆ officium, & in eo, ac cum eo, omnium Concionatorum ampliùs explicatur. Cauſæ cur mittatur IONAS in Niniuen proponuntur. Quæritur cur Niniue magna vocetur; deque eius magnitudine latè diſſeritur. Demum eandem, vti vrbes aliæ olim maximæ perierunt, periiſſe quoque omniaque peritura, oſtenditur.



1 LEGANTEM, & Legatum vidimus; nunc ipſam legationem audiamus, ſeu potiùs legantis imperia; ea pauca quidem, ſed non idcircò Legato minùs dura, minùs ardua. Tria magnus Orbis Dominus IONÆ imperat: SVRGE, en primum. ET VADE IN NINIVEN CIVITATEM GRANDEM. En alterum. Addit tertium, idque maximè arduum, ET PRÆDICA IN EA. Ego hodie prioribus duobus diſcutiendis immorabor; facturus deſiderio meo, ſpero etiam veſtro beneplacito, ſatis.

Commendatur à Deo Ionæ diligentia in officio ei commiſſo.

2 Quid eſt, quod Prophetæ noſtro dicitur SVRGE. Surgendi verbum in ſacris litteris celeritatem & diligentiam in re aliqua agenda ſignificat 1. Paralip. c. 22. *Conſurgite & ædificate ſanctuarium Domino Deo:* id eſt ſtatim agite de eo ædificando & opus aggredimini. Certè iubetur in primis munus ſuum IONAS ſtrenuè exequi, & maturè incipere. Iacobo Patriarchæ dictum, vt opinor, meminiſtis: *Surge, & aſcende in Bethel, & habita ibi,* & Ieremiæ Prophetæ: *Surge & deſcende in domum figuli, & ibi audies verba mea.* Ita hic IONÆ, SVRGE, iter aggredere, relictis ceteris omnibus iniunctum tibi negotium capeſſe ſedulò, non des ſomnum oculis tuis, omnem torporem, ſegnitiem omnem excute, nam qui alios excitaturus eſt, ipſe dormiturire non debet. Speculatorē te ſtatuo; ſanè extremum tibi væ imminet, ſi tam grauia, quæ Niniuitis impēdent, mala lentus intuens, ad eos oris tui buccinā non cecineris, & quæ obuentura denuntiaueris; regemque ac ciues monueris, ponant ſceleribus modum. Ergo non cunctanter ſurge & proficiſcere ad eos, imperata exequere.

Geneſ. 35. v. 1.

Ieremiæ c. 18. v. 2.

Benè obſeruat Treminius elucere hic admodùm Dei Opt. Max. in procurandā hominum ſalute curam, quando omnem moram abrumpi cupit, quò à mortifero peccati lethargò peccatores excitentur.

Concionatores ipſi primò ſurgere debent, tum alios excitare.

3 Quod IONÆ, hoc omnibus diuini verbi præconibus miniſtris noui teſtamenti, vbiuis terrarum exiſtentibus dictum; debent enim à peccato ſurgere, & mox alios erigere: quod non facient, ſi ipſi iacuerint, vti nec illuminabunt, ſi conſtituti in tenebris. Quare Paulus egregius prædicator, qui iam ſurrexerat, alios inſtruens ait: *State ſuccincti lumbos veſtros in veritate:* ſicut ipſi adhuc iacenti, nec niſi minas & cædes ſpiranti in diſcipulos Domini, dictum, *Surge & ingredere ciuitatem, & ibi dicetur tibi quid te oporteat facere.* Quiſquis igitur in hoc miniſterium, *in Euangelium* inquam *Ieſu Chriſti*, vt cum eodem Apoſtolo loquar, *ſegregatus es*, ſurge, prodi in publicum, audiſti Domini imperata, ea exequere: & ſi rogando, ſup-

Ad Epheſ. c. 6. v. 14.

Act. c. 9. v. 7.

Ad Rom. c. 1. v. 1.

supplicando, monendo iterum & iterum nihil effeceris, tandem etiam interminare: Quod vt agas liberius & sine vlla de hominum sensu, ac praepostéris iudiciis cura, mundo mortuum te existima, & *vitam tuam*, vt idem Paulus ait, *absconditam cum Christo in Deo*, cui soli viuas. Ita supremus magister Christus, eum, qui ad prędicandum Dei regnum inuitatus, sepeliendi parentis curâ torquebatur, instituit: *Sine*, inquit, *vt mortui sepeliant mortuos suos: tu autem vade, & annuntia regnum Dei.*

Ad Colos. c.3.v.3.

Lucæ c.9. v.60.

4 Quod Christus omnibus, quibus cura de proximo, dixit, *Surge*: hoc ipsum & hi aliis clament. Ingeminauit, inculcauit Paulus Ephesiis dicens: *Surge, qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus.* Respicit nempè mores eorum, qui in multam lucem stertunt: quibus dicere aut certè clamare solet superueniens excitator, euigila, dies est, tempus è strato surgere, eia ergo citò, velociter è lecto te proripe. Ad eundé modum Paulus Ephesios, & quiuis cócionator peccatores à peccati somno excitans, ait, dies est gratiæ, sol Iustitiæ Christus illuxit, euigila, aperi oculos, surge, & illuminabit te. Porrò ita necessarium est hominem expergisci, & surgere, *Vt* (secundùm Philippum Bonæ spei Abbatem, lib. de Silentio Clericorum) *qui aliter fecerit, & ad ea quæ sunt spiritus nullâ mentis alacritate satagit expergisci; sed quæ sola sunt corporis eneruì mollitie, & stupidâ quadam segnitie desiderat adipisci, non iam homo rationis priuilegio indicetur; sed iuxta quendam philosophum instar suis, vel asini viuere comprobetur.* Surgendum ergo est, secundùm hunc Patrem, & ab illo citatum Philosophum, ne asini simus.

Christianis surgendum à somno peccati ostenditur.

Ephes. c.5.v.14.

5 Sed & sponsa à sponso suo inuitatur vt surgat: *Surge*, inquit, *propera amica mea, formosa mea, & veni.* quæ sponsa nisi anima Christiana, Domino suo, sponso suo fidelis: neque enim alius illius sponsus, quam is, qui desponsauit nos sibi *in fide, desponsauit nos sibi in misericordia & miserationibus*, & tali sponsalitio, vt dicere debeamus, atque confiteri cum amplissima actione gratiarum, æquè verè, imò veriùs, quàm Sephora: *Sponsus sanguinum tu mihi es.* Huic quisquis iungi cupit, & mox gaudere sponsalitio æterno in gloriâ, priùs cum animi alacritate ad sponsi conspectum surgat oportet. Deinde cum feruore & solicitudine properet, iuxta illud Apostoli: *Solicitudine non pigri; spiritu feruentes: Domino seruientes.*

Cantic. c.2.v.10.

Oseæ c.2. v.20.

Exod.c.4. v.25.

Ad Rom. c.12.v.11.

6 Nemo ergo, qui sibi consultum volet imposterùm, quantumuis graui peccatorum somno pressus, vlteriùs sibi dormiendum putet; sed auditâ Domini voce, intus loquente *Surge*, protinus dicat, sat nunc somno datum; video, video, mihi impendentia, si sic dormire pergo supplicia. Surgam igitur, nec dabo somnum oculis meis, donec inuenero quem diligit anima mea, eique sponsalitio indissolubili socier, beatus, vt spero, futurus cum iis, *qui ad Cœnam nuptiarum agni vocati sunt.*

Ad vocem Domini statim surgendum.

Apocal. c.19.v.9.

7 Venio ad alterum Domini mandatum. VADE, inquit, IN NINIVEN. Erat (quemadmodùm scribit D. Basilius Seleuciæ Episcopus) *Niniue ciuitas inter Assyrios hominibus refertissima, peccatis natura terminos supergressa, non tamen diuinæ clementiæ metas exuperabat. Eam ægrotantem, vt vidit humanissimus creator, mittit* IONAM, *qui morbo medeatur*, & post pauca, *creditâ igitur Propheta mali curatione; mandat ægrotos ante adeat, quàm morbus auctior mortis suffragium confirmet.* Audierat hanc Domini voluntatem, eamque non parum admirans IONAS atque egregiè pro suâ humanâ prudentiâ obluctans ait: *Quid Niniuitis impium magis? quid ad idololatriam insanius? & vicissim ad eum Dominus. Mitte vocem minitantem euersionem, & vide animorum immutationem, haud denuntiatione meâ segniorem. Vide pœnitentiæ arma irâ meâ valentiora. Vide, vt norint conciliare Dominum iratum.*

Præceptum Domini de Profectione Ionæ in Niniue declaratur.

Oratione 12.

Omni igitur, vt diximus, sepositâ ter-

tergiuersatione in Niniuen, siue, vt vocat Eusebius, apud Paulum Palatium Nisebin (sed meo iudicio non rectè, alia enim Nisibis, alia Niniue) vt Herodotus, Plinius, Strabo, Ptolomæus, à Nino eius conditore, Ninum, IONAS mittitur.

Causa cur Ionas mittatur in Niniuen. Prima.

8 Quorsum? Primò, vt Niniuitæ, & cum iis vniuersa seculorum omnium posteritas, plenè cognoscat Deum omnes omnino, gentes æquè ac Iudæos, suâ prosequi prouidentiâ; eisque vbi malitia creuerit, suos terminos longè lateque prætergressa, ius suo tempore etiam dicere. Quam rationem ipse Dominus insinuans ait, *quia ascendit malitia eius coram me.* Hic v. 2.

Secunda.

9 Deinde proponenda nobis velut in imagine videbatur, vt rectè dixit Feuardentius, Iudaica perfidia; nunquàm verò hæc magis quàm per Gentes innotuit. Dum enim per pœnitentiam clamante IONA ad cor redeunt Niniuitæ, Iudæos damnant, qui, vt D. Hieronymus obseruauit, his agentibus pœnitentiam, in malitia perseuerant. Fuit igitur istud Dei ad IONAM imperium, si non præludium, certè præsagium quoddam diuini Verbi, insuper & regni, ob incredulitatem moresque impios à Iudæis tollendi, atque ad exteros transferendi. Vtinam, quod peruenisse vidimus ab annis aliquot ad eos, qui sedebant in tenebris & regione vmbræ mortis, lumen veritatis, id etiam non sit argumentum & nota instãtis multorum defectionis ab Ecclesia & fide, quam proximis temporibus, seu ipsis nobis, seu nostris successoribus metuere debeamus.

Timendum ne alibi fidelibus crescẽtibus, hi minuantur in Europa.

10 Timenda verò hæc ampliùs videtur, quòd iam integræ Prouinciæ non à multis annis turpiter in Germania, Boëmia, Gallia, Belgio nostro, pestifero hæreseos igne deflagrarint, diffugientibus, dilabentibus, atque ex maximâ parte pereuntibus incolis; sintque hinc inde non vno in loco adhuc scintillę, vel potiùs ignes, qui latent, mox, vt subueteri possumus, in apertas flammas grauioráque erupturi incendia, quæ nobiliores potentioresque Belgij nostri adhuc superstites & propè intactas Prouincias ac vrbes, (nam illarum pars aliqua, nempè Hollandia, Zelandia, Frisia tota, & Geldriæ potiora loca iam deflagrarũt,) fortassis etiam hinc inde Prouincias & regna alia prorsus depascant. Fuissetque id factum saltem in Belgio nostro iam pridem, nisi euigilasset & etiamnum euigilaret cum Catholici Regis potentia, simul etiam industria, & sedulus nostrorum Principum labor, quibus multum debemus, quod omne à capitibus nostris tam strenuè & nauiter, propulsare periculum, & conati sint, & conentur assiduò. Itaque quod viuimus, & Catholici viuimus, sicut illis post Deum debemus, ita meritò illis etiam acceptum referamus.

Tertia causa cur Ionas mittatur in Niniuen.

11 Ad hæc IN NINIVEN IONAS mittitur, vt datò ei certo & peculiari mandato, non, pro animi sui sensu & voluntate in incertum discurrere liceat: sed præstitutæ præscriptæque sibi legationis memor, eius se terminis contineat. Egregium documentum omnibus Ecclesiæ præsidibus, eorumque adiutoribus & ministris, ne indebitè alter alterius iura inuadat. Sanè omnes & singulos memores esse oportet, non eam se auctoritatem potestatemque nactos, sed neque dignitatem, vt Apostoli sint, qui vbique prædicent, vbique conscientiæ iura exerceant; quamquam nec hos temerè vagatos probè nouimus, sed duce spiritu progressos, qui etiam, quò vellent ire, eos subinde prohibebat, vti de Paulo & Barnaba legimus. Act. c. 15. Si qui ergo propriis non contenti in aliena sic indebitè ius vsurpant, illi haud dubiè iustam suo tempore Dei exprobationem audient.

Pastores & alij Ecclesiastici, suis se limitibus singuli, continere debent.

Hæretici alienorum inuasores & direptores Ecclesiarum sunt.

12 Nihil hîc dico de infelicium temporũ nostrorum hæreticis, quorum id omne studium omnisque contentio, vt quidquid viderint Deo & aris sacrum, sub honestatis, imò religionis pallio, furto, rapinâ, dolo malo, aliisque technis ac machinationibus

bus improbis suum faciant. Nam eorum mores, quia perturbatores sunt rerum omnium, & publicæ quietis vel maximè, omnino perturbatissimos esse quis miretur? Nimis notum est quod dico; nunquid quas habent Ecclesiæ possessiones (habent autem, prô dolor! plurimas) & nefario ausu inuasêre, & è Christi, in suam hæreditatem transtulère? quem ibi locum iura habeant, fides, religio? vbi

Ouid. I. Metam.

Viuitur ex rapto, non hospes ab hospite tutus,
Non socer à genero, fratrum quoque gratia rara est.

religionis titulo, vel veriùs impietatis? vbi alter alteri, imò frater fratri, inferre solet iniuriam. Non morer in re tam lugubri diutiùs, lessum hæc requireret aut næniam.

4. Causa cur Ionas mittatur in Niniuen

13 Denique destinatur in NINIVEN IONAS tanquam ad eam, quâ nulla tum ciuitas toto orbe maior, augustior, celebrior, pulchrior, sicut ipsum nomen innuit. Est namque, *Niniue*, D. Hieronymo & Pagnino interpretibus, idem quod *speciosa*, à radice נוה *naue*, id est species, seu decor. Idem etiam quod habitata, seu plena domibus & populo, eodem Pagnino interprete, à radice, נוה *naua*, id est habitauit, & talem eam esse decebat, vt omnium Asiæ regnorum caput, ceteras vrbes splendore superaret & gloriâ: secundùm Serrarium dicta quasi Nini נוה *naue*, id est *Nini* habitatio, *Nini* regia. Sic deinde multis retrò seculis, ad vrbem vrbium Dominam Petrus; ad illustrissimam ac celeberrimam Indiæ ciuitatẽ Meliaporem, alterius velut orbis commune emporium Thomas destinati; vt fides Christi sacrumque Euangelium per hos, & alios deinceps instructos eorum operâ, omnibus innotesceret.

Interpretatio vocis Niniue.

In Iudith. c. I. q. 6.

Ionas non missus in Niniuen ad Iudæos, sed ad Assyrios.

14 Ceterum, quod Palatius scribit, Iudæos in Niniuen negotiationis causâ cõfluere solitos, & istic fortasse Synagogam habuisse; fieri quidẽ potuit; sed non idcircò missum istuc Prophetam arbitramur. Nimis enim nouerat suscipiendi itineris causam futuros Niniuitas, ad hos dicendum: quod quia nouerat, amoliri à se profectionem, viis omnibus, etiam inhonestâ ac irreligiosâ fugâ, nitebatur.

Niniue qualis ciuitas, & vbi sita.

15 Causas habetis legationis IONÆ IN NINIVEN. At qualis vrbs illa? Id ex probatissimis auctoribus breuiter expono. Secundùm Ptolomæum Plinium, Herodotum, Tygri imposita in concursu duorum brachiorum illius, vltra citraque fluuium protendebatur. Licet Diodorus Siculus cõditam velit ad Euphratem fluuium, figurâ altrinsecus oblongâ; in quo ab aliis pluribus dissentit. Conditorem habuit Ninum Beli filium, qui & in libro Geneseos Assur dicitur; nimirum, vel quia binomius, vel quia deinde primus Rex fuit & Monarcha Assyriorum, quasi per anticipationẽ, vt vult Cornelius à Lapide. Aliter sentit Salianus; nam hic Assur & Ninum omnino diuersos facit: & Assur quidem, à quo dicti Assyrij, primum vrbis Niniues statuit cõditorem; Ninum verò amplificatorem licet ab hoc nomen accepit. Verum communiori sententiâ, à Nino Niniue non modò est amplificata, sed condita, erecta, formata; anno nimirum regni ipsius vigesimo, orbis, si Augustino Torniello credimus, bis millesimo decimo sexto. Quanto conatu memorat Raphael Vollateranus, dicẽs, vsum eum ad structuram illius octo annorum spatio, labore continuo, denis hominum millibus: vt hinc minùs mirum videri debeat, quod de eius amplitudine & capacitate accepimus. Nini potentiam ex Ctesia vetustissimo scriptore referens Diodorus, ait in exercitu, quem aduersus Bactrianos eduxit, habuisse peditum decies & septies centena millia, equitum ducenta millia; curruum falcatorum decem millia & sexcentos.

Diodorus Siculus lib. 2. Rerum Antiq. siue Bibliothecæ historicæ.

Genes. c. 10. v. 11.

A quo condita.

In Annal. ad illum.

Diodorus Siculus lib. 3. c. 2.

Sed Regis relictâ potentiâ, ad vrbem ab eo conditam veniamus.

Magnitudo Niniue.

16 Quam vasta igitur Niniue? paucis Dominus. CIVITAS GRANDIS. sic erat omninò; nam, auctoribus Stra-

Strabo lib.16.

Strabone & Ptolomæo, Babylone maior, imò omnes antè conditas ciuitates ambitu atque amplitudine superans, vt ait Diodorus Siculus, licet de eo dubitari meritò possit: Quanta autem fuerit, si ex fide, satis accuratè idem Diodorus describit. Ait namque ambitum illius fuisse quadringentorum octoginta stadiorum, id est millium passuum sexaginta; ergo, secundùm modum computandi Belgicum, pro singulis scilicet leucis sumendo tria passuum millia, habuerit in circumferentia leucas nostrates viginti. Longitudinem, ait idem Diodorus fuisse stadiorum centum quinquaginta, ex duobus lateribus longioribus, id est sex circiter leucarum; ex lateribus verò minoribus, stadiorum nonagintâ, id est leucarum præter propter trium & semis. Quare secundùm quosdam vicatim obiri, & lustrari non minùs triduo potuit; secundùm alios ne triduo quidem, quibus magis assentior. Nam quod noster Propheta Niniuen vocat ciuitatem itineris trium dierum, meliùs aliter interpretabimur, suo loco: Iam murorum altitudinem & latitudinem enumerans Diodorus, illam quidem pedum centum, hanc adeò spatiosam facit, vt percommodè tria iuxtà se inuicem plaustra agitanda, aut currus caperet. Adde his, seu pro munimento, seu decore atque ornamento, turres mille quingentas, altitudine pedum ducentorum singulas, tot enim habuisse scribitur. Adde hominum multitudinem propè innumerabilem, qualem haud dubiè fuisse oportuit, cum istic inuenirentur supra centum viginti millia, quid inter dexteram esset & sinistram nescientium, quemadmodum IONÆ Dominus reuelauit; & tunc facilè erit diiudicare qualis quantaque fuerit & quàm non immeritò dicta sit CIVITAS GRANDIS.

Diodor. Sicul. lib. 3 c. 1.

Cap. 3. v. 3.

Cap. 4. v. 11.

Variarum vrbium magnitudo admiranda.

17 Vidi ipse vrbes multas potentes & magnas, nullam tamen, quæ cum magnitudine Niniues conferri possit. Roma, Venetiæ, Mediolanum, Vlyssipona, Parisij, Amsterodamum, Londinum, aliæque totius Europæ potentiores, vrbeculæ dumtaxat sunt, cum hac collatæ. Scio censeri vrbis Romæ circuitum, etiamnum, millium passuum octodecim, & in ea numerata fuisse anno sancto vltimo; millesimo inquam sexcentesimo vigesimo quinto templa trecenta quinquaginta, recensita ab Octauio Panciroli in thesauro Almæ vrbis à se eo anno edito. Scio venetiis numerari pontes publicos quadringentos, adeoque eam vrbem abundare, aut potiùs non ita nuper abundasse, & hominum, & mercium copiâ, referente Neandro, eam quotannis ex solis vectigalibus accipere solitam vicies centena ducatorum millia. Sed quid hæc cum Niniue? Interim reperias etiam hodie vrbes, sed extra Europam quæ illius potentiæ non cedant, imò nec magnitudini, si vera sint, quæ historici prodiderunt; atque adeò etiam nonnullas quæ superent. Nihil nunc de veteribus dico, vt Ierosolyma in primis, omnium Orientis vrbium longè maxima, quemadmodum Plinius & Tacitus, referunt, & ex iis Radziuilius; quæ habuit fora viginti quatuor in quorum singula viginti quatuor plateę exonerabantur, quælibet verò plateam viculi seu angiportus viginti quatuor intersecabant; atque, vt prodidit Menathon quidam Hebræorum Rabbinus, Synagogas statis temporibus frequentatas, circiter quadringentas octoginta numerauit. De recentioribus tantum loquamur.

In peregrin. sua p. 79. & 105. 106.

18 Ioannes Leo Africanus, Fessam Africæ vrbem templum habere ait, quod ambitu suo sesquimilliare contineat. Dicto suo vt faciat probabiliorem fidem, subdit, ardere in eo noctibus singulis lucernas nongentas. Si præter hanc vnam tam vastam templi molem, sint ibidem templa alia septingenta, hospitia ducẽta, in quorum vnoquoque cubicula non minus centum viginti, vt idem memoriæ prodidit, qualem iam, adiectis priuatorum

Lib. 3. de script. Africæ. c. 14.

torum ędibus, vrbem illam esse oporteat.

Ortelius in Thea. in Tartaria. Lib. 2. de rebus Orient. c. 164.

19 Marcus Paulus Venetus testis oculatus, vt qui secundum Ortelium circa annum Domini millesimum ducentesimum sexagesimum ibi habitauit, ait: Quincaij ciuitatem in Tartaria, sitam in regione Mangi, habere per gyrum milliaria centū, quæ saltem conficient nostrates leucas triginta sex, ingens sanè capacitas hæc, quæ etiam Niniuiticam superet. Addit, esse in ea lapideos pontes duodecim millia, eosque tantæ altitudinis, vt prætergredientem erecto malo nauim nequaquam morētur; thermarum, quæ solis abluendis corporibus seruiant; tria millia: familiarum insuper, non capitum, non bellatorum; familiarum inquiam, millia sexcenta; ex quo de capitum multitudine aliquousque coniecturam facere liceat. Eandem, ait muniri stato præsidio magni Cham triginta millium militum eidemque sale excepto, tributum ex mercimoniis annuum pendere quindecim millium millium aureorum, atque sexcenta millia; quæ immanis quædam est summa.

Lib. 3. hist. Sinen c. 10.

20 De Nanchino vrbe in Sinarum regno potentissima, narrat in historia sua noster Nicolaus Trigantius, & ipse eorum, quæ recenset oculatus & fidus testis, cum trium valletur murorum circuitu, & extimus quantus sit certò sciri non possit, dicere indigenas, quod cum submissi essent aliquādo in equis duo, quorum vnus hinc, alter inde recederet, ij tantùm ad occasum solis conuenerint. Ex quo de eius amplitudine aliquo modo constabit; præsertim perpendenti quod idem Trigantius memorat, habere eandem ad sui custodiam cōtinuò præsidiarios quadraginta millia, qui esset benè copiosus alicuius magni Regis in Europa nostra exercitus. Quid, quod idem ait, visas à se duas vrbes, in quibus singulis numerantur ad quatuor hominum milliones. Certè magnam vrbium illarum capacitatem esse oportet, quæ tot homines excipiant. Maior tamen fuit olim vrbis Romæ, quæ, vt scribit Cornelius Tacitus, anno octauo Claudij Imperatoris incolebatur à septem propè millionibus ciuium.

Cornel. Tacit. lib. XII. Annalium

21 Fuit etiam potens ampla, & copiosa olim Babylon, aduocatis hominum millibus vicies centenis à Semyramide constructa, vt refert Diodorus Siculus; eius quippe mœnia complectebantur ambitu suo stadia trecenta sexaginta; id est milliaria circiter quadraginta octo, leucas nostrates ampliùs sedecim. Mœnium verò altitudo (vti acceptum ab iis, qui aliquando cùm Alexandro in Asiam sunt profecti) erat pedū quinque supra trecentos sexaginta. Imo Diodorus addit, ex Ctesia, altitudinem illorum, omnium qui audirent fidem excessisse, latitudinem fuisse cubitorum non minus quinquaginta; ne videlicet occurrentes sibi mutuo etiam sex quadrigæ offenderentur. Certè quod de capacitate, & ambitu vrbis huius ex Diodoro retulimus, verissimum esse oportuit, nisi etiam mēdacem facere velimus Aristotelem; rem miram & prorsus inauditam enarrantem in Politicis; nimirum, expugnatâ Babylone, hostibusque primam vrbis partem iam occupantibus, eos qui in altera habitabant, tertio die captam vrbem nesciuisse.

Lib. 2. c. 7.

Lib. 3. c. 2.

22 Sed nunc aucta potiùs quàm minuta eius videtur amplitudo, prout ex Ierosolymitana peregrinatione Illustrissimi Principis Radziuilij lectu iucundissima, quisquis voluerit clarè intelliget; Scribit namque Cairum, quæ olim Babylon & Memphis, nam vetus Babylon pridem concidit, triplo magnitudinem Lutetiæ Parisiorum in Galliis excedere; putauit Ortelius etiam quintuplo: nec probabilitate caret eius opinio si rectè perpendantur quæ ipsemet subiicit Radziuilius & ego, vt curioso lectori faciam satis, hic addo. Nouæ videlicet ciuitatis ambitu contineri triginta priuatarum ædium millia, adiunctis

Radziuilius. Peregr. suæ Epist. 3. pag. 150.

iunctis verò suburbiis, veteri ciuitate, vrbeque Bulhach, quæ Cairo adiacet, minoribus etiam ædiculis, quarum magnus numerus, censeri facilè ducenta millia. Quem ipsum ædium numerum repertũ olim Meaci (vrbs est Iaponiæ totius princeps) narrat in vita S. Francisci Xauerij Indiarum Apostoli Horatius Tursellinus; vbi anno reparatę salutis millesimoquingentesimo quinquagesimo cùm eò Xauerius appelleret, rerum statu, vt fit, aliquantum mutato per temporis lapsum, adhuc censebantur ędium millia centum. Pergo referre quæ de Cairo, vt nunc est, habet Radziuilius. Platearum, inquit, istic millia sedecim, fanorum, quæ instructa turribus, sex millia octingēta; præter alia, quæ turribus, quæ tectis carent, plurima. In suburbio vno, quod est sub arce ad Orientem, templa numerantur (mosqueas vocant) mille ducenta; in altero, quod situm ad Meridiem, septingenta. Audite ex eodem plura, & obstupescite. Feruntur istic recensiti ex vulgo septem hominum milliones: quàm hoc sit multum exinde colligite, quod nulla Italiæ ciuitas, quantumuis ampla & potens, vt Roma, Neapolis, Venetiæ, Mediolanum vix supra tertiã millionis partẽ, id est, paullò ampliùs quàm trecenta ciuium millia censeat. Nondum finis admirabilium vrbis huius; sunt in ea octo millia camelorum, qui aquam ex Nilo deferunt ostiatim, duobus coriaceis vtribus dolei magnitudine, præter baiulorum triginta millia, qui hircinis pellibus venalẽ aquam dorso portant. Sunt & viginti millia cauponæ, quodque ego mirabilium omnium duco mirissimum, res noua nouo vocabulo exprimenda erat, in portu Bulhach (vrbem illam diximus Cairo adiacere) singulis diebus intra horas viginti quatuor, vltra decem hominum millia hinc inde cõmeant, & tria nauium millia prænternauigare solent quotidie. Ad extremum, ita latè per Nili ripas diffundi Cairum accepimus non ita nuper; vt Selymus

Tursellin. lib. 4. c. 6.

Turcarum Imperator anno Domini millesimo quingentesimo sexto decimo eam à suis licet expugnatam ingredi ausus non fuerit. Si hæc vt vera fidem merentur, quidni mereantur, quæ de Niniue retulimus, fundata in Litteris sacris.

23 Sed vbi nunc illa tam IONÆ temporibus magna, potens, copiosa, vbi inquam Niniue? Assyriorum regia, orbis alterum miraculum, regum terror & gentium omnium? Certè illius, vti Troiæ, Carthaginis, priscæ Babylonis, veteris Ierusalem, Romæ olim triumphantis, vix habemus vestigium. Nam Herodotum secuti D. Hieronymus, Hugo Cardinalis, & cum his plerique recentiores, ab Astyage Medorum Rege subuersam, omnem cum ruinis gloriam ex tunc amisisse, crediderunt. Credo & ego; quare non habeo quod dicam, nisi illud quod de Troia Poëtarum Princeps.

Vrbium maximarum interitus & ruina.

——Fuit Ilium, & ingens
Gloria Teucrorum——

Virgil. Æneid. l. 2.

fuit Niniue, fuit, heu fuit.

24 Ioannes Drusius ex Itinerario Beniamini ait, excisâ penitus Niniue, adhuc exstare pagos & castella multa, intra antiqui ambitus spatiũ. Cornelius à Lapide ex P. Antonio Mariotti (quem Societatis IESV sacerdotem ab annis pauculis Romani Pontificis imperio Syriam & Mesopotamiam obiisse, nuper memorauimus) se Romæ audisse recenter memorat ad hunc locum ciuitatem quandam iuxta Tygrim, Mussal nomine, ab indigenis Niniuen nuncupari, quam ipse viderit, ingentibus murorum reliquiis vallatam vndique, à Christianis, Arabibus, & Turcis mixtim habitatam; ab his verò ob rebelles Armenos ita attritam, vt destituta mœnibus, vix tertia quæque domus incolis gaudeat. Verùm cum Cornelio existimo, ne tantùm quidem ex veteri Niniue superesse, & si superest, ô quàm mutata, quantum de veteri magnitudine, quantum ei de splendore, quantum de copia, quantum

Niniues reliquiæ extare dicuntur.

tum de ciuium potentia decessit!

Sic nil hic orbis, quod perennet, possidet.

Iustus Lipsius in tumulo suo.

25 En quàm vanum vrbes condere, domos struere, polire marmora in superba palatia, isthic auro laquearia exornare! cùm multò minùs in his sit firmum quidquam, aut stabile. Felix igitur qui potuit isthæc contemnere, & hilari fronte alacer dicere paruo contentus:

Vanitatem esse ædificare vrbes, Palatia, &c. ostenditur.

Horatius lib. 2. Car. ode 18.

Non ebur, neque aureum,
Meâ renidet in domo lacunar;
Non trabes Hymettiæ
Premunt columnas vltimâ recisas
Africâ: neque Attali
Ignotus hæres regiam occupaui.

Ad Hebr. c. 13. v. 14.

Monet Apostolus: *non habemus hîc manentem ciuitatem*: restat de ea soliciti ne simus, sed *futuram inquiramus*; vtpote ciues beatæ illius patriæ, magnæque ciuitatis futuri, vti speramus, aliquando, quæ nulli ruinæ, nullis periculis, nullis patet incommodis. Reliquas enim, si nihil eis aliud aduersum, nihil inimicum, saltem inimica rebus omnibus vetustas absumet.

26 Propono nunc vobis *Sodales*, qui vrbes amplas ac superba mœnia spectastis aliquando, Romæ vrbium Dominæ (quam habuisse sub Claudio Imperatore ex Tacito, paullò antè diximus, septem hominum milliones, ex quo eius concipere magnitudinem, potētiam dignoscere aliquousque potuistis) iam pridem in ruderibus suis sepultæ nobile pro tumulo epitaphium; quod, ei positum ab Andrea Frusio, necdum tum temporis typis mandatum, accepi Mediolani à Lælio Bisciola homine Societatis nostræ, suo tēpore in paucis docto, æquè Græcè ac Latinè, Philosopho, Theologo, atque in quouis alio eruditionis genere versato; vt duo Tomi Horarum Subcisiuarum, quos scripsit, orbi testātur, nunc ante paucos annos hac mortalitate functo. Vidi deinde publici iuris factum; nihilominus dignū putaui, quod vobis fortasse ignotum hactenus, proponerē. Ipsa Roma Viatorem alloquitur, eam igitur alloqui vos quoque cum ceteris arbitremini, & ad aliquam sapientiam instituere. Sic habet.

Vrbis Romæ Epitaphium Andreæ Frusij.

Roma fui quondā toto celeberrima mūdo,
Marte, situ, ingenio, nobilitate potens:
Quippe triumphatū frenaui legibus orbē,
Paruit imperio terra, fretumq; meo.
Impositæ septem nituerunt mōtibus arces,
Totq; arcus, turres, templa, theatra, domus.
Prorsus eram felix, si non moritura fuissē:
Et nisi tam multas sors rapuisset opes.
Roma ego iam non sum; perij, propriisq; ruinis.
Obruta sum; gremio condor & ipsa meo.
Relliquias quascumque vides, quæ diruta cernis
Mœnia, splendoris sunt monumēta mei.
Frustra igitur Romā Romæ tu quæris, abire
Iam potes hinc; Romæ Roma sepulta iacet.
Intereà temerè perituras ne strue moles,
Cautior exemplo iam potes esse meo.
Carpe viam, volui scires hæc pauca; memento,
Vt meminisse mei, sit meminisse tui.

27 Vtinam potentium vrbium, quę perierunt, vt Romæ, Carthaginis, Troię, Babylonis, Niniues, aliarumque multitudine innumerabilium, quantitate maximarum memores, simul caduca ac peritura omnia meminerimus, aliter sapiamus, aliter agamus, nec opus sit Lyrico monitore qui denuò suggerat.

Vrbes & domus pereuntes, nos de vita pereunte monent.

Horatius lib. 2. Carm. ode 16.

Quid breui fortes iaculamur æuo
Multa?

Abundè tum nobis inhæreat, quod sapiēter ab eodem scriptū, vtinam hoc tēpore tam à nobis benè cogitatum.

Lib. 2. Carm. ode 3.

Cedes coëmptis saltibus, & domo,
Villaq; flauus quam Tyberis lauit,
Cedes: & exstructis in altum
Diuitiis, potietur hæres.

Proindeque nulla sit vlterior hæc & his similia congregandi coaceruandique cura, inutilis prorsus & futilis; quæ omnes penè omnium hominum sensus & cogitationes rapit, terræ mergit, cælo auocat.

28 Verùm de his hactenus; agamus modò, ac tacitæ obiectioni faciamus satis. Dicat aliquis, si pereunt vrbes

magnæ etiam ac potentes, vt ais, neque in his quidquam adeò magnum est, ac potens quod rapere ad se, suique amorem hominem possit, cur Niniuen tantoperè commendat is, qui nihil commendare, nisi commendatione dignissimum potest, & solet, æquus omniū iudex & arbiter Deus? Vocat enim hanc CIVITATEM GRANDEM is, in cuius conspectu nihil esse grande, nihil magnum duratione, nisi æternum; nihil spatio, nisi infinitum nouimus.

Niniue à Deo commendatur vt magna, variis de causis.

1. Causa.

29 Dabo tam amplæ à iustissimo rerum æstimatore Deo commendationis causam non vnam. Voluit Prophetæ suo animos addere, cumque ad minùs suauē ac cōmodam perfectionem, expeditè & alacriter suscipiendam ex rei dignitate, loco negotioq; spectatis, permouere. Velut si ei dicat apertiùs, non ad locū exiguum & tenuem, non ad oppidum obscurum, ignotum, ignobile, non ad vrbē vnam è multis: sed ad ciuitatem principem te mitto, ad ipsam Assyriorū regiam; vt istic non in subiectos tantùm populos infimamque plebem: sed in magnates etiam, imò ipsissimum Regem potestatem exerceas.

Monarcha Assyriorum potentissimi.

30 Porrò Assyrij, cùm hęc mandata IONAS acciperet, longè lateque toto orbe dominabantur: hinc eorum Rex, aut veriùs Monarcha, cùm opibus & potentiâ parem haberet neminem, tali apud omnes loco erat, tali auctoritate: vt, vocatus passim *Vltor*, infirmiores tueretur, atque in suam semel susceptos clientelam, non grauatè contra vim roburque omnium oppugnantium defenderet; ferè sicut videmus minùs potentes Principes, Respublicas quoque, tametsi florentes, ob vicinos tamen minùs tutas, in armis ac protectione potētissimi Hispaniarum Regis à metu hostium cōquiescere. Et hæc erat causa, cur plerique, ab hostibus lacessiti, cùm ab iis sibi metuerent, magno desiderio & prece supplici, hūc Monarcham opis & tutelæ causa accederent: sicuti testatur fecisse Ephraimitas Oseas Propheta: *Vidit*, inquit, *Ephraim languorē suum, & Iuda vinculum suum, & abiit Ephraim ad Assur, & misit ad Regem vltorem.* Quis ille? non alius quam Teylatphalasar Assyrius, ad quem Achaz rex Iudæ, auxilij petendi gratiâ nuntios destinauit. Reges Israël quoque non minùs ac Iuda, Assyriorum implorasse auxilium etiam alibi sacræ paginæ testantur. Manahem namque Israëlitarum Regem, Phul Assyriorū Monarchæ obtulisse argenti talenta mille ad regni stabilitatem firmitatēque securiùs obtinendam, quarti Regum capite decimo quinto legimus. Quæ importuna vtrimque flagitatio, signum est aduersas sibi partes in huius vnius fauore tanquam potentissimi, qui, velut omnium arbiter, legem ponebat omnibus, accipiebat à nemine, inesse momenti plurimum arbitratos fuisse: Nec malè; quippe cùm omnes ferè imperio suo cōstringeret, omnes metu in officio contineret. Hæc tanti Monarchæ potētia, IONÆ legationem magnoperè nobilitat. Est namque aliud ad priuatum, aliud ad Principem, aliud ad Regem, aliud ad Orbis Monarcham, quem omnes suspiciant, reuereantur, formident, destinari: est aliud in subditos, aliud in Superiores, aliud in imos, aliud in sūmos habere imperiū. Dicebat ille: Cap. 5. v. 13

Regum timendorum in proprios greges, Horat. lib. 3. Car. ode. 1.
Reges in ipsos, imperium est Iouis.

Certè vicariâ ipsius Dei potestate in Regem, eumque maximum, IONAS hic imperium exerciturus mittitur.

2. Causa cur Niniue commendetur à Deo.

31 Alterum, cur Niniuen Deus tantoperè apud IONAM commendet, est vt omnem ab eo Legato suo, timorem amoueat. Assyrij iam inde à temporibus Abrahæ, quem ob vnius Dei cultum in *Vr* persecuti fuerant, Hebræorū hostes erant, neque solùm à vera religione alienissimi; verùm etiā superstitionibus, omnique falsorum Deorum cultui quàm maximè dediti. Itaque quâ se ibi auctoritate, quâ valiturum gratiâ IONAS crederet, vbi omnium odio & inuidiæ expositus, omnium oculis notaretur.

32 Fin-

32 Fingite animis, liberæ enim sunt cogitationes hominum, nostrorum alicui ad Turcarum Imperatorem Selymum, Solymannum, Ottomannum, aut alium quempiam. ad Persarum Sophim, ad Cham Tartarorum, ad Presbyterũ Ioannem Abassyę; aut, ne longius abeam, ad Serenissimum Magnæ Britāniæ Regem, ac si ita vultis, ad vicinos nostros, Illustres Batauicarum Prouinciarum Ordines, ex Dei imperio abeundum; ibi in eorum fidem peruersam, falsa dogmata, errores, scelera declamandum, extrema comminanda omnia: quâ id mente acturi simus? quibus animis? & sic nunc constitutum IONAM arbitremini, qui non minùs Niniuitas horreat, quàm nos vel maximè barbaros, aut barbaris omnibus crudeliores immanioresque hæreticos pertimescimus, nisi diuinis alloquiis recreetur, prædictionibus animetur. Quare in Niniuen mittitur, locum quidem non adeò per se gratum; sed iam amplitudine, populi frequentiâ, spe fructus commendatissimum: ac si IONÆ dicat Dominus, scio quàm potens & splendida, quàm ob diuitias & frequentes victorias gloriosa ac superba, scio quam iniquo in Hebræos sit animo Niniue: interim præcipio, istuc repente te conferas, meo munitus præsidio, ne vereâre quantumuis magnam illius potentiam, casus asperos ne formida; faciam ne incassum labores: tuæ peregrinationis auctor, dux, comes futurus, tuo conatui, molestiisque respondeat euentus, curabo. Audi mandata mea, cum nemine contendito, tantùm præco meus esto, proinde memento, vrbis, ad quam te mitto, incolas non tuâ auctoritate coërcere; sed ad tribunal meum accersere, illis diem dicere.

Quomodò infirma eligat Deus, vt confundat fortia, probatur exemplis veteris testamenti.

33 En hîc dignum aliquid obseruatione, simul & sempiternâ memoriâ. IONAM ignotum hominem, cuius licet aliqua apud Israëlem; nulla sanè apud exteros, & à verâ, cuius ipse cultor erat, religione alienos, esse poterat auctoritas, Deus toti Assyriorum regno opponit; atque, vt deinde videbimus, totius regni illius victorem facit. Sic olim Pharaoni & Magis Ægyptiorũ Moysem, ex caulis ouium astractum, & ab exilio reductum; sic Regibus, Principibus, Sacerdotibus, totique populo, vt contra eos Dei verbo (gladium spiritus vocat Paulus) dimicet, Ieremiam adhuc puerũ; sic Israëli Amos armamentarium sequentem gregem, & vellicantem sycomoros; sic vniuerso terrarum Orbi Apostolos opposuit: si familiam spectes, obscuros; si scientiam, ignaros; si numerum, paucos; non plures duodecim; quibus tamen omnes omnium gentium Philosophi ac sapientes, quibus totius Romani imperij maiestas cederet; vt omnino appareret, vis vocantis & potestas mittẽtis, quodque, secundùm Doctorem gentium, *Quæ stulta sunt mundi elegit Deus, vt confundat sapientes: & infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia: & ignobilia mundi, & contemptibilia elegit* Deus, *& ea quæ non sunt: vt ea quæ sunt destrueret; vt non glorietur omnis caro in conspectu eius.* Facile namque futurum erat, vt quis nobilitate, scientiâ, opibus magnus, nihil non sibi, parum vocanti Deô adscriberet.

Ad Ephes. c.6. v.17.

Probatur exemplis legis gratiæ.

1. Cor. 1. v. 27.

34 Hoc tam prudens & arcanum Dei consilium discutiens & collaudans Augustinus ait: *Magna artificis misericordia; sciebat enim quia si eligeret senatorem, diceret senator, dignitas mea electa est. Si eligeret diuitem, diceret diues, opulentia mea electa est: si priùs eligeret imperatorem, diceret imperator, potestas mea electa est, si prius eligeret Oratorem, diceret Orator, eloquentia mea electa est; si eligeret philosophum, diceret philosophus, sapientia mea electa est. Interim, inquit, differantur superbi illi, multum tument. Da mihi priùs istum piscatorem, veni tu pauper, sequere me, nihil habes, nihil nosti, sequere me idiota pauper, sequere me, non est quod in te expauescatur; sed multum est quod in te impleatur, dimisit retia piscator, accepit gratiam piscator, & factus est diuinitus orator. Ecce quid fecit Dominus?*

August. serm. 59. de verbis Domini Tom.10.

 Ita-

Itaque glorietur Orator, Senator, Imperator de semetipso; certè non potest gloriari piscator nisi de Christo.

35 De quo quæso princeps collegij Apostolici Petrus gloriari poterat? de genere & familia? piscator erat. de sapientia? prorsus idiota. de opibus rerumque copia? habebat retia sua, & fortè laceram maleque compaginatam scapham, aliud omnino nihil. Is tamen in tantum à Deo sublimatus est, vt communis omnium Pastor & parēs, Doctor Orbis, & Vrbis lumen constitutus fuerit, & cum socio suo Paulo, is, *per quem*, vt cum Diuo Leone loquar, *tibi Euangelium Christi Roma resplenduit, & quæ eras magistra erroris, facta es discipula veritatis.* vnde tibi, ô vrbium Domina, hoc vlterioris felicitatis accessit, *vt per sacram illius Sedem caput Orbis effecta, latiùs præsideres religione diuinâ, quàm dominatione terrenâ.*

Serm. 1. de Apost. Petro & Paulo.

36 Eum respuerit, contempserit Nero Tyrannus, morte mulctarit innocuum, certè vitâ functum suscepit, veneratus est, orbis vniuersus vsque eò, vt ad illius sacrum tumulum nemo non incola, accola, ciuis, peregrinus, ex quauis mundi plagâ aduolans, genua ponat; nemo non Consulum fasces submittat; nemo non Cæsarum sceptrum ac diadema subiiciat seque ad ossa eius veneranda prosternat in terram. Veneramini & vos SODALES, in his tam illustribus viris, Prophetis, inquam, atque Apostolis, hanc Dei vberem copiosamq; gratiam, de ipsius potēti ac largâ manu in suos procedentem, veneramini quoque ab hac deriuatam in eos sanctitatem; sic erunt, & illorum verba, in auribus vestris ac mentibus potentiora, efficaciora; valitura haud dubiè ad cognitionē veritatis, ad amorem virtutis, ad æternæ beatitudinis desiderium, hîc prece augendum, mox etiam, decursis vitæ molestiis, in præmium à Domino, cuius illi fuêre præcones, complendum.

LECTIO TERTIA.

PRÆDICA IN EA, QVIA ASCENDIT MALITIA EIVS CORAM ME. *Vers. 2.*

ARGVMENTVM.

Dei bonitas, monentis ne punire cogatur, superioribus imitanda, proponitur. Quæ sint partes Prelatorum, Pastorum, Concionatorum, eorum etiam qui Concionatores audiunt, declaratur. Causam missi in Niniuen IONÆ fuisse peccatum asseritur, illius grauitas expenditur, damna enarrantur.

1 DVAS priores constitutæ imperatæque legationis partes discussimus; ad tertiam, eamque potissimam & difficillimam, disquirendam accedamus. Hac IONÆ, non tantùm *Surgere*, *Ire in Niniuen*; sed contra eam etiam verborum fulmina iacere, precipit Deus. PRÆDICA, inquit, IN EA. Hebræa habent, CLAMA SVPER EAM, Paraphrastes Chaldæus, PROPHETIZA IN EAM, id est, cōtra eam. Clariùs Vatablus, CLAMA CONTRA EAM; nullo nimirum personarum aut gentium respectu habito, tuâ vtere libertate, omniū peccata reprehende, nihil dissimula, veritatem edicito, & quoniam propriæ

Ionam ad Niniuitas agere Concionatorem sine respectibus humanis vult Deus.

propriæ iniquitatis pondus non sentiunt, pœnas non metuunt; tu eis sis præco excidij, interminare supplicium; clama, & dic populo nequam, exultanti in rebus pessimis: *Adhuc quadraginta dies, & Niniue subuertetur.* Hic namque vt ita clamaret ex Dei voluntate imperatum fuisse nostro Prophetæ, tertio huius libelli capite docemur.

Ionæ c.3. v.4.

2 En noua iterum diuinæ bonitatis, & clementiæ argumenta: Nunquid videtis quomodò non modò non puniat: sed ne punire cogatur, etiam moneat Deus. Expressit hoc à se obseruatum scitè D. Basilius Seleuciæ Episcopus dum ait: *In suppliciorum comminatione plena commiserationis insunt verba, punitionis promissio, & affectionis demonstratio: osoris vox, & mens miserentis. Iam ciuitati veniam offert, indignans miseretur, & minitans saluare desiderat, & cùm apertè iram gerat, occultè clementiam demonstrat.* Certè verissimum est illud Leonis Magni: *Dilatio vindictæ dat locum pænitentiæ.* vti in Niniuitis mox erit manifestum.

Dei bonitas est monere ne puniat. D. Basil. serm. 12. ex trãslat. Dausquei.

Leo serm. 5. de Epiphania.

3 Hanc Domini benignitatem & clementiam imitari decet eos qui præsunt; ne semper in virga furoris sæuiant, neque tametsi potestatem habeant vitæ ac necis, statim ob qualecumque delictum ferro & ignibus vtantur. Detur etiam, quantumuis delinquentibus grauiter, resipiscentiæ locus, & tempus. Nec minùs meminerint beneficentiæ in suis, beneuolentiæque, qui curandis animorum morbis inuigilant; & vt illi corporibus, ita hi, mentibus præficiuntur. Dictum est Pauli sapientissimum: *Si praeoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, huiusmodi instruite in spiritu lenitatis.* ad hoc attẽdere eos oportet, quibus id muneris est. Sed quisnam ille spiritus lenitatis, quem ab eiuscemodi magistris Paulus desiderat? hunc illum existimo qui reprehensionis acerbitatem compatiẽdi affectu mollit & mitigat, quo ostendant, qui eiuscemodi magistratum gerunt, se non tam hominem, quàm vitium insectari, illi soli bellum indicere.

Iudices & Prelati clementes esse debent.

Ad Gal. c.6. v.1.

4 Exercitatus in hoc magisterij genere, si vllus, Claudius Aquauiua, vir incomparabilis, qui nuper multis annis, triginta scilicet quatuor & suprà, Societatem IESV rexit Præpositus Generalis, sanè feliciter, in Libello Industriarum suarum, quem ad iuuandos Superiores Ordinis sui conscripsit; ita eis cum subditis agendum censuit, vt hi suas tentationes in eorum velut optimæ matris sinum facillimè securi deponant, & vicissim correctiones eorumdẽ paternas, tanquàm ab amore profectas, repugnante licet sensu, animo tamen non exacerbato suscipiant. Quod omninò assecutũ optimum Patrem existimo.

Quomodo superioribus agendum cum subditis Claudij Aquauiua documentum. Claudij Aquauiuę Industria. cap. 2. § 4. in fine.

5 Valeat ergo semper, & ante omnia locum habeat illud S. IGNATII primi Institutoris & Legislatoris nostræ Societatis præceptum quo iubet, vt *qui peccant primò in caritate, & dulcedine admoneantur*; vbi verò hæc suauis agendi ratio minus esse apud quosdam efficax videretur, tum demum vlterius procedatur, nimirum *In caritate quidem; sed eo modo, vt eis simul confusio & rubor iniiciatur*; at vbi nec hoc sufficit, demum *amori ea quæ timorem incutiant, si opus erit, adiiciantur.* Ita suos Patriarcha noster instituit. Ego eius ore, & lege Societatis hominibus latâ, omnes, quibus efformandis ad virtutem perfectionemque Christianis mentibus cura incumbit, hoc ipsum edoctos vehementer desidero.

Quomodò emendandi defectus per Prelatos ex S. Ignatij instructione. S. Ignatius 3. parte Constit. c.1. lit N.

6 Habent hîc etiam quod discant, seculi nostri Oratores Christiani, vniuersas videlicet officij sui partes nauiter ediscere, edocti pari diligentiâ explere. IONÆ, illius ætatis Oratori eximio, tria, vt vidimus, imperata. SVRGE, VADE, PRÆDICA. Hæc eadem Oratoribus nostris, quos secundùm Michæam fortitudine, id est dicendi libertate & constantiâ; iudicio seu discretione, prudentiam vocamus; virtute seu dicendi efficacia esse instructos oportet,

Concionatoribus necessaria fortitudo, prudentia, efficacia in dicendo.

Michæas cap.3. v.8.

 impe-

imperantur; superest vt circa executionem, illi imperio conatus eorum respondeat. Singulis æquè ac IONÆ dicitur, SVRGE. Neque enim sedere indulgentem otio; multò minùs securum in peccatis quiescere eum conuenit, qui vigilias acturus gregi præficitur.

7 Memor sui muneris Paulus quàm non quiescat satis ostendit, dicens; *Ego sic curro, non quasi in incertum.* En quomodò non tantùm surgat, sed currat; neque in incertum, velut qui sensu & ratione careat; sed illius ad instar, cui propositum pro statuto brauio in agone contendere; Subdit: *Sic pugno non quasi aërem verberans: sed castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne fortè cùm aliis prædicauerim, ipse reprobus efficiar.* Si hoc Paulus, tantus Doctor, Magister tantus, quid reliqui magistelli? quid inquam nos pusiones?

1. Cor. c. 9. v. 26.

8 Etiam Euangelico Oratori, æquè ac IONÆ dictum VADE, ad fratrem, ad proximum tuum, ille namque tuæ curæ concreditus. Profectò nequaquàm salute perfectioneque propriâ contentus esse, aut potest, aut debet, cui etiam aliena concreditur. Quod id nosset Paulus, onus suum non diffitetur, culpam veritus, & pœnam, si se quomodocumque subtraxerit: *Væ,* inquit, *mihi est, si non euangelizauero.* Porrò quàm bene hoc functus esset officio, sibi rectè conscius, cùm iam abiturus esset Ierosolymam, Mileti dixit, conuocatis istuc senioribus Ephesi: *Vos scitis, à prima die, qua ingressus sum in Asiam, qualiter vobiscum per omne tempus fuerim, seruiens Domino cum omni humilitate, & lacrymis, & tentationibus, quæ mihi acciderunt ex insidiis Iudæorum: quomodò nihil subtraxerim vtilium, quò minùs annuntiarem vobis, & docerem vos publicè, & per domos testificans Iudæis atque gentilibus in Deum pœnitentiam, & fidem in Dominum nostrum Iesum Christum.* O vtinam sic loqui etiã posset & hæc veraciter dicere suis, vti Ephesiis dixit Paulus, quiuis pastor, & Euangelicus orator.

Prælati, Pastores, Concionatores non debent curâ suâ tantùm salutis contenti esse.

1. Cor. c. 9. v. 16.

Actor. c. 20. v. 18. &c.

9 Sed & hic non minùs quàm IONAS, PRÆDICARE, aut vt sonant hebræa, CLAMARE, iubetur. Sic namque agendum cum eo, qui in malitia sua quodãmodo obduruit; qualis ferè nobilissimus, ditissimus, potentissimus quisque, cui viuendi norma, lubentia est: huius ad aures virtuti obstructas clamore opus; & quidem valido, nuda namque prædicatio non sufficit, imò nec clamor vulgaris. Vnde apparet quàm contra sui muneris leges, addo & dignitatem, agant; qui eos, quos damnare debebant, & carpere, suis adulationibus palpant, efficiuntque hac ratione in sceleribus confirmatiores, & ad bona virtutemque segniores. Huic malo, vt occurreret Paulus, discipulum suum Timotheum egregiè instruit, & in eo, quid agere debeamus nos, pariter docet. *Prædica* (inquit) *verbum, insta opportunè, importunè, argue, obsecra, increpa.* Hoc prorsus requirit Apostolici viri libertas, nihil auribus, omnia dare veritati, pro hac stare, hanc cum auita religione virtuteque propugnare, defendere, noxios omnes, aut potiùs noxas, arguere, damnare; sed *in omni patientia & doctrina,* vt idem monet Paulus. Est enim veritas cibus pretiosus, non proponenda tamen nisi per maturitatẽ, & prudentiam bene examinata: & quodammodò cocta, sicuti apponi cibus mensis consueuit; alioquin illa animis, vti hic corporibus, obfutura magis erit quàm futura subsidio, exulcerabit enim animum, non flectet.

Cum malis agendũ fortiter & clamandum.

2. ad Tim. c. 4. v. 2.

10 Sicuti autem Christiani est Oratoris cum IONA liberè dicere; ita auditorum cum Niniuitis dicta benignè excipere, promptè, libenter, hilariter; ipsum etiam dicentem iustasque eiusdem reprehensiones admittere, in iis, quæ damnantur vt noxia, emendationis specimen ostendere, vno verbo dictum, se Christianum hominem, bonumque in Christi schola discipulum exhibere. Sed heu nimium verè Ieremias Droxelius in Zodiaco suo. Hóc æuo inquit non desi-

Auditorum est libenter audire Concionatores monentes.

Drexel. Zodiaci signo 6.

desiderantur qui dicant, sed qui audiant. Etenim non desunt inter ceteros etiã qui audire nolunt ideò, ne fortè dormiẽtem excitent conscientiam. qui enim se reum nouit, etiam se iudicem reformidat. Sic ille.

11 Atque hæc tam solicitè moneo, quod non parum verear, ne multi sint adinstar Niniue; id est speciosi, peccatis tamen plenissimi, & similes illi ciuitati quam vocat Nahum, *Ciuitatem sanguinum*. multi, inquam, animam habeant speciosam, id est, naturæ dotibus instructam, abundantemque gratiis, quas vocant gratis datas; adhæc eruditione, prudentiâ, sapientiâ, ornatissimam; intereà superbam, tumidam, bonis donisque omnibus abutentem, adeoque & liberè, & ita impudenter peccantem, vt eius malitia cælum petat atque ad vindictam Deum minimè properantem euocet, & accendat. Quid verò mirum, si hi à veritate auditum auertant, quibus illa non potest non odiosa esse, acerba, & amara, dicente B. Ambrosio: *Quomodo possunt verba Dei dulcia esse in faucibus, in quibus est amaritudo nequitia.*

Cap. 3. v. 1.

Ambros. in Psalm. 118.

12 Quid remedij? illud efficacissimum, maximeque necessarium. IONAM FILIVM AMATHI, simplicem, inquam, veritatem libenter audiant; vt credant, & resipiscant. Id in nobis fac bone IESV, potes namque, vt verissimus IONAS, columba inquam simplicitate & innocẽtiâ, super quem etiam sanctus de cælo Spiritus columbæ specie ad Iordanis fluenta descendit. Fac id FILI AMATHI, fili veritatis, talẽ omnino te agnoscimus virtute, talem potentiâ: nam qui te misit verax est, & tu ipse es *Via, veritas, & vita*, qui ab æterno Patre in *Niniuen* speciosam & pulchram, id est, mundum, *quo nihil pulchrius oculis carneis aspicimus, missus es.* (quemadmodùm D. Hieronymus loquitur) *vt, quia Israël audire contempsit, totus gentium mundus exaudiat.* Tu quæso prædicare, imò, si placet, clamare in mentibus nostris non cesses; quoad vsque puerilibus crepundiis contemptis, relictisque fallacibus ac perituris mundi gaudiis, te sequamur vocantem, & qui grauiter deliquimus, in cinere & cilicio pœnitentiam agẽtes, à iusta indignatione, ac furore tuo securi, ad vmbram alarum tuarum recurrentes, sub eadem quiescamus.

Christus velut alter Ionas missus in mundum prædicare, rogandus vt nobis prædicet, & nos conuertat.

Ioan. c. 14. v. 6.

In c. 1. v. 2. Ionæ.

13 Legantem, Legatum, legationem vidimus; nunc, si placet, legationis causas perpendamus.

Principes, Reges, Cæsares, Legatos mittere, ad subditos præsertim, non nisi grauissimis de causis, magnaque in necessitate cõsueuerunt; quid ergo causæ, quod à summo hominumque Cælitumque Imperatore Deo: *Cuius in femore scriptum est, Rex regum, & Dominus dominantium*, ad populum Niniuiticum legatus IONAS sit missus.

Apocal. c. 19. v. 16.

14 ASCENDIT MALITIA EIVS CORAM ME, inquit Dominus, vt Chaldæus vertit: ASCENDIT PRAVITAS EORVM IN CONSPECTVM MEVM: vt Vatablus, CONSCELERATIO. Id est scelera omnium simul peccantium sursum ascendunt. *Habet*, inquit Bernardus, *malitia currum suum rotis quatuor consistentem, sæuitiâ, impatientiâ, audaciâ, impudentiâ*; quid mirũ igitur si, curru hoc nixa, velociter cælum petat? En legationis causa, oppidò grauis, & quâ grauior dari omnino non potest, ingens subditorum malitia. Sed quid est quod hæc contra naturam hic ascendere dicitur? Non solent, neque ex natura possunt, nisi leuia sursum ferri, vti deorsum grauia: peccato verò cùm nihil, aut censeri pôssit grauius, aut reuera sit, iubente proinde Paulo, *vt deponentes omne pondus, & circumstans nos peccatum, per patientiam curramus, ad propositũ nobis certamen.* Quî fit, quod nunc præter rerum cursum communem & ordinem sursum tendat? nunquid nouo miraculo? nequaquàm. Vetus est malitiam ascendere, imo cælum ac Deum ipsum petere, dicente ex cognitione, quam solo lumine

Causa cur minaturus Niniuitis exitium Ionas mittatur, est eorum malitia.

Bernard. serm. 39. in Cantica.

Paulus ad Hebræos. c. 12. v. 1.

mine naturæ hauserat, Poëta Ethnico.

Horat. lib. Car. 1. ode 3.

Cælum ipsum petimus stultitiâ: neque
Per nostrum patimur scelus,
Iracunda Iouem ponere fulmina.

Peccati malitia ad cælum ascendit fœtore.

15 Omnino ergo ascendit malitia. 1. fœtore, deinde etiam clamore. Hinc videtis quàm rectè dicat suo Legato Imperator, satelliti iudex. ASCENDIT MALITIA EIVS CORAM ME: quasi dicat: Excreuerunt scelera Niniue vsque eò, & multitudine, & magnitudine; vt nequaquàm vltrà, mihi patientissimo licet indici, optimoque Patri, morandum cunctandúmve videatur, quò minùs aut publicam omnibus pœnitentiam indicam, aut seuerum in improbos iudicium exerceam, simul etiam de noxis noxiisque supplicium sumā, secundùm quod scriptum est: *Deus iudex iustus, fortis, & patiens, nunquid irascitur per singulos dies? nisi conuersi fueritis, gladium suum vibrauit, arcum suum tetendit, & parauit illum, & in eo parauit vasa mortis*.

Psalm. 7. v. 12.

Ascendit etiam clamore.

Auguſt. lib. de locis Hebra. Gregor. 3. parte Pastor admon. 32.

16 Pro eo quod nos legimus. ASCENDIT MALITIA, vertunt 70. κραυγὴ τῆς κακίας, id est, *clamor malitiæ*. Secundùm præstantissimos Patrum, S. Augustinum & Gregorium, clamat malitia, clamant peccata, eorumque ad Deum clamor ascendit, cum tantâ impudentiâ, tantâ licentiâ patrantur, vt nullus timori, nullus sit ampliùs verecundiæ locus. Sic olim in Sodomis factum: nam, vt sacris Litteris proditum est: *Homines Sodomitæ pessimi erant, & peccatores coram Domino nimis.* Non mirum ergo, si is perspectâ eorum tantâ & tam enormi nequitiâ, vltrà sustinere non valens indignitatē hanc maximam, & ostendens patere sibi praua consilia, actusque populi nequam, supra modum sceleratos & malos, dicat: *Clamor Sodomorum, & Gomorrhæ multiplicatus est; & peccatum eorum aggrauatum est nimis: descendam, & videbo, vtrum clamorem, qui venit ad me, opere compleuerint.*

Genes. c. 13. v. 13.

Genes. c. 18. v. 20.

Ad c. 1. Ionæ.

17 Remigius Autisiodorensis, sic occultum crimen à manifesto secernit, quòd occultum loquatur, manifestum clamet. Sed potiùs Martino Del Rio assentior, ac cum eodem existimo, quoduis crimen seu peccatum graue clamare, & quidem vehementer, tantoque vehementiùs, quantò grauiùs. Quod sanè neminem diffiteri posse mihi videtur, si præsertim meminerit Caino fratricidæ dictū: *Vox sanguinis fratris tui, clamat ad me de terra.* Quid hoc? non loquebatur Cain, facinus eius latebat; at homines, non Deum: siluerit Cain, non silebat peccatum; hoc audiens, hoc videns, propalauit, puniuit Deus, quid ni faceret? clamabat, vrgebat vox sanguinis, quæ & celerem, & atrocem, qualis secuta, vindictam poscebat.

Peccatum quoduis graue clamat in cælum.

Tom. 1. Adagior. Adagio 22.

Genes. c. 4. v. 10.

18 Cainum relinquamus: ad Niniuitas redeo. Quænam illa eorum malitia, ipsum æterni Regis solium clamore peruadens? Multiplex haud dubiè & magna: nec alia esse potuit in summis opibus, luxu, vitæ morumque licentia. Theologi asserunt sacris paginis edocti quatuor censeri eius generis peccata quæ præcipuè læsi Numinis iram inclamant, & pœnam; atque ob enormitatem celerem ab eo vindictam postulant; homicidium voluntarium, vt in Caino; infamem turpitudinem, vt in Sodomitis, à quibus ei nomen; innocentium oppressionem violentam, vt in Ægyptiis; de qua in Exodo Dominus: *Vidi afflictionem populi mei in Aegypto, & clamorem eius audiui, propter duritiam eorum qui præsunt operibus.* Denique iustæ mercedis, de qua B. Iacobus: (*Ecce merces operariorum, qui messuerunt regiones vestras, quæ fraudata est à vobis, clamat: & clamor eorum in aures Domini Sabbaoth introiuit.*) subtractionem. Hæc omnia dominata in vna Niniue, sunt non pauci Neoterici, qui post plures veteres opinantur, vnâ mente si non voce dicentes, cum S. Zenone Veronensi Episcopo, *quòd Niniuitæ ingentibus peccatorum sarcinis premebantur.*

Quatuor peccata in cælum clamantia enarrantur.

Exodi c. 3. v. 7.

Epist. Iacobi c. 5. v. 4.

Serm. in Ionam.

Hæc quatuor dominabantur in Niniue.

19 Et sanè post conuersionem primam, actamque semel pœnitentiam, vbi

vbi denuò ad vomitum rediit Niniue, talis à Propheta Nahum depingitur. Audite *Va*, inquit, *Ciuitas sanguinum*, vbi notatur homicidia. *Vniuersa mendacij dilaceratione plena*; notantur fraudes, doli, ficta crimina, quibus, vt interpretatur Figueiro, subditos circumueniebat, opprimebat, oppressos morte mulctabat: bona eorum per vim diripiens, vt simplicis Naboth vineam Achab impius. Addit Propheta. *Non recedet à te rapina*; Notatur auaritia & crudelitas. Denique mentionem facit *multitudinis fornicationum meretricis speciosa, & grata, & habentis maleficia, qua vendidit gentes in fornicationibus suis, & familias in maleficiis suis*. Meretrix hæc, de qua Nahum loquitur, non alia quàm ipsa Niniue, de qua, bone Deus! quid non malorum ille vates. Et si hæc post tam seriam, vt credebatur, pœnitentiam; si, inquam, post hanc fornicatio, mentis videlicet & corporis, id est, idolorum cultus, & turpitudo; si maleficia, artesque magicæ; si fraudes & doli, quibus in suam societatem adscitos spoliabat; aliaque eiusmodi; haud credibile ante hanc primam IONÆ Prophetæ nostri comminationem, multò aliter sapuisse, aut aliud egisse.

Cap. 3. v. 1.

Eod. vers.

Vers. 4.

20 Enimuerò à Sardanapalo Rege homine mollissimo, &, si vllus, vero libidinis mãcipio, quis aliud exspectet quàm libidinem, luxum, innumeraque alia, quæ exinde, mala? Scilicet præibat ipse ad facinus viam, cùm non ignotus vitam duceret inter pellices muliebri stolâ indutus, solitus, quod de alio nemine accepimus, corpus totum meretricio more fucare. Quò magis mirum, eum ad pœnitentiam adduci aliquãdo, quantumcumque aspera monitione, potuisse.

Sardanapali luxus & mollities describitur.

21 At, vt erat improbitati & sceleribus assuetus; tantum valet consuetudo, altera natura, in eadem relapsus, secundùm quod Iuuenalis ait:

Iuuenalis Satyra 13.

——*Ad mores natura recurrit*
Damnatos, fixa & mutari nescia

tandem meritas pœnas luit, sibi vltor. Nam cùm semper, vt dixi, in libidinem diffluens, impuri amoris facibus sua diu succendisset præcordia, ad extremum igne, aptissimâ talibus noxis pœnâ, etiam corpus succendit, & de se supplicium sumpsit, in vita quidem miser, at in morte miserrimus. Res ita se habet: cùm salute desperatâ in manus hostium venturum se crederet, esse sibi ipsi hostis maluit; quare pyram ingentem in regiâ exstruxit, impositisque auro, argento, vestibus, omnique supellectile; etiam, quem charissimum habebat, scortorum grege, seipsum adiunxit, vt olim vitæ & voluptatum comitem, ita & necis; ibidemque cum omnibus in fauillas actus, interiit.

Eiusdem obitus.

22 Vt verò non minus nobile vitæ ac mortis illius exstaret monumentum, tumulo suo Assyriorum litteris hęc pauca inscribi iussit, per omnia anteactæ vitæ consona.

——*Tu hospes ede, bibe, lude,*
Cùm te mortalem noris, præsentibus exple
Deliciis animum: post mortem nulla voluptas.
Namq; ego sum puluis, qui nuper tanta tenebam.
Hac habeo qua edi, quaq; exsaturata libido
Hausit; at illa iacent multa & praclara relicta.
Hoc sapiens vita mortalibus est documentum.

Epitaphiũ Sardanapali. Athenæus lib. 12. c. 12. Strabo lib. 14. Cicero lib. 5. Tusc. quæst.

Optimè hic pro epiphonemate Aristoteles; quid aliud in bouis, non in Regis sepulchro inscriberes.

23 Manauit ab hoc Rege impurissimo ad eiusdem farinæ asseclas mos perditus. Memini namque apud Plutarchum legisse me aliquando, Ægyptios cadauer aridum inferre in conuiuia, & proponere solitos commonereque, vt breui se tales futuros esse meminerint. Volebant videlicet eos hac ratione inuitatos, vt abdomini liberaliùs seruirent, genio liberiùs indulgerent. Sed quantò meliùs hac, aut simili propositâ mortis aut morituri imagine, se, ac hospites suos, ad cibi potionisque sumptionem moderatam,

Mos Ægyptiorum circumlatâ mortui specie ad potum inuitantium.

ratam, ad pensandam labentis æui metam appropinquantem, ad instantis melioris cursum incitassent.

Praua quorundā bibēdi consuetudo damnatur.

24 Sunt etiamnum, quod maximè doleo, & sine lacrymis enarrare non possum, vtinam verò vel sic mederi, Sardanapalici (sit verbo venia) non pauci. Dicam apertiùs, & sine fuco, sunt non homines, quia hominem quodammodò exuerunt, sed *Epicuri de grege porci*, inter quos illi etiam ceteris nequiores;

Horatius lib. 1. Epistolar. Epist. 4. Iuuenal. lib. 1. Saty. 2.

Qui Curios simulant, & bacchanalia viuunt:

sed non erunt impunè, vt libuerit agant impudenter, genialiter viuant, mox etiam ascendet, si ex nunc non ascendit, malitia eorum coram Domino.

25 Fortè nunc quispiam in sinu gaudeat, sibique abblandiens, tacitè dicat: Hactenus nec libidini, nec ventri seruio; non est ergo quod metuam, esse securus possum. Dico & ego, quòd nec libidini, nec ventri seruias benè & beatè: sed quæro, nullisne aliis aut vitiis, aut prauis animi affectionibus famularis? si apud te ira, tumor, liuor, auarities, si quæ aliæ vitiorum pestes hospitentur, est in *Niniue*, in anima, inquam, tua malitia, quæ ad cælum ascendit; tantoque celeriùs & altiùs, quò magis criminum cumulus crescit.

Fugiendū peccatum, vt pœna fugiatur.

Ecclesiast. c. 21. v. 2.

26 Quisquis igitur teipsum, id est, bonum salutemque tuam, æternam felicitatem, perennatura gaudia, sollicitus quæris, *quasi à facie colubri fuge peccatum:* mordet enim, inficit, necat, &, vix patratum, pœnas deposcit, accusatorem agit importunum, homini id patranti factum subitò ex amico inimicus. Quomodò accuset, clamet, pœnam extorqueat, ex B. Saluiano, si lubet, accipite: *Cadi*, inquit, *aures suas dicit Deus clamoribus peccatorum, vt non differatur pœna peccantium: & verè clamor, & grandis clamor est, quando pietas Dei, peccatorum clamoribus vincitur, vt peccantes punire cogatur.* Pergit idem Saluianus, optimè ad rem nostram. *Ostendit ergo Dominus quàm inuitus puniat, etiam grauissimos peccatores, dicens, quod clamor Sodomorum ad se ascenderit: hoc est dicere, misericordia quidem mea mihi suadet, vt parcam; sed tamen, peccatorum clamor cogit vt puniam.* Eodem prorsus modo, & hic mixtam videmus seueritati lenitatem, iustitiæ clementiam. Nam tametsi clamor malitiæ ascenderit, non antè punitur Niniue, quàm variis admonitionibus medicata, conualescere ipsa detrectet. Nobis certè cauendum, ne vsque eò crescat malitia nostra, vt ascendere incipiat. Felices, qui aut non peccant, aut si peccent continuò iniquitatem suam sibi ob oculos ponunt, & lugent, ne ad Deum ascendat, dicētes cum Dauid: *Peccatum meum contra me est semper.*

Lib. 1. de Prouidentia.

Deus punit velut inuitè.

Post peccatum resipiscendum statim, ne ascendat malitia.

Psalm. 50. v. 5.

27 Verè improbè agentium & peccantium effrons audacia, & ingens malitia est, id audere & facere in oculis Domini. Dicebat Assuerus de scelerato illo Aman: *Etiam Reginam vult opprimere me præsente in domo mea.* Verùm hoc illos non mouet; audent in conspectu Domini, quod in conspectu serui vilissimi non auderent. O tempora, ô mores nostri seculi infelices! adhuc ampliùs cùm in cælum ascēderit malitia, neque acres de imminente pœna flagellisque impendentibus admonitiones desint; deest, eheu! resipiscendi desiderium, deest voluntas saniora consilia capessendi, quò fit, vt Deum velut optimum parentem, & medicum, pro nobis sollicitiorem, respuentes, eundem seuerum iudicem, contra nos ipsos armemus. Quæ vtinam cogitatio nostrûm omnium animos subeat interdum, illosque vrgeat ampliùs Dauidicum illud: *Vultus Domini super facientes mala, vt perdat de terra memoriam eorum:* vt quod hîc dicitur futurum, quò magis sceleribus inuoluti sumus, magis etiam metuamus. Profectò si timor hic nobis pro monitore seruiat longè aliter acturi sumus, magis in omnem occasionem agendi, viuendique secundùm sanctum Domini beneplacitum intenti; eoque efficaciùs,

Esther c. 7. v. 8.

Psalm. 33. v. 17.

Timor supplicij hominem arcet à crimine.

caciùs, quò certiùs nouimus non posse nos fugere illum omnia intuentem oculum, illam omnia potentem manum declinare. Lateant ergo ad tempus crimina, abscondita sint peccata; sed non Deo, cui qui aliquid absconditum putat, magnoperè desipit; vti & is, qui efficere se posse existimat, ne malitia ipsius clamet, & audiatur. Nam licet læsus sileat, feratque illatam iniuriam patienter, licet ab eo etiam qui læsit veniam extorqueat, necdum tamen lædentem quietum esse malitia finit. Senecæ Tragici elegans est sententia.

Nullum crimen Deo ignotum est, nullumq; cariturum supplicio.

Quod quisque fecit patitur, auctorem scelus
Repetit suoq; premitur exemplo nocens.

Neque in solis mentis flagellis stat sceleris pœna: continuò namque Dei aures verberat, & vindictam, vindictam ingeminat: semper aduersus Cainum sanguis Abel vociferatur, & quamquàm satisfieri subinde aliquousque hominibus videri possit, nequaquàm Deo, qui iustitias iudicat; donec de patratis sceleribus vindictam sumpserit.

Malitia, & peccata sunt causa tam diuturnorum Belgij bellorum.

28 Vidimus, (non nisi quod publicum est, & in Orbis vniuersi conspectu geritur loquor) multis iam lustris grauissimè afflictũ Belgium nostrum, pulcherrimas ciuitates, nobilissimas prouincias exhaustas, imò propè subuersas. Vnde nobis hæc tam probrosa, cruenta, diuturnaque bella? vnde ciuilia odia? vnde motus tam turbulenti? quibus adhuc indies crescente per confœderatos suos hoste, inuoluimur ampliùs? *Ascendit malitia nostra.* Illa, illa è Dei manibus, hæc quibus ferimur, flagella extorsit; illa, bella, famem, pestemque consciuit; illa, nisi resipiscamus, & ponamus improbitati modum, maiora grauioraque in nos supplicia prouocat; adhuc enim manus Domini in plagas, & vulnera extenta, quam si auertere à capitibus nostris velimus, improbitatem pariter à mentibus nostris auertamus.

29 Verè accidisse mihi Belgio nostro videtur quod Niniuitis. Viuebant illi securi sine hoste, ditati spoliis, locupletati victoriis pluribus, & inter opum affluentiam pacati voluptuabantur sicuti

Niniuitarum securitas.

Luxuriant animi rebus plerumq; secundis.
Nec facile est æquâ commoda mente pati.

Ouid. lib. 2. de Arte.

Non videbatur euenire posse quod metuerent, cùm aduersus vrbem Orientis dominam, non esset ampliùs, qui tentare aliquid hostile auderet. Sed securis, & in otio suo quietis, maior imminebat clades, quàm si totus aduersus eos Oriens insurgeret. Insurgebant enim peccata, quæ plus poterant quàm arma, hæc Deum exciebant, eumque aduersum se vocabant in prælium.

Niniuitarum superbia.

30 Efferebantur superbiâ Niniuitæ; interim occisos ab illis maritos viduæ, amissos parentes orphani, sedes suas occupatas peregrini, direptas ab vsurariis opes egeni; raptam pudicitiam plorabant virgines. Non audierunt hæc illi, sed clamorem miserorum audiuit Dominus: quare illatas immeritis iniurias, intra dies non ampliùs quadraginta seuerè vlcisci totius subuersione ciuitatis statuit. Ita prorsus cum Belgis nostris actum, inter opum affluentiam, luxum, abundantiam rerum omnium, sui velut impotes, insaniæ frena laxabant. Regio hæc feliciorem non agnoscebat, fortè nec pro angustiis suis ditiorem, hostem suis nixa viribus & armis, omnino non verebatur: sed quem foris venientem non metuebat, domi reperit, eò truculentiorem, quò magis in vicinum, patrium, imò cognatum sanguinem sæuiit.

31 Vnde hoc intestinum, tam atrox malum? clamabant peccata, bellabant ea aduersus ciues, hæc primi nostræ patriæ hostes fuêre, hæc amicos inimicos, domesticos nobis extraneos fecerunt. Quænam, inquis, illa? heu nimium multa, & magna, quæ commemorare non libet, quòd eorum non nisi cum gemitu recordemur,

mur, atque vtinam, ne exstet apud Deum aut homines illorũ memoria, proprio ea sãguine liceat eluere. Hoc dico, & opto pro vero & syncero in patriam & ciues adfectu. Vos autem paucis hoc cupio, hoc rogo, SODALES, dum Niniuitarum, dum Belgij malitiam ad Deum clamantem recolitis, vestræ etiam memineritis, & ne hæc contra vos clament, precamini. Petite ignoscat delinquẽtibus Deus, dicite errantes reducat, in afflictione propria clamantes audiat, & ereptos peccatis, mox etiam eductos seculo, in æternæ beatitatis regione constituat.

LECTIO QVARTA.

ET SVRREXIT IONAS VT FVGERET IN THARSIS A FACIE DOMINI. *Vers. 3.*

ARGVMENTVM.

Cur IONAS *in Tharsim fugerit quæritur, & discutitur. Quot, & quibus modis in hoc deliquerit, declaratur. Deo imperanti obsequendum, & cuique pro vocatione sua viuendum, docetur.*

1 INSTITVTÆ legationis causam propiùs inspeximus; superest, vt quid egerit legatus, quamque præclarè suo sit functus munere, disquiramus. Auditâ perdifficilis legationis causâ oppidò graui, & quæ non parum animum generosum percelleret, illicò SVRREXIT IONAS. Quorsum? forsan vt iniunctam legationem obiret, & in Niniuen sicuti ei pro imperio seriò admodùm Deus mandauerat, quamprimùm, quam ocyssimè properaret? Ita sentit Hector Pintus in Ezechielem, aitque tantoperè festinasse, & mari iter aggressum, ne Deus, priusquàm ipse eò perueniret, in terra miraculum ederet, quo faciliùs crederent Niniuitæ. Nunc verò secus quàm ipse putabat editum in mari prodigium, factumque, vt nauigatio, quam elegerat ne adhiberent dicenti fidem, magis fidem conciliaret, ei inquam, idcircò intenderent ardentiùs, promptiùs obsequi laborarent.

Reiicitur Hectoris Pinti sententia de Iona fuga in Tharsis.

Pintus ad c. 30. Ezechiel.

Ingeniosa quidem hæc speculatio; sed quia nullo nixa fundamento, nullis Patrum testimoniis, ipsis etiam IONÆ verbis, tum hîc, tum quarto capite planè contraria, est omninò à veritate aliena cẽsenda. Surrexit igitur VT FVGERET IN THARSIS, id est, *fugam*, vt rectè Theodoretus, *Domini imperio antetulit*; & quam præstare celeritatem in diuino præcepto seruando debuisset, præstitit in fugiendo.

2 Scimus detrectasse eum proponere Niniuitis, vt hîc satis in tam inuerecunda & parum honesta fuga apparet, ea quæ ad pœnitentiam, vitę morumque mutationem in melius possent flectere: sed hîc nodus, cur rem tam sanctã, vbi pręsertim de Domini voluntate constabat euidenter, tam operosè à se sit nisus repellere, cur noluerit obsequi imperanti.

Varia sententia variorum, cur Ionas fugerit in Tharsis referuntur.

3 Dicam prius quid alij sentiant. Rabbi Aben Ezra, genti suæ fauens, hanc Prophetæ nostro legationem, quia insolita, vehementer displicuisse autumat. Nouum quippe videbatur ei, legationibus aliis perfuncto, è terra Israël, in Niniuen, vrbem gentium habitatione profanam habitam, destinari; Iudæis nimirum, factâ sibi

sibi de Messiæ ortu ex Tribubus suis sponsione, ceteros omnes, qui Iudæi non erant, aspernantibus: recolebant enim frequenter illud Moysis legislatoris sui grauissimum pronuntiatum: *Non est alia natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster, adest cunctis obsecrationibus nostris. Quæ est enim alia gens sic inclyta, vt habeat ceremonias, iustaq; iudicia, & vniuersam Legem?*

Deuter. c.4.v.7.

4 Ex Rabbinis Iarrhy & Kimchi, quibus consentiunt Diuus Hieronymus, D. Gregorius, & Remigius; detrectasse IONAM hoc Domini imperium putant; quòd spiritu agnouisset prophetico, tum demum domum Israël perituram, cùm gentium populi credidissent. Quia verò, ne se dicente; aut prophetante id fieret, magnoperè metuebat; cautè sibi suisque consulendum fugâ statuisse. Ipsum audiamus Hieronymum, ex quo eadem totidem penè verbis desumpsit Remigius Autissiodorensis: *Scit* (inquit) *Propheta, sancto sibi Spiritu suggerente, quòd pœnitentia gentium, ruina sit Iudæorum. Idcircò amator patriæ suæ, non tam saluti inuidet Niniue, quàm non vult perire populum suum.* Et paullò pòst addit. *quod aliquando futurum erat, hoc nè in suo fieret tempore verebatur.* In quam etiam sententiam ait Philippus Bonæ spei Abbas: *Propheta simplex ea propter noluit illuc ire, populisq; nationum verbum bonum, verbum commonitorium impertire, ne si audito verbo festinarent de lapidibus in filios Abrahæ suscitari, Iudæos gentem suam videret perfidiæ merito reprobari. Nouerat enim dicente Isaiâ, Quia cor huius populi Dominus excæcaret; & immisso astu perfidiæ oliuæ pinguedinem exsiccaret, & tunc deficeret huius pristina sanctitudo, cùm ad fidem introiret conuersa gentium multitudo. Nolebat autem sic ad fidem exteros introire, vt videret, & doleret ab eadem suos nequiter resilire, & ne se præsente prædicta obcæcatio apprehenderet Israëlitas, ab ingressu fidei, vel auferre vel differre volebat Niniuitas.* Hæc ille.

Philippus Abbas lib. de Silentio Clericorum. c.80.

5 Hugo Cardinalis doluisse ait, quod alij Iudæis, ipse gentibus, & quidem idololatris, vates mitteretur; proindeque actutùm celerem fugam cogitasse, velut victum doloris magnitudine; atque ab imperio exequendo deterritum.

Rochus Mamerotius fugam IONÆ pusillanimitati tribuit, arbitrantis cùm parum apud Israëlem, populum proprium, & omnino; vt apparebat, docilem, excipiendis oraculis natum & factum, potuisset; minus apud ignotos, exteros, alienos à veritate, effecturum.

6 D. Cyrillus Alexandrinus, & Franciscus Feuardentius timori mortis, qui etiã in constantes, imò sanctos viros cadit. IONAS quippe audierat efferos esse Niniuitas, incultos moribus & mentibus, diuinæ legis & timoris omnis expertes, denique, verbo dictum, barbaros. Horum proinde vitia infanda in omnium oculis arguere, damnare scelera, quàm non careret periculo, satis assequi cognitione poterat: quòd ferè, vt est in prouerbio, *Veritas odium pariat*, &, vt hoc loco notauit Diuus Cyrillus, *Semper barbari ad iram præcipites sint, facillimeq; vt tauri faciant, quamuis idonea insaniæ occasio non suppeditet*; quid igitur vbi eam habere se putent? Hoc cùm sciret noster IONAS, tutius existimauit, & melius, omne periculum à corpore, à capite, à vita sua quàm longissimè propulsare; propriæque indemnitati cumprimis studere. Itaque; vt ante eum Iacob Patriarcha fratrem suum Esau metuens, Moyses Pharaonem, Dauid Saülem, & deinde filium suum Absalonem, solum vertêre; sic ipse Niniuitas reformidans, vt vitam tueretur, sibi fugâ consuluit.

Terentius in Andria Act.1. Sc.1.

7 Dionysius Carthusianus, alias, & plures cur fugeret IONAS, rationes inuenit. Credebat, inquit, facilè permissurum pro benignitate suâ

Deum,

Deum, vt rem molestam adeò & grauem ex humeris suis excuteret, & illam suam minùs promptam obsequendi voluntatem, dissimulans præteriret. Deinde arbitrabatur, vt ille existimat, ob refractariam mentem, ac suum minùs promptum ad imperia animum, à se vaticinij spiritum tollendum; quod fortasse nequaquàm accidisset inuito. Hoc ipsum Benedictum Ariam Montanum mouisse puto, vt opinaretur IONAM, relicto vaticinandi munere, mercatorem deinceps agere voluisse, ad totius Africæ emporium fugientem: Nam, vnde aliàs hanc coniecturam hauserit, non assequor. Verùm de fugæ termino, quem sibi præfixerit posteà.

8 Denique cùm ex opinione quorundam, nescio an etiam Carthusiani, nec factæ reuelationes, nec inuenti Prophetæ nisi in terra Israël, imò, vt assentiendum Theodoreto, nisi in Ierusalem; crediderat (vt ait ille) inde remotiùs abiens, non se reuocandum; iam, voluntario exilio, ab hac Dei benignitate exclusum. At caret fundamento sententia; quis enim ignorat, quàm multa, quàm magna in monte Horeb arcana Moysi, quàm multa Eliæ sint reserata diuinitus? quoties Abrahæ, Isaiæ, Iacobo in Ægypto & Mesopotamia, & apparuerit, & locutus sit Dominus? vt nunc alia prætеream. Si ergo in hoc negotio coniectandum aliquid, faciliùs dixerimus locum quæsisse remotiorem, è quo se non vltrà mittendum in Niniuen planè confideret.

Vera causa fugæ Ionæ traditur.

9 Auditis plurium sententiis, & potioribus grauissimorum Doctorum iudiciis; dicam nunc cui potissimum subscribendum censeam. Arridet mihi magis prioribus omnibus, quod etiam placuisse video Theodoreto, Theophylacto, Hugoni Cardinali, Carthusiano, Ioanni Treminio, Riberæ, Augustino Torniello, atque aliis pluribus, IONÆ nostro causam fugæ fuisse potissimam, timorem quendam præposterum, & nimiam de honore & propria existimatione curam. Nam, cùm nouisset miserationes Domini super omnia opera eius, ne propalatam à se sententiam certi interitus, paternâ benignitate mutaret, sicque saluâ Niniue, quam perituram dixisset, mendax habitus, malè apud suos malè, apud exteros audiret, verebatur. Hæc inter ceteros quoque fuit S. Gregorij Nazianzeni sententia, dicentis: *Ideò fugiebat ne vel tristis nuntij Niniuitis minister existeret, vel postmodùm mendax inueniretur, si per pœnitentiam ciuitas saluaretur: neque enim saluti eorum inuidebat, sed mendacij ministerium declinabat, dignitatem propheticam in omnibus efferens, quam vtique in se velut deformari videbat, si infamaretur maculâ falsitatis, dum vulgus ignarum & imperitum intelligere ac percipere non posset profundam futuræ dispensationis scientiam.* Atque ita ego mihi quoque prorsus imaginor, ac dum rem propiùs considero, IONAS ipse, optimus & fidissimus suæ mentis interpres, idem, spectato iam totius rei successu, Domino mœstus aperuit, dicens: *Obsecro Domine, nunquid non hoc est verbum meum, cùm adhuc essem in terra mea? propter hoc præoccupaui, vt fugerem in Tharsis. Scio enim quia tu Deus clemens, & misericors es, patiens, & multæ miserationis, & ignoscens super malitiâ.*

Gregor. Nazian. in Apologetico.

Ionæ c. 4. v. 2.

10 Passus ergo humani aliquid, nimium propriæ laudis & gloriæ appetens, iniquè affectum illum suum malè ordinatum diuinæ voluntati antetulit, timens vbi timere non debuit. Quid enim timeas IONA? nomen mendacis? hoc nec ipse Dominus timere hìc visus. Si quod ex hac legatione tua orietur probrū, id illi non tibi orietur, illique esset, non tibi imputandum. Ipse quippe Legatum te mittit, quare & ipsius est rectè imperare, tuum verò dumtaxat exsequi

Peccauit Ionas amore proprio & appetentiâ laudis humanæ.

sequi imperata: quod cùm feceris, muneri etiam tuo feceris satis; neque enim quidquam à te vltrà exigitur. At dicentem audire mihi videor: dura, ardua, ne dicam iniqua, isthæc imperia sunt, nominis sui facere iacturam debere, & quidem nullâ suâ culpâ. Repono. Quis hoc futurum tibi mi IONA asseruit? falleris, falleris; in Dei obsequio nullum honoris, nullum nominis, nullum amittendæ famæ periculum est: & si quod sit, aut esse possit, ne dubita, id etiam te minimè cogitante videbis sublatum. Legationem hanc tibi imperanti, tuo non est opus consilio tuaque prudentiâ; tantùm obsequio; vt, quod iussus fueris, exequaris.

Humanus seu timor, seu amor sæpè præ diuino in homine dominatur.

11 Oblitus hîc sui est IONAS, vtinam nos nostri non obliuiscamur sæpiùs. O quoties pugnant in corde nostro velut in in arena locoque certaminis, & acri decertant duello, hinc diuinus, inde humanus, & timor, & amor: certamen iniri facilè patior, modò diuino, seu timori, seu amori cedat, vt par est, victoria. Verùm non rarò aliter accidit; quando ferè ita nobis, vanitatibus, inquam, nostris studemus; vt, ne inanis cuiusdam gloriolæ patiamur iacturam, & viles quoquo modo ab hominibus habeamur; licenter, audacter, impudenter, vix vlla de causa, sine cura & metu infringere Dei sacra, leges, imperia non erubescamus.

12 Benè dixit Comicus.

Plautus. *Feliciter sapit; qui alieno periculo sapit.*

Et alter Poëta non ignobilis

Ouidius. *Felix quem faciunt aliena pericula cautum*

Sapiamus & nos, discamus IONÆ periculo, IONÆ exemplo operi nobis commisso studium omne laboremque nauiter impendere, à Deo verò euentum prosperum præstolari. Id si noster fecisset Propheta, si mens ei fuisset exequi imperata fideliter; nunquam profugus, nunquam exul, nunquam in belluino captiuus carcere, latuisset miser. Dixisset, cùm primùm mittebatur in Niniuen, ad quæuis imperia promptus & agilis, præcepit Deus, quid ni obediam? fortis & potens est Rex Niniue, multus istic populus; at Deus fortior, Deus potentior; sint multi, sint potentes, vt velint; ne mundus quidem vniuersus præualeat aduersus Deum; si mihi subeunda pericula, ipse est qui eripiat. Intereà si pro beneplacito suo parcere voluerit etiam sceleratissimis; si dare gentibus conuersionis gratiam, tu quis es qui prohibeas? nunquid Dominus est? igitur *quod bonum est in oculis suis faciat*, ego illi in omnibus seruiam, in omnibus obediam. Lib. 1. Reg. c. 3. v. 18.

Ionæ ratiocinatio, non eundi in Niniuen suadens.

13 Verùm aliter ipse: sic enim secum ratiocinatum existimo. Quid mihi cùm Niniuitis? ad illos si dixero, aut dictis meis habebunt fidem, & vitam mutabunt ac mores; aut, quod vt fiat pronius est, fidem non habebunt, atque in sua perstabunt malitia; tum verò vana mea peregrinatio, labores planè frustranei, irritus clamor: neque aliud quàm

—— Arenæ semina mando,
Non profuturis littora bobus aro.

Ouid. Epist. 5. Her. Oenone Paridi.

Si fidem habeant, & melioribus intenti studiis conuertantur; scio, parcet illis Dominus; & vt olim Dauidem, Achabum, aliosque plures admittet in gratiam: ego interim famæ meæ prodigus, honorem omnem meum, quem illæsum intactumque seruari interest, perditum ibo. Quare mendax ab omnibus habitus, populi non tantùm opprobriis, sed & flagellis, ac nescio quibus non casibus mortis incertis exponar. Nimium certè crudelis sim, si sic famam vitamque meam neglexero: præcones sibi Dominus alios quærat, ego illi me hac in re nequaquam tanto cum meo dispendio obtemperare debere existimo.

 14 Io-

Basil. Seleuciæ Episcopus Orat. 12.

14 IONAM de hoc ipso argumento D. Basilius Seleuciæ Episcopus copiosiùs ratiocinantem inducit hoc modo: *Si supplicia de Niniuitis essent sumenda, gaudens vtique obsequerer imperio, administer essem pœnæ impiorum. Odi enim ciuitatem impiorum, sedes impiorum, execror ciuitatem criminum officinam, odi populum luxus opificem, à temperantia alienum, cupiditati obsequentem. Nam eiusmodi populus armatam in Deum linguam gerit. Vrbs est idolorum amans, dæmonum serua, ignara Creatoris. Verum eam nunc Dominus punire, vt arbitror, minatur: sed pœnam terrore commutabit. Suspicor equidem comminationem in clementiæ matrem euasuram. Nam cur euersionem prænuntiat, si veram vult animaduersionem? si punire vult, cur admonet periculi? cur oraculo plagam anteuertit? Noui Dei hominum amantissimi artes, iram simulat, studet eos antè exsoluere pœnâ, quàm experiantur: ego verò euersionem proclamans mendax vates inueniar; ex duobus hisce malis mœrore conficiar, & mendax videbor, & inimicam vrbem ab infortunio seruatam videbo. Populus quidem impius sine noxa inueniatur; ego verò mendacij pudore confundar. Quid ergo? inopiam consilij fugâ leuabo: alius Deo suum in homines amorem expromenti subseruiat, fugæ tempus sit officij detrectatio.* En expressas hîc à Diuo Basilio ad viuum parum domitas Prophetæ nostri passiones; è quibus appareat, in quibus, & quantum peccauerit, dum sibi plus æquo indulgens, Deoque minus quàm oportuit tribuens, sui potiùs, quàm illius habendam censuit rationem.

Exprimuntur à D. Basilio Ionæ passiones.

Rupertus Ionam excusat à culpa.

15 Scio quàm velit Rupertus Tuitiensis Abbas eum ab omni culpa immunem; eo potissimùm nomine, quòd typus fuerit Seruatoris: hinc, cùm factum excusare omnino non possit; excusare intentionem nititur: *Si*, inquit, *fugientis intentionem consideres, non valdè est fuga reprehensibilis; quia non eam infidelitas, sed pietas fecit.* Et post pauca clariùs & copiosiùs. *Non gentium salutem oderat: sed suæ gentis damnationem timebat, atque idcircò fugiens, non multum Deo displicebat, imò propter pietatis magnitudinem valdè complacebat.* En quomodò IONAM Rupertus eiusque fugam non modò non damnet, sed etiam commendet.

Rupertus in c. 1. Ionæ.

16 Verum bonâ Ruperti veniâ, licet Christi sepulti & resurgentis typus fuerit IONAS: nihil est necesse hunc illi, vti benè à sancto Hieronymo anteà obseruatum, esse per omnia similem. Moyses namque tanquam legislator Iudaici populi eiusdemque mediator & interpres ad Deum; etiam Christi nouæ legis conditoris (sub quo antiquata mandata vetera nouaque multò faciliora inducta) vti & eiusdem mediatoris hominum apud æternum Patrem typus fuit; non fuit tamen idcircò Christus voce gracili & impeditâ, linguaque balbutiente, vt Moyses. Sic de nostro IONA, inquit Hieronymus, *Sudoris esset vel maximi totum Prophetam referre ad intelligentiam Saluatoris; quod fugerit, quòd dormierit, quòd præcipitatus in mare sit; quòd susceptus à ceto, quòd eiectus in littus pœnitentiam prædicarit, quòd contristatus ob salutem vrbis innumeræ, cucurbitæ sit delectatus vmbraculo; quod reprehensus à Deo cur maiorem curam habuerit herbæ virentis, & extemplò aridæ, quàm tantæ hominum multitudinis.* Causa illius non alia, quàm quòd non ea omnia, quæ hîc IONÆ, Christo quoque conueniant; sicuti nec quæ Christo, ea quoque conuenire IONÆ, aut debent, aut possunt. Itaque, quod velit Rupertus IONAM, quia typus erat Christi, Deo nequaquam displicuisse fugientem, placuisse potiùs ob pietatis magnitudinem, non arbitror audiendum. Cur enim, si placuit, propter eum tam subitò, tantaque tempestas exorta? cur diuinâ prouidentiâ ipse designatus sorte reus? cur hauriendus fluctibus dimissus in iratum mare? nunquid hæc, & plura alia, ei obuenêre in sceleris

Ionas typus Christi in quibusdã, non est illi per omnia similis.

leris pœnam? Ergo si auctore Deo ob fugam plectitur, esse eidem gratus hanc ipsam ob fugam non potest.

Hugo Cardinalis Ionæ fugam excusare quoque nititur.

17 Cautiùs IONÆ fugientis culpam, Hugo Cardinalis extenuat; quasi instar Moysis, studiosè à Deo contendentis ad Pharaonem ne iret, quòd se minùs censeret isti legationi idoneum; ipse quoque, demissò de se sentiens, tanquam sit ineptus ad opus tantum, tamque arduum cui adhibebatur, secesserit, seque subduxerit. Verùm demus sic factum; rectène? quâ id imprimis auctoritate? cuius imperio? putarit etiam, vt idem vult Hugo, à Domini præcepto absolui se potuisse, si vspiam in regione longinqua atque in obscuro aliquo orbis angulo, vbi ignotus veri Dei cultus, delitesceret, quod in primis putare non debuit, putarit tamen: non idcircò debebat quamprimùm sensui iudicióque proprio, quod cuique in re potissimùm sua, debet esse suspectum, adhærere tenaciter; & sine prudenti maturoque aliorum consilio, communicationeque cum Deo, quod statuerat adimplere. Facilè, non ignarus cælestium; assequi cogitatione poterat, longè videri securius, tametsi aliquis fuisset tergiuersationi locus, imperanti rem grandem Domino, candidè, syncerè, promptè, alacriter obedire.

Ionam peccasse & Deo displicuisse in peccato suo, contra Nouantes ostenditur.

18 Peccauit igitur fugiens IONAS; neque, quantumcumque id velit Franciscus Lambertus, vnus è primis æui nostri sectariis; qui cum pluribus aliis eiusdem farinæ, omnes homines quantumlibet iustos, censet peccatores, Deo in suis peccatis placuit. Nam illi placere impius & eius impietas nequit. Peccans ergo displicuit IONAS; & aliter sentiens grauiter errat Lambertus cum suis; sicuti quando cum iisdem sentit, & ait, *Dei electos nec propriam eorum impietatem rapere de manu Domini posse, nec perdere.* Id enim tametsi sit verum in sensu composito, vt loquuntur in scholis Theologi; siue posito quòd sint electi (electioni enim ad gloriam omnis de vita æterna incertitudo repugnat; cùm hanc electionem Dei falli sit impossibile) falsum tamen est in sensu diuiso. Quoniam verò nemini de sua constat electione, neque de ea securus est quispiam; ita cuiuis viuendum, vt in prima sua perseuerans vocatione & gratia, operibus bonis gloriâ se dignum efficiat, atque his ipsis, à Deo ad eamdem electum se esse ostendat.

Franc. Lambert. in c. 1. Ionæ.

Perseuerantia in bonis operibus ad consecutionem gloriæ est necessaria.

19 Fallitur ergo vehementer, ac prorsus desipit, quisquis luxuriari, helluari, aliena rapere; proximo famam bonam, vitamque tollere pergit intrepidè; & interim cogitat propriam sibi malitiam nocere non posse, se tanquam à Deo electum futurum gloriæ cælestis hæredem: nam sic agens operibus suis inter electos nequaquam censeri se, satis superque manifestat.

Quorsum verò spectarent omnes diuinæ humanæque leges, quibus erudimur Dei voluntati conformem vitam agere, atque ita sternere nobis ad beatam immortalitatē viam; si nihil mereri earum sanctâ custodiâ, nihil demereri neglectu contemptúve possemus. Essent tunc certè hæ irritæ omnes, vanæ, superfluæ, atque frustrà nos Petrus Apostolus commoneret: *Magis satagite, vt per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis.* Quorsum enim opera bona, si per ea nihil nobis lucri accesserit, si nihil damni per mala? Nunquid meritò amentes & deliri censeamur, multum pro vocationis & electionis certitudine laborantes; quando hanc nullis, vt ait Lambertus, peccatis aut vitiis, quantumuis enormibus, deperdere valeamus.

S. Petrus Epist. 2. c. 1. v. 10.

Dogma hæreticorũ non displicere Deo in prædestinatis peccata exploditur.

20 Si hoc sapere est, sibi sic sapiant, aut potiùs desipiant hæretici nostri: parant illi hac docendi interpretādique diuina consilia insulsissimâ ratione, sequacibus suis lapsū facilem, viā ster-

sternunt ad ruinam commodissimam: videlicet non sat citò in certum tuituris exitium, nisi hoc pacto promptiores redderentur. Sed nec ipsi sat citò per se Christianam erant contaminaturi Rempublicam, nisi reseratis eâ ratione omnibus libertatis aditibus, plures scelerum suorum socios reperirent, aut potiùs ipsi efficerent. *Vos*, vt D. Cypriani gloriosissimi Martyris summique Oratoris verbis vtar, eiusmodi *vitate lupos, qui oues à pastore secernunt, vitate linguam diaboli venenatam, qui ab initio mundi, fallax & mendax, mentitur vt fallat, blanditur vt noceat, bona promittit, vt malum tribuat; vitam pollicetur, vt perimat. Lucent nunc quoque verba eius, & venena manifesta sunt; pacem pollicetur, ne perueniri possit ad pacem. Salutem promittit, ne qui deliquit veniat ad salutem. Ecclesiam spondet, quando id agit, vt qui credit, in totum ab Ecclesia pereat.* Hæc Cyprianus. Ad rem nostram quod attinet modò, peccauit IONAS, & Deo displicuit; deinde resipuit, atque iterum placuit.

S. Cyprianus Epist. 40. ad Plebem. secunda editio. Pamelij.

Peccauit Ionas 1. Inobedientiâ.

21. Quâ ratione, & in quibus peccarit potissimùm, dum pensiculatiùs disquiro; occurrit in primis violatam ab eo obedientiæ legem non leuiter videri; quando rebellis & contumax, diuinæque voluntati suam præponens, quod sibi tam iniunctum fuerat seriò, prorsus neglexit, ne dicam contempsit. Neque excusationis loco seruire illi potest, quasi quod fecit, nescius fecerit. Erat Propheta, nouerat igitur quasi scelus idololatriæ esse, nolle Dei acquiescere voluntati: non acquieuit tamen; quin potiùs, ne cogeretur acquiescere, & quod iubebatur explere quodammodò inuitus, de fuga ineunda temerarium suscepit consilium, atque ipsum eadem temeritate atque audacia, proprio sensui seruiens, in opus praximque deduxit.

Quomodò in hanc inciderit.

22. Ad hanc inobedientiam prolapsum philosophatur Ioannes Ferus; Primò infirmitate fidei. Deinde tepore caritatis. Denique sensu proprio, tacitaque, quæ in eo latebat, superbiâ, quâ Niniuitas cum Israëlitis componens, præ his illos diuinâ indignos gratiâ iudicabat. Quę causa fuit, cur illorum magis, operiens, interitum quàm salutem, ad hanc collaborare nequaquam satageret. Itaque sic ipse secum.

Tu contra talem ac tantum Regem quid solus tentes? contra ciuitatem tam vastam, regnumque tam amplum, quid solus efficias? tam certo & euidenti, illorum causâ qui tui non sunt, discrimini cur te exponas? Nunquid fugere satius est, ac magis è commodo & re tua? fuge igitur; quod metuis, fugiendo vinces. Si Niniuitis denuntianda decretoria Dei sententia, si nec in improbitate sua relinquendi, nec nisi moniti puniendi; qui voluerit moneat, tu conuersionem gentis illius tanto periculo tuo non emas. Loquar nunc ô IONA bonâ tuâ veniâ etiam contra te pauca. Erras, ô miser, erras; aliter ratiocinêre, aliud tibi persuaseris, si Deo fidere paullò meliùs didicisses. Tunc certè, vt olim Abraham, egrediaris quamprimùm *De terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui*; & vadas in Niniuen, locum, quem monstrauit tibi Deus.

Ionas exemplo Abrahæ Deo obedire debuisset.

Genes. c.12.v.1.

23. Abraham Patriarcha multarum gentium pater, vt Paulus Apostolus loquitur, *contra spem in spem credidit:* contra spem videlicet naturæ in spem gratiæ. Quæ causa cur facile ei fuerit, tametsi esset ætate atque annis grauis, in terram àdeò longinquam secedere, filium vnigenitum Isaac, quem plus oculis suis amabat, in montem ad immolandum deducere. Videlicet maximè illi curæ erat, facere diuinæ voluntati satis, neque ab hac cura vllis tentationibus se passus est dimoueri: quod viro sanctissimo benè feliciterque cessit; audiuit enim Angelicâ voce lapsâ de cælo: *Nunc cognoui quod times Deum.* Si vt Abraham, ita credidisset & IONAS, seque hac plenus fiduciâ dedisset in viam, non illam quæ in Tharsis,

Ad Rom. c.4.v.18.

Genes. c.22.v.12.

sis, sed quæ in Niniuen ducit; non defuisset illi, ob hanc tam promptam obsequendi voluntatem, à Deo remuneratio copiosa.

Alia Ionæ peccata recensentur.

24 Pergo nostri Prophetæ delicta recensere. Non modò inobedientiâ; sed præterea etiam peccauit incuriâ. Tot enim millium animarum in vrbe illa vastissima & populosissima existentium, quarum proprius quodammodò pastor statuebatur à Deo, salutem neglexit. His adde, quòd de diuina potentia non omnino rectè sensisse videatur; arbitratus mandata Domini, aut saltem debitas illorum transgressoribus pœnas, posse fugâ declinari.

25 Vltimum est, omniumque grauissimum; quòd, vt apostata, vocationem suam deseruisse (à qua dimoueri nequaquam debebat, aut timore, aut amore, siue sui ipsius, siue patriæ, siue rei cuiuscumque) tam turpi fugâ suâ conuincatur. Quare timuerit Regem Niniue; nihil interest; magis timere debebat Regem seculorũ, *Qui potest & animam & corpus perdere in gehennam.* Molestum ei fuerit quod imperabatur; magis imperãtis, quàm rei imperatæ meminisse debuit. Amarit patriam, amarit gentem & populum suum; non idcircò exteris debuit inuidere benignitatem & gratiam eius, qui ait: *Miserebor cuius misereor: & misericordiã præstabo, cuius miserebor.* Crediderit esse se debere de commodis propriis & honore sollicitum; oportebat tamen esse eum de diuinæ Maiestatis gloria sollicitiorem.

Matt.c.10 v.28.

Paulus Epist. ad Rom.c.9. v.15.

Vocationi suæ cuiq; conformiter viuendum.

26 Nos verò esse non minus IONA ipso amantes voluntatis diuinæ deque vocatione nostra sollicitos, vt ei respondeamus per omnia, par est; secundùm hoc, quod aliquando monuit Paulus Ephesios: *Obsecro vos, vt dignè ambuletis vocatione, quâ vocati estis.* Quod nisi nitamur efficere, periculum est ne diuinâ gratiâ excidentes, paulatim in deteriora labamur, & maioribus inuoluti criminibus, tandem, IONA longè infeliciores, æternùm pereamus.

Epist. ad Ephesios c.4.v.1.

27 Sed si, multorum criminum rei, iram Dei iustam indignationemque iam incurrerimus, quid tum nobis subsidij? Non deest, qui semper scaturiat, semper fluat, fons bonitatis supernæ, ad ægritudines nostras sanandas & vulnera copiosissimus. Igitur qui peccarunt cum IONA peccante, cum IONA similiter pœnitente agant pœnitentiam, & resurgant. Scimus sui oblitos aliquando Loth, Dauidem, Ezechiam, viros notæ ceteroquin probitatis & sanctimoniæ; Petrum insuper & Paulum, duo Ecclesiæ præcipua lumina; sed mox etiam per pœnitentiam & lacrymas in se reuersos, luxisse præterita crimina nouimus. Labi infirmitatis est humanæ, perseuerare diabolicæ nequitiæ, resurgere virtutis gratiæque diuinæ.

28 Dico itaque cum Ecclesiastico: *Fili peccasti? non adiicias iterum: sed & de pristinis deprecare, vt tibi dimittantur:* Et ad hoc nobis lapsus Sanctorum vtilis est; vt eorum exemplo, post lapsum etiam nos quod perdidimus, instauremus. Benè vt omnia S. Ambrosius: *Nihil mihi nocuit quod negauit Petrus, profuit quod emendauit, didici cauere colloquia perfidorum.* Dico similiter, nobis non nocuit quod peccauit IONAS; profuerit quod emendauit, quodque castigatus resipuit, si eius exemplo didicerimus melius Deo obedire vocanti, eius monitis, legibus, imperiis obsequi.

Ecclesiast. c.21.v.1.

Exemplo Sanctorum post lapsum surgendum.

Ambros. lib.10.in Lucam.

29 Quisquis ergo ab eo vocari se sentit, ducique in viam perfectionis & sanctitatis; permoueri, inquam, ad religionem, ad claustrum, ad eremi solitudinem; is patulis auribus vocantem audiat, & sequatur. At inquies, quàm vellem! verùm repugnãt noti, propinqui, parẽtes. Repugnent, quid inde? illorúmne res agitur an tua? illine qui auocant præ Deo aduocante audiendi? Tu iterùm: tales, inquis, sunt, quibus aliquid, imò plurimum debeo. Et ego: plúsve etiam quàm Deo, cui omnia? an nescis, quòd secundùm Petri, & Apostolorum

Deum vocans sequendus.

rum

rum responsum, datum Ierosolymis in concilio principis sacerdotum, *Obedire oportet Deo magis quàm hominibus.* Hunc ergo vocantem potiùs, quàm reuocantes homines audire te conuenit.

Act. c. 5. v. 29.

Omnia quæ impediunt executionem vocationis arcenda.

30 Iam, tametsi ita mecum statuendum censeas, suggeres fortè non pauca, quæ moram iniiciant, & te, toto affectu Deum sequi volentem, vehementer retardent. Ego verò vnũ hic aio: Masculos animos indue, dissolue ea, quibus teneris, vincula, moras rumpe. Me si hoc dicentem non audis, audi sanctum Hieronymum: &, quod ille dixit aliquando Heliodoro, id tibi nunc ab eodem dictum arbitrare: *Recordare*, inquit ille, *tyrocinij tui diem, quo Christo in baptismate consepultus, in sacramenti verba iurasti, pro nomine eius, non te patri parciturum esse, non matri.* Si nec patri parcendum, nec matri putat Hieronymus; quid magnoperè dandum putabit consanguineis, propinquis, amicis? Pergit ille: *Licet paruulus ex collo pendeat nepos; licet sparso crine & scissis vestibus vbera, quibus te nutrierat, mater ostendat; licet in limine pater iaceat; per calcatum perge patrem, siccis oculis ad vexillum crucis euola: solum pietatis genus est, in hac re esse crudelem.* En, quàm Heliodorum Hieronymus, & per eum te quoque esse cupiat ad omnia matris blandimenta, ad patris illecebras animo obfirmato.

Hieron. Epist. 1. ad Heliodorum.

Qui Deum vocantem non sequũtur, & qui sequi volentes impediunt, malè agũt.

31 Habebis hîc quod excuses, non dubito, habebat etiam Heliodorus. Verùm non idcircò minùs fortiter, & constanter eum vrgebat Hieronymus, nullum dans, quantumuis prægnantibus, vt videbantur, ab eo allatis rationibus, & excusationibus locum. Putabat Heliodorus aliquid ætati patris, aliquid matris luctui dandum: neque ita subitò tenerrimi complexus abrumpenda vincula. Verùm contrà Hieronymus, quàm nihil his concedendum insinuans: *Facilè*, inquit, *rumpit hæc vincula Dei amor, & gehennæ timor.* Et post pauca: *Gladium tenet hostis, vt me perimat; & ego de matris lacrymis cogitabo?*

32 Igitur, ex doctrina D. Hieronymi, non debent filij obsequi parentum suorum affectui voluntatique præposteræ, quâ eos à diuino beneplacito conantes abducere, suo tantùm gustui cupiunt deseruire: sed nec parentes ita, vt sic dicam, insanire debent cum filiis (stultus enim hic amor species quædam insaniæ est) vt eos ad quæ ipsi voluerunt, licet minùs esse conformia diuinæ voluntati nequaquàm ignorent, vel blanditiis, ac nescio quibus teneræ iuuentutis corruptelis; vel, quod grauius, & magis indignum, minis; vel, quod grauissimum, verberibus; ac quadam velut captiuitate, adigant & compellant.

33 Mihi credite, qui sic agunt, non sciunt, ah nesciunt! quantorum sibi, dum studere se propriis commodis putant, incommodorum sint causa. Mirantur nonnunquàm tam subitam multorum bonorum suorum iacturam, fortunarum direptionem, tumultus domesticos, impendentem nescio quo casu aduerso toti familiæ suæ ruinam, præmaturam plurium prolium necem, inter has, contentiones propè perpetuas, iurgia, maledicta, internecina odia, ac centum alia eiusmodi, quæ subitò exurgunt, & domesticam pacem perturbant ac subruunt. Hæc vbi persenserint, exigere iure suo rigidiùs Dominum putent, id quod obtinere benignitate suâ non potuit.

Quæ damna inde & incõmoda oriantur.

34 Sapiant igitur filij, & quantocyus Deum sequãtur vocantem, non verò abducere molientes à vocante Deo propinquos. Sapiant parentes, & filios in Dei vocantis obsequium, quando eos vocari constiterit, velocissimè dimittant. Alioquin nouerint, & parentes, & filij, super se vigilare Dei oculum, vigilare etiam manum, à qua suo tempore mercedem pro labore impenso illi vineæ, in quam immissi erant ad culturam, singuli accipiant; atque ita digna vocatione, digna professione sua opera facere

facere quisque, de alienis non plus quàm oportet sollicitus, omni studio virtuteque contendat.

LECTIO QVINTA.

ET SVRREXIT IONAS, VT FVGERET IN THARSIS A FACIE DOMINI.

ARGVMENTVM.

IONAS, quò fugerit, & cur ad mare discutitur. Huic similem esse peccatorem ostenditur. Vnius, & alterius maximam esse insipientiam declaratur. Locum non esse quò fugiatur à Deo; & optimam fugam, peccati fugam censendam commonstratur.

1 PAVLO antè IONAM vidimus fugientem, causam etiam cur fugerit indagauimus: sed nondum, quem sibi profectionis ac fugæ suæ terminum statuerit, ratiocinando assequi sumus conati. Id Deo dante conabimur modò, quâ poterimus industriâ & breuitate.

2 Loquitur hac de re nonnihil obscuriùs Propheta, datque occasionem variis varia sentiendi. IN THARSIS, inquit. Erit nobis hîc solemnis de verbo *Tharsis*, quod alij aliud voluerunt, quæstio pertractâda: in qua, vbi plurium sententias indagauero, easdemque in medium adduxero; proferam etiam meam, atque, vt soleo, indicabo, quinam propius assecuti meo iudicio veritatem videantur.

Ioannes Pineda lib. 4. de Rebus Salom. c. 15. n. 6.

3 Ioannes Pineda Societatis nostræ Theologus, & scriptor eruditus, accuratus, ac elegans, in suo Salomone Præuio, *Tharsim*, idem quod Tartessum, Bæticam, seu quædam loca Hispaniæ ad littora Gaditana, & oras Hispalenses interpretatur; adeóque opinatur, & multis adstruit, IONAM nostrum suam in Hispanias fugam adornasse. Fulcire opinionem suam nititur auctoritate Geropij Becani, quæ in hac parte tanti apud nos esse non debet.

4 Si opponas, priscis nauigationem illam per fretum Herculeum extra columnas agnitam non fuisse. Negat id quidem Pineda; sed quod sit agnita, quo modo, quo tempore non satis ostendit. *Imò*, inquit, *fuerit Salomonis tempore infrequentior* (igitur tacitè videtur admittere, tunc vix agnitam fuisse) *posteà tamen Ionæ temporibus, id est, post annos ampliùs ducentos, frequēti Tyriorum & Hispanorum commercio celebris fuit.* Sed hoc æquè ac prius probatione indiget: quare nisi certior aliqua magisque euidens ratio id confirmans accesserit, quâ fuit facilitate assumptum assertumque, eâdem quoque negabitur.

Ionas non fugit in Hispaniam.

Ad me quod attinet, nihil volo viro doctissimo derogatum, nequeo tamen illi assentiri, dicenti iter in Hispaniam IONAM nostrum instituere voluisse, dum non videro argumenta, quæ mihi rem hanc faciant probabiliorem.

S. Athanasius q. 65. ad Antiochum.

5 D. Athanasius, Tostatus Abulensis Episcopus, & alij nonnulli, *Tharsim*, quandam Indiæ prouinciam interpretantur; illam nimirum, in quam olim Salomon naues mittebat, aurum, elephantorum dentes, simias, pauos, aliaque eiusmodi aduecturas. Hi ergo IONAM profectionem molitum in Indiam putant. Verum huic sententiæ repugnat, quod *Tharsim* Indiæ Prouinciam, Promontorium, aut Vrbem esse, aut fuisse, neque ex Histo-

Hiſtoriographis; neque ex Geographis, neque ex alio vllo auctore claſſico poſſit oſtendi: vti etiam Theophilactus, qui paullò pòſt annum Chriſti milleſimum vixit, teſtatur. Demus tamen fuiſſe; neque tum quidem IONAM eò conatum contendere, facilè quiſquam probauerit. Fieri enim non poterat, vt eò, prout iter ſuum inſtituit, quauis humanâ perueniret induſtriâ; quid igitur cogitaret, quid moliretur magno conatu, quod non poſſet explere? Deſcendit, vt mox videbimus, in Ioppen, quæ vrbs maritima eſt Paleſtinæ, atque ad Occidentem mari adiacet Mediterraneo, quod propter interpoſitos campos, valles, montes, ac longiſſimum terræ cùm habitabilis tum inhabitabilis tractum, nec ad Indicum mare, nec in Indiam ducit. Et verò, ſi claſſis Regis Salomonis, vt illi volunt, traiiciebat in Indiam, & ſoluebat eò nauigatura ex Aſiongabar, propè Ailam ad oram maris rubri; admodùm eſt manifeſtum nullam ex Ioppe potuiſſe nauigationem inſtitui in Indiam. Itaque IONAS neque in Hiſpaniam, vt ſuprà oſtendimus, neque profugere cogitauit in Indiam.

Ionas non fugit etiam in Indiam.

6 Alij THARSIM interpretantur Tharſum vrbem Ciliciæ ad radicem Tauri montis ſitam, à qua Paulus Gentium Doctor, vtpote ex ea oriundus, dictus Tharſenſis. Ita Ioſephus Iudæus, Rabbi Zaadias, Reticius Auguſtodunenſis, idcircò à D. Hieronymo reprehenſus, Lyranus; & ex recentioribus Genebrardus in Chronico, Rochus Mamerotius, Chriſtophorus à Caſtro, Hieronymus Pradus in Ezechielem, & alij. Caluinus verò pro ſuâ auctoritate & bonâ gratiâ, id ita aſſeuerat conſtanter & fortiter; vt aliter ſentientes præclarè ſugillans, ſatis liberè, vti conſueuit, dicere audeat, *Eſſe eos homines ad ſomniãdum nimis audaces.* Somnia ſcilicet ſunt, quidquid Caluino non placet: verùm dabimus hoc libertati ingenij iudiciique illius. Tarſum hanc Solinus & Lucanus Perſeam vocant, & aiunt illius conditorem fuiſſe Herculem, tũ cùm eſt profectus ab Æthiopia. Euſtachius & Heſychius à Sardanapalo ſtructam affirmant; ab Argiuis, dum Io quærerent, Strabo. Hanc nihil æquè nobilitauit quàm, vt ſuprà diximus, Pauli natales.

Ioſephus lib. 1. Antiquit. c. 7. & lib. 9. c. 11. Hieron. Epiſt. 13. ad Marcell. Liranus. Mamerot. à Caſtro in hunc locum. Pradus in c. 27. Ezechielis. Caluinus hoc loco.

7 Non obſtante tot tamque grauium auctorum ſententiâ IONAM in Tharſum voluiſſe declinare nequaquam exiſtimo: neque hic vereor Caluini cenſuram. THARSIS enim & Tharſus meo iudicio cõfundi non debent. In Cilicia verò præter Tharſum aliam ciuitatem, aut locum, THARSIM dictum, nullum agnoſcimus.

Neque in Ciliciam.

8 Sunt etiam præclari ſcriptores non pauci, qui per *Tharſim* Didonis Carthaginem (Tunetum hodie dictam; licet Tunetum loco pauliſper Carthagine diſſito ſit exſtructũ) debere hîc intelligi arbitrentur. In his Theodoretus & Theophilactus, atque illos ſecuti è recentioribus Franciſcus Vatablus, Arias Montanus, Paulus Palatius, Franciſcus Feuardentius. Nituntur omnes verbis Iſaiæ dicentis: *Vlulate naues maris.* ita nos legimus, Hebraicè eſt *naues Tharſis.* 70. verterunt *naues Carthaginis.* Quod plurimum facere pro ſua ſententia opinantur; & omnino faceret, ſi 70. vbique eodem modo pro *Tharſis* vertiſſent *Carthaginis*: ſed quia variis locis iidem aliter atque aliter nomen illud ſunt interpretati, nihil ſolidi hinc deduci poteſt. Certè apud eundem Iſaiam, quo loco nos habemus, *Et ſuper omnes naues Tharſis*, 70. vertunt, καὶ ἐπὶ πᾶν πλοῖον θαλάσσης, id eſt, *Et ſuper omne nauigium maris.*

Iſaiæ c. 23 v. 1.

Iſaiæ c. 2. v. 16.

Vide cap. 1 lect. 4. n. 7

9 Ridiculê; meâ quidem ſententiâ, cùm de IONÆ fuga agitur, eum, vti aliàs inſinuaui, Carthaginem abire voluiſſe, tanquam ad totius Africæ emporium, vt fieret ibi ex vate mercator, confinxit Arias Montanus. Vnum enim cùm æquè ſit incertum ac alterum, imò incertiùs, nihil conferre ad probationem alterius poteſt. Status quæſtionis eſt. Cogitaritne abire

abire Carthaginem IONAS? cogitasse affirmat Mōtanus. Probat verò, quia illi deliberatum ibi mercatorem agere. Verùm hoc priori quæsito longè incertius est, nec aliunde probatur, quàm ex quæstione proposita, de illius profectione Carthaginem. Circulus ergo ineptus committitur, si mercaturæ exercitationem profectio illius, & eiusdem profectionem mercaturæ exercitatio debeat confirmare.

10 Porrò dicere, olim cùm fieret Tharsensis nauigationis mentio, statim abundè intellectum, quorsum hæc vergeret, quasi solos spectare deberet mercatores, est non minùs ridiculum. Quis enim dixerit, quotquot, quouis tempore & occasione, proficiscebantur Carthaginem, non nisi negotiationis siue mercaturæ gratiâ eò fuisse profectos. Hoc enim tantundem esset, ac si quis modò dicat, neminem nisi mercatorem, vel mercium gratiâ Venetias, Londinum, Antuerpiam, Amsterodamum contendere, vel quod aliud orbis emporium adire; qui sanè cachinnis dignus esset, & sannis. Præclarè & lepidè Franciscus Ribera, quem arbitror in interpretandis sacris litteris nemini multùm cedere: *Debuit*, inquit, *qui ita sentit*, *cum pleno marsupio in nauim euntem vidisse*, *quod deinde in ventre ceti reliquerit*. Quod nisi asserat, etiam me iudice, nihil agit; neque scio cui id facilè aliàs persuaserit. Fugerit ergo Carthaginem IONAS, quod equidem inficior, non idcircò tamen necessariò dicendum, illic ad mercaturam animum adiicere voluisse.

Ribera in 1. c. Ionæ.

Non fugit Carthaginem Ionas futurus mercator.

11 Quid tandem de nostri Prophetæ fugâ statuendum aliquando, videamus. Negauimus peregrinari voluisse in Hispaniam, in Indiam, in Ciliciam. Diximus non meditatum iter Carthaginem, quod ergo? quónam suum profugus viæ cursum direxit? ad mare. Ita potiores Hebræi, & cùm iis plurimi grauissimique auctores, veteres æquè ac neoterici. Diuus Hieronymus, Rupertus Abbas, Haymo, Remigius Autisiodorensis, Hugo Cardinalis, Franciscus à Messana, Franciscus Ribera, Augustinus Torniellus, Gregorius Mastrillus, cuius Discursus mihi demum opere meo iam confecto venerint in manus, & alij, nomen *Tharsis* interpretantur; quod aiunt à Tharso vrbe Ciliciæ, de qua pluribus antè, desumptum deriuatumque litteræ vnius commutatione dumtaxat; cùm Cilices vicina loca omnia, adeoque totum Mediterraneum mare, longè lateque occuparent.

Augustin. Torniel. in Annal. Mastrillus Discur. 5. in Ionam.

Ex horum ergo sententiâ fugit IONAS incerto itinere, incertoque itineris termino, ad mare, quocumque istinc aliquod primò obuium, & ad iter expeditius nauigium duceret, properaturus.

Ionas fugit aliàs incerto itinere ad mare.

12 Fauet interpretationi huic Chaldæus Paraphrastes, qui, vbi nos legimus, VT FUGERET IN THARSIS, vertit, VT FUGERET AD MARE. Similiter, vbi apud Isaiam habet textus vulgatus: *Vlulatę naues maris*; & Aquila Ponticus, Symmachus, Theodotion ex hebræo retinent *naues Tharsis*; Chaldęus iterum vertit nobiscum, *naues maris*. Illud verò Dauidicum, *In spiritu vehementi conteres naues Tharsis*; sic, teste D. Hieronymo, plerique interpretantur; vt ibi generatim de omnibus maris nauibus fieri existiment mentionem.

Explicatur & probatur.

Isa. c. 23. v. 1.

Psal. 47. v. 8.

13 Ego quoque manibus pedibusque in hanc eo sententiam; & cum Hieronymo ceterisque censeo. Credo namque timidum IONAM, atque vt in anxio timore animique perturbatione magnâ fieri plerumque consueuit, consilij inopem, non certum aliquem fugæ locum, sed quemcumque, vagum licet incertumque, animo destinasse; adeoque non tam de loco seu termino, quàm de fuga fuisse sollicitum.

Auctoris de hac sententia iudicium.

14 Fugit ergo ad mare: fortassis, quemadmodum opinatur Augustinus Torniellus, vt cum negotiatoribus huc illucque discurrens, & ad ciuitates

Cur fugerit Ionas ad mare.

uitates maritimas; modò hanc, modò illam diuertens, intereà Domini sui declinaret imperium; iussáque diffugeret. Certè in vrbem aliquam certam, *Tharsis* dictam, studuisse contendere non mihi sit simile vero: neque enim video quò tunc spectaret nautarum, quibuscum peregrinabatur,
c.1.v.8. postulatio illa, *Quò vadis?* nám non nisi quod ignotum est quęrimus. Sciebant fugere IONAM in *Tharsis*, & si hæc vrbs aliqua, iam prorsus sciebant quò iter dirigeret, nec erat huic quæstioni locus, hoc verò sciuisse, cùm vt ex tali quæsito apparet non videantur; *Tharsis* nullum certum locum significauerit.

Appositè pro interpretatione nostra; *mare* rectè dicitur *Tharsis*, à depauperando, vt indicat radix רשש *rasas*, quid enim magis depauperat,
Del Rio ad cap.5. Cant. v.14 quàm mare naufragos? quid citiùs fallit, vt benè notauit Delrius;

——*Placidi pellacia ponti?*

Intuemini, atque, si lubet, paullò accuratiùs perpendite, in fugâ hac IONÆ sapientiam, insipientiam volebam dicere. Benè Poëta Venusinus.

Horat. lib.2. Car. Ode 16.
——*Quid terras alio calentes*
Sole mutamus? patria quis exul
Se quoque fugit?

Iona insipientia in fuga ad mare elucet.
15 Si quis peccatoris ignoret insipientiam, vel hinc discere eam poterit: atque discat vtinam, vt & ipse peccatum, & peccandi illecebras deserens, sic sapientior fiat. Quò quæso IONAS maiori suo periculo, addo etiam incommodo, fugere poterat causâ quietis, quàm ad mare inquietum? Qui asylum quærit, illud in loco firmo, tuto, maximeque munito quęrit. IONAS ad fluidum elementum, ad locum minimè tutum, minimè munitũ, nisi vndis & fluctibus in præcipitium ducturis, properat. Quid turbulentius; quid maioribus & magis continuis plenum periculis, quid pluribus & grauioribus obnoxium incommodis, pelago æstuante? Nam prætérquàm, quod hi, qui illud decurrunt ac nauigant ligno fragili se committant ac sua; habent insuper non rarò infestos pyratas, ventos aduersos, scopulos obuios, in quos ne impingant perpetuò metuunt. Taceo corporis incommoda, quæ nemo nisi expertus nouit. De solis fluctibus & tempestatibus, quæ sæpè repentè exurgunt, loquens Dauid, ait: *Mirabiles elationes maris.* Vt mirum sit, ad tanta, tamque varia incommoda, vnius desiderio honoris sui tuendi, demittere se IONAM tam subitò, etiam cum summo suo opprobrio, & apud ignotos homines contemptu, potuisse. Psalm. 92. v.4.

16 In hoc quæso vno animaduertite modò, quàm sint pręposterà peccatorum consilia, quæ in multis aliis copiosiùs elucent quotidie, quando illi proruunt ad illicitas corporis & animi voluptates, quasi ad certam medicinam, cùm fuerint per iniquitates & peccata acrioribus conscientiæ morsibus vulnerati ac saucij; in illis, vt opinantur, reperturi eam felicitatem & gaudia, quæ in ardua, iucundissima tamen, virtutis via non repererunt. Verum eheu! toto aberrant cælo; nam dum quietem exspectant, nihil minùs quàm quietem inueniunt. Glorientur de deliciis, cupediis, voluptatibus, quibus genialiter indulgent; hæc, & quæcumque alia oblectare eos non possunt, nec quæuis libertas, quandò intus est culpa, quæ premit. Amplius & maius aliquid in hac materia ad propositum nostrum asserens Emissenus: *Quid prodest*, inquit, *quòd liber est in natura, qui seruus est in conscientia. Videmus nos extrinsecus generis claritate sublimes, intrinsecus mentis infirmitate degeneres, innocentium dominos, & criminum seruos.* ô rem dolendam. *Peccator stultus est, intus inquietus, foris quietem in voluptatibus quærens.* Euseb. Emiss. Hom 3. de Pasch.

17 IONAS noster semper Deum antè propitium habuerat; iam cùm secedit in Tharsis, vt ab eo fugiat, benignum & propitium deserens in iratum incurrit: quomodocumque agat nullo modo valens declinare & fugere, vti vbique, ita & omni tempore præsentem.

Nauem, ad quam IONAS fugiens properat, Albertus Magnus tropologicè Alb. Magnus ad c.1. Ionæ.

gicè curiositatem interpretatur, aitque in hac degere, hanc perambulare, hac vehi, qui seculi experiri pulchritudinem contendunt: sed in hac illos etiam non minùs falli ac decipi quàm IONAS in suâ.

Peccator fugiens in Tharsis, mare quoque inuenit turbulentum.

18 Profectò creuit nunc vehementer numerus fugientium; fugientium inquam in Tharsis præsertim. Olim inter Iudæos, qui id auderet vnus repertus est IONAS; inter Christianos nunc plurimi. Tharsis, interprete Hieronymo, idem est quod *Exploratio gaudij*. Quis nunc mundi gaudia explorare nititur? omnis omnino qui peccat; hic namque fugit à Deo, imò, quod amplius est, Deum fugiens, ipsũ quoque à se fugat ac pellit, exclamans cum insipientibus illis & impiis, apud Iobum Prophetam: *Recede à nobis, & viam scientiarum tuarũ nolumus.* Iob c.21. v.14.

19 Verùm quónam homo impius & sceleratus tam stultâ suâ & insolenti fugâ properare cõtendit? *In Tharsis.* Omnino enim explorare vult mũdi gaudia; sed dum hæc quærit, pro iis dolorem ac luctum inuenit, mare quidem subingreditur pacatum & quietum; sed mox experitur ipsum in tumultuãtes fluctus vno velut impetu exũdare. Dico planiùs; qui placidè nauigauerat paullò antè, benè sibi conscius, mox requiem nullam inueniens, periculosis curarum œstibus fatigatur; & cùm se seculi vanitatibus magnoperè oblectandum putarit, in iis pro exspectata oblectatione & gaudio, non nisi mœrorem & amaritudinem experitur.

20 Noui ego nõ paucos magno meo luctu, qui explorare volẽtes hæc præsentis vitæ infelicia gaudia, iis velut toxico inescati, & philtro dementati in insania sua perierunt. Et adhuc hodie, ne ad anteriora tẽpora, & priores dilabamur ætates, innumeros capit hostis antiquus, titillans eos nescio qua prurigine, desiderioque, vel delibandi dumtaxat, non antè cognitas voluptates; mella spõdet, sed porrigit delibutum melle fel, venenũ sub massiço, sub lautis epulis aconitum; spondet opes, promittit honores, & sub his laqueos parat atque interitum. Cauete, iterum dico, Cauete.

Peccatoris, negligentia bona cælestia pra terrenis, altera stultitia.

21 Non recordamini quid prætexuerint, qui ad cœnam magnã, cælestem dico gloriã, inuitati venire noluerũt. Alius dixit: *Iuga boum emi quinque*: hic sensibus sensuumque cõmodis ac beneplacito esse sibi indulgendũ arbitrabatur. Lucæ c.14 v.19. Alius *Villam emi*: hic diuitiis cõparandis, cumulandisq; sibi studendũ. Ibid. v.18. Alius *Vxorem duxi*: hic libidini carnisque voluptatibus seruiendum. Ibid. v.20. Quid verò tam sollicito studio, contentioneq; tantâ, ad hęc, præ tam nobili cœna, tam lucidra, consecuti sunt singuli? quod pro se faceret nihil, quod cõtrà se multũ: acrem in primis cõminationem à magno illo patrefamilias, durum verbum & asperum; quòd nimirum, qui vellent hac ratione explorare mũdi fallacia & mox interitura gaudia, cæli veris & æternùm duraturis destituendi, ab hæreditate felicitateque beatorum secernerentur. Hoc est, quod illis hîc ab inuitante Domino dicitur: *Amen dico vobis quod nemo virorum illorum, qui vocati sunt, gustabit cœnam.* Lucæ c.14 v.24.

22 At inquies; quęnam isthęc comminatio? quænã illa pœna tam grauis, excludi quempiam à cœna, ad quam vocatus venire renuit? Omnino acerba comminatio hęc, pœnaque grauissima; quod nunc nemo assequitur, nemo intelligit, nisi qui plusculũ sapit. Verùm illucescet aliquando dies illa, quâ tolletur velamen ab oculis, error à mentibus, & hæ tum nullis ampliùs ignorantiæ obductę nebulis, nullis tenebris obfuscatæ, intelligent verum ac summum bonum, æternùm duraturum, in hac cœna gustanda, in vnius Dei visione fruitioneque consistere.

23 Ita prorsus fatuis virginibus accidit, quæ ornare lampades suas neglexerant, parum pensi habentes, introirentne cum sponso ad nuptias an non; donec se obseratis foribus exclusas viderunt: tum enim dumtaxat vociferatæ sunt: *Domine Domine aperi nobis.* Sed frustrà. Matt. c.25 v.11.

24 Ceterùm, quòd cœna hæc, modò

dò

dò non tantoperè appetatur, nostri ægritudo animi facit, quâ sublatâ, & palato, quod infectum nunc sæculi rebus habemus, emundato, desiderabitur ampliùs; & cum graui nostro damno, peccatis inquam impedientibus, frui eâ pro voto nō licebit, cruciabimur etiam ampliùs, eorum ad instar, qui corpore sani, cibū potumque lautissimum in conspectu suo positum vident, & expetunt vehementer; sed, tametsi fame quodammodò enecti ac siti, eum cōtingere, ac multò magis gustare prohibentur: adeoque hæc tantùm ad maius illorum tormentum seruiunt. Ferè sicut accidisse Tantalo Poëtæ fabulantur, qui in mediis aquis sitiebat; secundùm illud Horatij Flacci.

Horatius lib. 1. serm. Satyra 1.

Tantalus à labris sitiens fugientia captat
Flumina ———

Nam beatitatem, quam post hanc vitam etiam sperabat peccator, iam fugisse, & semper à se quodāmodò longiùs fugere videt; ita vt illius aliquando consequendæ spem nullā ampliùs habeat; & cùm, vt dixit de viris diuitiarum Psaltes Regius, *Nihil inueniat in manibus suis*, breui cythara illa, quâ se tam modicè oblectauit, in luctum perpetuum vertitur.

Psal. 75. v. 6.

Filius prodigus figura peccatoris.

25 Etiam adolescentior ille filius prodigus ex his erat, quibus fuit aliquando animus experiri mundi gaudia. Hunc in finem *Profectus est in regionem longinquam, & ibi dissipauit substantiam suam viuendo luxuriosè*; sed quid obtinuit? prorsus quod omnes seculi & secularium vanitatum amatores. Nam & in ipso locum habuit illud Sapientis, *Extrema gaudij luctus occupat*; cùm post omnes delicias, cupedias & luxum, tandem propè fame confectus & inediâ, atque ad extremam prorsus redactus inopiam, saturari vel de ipsis porcorum siliquis peroptauit. Sed hic, egestate magistrâ doctus saniora, ad patrem rediit: tantò felicior, tantoque sapientior, quò minùs diu sic ei desipere placuit.

Prouerb. c. 14. v. 13.

26 Vtinam etiam qui nunc stultè nimium; quemadmodùm olim ille, vana hæc mundi explorant gaudia, saltem vsque eò sapiant. Sed plerique, pro dolor! abeunt in *Tharsis*, nec redeunt; semper enim se magis & magis intricant malis, ampliùs se in dies illicitis immergunt voluptatibus, oblectant sordibus, vnoque dictū verbo; hoc agunt, vt *cùm in sordibus sint sordescant adhuc*. Nam cùm solerent quandoque ad terram redire viuentium, atque ex fœtido ac graueolēte sordium volutabro per pœnitentiam emergere; nunc suis ad instar aut scarabei, illi se quotidie magis immergunt; quodque indignius est, illud ipsum agere, per vias iniquitatis liberè, ac vlla sine verecundia ambulantes, palam non erubescunt. Imò, dum hoc agunt, perbeatos se putant: cōtrà quàm olim Rex sanctissimus, eum solum beatum arbitratus, *Qui in via peccatorum non stetit, & in cathedra pestilentiæ non sedit; sed in lege Domini voluntas eius*: sicuti is solus reuerà beatus censendus.

Peccator Prodigo & Iona deterior est: quia fugit in Tharsis, nec redit.

Apocal. c. 22. v. 11.

Psal. 1. v. 2.

27 At agant impij: suis illi seruiant vitiis, deliciis, voluptatibus, in iis quoad libuerit commorentur, cœno illi inuoluti atque immersi quodammodò iaceant; velint nolint surgendum ipsis erit, aque etiam istic laborandum aliquando; sed sine lucro, sine merito, sine præmio.

28 Mihi credite, qui peccato seruit, duram seruitutem seruit. Si à viis Domini tanquàm difficilioribus & molestioribus declinet, nouerit se ad vias alias properantem, longè difficiliora, molestiora, pluribusque, & maioribus cum incommodis coniuncta, istic morari. Nusquam non vrticas, tribulos, sentes reperiet; nullibi secura quies, nisi in Deo, Deique obsequio. *In mundo*, sicuti *totus in maligno positus est*, statim se aperiunt, paulisper secundum eum ambulantibus, hinc lati ac spatiosi luxuriæ & libidinis campi; inde montes superbiæ, & colliculi ambitionis, qui non sine molestia, non sine labore decurruntur; quod tum demum percipitur, cùm ingruerint imbres assidui, animi dico corporisque pericula omni propè die non pauca.

Peccator seruus est miserrimus.

1. Ioan. c. 5 v. 19.

29 Para-

29 Paradoxa narrare hîc videar, nisi plurium testimonio, & eorum quidem, qui fuerunt in hac palæstra non segniter exercitati, fecero vobis dicti mei fidem.

Fatigatur peccator, nec quietem habet. Sapient. c.5.v.7.

Audite quid dicant apud Sapientem insipientes quidam, quàm luculenter suos casus recensentes pro me contra seipsos testentur: *Lassati,* inquiunt, *sumus in via iniquitatis & perditionis.* Quis credat, nisi ipsi dicerent, etiam in via iniquitatis lassari hominem posse. Intereà est vt dicunt, etiam ibi lassantur homines. Vnde quæso? non ex quiete, quies enim non lassat, non fatigat, sed lassum fatigatumque reficit. Lassantur igitur ex labore, hic namque, & non aliud, lassare solet. Verùm quis labor in via iniquitatis? illi qui suprà, iterum respondeant: *Ambulauimus,* inquiunt, *vias difficiles.* Quomodò an in peccatis, in quibus plurimi tantam capiunt voluptatem, sua quoque difficultas est? est omnino, & perquàm maxima. Nemo arbitretur esse in voluptate voluptuosa, vt sic dicam, omnia; & cuncta in peccatis ac sceleribus iucunda.

30 Voluptatis breue gaudium, & post illud, atque ex illo enatum vno propè momento mœrorem, eleganti versu expressit Boëtius, aptè ad nostrum propositum:

Boëtius lib 3. de Consol. Phil. Metro. 7.

Habet (inquit) *omnis hoc voluptas,*
Stimulis agit fruentes;
Apiumq; par volantum,
Vbi grata mella fudit,
Fugit; & nimis tenaci
Ferit icta corda morsu.

Peccator magis quàm alius vllus continuò cruciatur, & laborat.

31 Videtis quomodò crucietur peccator, quomodò laboret, quomodò excitatus flagello mentis malè sibi consciæ surgere debeat. IONAS noster id noluit vt abiret in *Niniuen*; debuit, vt fugeret in *Tharsis.* Tunc surrexisset coram Domino, & in præceptis ac viis eius ambulasset, ab eodem amplam exspectãs retributionem; nunc surgit & fugit à facie Domini vindictam timens & pœnam. O conditionem iniqua agentis miserrimam! quid obuenire boni, quid accidere ex animi sententia potest ei, qui propriam felicitatem fugit, qui à Deo bonorum omniũ optimo, sua se voluntate elongat. O amentẽ hominem; qui sectando tenebras, diei se priuat lucisque claritate! & quomodò hic non gressu cespitet, ac sępiùs cadat! Estote igitur, per Deum immortalem, cautiores, meliùs vobis vestrisq; rebus intẽdite, studete, inquam, diuinæ volũtati implendæ, & felicitati vestræ studebitis.

32 Dabo quẽ imitemini à laboriosa, & molesta fuga prudenter sapienterque magno fructu suo redeuntem. Is est Societatis IESV auctor & parens Ignatius; fugerat etiam ille in Tharsis aliquando, cùm nimirum exploraturus, vt ceteri, præsentis vitæ gaudia, profanæ sese militiæ dedit, in honoribus maximam felicitatem collocans: verùm superni prouidentiâ Numinis, dum in *Tharsis* nauigat, dum conatu maximo honores ambit, dum Catholico Regi placere, satisfacere familiæ suę dignitati studet; tempestas oritur, in Pompeiopolitana arce, quam pro Rege suo propugnabat strenuè, ipsis in mœnibus tormenti ictus glande sauciatur, adeoque non in mare, sed in lectum deiicitur; vbi, cùm Heroum sanctitate illustrium præclara facinora ex eorum vitis assiduâ lectione cognoscit, dementiam suam penitiùs intuens; non iterum de fuga in *Tharsis,* id est, voluptatibus, honoribus, aliisque mundi vanitatibus cogitat; sed ad se rediens, de *Niniue,* id est, speciosa, animo, inquam, suo purgando, poliendo, ornando, iuuandis insuper proximis sollicitus, littori incolumis redditur; à vulnere, D. Petro Apostolorum Principe manum medicam adhibente, curatur diuinitus; mox sacrâ exomologesi omnes præteritæ vitæ maculas purgat, sicque in nouam militiam transit, ac talem se exhibet, probat & seruat, vt exinde omnibus futuris temporibus dicere possit Imperatori suo Christo Domino cuius in verba iurarat:

S. Ignatius fundator Societatis Iesu mundi mare fugit.

Bidermannus lib. 1. vitæ c. 1. §. 3.

Lib. 1. c. 2. §. 1.

——Non ego perfidum
Dixi sacramentum: ibimus, ibimus,

Horatius lib. 2. Car' ode 17.

Quocumque pracedes, supremum
Carpere iter comites parati.

Ne ad illud redeat arma deponit.

33 Porrò ne iterum de *Tharsis*, præsentis, inquam, seculi gaudiis cogitare incipiat, ne se denuò prioribus antiquæ militiæ laqueis implicet, mucronem illum, quo nuper mundo militauerat, in monte Serrato ad Deiparæ Virginis aram appendit; nouis istis armis, quæ iam non culpam, sed pœnitentiam sapiant induitur, iisque indutus, totam more militari noctē agens insomnē, feliciores pro sui spiritus incolumitate, ac salute mentis vigilias agit, quàm eas agere, quantauis adhibitâ diligentiâ, pro vrbis alicuius incolumitate propugnationeque potuisset.

Biderm. lib. 1. vitæ c. 2. §. 13

Sodalitatis B.V. Candidati peccandi occasiones deserant.

34 Imitentur generosum facinus, quibus est magnus & excelsus ad virtutem animus; hunc verò esse, fuisseque iam pridem, tam eximiis *Virginis Matris* cultoribus, *Sodalibus*, inquam, illius, non ambigo. Verùm cùm subinde alij aliqui in numerum vestrum adsciscuntur; optandum esset, quò meliùs tyrocinium nouæ illius militiæ ponant, ostendantque quales esse cupiant imposterùm; illa quę olim eis fuerunt leuitatis alicuius incitamenta, fortassis etiam libidinis, ad sacrum tholum appenderent; vel sic aliis testaturi, non se ampliùs esse qui fuerāt; sed cum hac religiosioris vitæ noua tessera, nouum spiritū induisse; quod ipsum etiam magis opere quàm verbis testari incipiant. Faue tuis clientibus *Virgo*, & quod toto animi adfectu voueo, tu da ope auxilioq; tuo cōfici.

Non putauit Ionas se posse Deum fugere.

35 Ad IONAM redeo. Fugit is, non solùm *in Tharsis*; verùm etiam A FACIE DOMINI. Quis credat virum ad id tempus sanctum, Deo carum, vtpote illius Prophetam, sapiētem in paucis, sibi persuadere potuisse; quòd, quantumuis abditus vel inter ipsa ferarū spelæa, eum posset latere, quem præsentem, & quidē intimè præsentem nouerat omnibus. Fuisset tunc sanè Ethnicis Philosophis insipiētior: quorum vnus aliquis à discipulis suis interrogatus, quid esset Deus; respōdit apposité vt Philosophus, ex solo naturæ lumine: *Deus est sphæra, cuius centrum est vbique, circūferentia nusquā.* Quia sine principio & fine, adeoque æternus. *cuius centrum.* Quia sicut à centro omnes ducuntur lineæ; ita rerum creatarum origo à Deo est. *Vbique.* Quia immēsus omnia implet, omnia penetrat: *Circumferentia nusquam.* Quia indiuisibilis omnē occupans locum, nullo loco concluditur, nullo arctatur, nullo cōprehenditur.

36 Eiusmodi tamen insipientiam, quâ arbitratus sit se Dei oculos manusque posse euadere, eumq; prorsus latere, tribuit IONÆ nostro post Iosephum & nonnullos Hebræos Franciscus Feuardentius, vir doctissimus. Verùm aliis, vt Theophilacto, Riberæ, Cornelio à Lapide, & pluribus, quibuscum sentio, parum credibile visum, ipsum adeò fuisse ignorantem, & in religionis palæstra inexercitatū, vt Dei præsentiam à se vitari posse fugâ, qualicumque demum, censeret. Et verò quo pacto prophetet homo adeò diuinorū ignarus? & quomodò tam ignarus esse possit, ac nō legerit, aut audierit saltem aliquando, illud Dauidis? *Quò ibo à spiritu tuo, & quò à facie tua fugiam? si ascendero in cælum tu illic es, si descendero in infernum ades, si sumpsero pennas diluculo, & habitauero in extremis maris: etenim illuc manus tua deducet me; & tenebit me dextera tua.* Igitur vel hac sola commonitione instructus, abundè sui nouerit potentiam conditoris.

Psal. 138. vers. 7.

Quid sit fugere à facie Domini variè explicatur.

37 Quid igitur significatum voluit cùm ait, fugisse se *à facie Domini*? Secundùm Glossam, fugisse ad locū vbi iacebat Dei cultus; arbitratum, cùm ibi minùs iratus esset, ibidem se eius indignationem faciliùs etiam euasurum. Verùm non probo: Nam quo pacto credat ibi Deum minùs iratum, vbi minùs celebratur; cùm diuini cultus neglectus esset noua causa irarū? illuc verò Prophetā velle confugere, nō esset nisi eius in se indignationem & iram ampliùs prouocare.

Deinde nullus orbe toto est locus

Dei

Dei non subiectus imperio, secundùm illud Poëtæ.

Ouid.li.4. Trist. Eleg.8. *Nil ita sublime est, supraq; pericula tendit,*
Non sit vt inferius, suppositumq; Deo.
quod IONAS ignorare, nisi eum arbitremur ab omni religione & ratione alienum fuisse, non poterat.

38 Theodoretus, Hugo Cardinalis, & Vatablus fugam *à facie Domini* interpretantur fugam ex Iudæa, loco nimirum Dei veneratione percelebri, atque hac de causa orbe toto famosissimo. Alij ex loco in quo ei legationem Niniuiticam Dominus imperârat. Ita Emanuel Sà. Nec multùm dissentit Paulus Palatius, qui cùm hoc loco retulisset, & copiosiùs ad caput Oseæ septimum, Prophetas olim religiosos fuisse, & instar cœnobitarum nostrorũ in amplioribus ędibus vnà omnes habitasse, fuisseque ibidem Dei peculiari præsentiâ, & prophetico lumine illustratos, expositurus quod hîc dicitur fugisse *Ionam à facie Domini*, ait; hoc aliud non esse quàm fugisse secessisseque à communi illo sanctorum contubernio Prophetarum; velut nequaquàm futurum vlteriùs reuelationum diuinarum participem. Verùm fugisse vsque in Tharsim, neque tantùm recessisse à communi contubernio Prophetarum, nimis est manifestum.

Sententia Palatij Prophetas velut cœnobitas olim simul habitasse.

Quid sit hoc loco fugere à facie Domini.

39 Præclarè, meâ quidem sententiâ, locum hunc Chaldæus Paraphrastes explanat; pro eo quod nos in editione vulgata legimus, *à facie Domini*, transferens, *Ne prophetaret in nomine Domini*; quasi insinuatum velit, IONAM non tam imperantem Dominum, quàm imperantis fugisse imperia; arbitratum nimirum, vt paulò antè insinuauimus, se tantoperè obluctantem, & iam profugum, ex locis remotioribus, ad quæ erat concessurus, non reuocandum, cogendúmve declinatum aliàs iter in Niniuen, rursùm arripere. Sanè sicut in Deuteronomio locis pluribus, *Stare coram Domino* dicuntur Leuitæ, qui in tabernaculi ministerio seruiunt; ita rectè dicetur à Domino fugere, qui se eius obsequio mandatisq; subducunt.

Deut.c.10 v.8. c.18. v.5. & alibi.

40 D. Chrysostomus Prophetam nostrum hoc loco interrogat: *Nunquid à Domino fugis Iona? & eius iussa quadam putas tergiuersatione posse contemni? eius fluctibus poteris edoceri.* Ego quoque post D. Chrysostomum audebo rogare te pauca. Quid quęso fugâ tuâ, quam instituisti meditaris? subterfugere Dei oculos? sed luci diores sunt sole. Manus? sed eas magis tibi præsentes, quàm ipse sis tibi, inuenies. *A facie Domini*, inquit. Quasi verò hæc non omnia videat. Vidit Adamum, qui se absconderat; vidit Cainum, qui fugerat, & te videbit, ne dubita.

Chrysost. Homil. de Iona Tom. 1. in fine

Tu quoque Christiane, si putas te posse fugere, nec videri, falleris vehementer. Dicebat ille.

Fugere Deum peccator non potest.

Quo fugis Encelade? quascumque accesseris oras,
Sub Ioue semper eris.

Et alter

Iuppiter est quodcumque vides, quocùmque moueris.

Lucanus lib.9. v.579.

Ego autem dico: age quodcumque volueris, atque in omnem partem te verte; vbique, & semper Deo subditus eris, neque illius excutere imperium quacumque machinatione poteris.

41 Scio, etiam modò non deesse fugitiuos; neque ignoro fugere alios aliis longiùs, pro suorum & multitudine & magnitudine peccatorum; quosdam etiam tam procul, vt tandẽ in desperationis foueam cadant. Recedunt primò paululùm per peccata leuia, deinde longiùs per grauiora; demum per grauissima quàm longissimè; ita vt Deum quodammodò non videant ampliùs; certè ampliùs non agnoscant. Tales, præter mortis incertũ periculum, animi certissimum omni tempore metuere debent naufragium, quod in non nemine velut ex ripa meticulosè & cum ingenti gemitu spectans Ieremias Propheta: *Scito*, inquit, *quia malum, & amarum est, reliquisse te Dominum Deum tuum.*

Ieremiæ c.2.v.19.

42 Sic fugientibus ait Diuus

 Chry-

Peccator, si fugere conetur, cadit vt ebrius Chrysost. Hom. de Iona citata. Chrysostomus idem quod temulentis accidere: *Sicut*, inquit, *ij, quos nimia ebrietate confusos, ad præcipitium casus aliquis attulerit, cæcâ quadam caligine deferuntur, nec pedis tentatione suo gressui prospiciunt, potius nimietate turbati: sic & ij, qui peccatorum mole opprimuntur, improuisâ cupiditate, propriâ præcipitantur insaniâ.*

Ad Deum recurrendum omnibus ne pereant. 43 Quid igitur nobis in lubrico & pleno periculis itinere semper versantibus, capiendum consilij? vnde sperandum auxilium? à fiduciâ in Deum. Quare quò quis magis laborat, & ampliùs premitur impendentibus malis, eò magis ingeminare, eò vsurpare ardentiùs debet illud Dauidicum: *Esto mihi Domine in Deum protectorem, & in locum munitum: vt saluum me facias.* (Psal. 70. v. 3.) Sic facere solitus erat Beatus Augustinus; semper sub vmbra alarum Domini, sub sancta, inquam, protectione illius sibi existimans commorandum; adeoque erat in hac munitione securus, ne ab ea excideret timidus, vt dixerit aliquando re probè perpensâ: (August. in Psal. 70. Concio. 1.) *Ego si mihi alium locum elegero, saluus esse non potero.* Causam addit. *Quia non est quò fugiatur ab illo, nisi ad illum.* Bonum proinde consilium suggerit peccatoribus, cuius felicem successum ipse quoque fuerat expertus in se: *Si vis euadere iratum, fuge ad placatum.* Modum etiam suppeditat, quo id præstandum, vt semper experiamur esse Dominum firmamentum & refugium nostrum.

Deus quærendus, & inuentus rogandus vt apud nos maneat. 44 Ab Augustino igitur instructi fidenter dicamus: Tu Domine omne refugium nostrum, ad te clamantes ne respue, neque memineris iniquitatum nostrarum antiquarum, obliuiscere insaniam nostram pristinam, quâ cum insipientibus desipientes clamauimus aliquando: *Recede à nobis, & scientiam viarum tuarum nolumus.* (Iob c. 21. v. 14.) Stat modò ratum fixumque, tuâ nos adiuuante gratiâ, ambulare in conspectu tuo semper. Dicebat fidelis seruus tuus Dauid: *Deum exquisiui manibus meis.* (Psalm. 76. v. 3.) Illæ, quibus te quæsiuit, manus, intellectus & voluntas sunt, duæ animæ potentiæ nobilissimæ, quibus hæc, velut corpus manibus, operatur. Easdem manus adhibeamus & nos, & quæramus Dominum in toto corde nostro, cumque aliquādiu quęsitū inuenerimus, dicamus illi facti supplices, cum discipulis in Emaus euntibus, *Mane nobiscū Domine.* (Lucæ c. 24. v. 29.)

45 Porrò si qui iam longiùs recesserint, dico iterum cum Augustino, etiam ipsi *Conuertantur, & quærant te Domine; scimus enim quia es in corde confitentium tibi, & proiicientium se in te, & plorantium in sinu tuo, post vias suas difficiles*: fugiant verò imposterùm iniquitates omnes & peccata, vt faciem tuam, quæ plena est gratiarū, in quam desiderant Angeli prospicere; ad quam, etiam ampliùs, quàm ad faciem Salomonis, totus anhelauit & anhelat orbis, benignissimā maximeque sibi propitiam videant, eaque fruantur æternùm in cælis.

46 Ad hanc, sed & ad aliam longè nobiliorem fugam aditum nobis strauisti bone IESV, quando assumpto nostræ mortalitatis sacco, domum patriamque tuam quodammodò fugisti, & in *Tharsis*, mare, inquam, mundi huius, de quo Dauid: *Hoc mare magnum, & spatiosum manibus, illic reptilia, quorum non est numerus*, properasti. (*Christus Dominus quomodò dici possit fugisse in Tharsis*) (Psal. 103. v. 25.) Per hanc fugam tuam facilis nobis facta est fuga peccati, quæ tam est necessaria nobis, tam vtilis; vtpote de qua Ambrosius: *Gloriosa fuga est fugere à facie peccati.* (Ambros. lib. de Fugâ seculi c. 4.) Porrò enumerans idem Ambrosius statim post plures viros sanctos, qui tali ratione fugerunt, etiam inter ceteros IONAM nostrum: *Sic fugit*, inquit, *Iacob, matre sua dicente, exurgens fuge in Mesopotamiam: Sic fugit & Moyses à facie Regis Pharao, ne eum aula regia coinquinaret, ne irretiret potentia. Denique pretiosius Aegypti diuitiis æstimauit opprobrium Christi. Sic fugit etiam Dauid à facie Regis Saül, à facie Absalon, denique fugiens augebat incrementa pietatis, qui & insidiatori pepercit, & parricida salutem*

roga-

rogauit. Sic fugit & populus Hebraeorum, vt fides eius & vita, inter fluctus sibi aperiret viam. Fuga illa erat trames innocentia, virtutis via, pietatis assumptio. Audeo dicere, sic fugit Ionas in Tharsis, non corporis fugâ, sed mentis ascensione, qui vsque ad Christi ascendit similitudinem, vt fieret typus Chri[illegible] Et paullò pòst addit. *Nam si sic no[illegible]gisset, nunquàm de ventre ceti esset [illegible]tus.* Quidquid sit de IONA men[illegible] ascensione, vt D. Ambrosius loquitur, fugiente: nobis saltem sic fugiendum est, vt ascendamus; fugiendum, inquam, ab omni impietate, iniustitiâ, & iniquitate, & quidem quàm longissimè, vt sic ad Deum propiùs gradiamur.

47 IONÆ fugam Christo Domino non ineleganter quoque B. Petrus Chrysologus applicat eumque, modo illo de quo suprà egimus, fugisse ostēdens, ait: *Nonne vt hominis faciē praeferret, & formam; faciem formamq. propria deitatis aufugit? Apostolo sic dicente, qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se aequalem Deo: sed semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens. Formam suscepit serui Dominus, vt lateret mundum, vt diabolum praeueniret, in hominem se fugit ipsum.*

Petrus Chrysol. ser. 37.

O iucundam, gratam, nobisque omnibus vtilissimam hanc Christi Domini fugam, vtpote pro quibus instituta, proindeque illi nos vel hoc titulo ómnia debemus. Fuga verò IONÆ sicut infelix fuit, tristis, & misera; ita plurimum hanc capessenti obfuit. Quare eamdem non sine luctu & quodam commiserationis sensu recolimus, sicuti fugae Christi non sine summa animi voluptate recordamur, postulantes eiusdem perpetuam cum gratitudine & actione gratiarum memoriam, vt ea nunquàm mentes nostras, facilè seculi cupiditatibus abductas, & in transuersum actas, effugiat.

LECTIO SEXTA.

ET DESCENDIT IN IOPPEN, ET INVENIT NAVEM EVNTEM IN THARSIS: ET DEDIT NAVLVM EIVS, ET DESCENDIT IN EAM VT IRET CVM EIS IN THARSIS A FACIE DOMINI. *Vers.* 3.

ARGVMENTVM.

Exponitur Ionae in Ioppen descensus, loci illius situs, & quae circa illum memorabilia. Ionae quoque ingressus in nauem, eiusdem abitus, atque ex eo breue gaudium, quale est cuiusuis peccatoris, declaratur. Naues variae quae huius mundi mare decurrunt producuntur. Christus Dominus quo pacto dici possit descendisse etiam in Ioppen, indicatur.

1 VGIT, vt vidimus, facto non minùs temerario quàm audaci IONAS: qui eum paullò antè turpem, & indecoram fugam arripientem mecum spectastis; nunc quo pacto eamdem sit prosecutus, oblatoque naulo nauim ingressus progredi tentarit vlteriùs, intentis magis mentibus quàm oculis spectate. Breuis ero, recordabor de fugâ me agere. Itaque percurram tantùm hoc quod non ignoratum oportuit; neque ad publica, ad priuata negotia properantes, multum morabor, contentus vos stitisse tantisper

tiſper, donec præproperam fugientis celeritatem ſpectetis atque miremini, non verò (hoc enim nequaquàm optandum) imitemini.

2 Quidquid iuberet circa Niniuitas Deus, IONAS flocci ducens, tantùm de fuga cogitabat, hanc proſequi ſtabat ſententia pertinax. Itaque huic totus intentus, confeſtim DESCENDIT IN IOPPEN. deſcendit inquam; non quemadmodùm opinantur multi Rabbini, & hos ſecutus Dionyſius Carthuſianus, ad interiora nauis. Nam deſcenſus illius non niſi poſt exortam & acriùs ſæuientem tempeſtatem fit mentio. Cùm enim dixiſſet Propheta, ſuſcitatum à Deo ventum, periclitatam nauim, eiectum quidquid oneri fuerat, timuiſſe nautas, Deum & ſuperos in preces, quod extremum afflictis remedium eſt, vocatos & vota; tandem ſubiungit: *Et Ionas deſcendit ad interiora nauis.* Verſ. 5.

Ioppe ſitus. 3 Non etiam *deſcendit*, vti arbitrati ſunt Rabbi Dauid Kimchi, Ioannes Treminius, & Franciſcus à Meſſana, *in Ioppen*: quaſi in Ioppen ire deſcendere ſit. Nam ſecundùm Geographos, Ioppe ſita eſt in edito promontorio. Licet ergo in maris littore condita, & mare terrâ depreſſius ſit, vt qui illud ingreditur verè dicatur deſcendere, iuxta illud Dauidicum: *Qui deſcendunt mare in nauibus*: tamen quia ad littus eminentiori magiſque conſpicuo ſita loco, magis ad eam aſcenditur quàm deſcenditur. Pſal. 117. v. 23.

Explicatur Ionæ deſcenſus in Ioppen. DESCENDIT ergo IN IOPPEN ſecundùm D. Hieronymum, Remigium, Haymonem, Riberam, & rei veritatem, ſpectatis montibus Zabulonis, (erat enim Zabulonites) è quibus eſt ſecundùm locorum ſitum non modicus in Ioppen deſcenſus.

Deſcenſus duplex corporis & mentis. 4 Ipſa loci mutatio, hic, inquam, deſcenſus, quid hominis eſſet IONAS, quid eius lateret in pectore, ſat ſi aduertitis prodit. Deſcenditur corpore, &, vt noſtis, etiam mente. Mente, cùm à recto virtutum calle in prærupta vitiorum abitur, & in arduo poſita virtus deſeritur. Hoc faciens IONAS; ſimul ex ſublimiori loco in humiliorem tendens, è ſua videlicet regione in Ioppen, mente pariter deſcendit & corpore. Sunt nunc etiam qui mente deſcendant, eſtque deſcenſus ille maximoperè noxius, plures ſanè quàm cupiamus; qui aſcendant pauci. Quod, videre viſus Poëtarum Princeps, non minùs verè quàm eleganter cecinit: *Quinam deſcendit mente.*

——*Facilis deſcenſus Auerni eſt*: Lib. 6. Æneid.
Sed reuocare gradum, ſuperaſq; euadere ad auras,
Hoc opus, hic labor eſt.

5 Idipſum longè antè proſpiciens prouidus Salomon, & deſcendentium contemplatus multitudinem, dixit, *Stultorum*, ſic ille improbos vocat, qui ſemper deſcendunt, nunquàm aſcendunt, *infinitus eſt numerus.* Eccleſ. c. 1. v. 15. Et verè ſic eſt, & fuit, talium ſtultorum plena ſunt omnia, qui non ſolùm deſcendunt, ſed ſeipſos præcipitant inauditâ inſaniâ. Sed quia ſine metu & timore vllo deſcendunt liberè nimis, ſubit in deſcenſu quod non exſpectarant graue diſcrimen & periculum adeunt. Apud D. Lucam fertur de quodam, quòd *deſcendens ab Ieruſalem in Iericho incidit in latrones*, à quibus ita ſit habitus probè, vt ſpoliatus veſte, ictibus liuidus, vulneribus ſaucius, parum à nece abfuerit; fortè, niſi in Samaritanum incidiſſet, periturus. Idem exſpectet qui mente deſcendit, imò grauius aliquid, vt nimirum animorum hoſtis truculentus, non corpus lædat, ſed vitam adimat beatam & ſempiternam. *Mentis deſcenſus periculoſus valdè.* Cap. 10. v. 30.

6 Itaque qui ſapientum non verò ſtultorum cenſeri vult numero; tametſi in cœnoſa voluptatum ſeculi valle multa ſceleratus impoſtor ſpondeat, nequaquàm ad illam deſcendat. Multa ſpondere, nihil præſtare veteratoris illius technæ ſunt, qui callidè nimis arte ſubdolâ, nimium antiquus prædo venatur animas, & incautas capit. Quare nullo modo audiendus. Monet bene D. Leo Magnus: *Nec in ſecundis quiſquam, nec in aduer-* *Diabolus vt trahat ad deſcenſum multa ſpondet, ſed falsò.* D. Leo ſer. 6. de Paſſ. Domini.

aduersis ad mortiferum diaboli currat auxilium. Ille enim mendax est ab initio, & in solâ viget arte fallendi, vt humanam ignorantiam falsæ scientiæ ostentatione decipiat; sitq; eorum nunc malignus impulsor, quorum pòst futurus est improbus accusator. Medicorum illud consilium est, cùm de corporis exercitatione agitur, *Manè ad montes*, erit etiam hîc meum cùm de animi. *Manè*, à prima statim adolescentia ad montiũ ardua, ad virtutes. *Serò ad fontes.* Hoc etiam in virtute exercitatis vltro obueniet. Nam illi sunt, qui gustabunt quoniam suauis est Dominus; illi sunt qui serò, id est, erepti miseriis & laboribus seculi, *Bibent de fonte aquæ vitæ gratis.*

Apocal. 21. v. 6.

Vrbs Ioppe qualis, vbi sita, quando condita.

Christian. Adrichomius in Theatro Terræ sanctæ.

7 Ad IONAM reuertamur. Quonam descendit infelix? IN IOPPEN. Ioppe, teste Adrichomio, qui fuit Terræ sanctæ accuratus obseruator, & scriptor; quo nomine benè est de Christiana Republica meritus, vrbs est Iudęæ, & antiquissima, & celeberma, sita in Tribu Dan, ad littus Mediterranei maris, in edito promontorio, loco saxoso & arduo; sic vt ex ea spectari possit Ierosolyma, quam Franciscus à Messana abesse tribus tãtùm leucis, Franciscus Ribera diei vnius & aliquot horarum itinere, Gaspar Sanchius, multò lõgiùs asserunt. Ferunt conditam iam inde à diluuio; vel, vt volunt Plinius, Pomponius Mela, Solinus Polyhistor, etiam antè, à Iaphet Noëmi filio. Verba Solini sunt: *Ioppe oppidum antiquissimum orbe toto, vtpote ante inundationem terrarum conditum.* Portum habet insignem, licet difficilem, infelicem, & nautis ac nauigationi incommodum. Ad hunc primò appellunt obituri loca Terræ sanctæ peregrini, atque inde ferè conductis Turcarum asinis Ierosolymam petunt.

Plinius lib. 5. c. 13. Mela lib 1. c. 11. Solinus c. 37.

D. Hieronymus auctor est Hiram Tyri Regem huc ligna de Libano ratibus transtulisse, quæ deinde terrestri itinere Salomon, vti libri Regum & Paralipomenon testantur, Ierosolymam deuehenda curabat.

Reg. lib. 3. c. 5. 2. Paral. c. 2.

8 Quæ olim *Ioppe*, tempore Diui Hieronymi *Iapho*, nunc *Iaffa*, aliquâ nominis commutatione dicta. Fuit hæc multis afflicta cladibus non semel. Et primò quidem iure meritoque, id enim exigere videbatur eius improbitas, quando incolæ illius per fraudem submerserant Iudęorum capita ampliùs ducenta (vti relatum in sacros Codices conscriptos de gestis Machabæorum) tunc certè facinus illud egregiè vindicauit magnus ille Iudas Machabæus. *Nam*, vt ibidem narratur, *crudelitatem hanc in sua gentis homines factam vt cognouit; venit aduersus interfectores fratrum, & portum quidem noctu succendit, schaphas exussit, eos autem qui ab igne refugerant, gladio peremit.*

Ioppe aliquoties subuersa & instaurata.

Machab. lib. 2. c. 12. v. 5. & 6.

Occupauit deinde vrbem hanc, & iterum instaurauit magna ex parte Ionathas Iudę successor & frater. Verùm eandem, post annos circiter ducentos quinquaginta, Cestius Dux Romanorum vastauit, & propè euertit.

Instaurata etiam est tertiò, & reparata aliquousque; sed tertiò talem qualem reperit, occupatam à se priusquàm obsideret Ierosolymam, Vespasianus Augustus euertit funditus, incolis omnibus, partim naufragio & fluctibus, partim, cùm enatare vellent, & saluos se arbitrarentur, à Romano milite ipso in littore ferro iugulatis. Euersionis illius Iosephus & Egesippus veteres historici meminerunt.

Iosephus lib. 3. de Bello c. 17 Egesippus de Excid. vrbis lib. 3 c. 13.

Ad extremum post annos plurimos reuixisse quodammodò, quæ velut mortua fuerat, & refloruisse videtur; quando nimirum cinxit eam rursus muris ac turribus annò ducentesimo quinquagesimo supra millesimum Ludouicus nonus Francorum Rex qui Palæstinam recuperauit, virtute & miraculis clarus, relatus in in Sanctorum numerum à Bonifacio Papa octauo. Verùm nunc ita diruta iacet soloque prostrata, quemadmodùm Christophorus Princeps Radziuilius testis oculatus affirmat in

Radziuil. in Pereg. Ierosol. pag. 124.

in Ierosolymitana sua peregrinatione; vt, vnicâ turri exceptâ, quam vigiles occupant, & vetustis aliquot ad littus maris fornicibus, nihil habeat residuum, adeoque nec speciem ciuitatis.

Memorabilia circa Ioppen. 9 Multa olim hîc, aut in vicinia gesta digna memoriâ posterorum, partim historici, partim alij auctores grauissimi prodiderunt. Iosephus, Strabo, Solinus, Mela, Plinius, aiunt esse in vicino littore saxa, ad quæ olim fuit religata Andromade marinæ belluæ cessura in pabulum, nisi Persei, qui eam interemit, euasisset præsidio. Hæc autem suis adhuc ostensa temporibus fuisse auctor est B. Hieronymus.

Vbi suprà.

Vide Fabul. lib. 4. Metamor. in fine.

Notat insuper Christianus Adrichomius Tabitham istic per sanctum Petrum suscitatam à mortuis, sicut in Actis Apostolorum Lucas enarrat. Ibidemque Petrum hospitatum apud Simonem quendam coriarium recepisse viros Cæsareâ à Cornelio Centurione ad Angeli monitum illuc destinatos & missos, vti in iisdem Actis habetur. Addit domum Simonis illius sub rupe sitam ad mare, deinde nouo opere assurrexisse in ecclesiam sacram Petro Apostolorum principi, cui pro hospitio aliquando seruierat.

Act. c. 9. v. 40.

Act. c. 10. v. 6.

Lorinus ad Act.

Ioannes Lorinus scribens in Acta, adiicit; non procul etiam à portu Ioppeo saxum monstrari, super quo sua piscatorum more lauans retia Petrus, fuerit à Christo Domino ad Apostolatum, id est, à captura piscium ad hominum capturam euocatus.

Priuilegium vrbi, seu promötorio Ioppe à Romanis Pontificibus concessum. 10 Seruit plurimùm peregrinis, quod scripto suo vulgauit Princeps Radziuilius. Iis scilicet, qui rectà ex Cypro & aliis Prouinciis Christianorum, quales non pauci, ad promontorium illud adnauigant & appellunt, à Romanis Pontificibus indultum, vt liceat iisdẽ frui gratiis, quibus fruuntur illi qui omnia Terræ sanctæ loca longè lateque diffusa circumeunt. Indulti causam assignat, quòd ob bella Arabum, latrocinia, pestem, morbos, egestatem, aliaque incommoda, inde vlteriùs progredi, plurimis sæpe integrum, sæpe tutum non sit.

11 Locum hunc multis, vt videtis, nominibus posteà celebrem, IONÆ fuga tanto antè tempore fecit etiam famosum. Ad hunc ipse cùm contulisset sese, neque tamen ibidem commorari satis tutum sibi existimaret, hoc quàm primùm egit, quâ potuit curâ atque industria, vt quocumque demum modo, in quamcumque plagam, è portu illo quàm ocyssimè solueret.

12 INVENIT igitur NAVEM EVNTEM IN THARSIS. Non dubium quin labore multo, ac solicitudine per stationes omnes quæsitam. Nam mirè trepidus, sibique non parum metuens, omnes moras oderat. Quare nullam non vlteriùs abeundi opportunitatem rimatur; nullum non locum, nauim, aut ratem circumspicit & lustrat vt abeat; quod dum facit, vnam nauem, sic mihi imaginor, in ingenti plurimarum classe propiùs ad iter accinctam obseruat, diductis antennis, exporrectis velis, sublatis anchoris instituere nauigationem, atque è portu soluere iam paratam. *Ionas sollicitus est, vt soluat quamprimùm è portu.*

13 Itaque confestim nihil vlteriùs deliberans, DEDIT NAVLVM EIVS, ET DESCENDIT IN EAM. Ex quo Paulus Palatius colligit, olim in primo nauis ingressu, sicuti modò ferè fit in egressu, naulum persolui solitum, licet secus sentiat Rabbi Salomon Iarchi. Ego affirmare vel vnum, vel alterum, neque audeã, neque nisi coniectando possim. Hoc possum, atque etiam assero, neutrum ex hoc loco sufficienter constare. Malo itaque cum Theophylacto opinari IONAM naulum siue nauigationis suæ mercedem dedisse quamprimùm, ne si fortè in ea saltem offerẽda minùs promptus appareret, cunctatione sua tam optatam fugam vel tantisper moraretur. Etenim nullum est dubium egisse eum, & magna quidem animi conten- *Naulum statim soluit.*

contentione egisse, nec curâ minore, non modò vt abire, sed vt abire quàm celerrimè sibi liceret.

Fugitiuus Ionas non totam nauim solus conduxit.

14 Ceterùm quod plures Rabbini, inter quos Rabbi Salomon Iarchi, & ex nescio quo antiquiore Hebræorum libro Rabbi Dauid Kimchi, quibuscum sentit Ribera, totam volunt conduxisse nauim; vt sic nauiculariorum de ampliore lucro per accessum plurium, magis quàm de tempore laborãtium, moras omnes abrumperet, facilè probarem; nisi me in alteram partem 70. Interpretum moueret auctoritas; qui pro eo quod habet lectio nostra vulgata, *Naulum eius*, vertunt τὸ ναῦλον αὐτοῦ id est, *naulum suum*. Non ergo; etiam ex iudicio Rabbi Aben Ezra, qui sentit nobiscum, nisi vecturæ suæ pretium soluit. Ad quod omnino persuadendum, etiam plurimùm facit hominum multitudo maxima, quæ fuit in naui, deos suos, vt mox videbimus, tempestate inualescente inclamantium; istic nequaquàm futura, si nauis illa vnius IONÆ arbitrio seruiisset.

Non soli diuites prophetarunt.

15 Ridiculum autem est, quòd ex persoluto à IONA, vt alij volunt, nauis totius pretio, colligunt Doctores quidam Hebræi, quorum id fabellis annumerandum censeo, neminem nisi diuitem prophetiæ afflari spiritu solitum. Supponunt enim, quod est incertum, IONAM pro totius nauis vectura fecisse satis; & inde deduci volunt aliud, non modò incertum vt prius, sed nec probabile quidem, solos nimirum diuites Prophetas fuisse.

Ionæ fugientis breue fuit gaudium.

16 Sed agamus ad IONAM in nauim iam inuentam ire properantem conuertamur. Quanto putatis fuisse perfusum gaudio hominem, quantâ voluptate circumdatum; cùm, prophetandi curâ iam prorsus depositâ, repertaque tam citò naui, omnia cedere sibi arbitraretur ex voto. Verùm benè dixit non minùs sapiens quàm patiens Iob: *Laus impiorum breuis, & gaudium hypocritæ ad instar puncti.* Sic fugiens, in Deum impius IONAS, breuem fugam lõgè breuiori gaudio cumulauit. Facilè quidem, & nimium facilè magnã sibi obuenturã felicitatem, quam iam esse credebat in foribus, addixit improuidus; sed longè faciliùs, quàm non exspectarat, infelicitatem inuenit. Nam statim altera ei rerum apparuit facies; oborta, inquam, velut in meridie nox tetra & horrida, quæ diem sustulit, solemnẽque festiuitatem, & quod animo conceperat gaudium, in luctum amaritudinemque conuertit; elementis iam ei noua bella minantibus. Tunc certè didicit tempestate magistrâ inter vndas tumultuantes, quod non satis assecutus videbatur in terris: stultum nimirum videri, & esse, fugere à facie Domini, mari non minùs quàm cælo terræque dominantis.

Iob c. 20. v. 5.

Gaudium peccatorum breue.

17 Sunt etiam ætate hac nostrâ, vtinam ne sint, qui aspirare sibi fauonium putant; & non parum sibi de sua, vt vocant, felicitate blandiuntur; dum oblatas iniquè agendi occasiones nacti, secreto lare luxui, ventri, libidini, spurcissimisque, quas cogitare, nedum profari est nefas, carnis voluptatibus indulgent; nec miseri vident immanem sibi impendere tempestatem, quæ mox imbellem animæ nauiculam sit, damno non reparabili, oppressura funditus.

Quisquis sapit, inter hæc si quos senserit nequaquam amabit fauonios, suspectam habebit, omnem inter ista, malaciam; memor quod tandem, Iacobi Apostoli grauissimo certissimoque testimonio, *Peccatum, cùm consummatum fuerit, generet mortem.*

Iacob. Epist. c. 1. v. 15.

Virtus cum tempestate suo modo impetitur quid agendum.

18 Habet aliam malaciam, sed non periculosam, intemerata virtus; habet fauonios; habet tamen suas etiam, neque hoc nego, tempestates & nubila. Sed quid in his agere, quid cauere debeamus, doceat IONAS. Videlicet nequaquàm abcedere, sed propiùs ad Deum venire. Abcessit ille, tentauit fugam; at quo euentu? prorsus misero & luctuoso, & quo luctuosiore non poterat. Quid luctuosius, quàm eum qui suaui Dei imperio subesse noluit, mox furori turbulenti maris

Omnes vel sponte, vel coactè subduntur Deo.

maris, velit nolit, debere subesse? Quod iustè fit tamen. Nam, etiam Poëta Ethnico attestante,

Horat. lib. 4. ode 5.

Culpam pœna premit comes.

Et fit quotidie, factum etiam est olim. Sponte renuunt subiici Deo homines, cùm tandem ei subesse debeant vel inuiti, nullo suo merito, graui etiam pœnâ. Hanc sensêre Pharao, Nabuchodonozor, Antiochus; sensêre impij omnes, & sentient, felices, quibus resipiscere datum, vt non æternùm sentiant.

Melius & leuius Deo seruire est, quàm mundo, dæmoni, peccatis.

O quanto satius leue ac suaue Christi iugum ferre cum gaudio; quàm hoc excusso diabolicæ seruitutis iugum durissimum cum tormento perpetuo.

19 Discite *Sodales*, discite, quantò minore labore, copiosiore etiam præmio, Deo, quàm eius hostibus seruiatur. Verè dixit Beatus Iob: *Qui timet pruinam; irruet super eum nix.* Timent impij laborem, timent illas quantulascumque in diuino obsequio molestias; pruina est, quam cùm timent, irruit super eos nix; longè inquam grauiora in mundo mundique negotiis reperiunt; & quod grauissimum, à labore temporis huius exigui transeunt ad laborem æternitatis. Sed demus gaudere semper, vt iterum cum Poëta Ethnico loquar.

Iob c. 6. v. 19.

Horatius lib. 2. Car. Ode. 3.

Dum res, & ætas, & sororum
Fila trium patiuntur atra.

In mundi gaudiis, finis est dolor & pœna.

Quid inde? num fortè aliquid est gaudere præsentibus, labentibus, perituris, si æternis careamus? Tandem

Horat. lib. 2. Car. ode 14.

Visendus ater flumine languido
Cocytus errans, & Danai genus.
Infame, damnatusq́ longi.
Sisyphus Aeolides laboris.

Loquitur more Ethnico Ethnicus. Et ego Christiano Christianus, ac dico; post breuia & leuia hæc gaudia, pœnas apud inferos parari perpetuas: sicque dicente sapientissimo Salomone *Extrema gaudij luctus occupat.*

Prouerb. c. 14. v. 13.

20 Igitur altè mentibus nostris hæreat infixum rogo, quod aliquando dictum ipsius veritatis ore, discipulis vnicè caris, quibus datum erat nosse mysterium regni Dei. *Quid prodest homini, si mundum vniuersum lucretur; animæ verò suæ detrimentum patiatur?* & non pigebit peritura contemnere, ac tametsi oporteat terram corpore, mente nihilominùs cælum tangere.

Matt. c. 16 v. 26.

Stultitia Ionæ fugientis, cum tot incommodorum delectu, ostenditur.

Non dubito mirari vos mecum, imò obstupescere, factum IONÆ. Omnia, vt rectè Theophilactus, ei facilia videbantur: priuari optatissimâ patriâ, quâ nihil esse solere homini carius iam antè diximus, adire sæuientis maris tam præsentia pericula, fæci hominum sociari in naui, in nautarum nauigationisque mercedem pecuniam profundere; dummodò graui & molesto, vt ipse quidem interpretabatur, prophetandi munere liber, diuinum excutere posset imperium. Gratis manere cum Deo poterat, nullo suo aut incommodo, aut damno; imò cum ampla æternæ felicitatis ac gloriæ mercede: maluit tamen infelix, oblato & dato etiam pretio, certissima geminæ mortis pericula sibi vltrò accersere.

Similis est, stultitia malorum, ex domo optimi domini, ad domum tyranni cuntium.

21 Non desunt, quod hîc meritò deploro, etiam nostro seculo nihilo minus insipientes, nihilo minus IONA improuidi. Permanere cum Deo possunt, per suauem mandatorum ipsius obseruantiam, per syncerum amorem, & cultum, in spiritu adoptionis filiorum, & dicere non secus ac Dauid: *Mihi adhærere Deo bonum est: ponere in Domino Deo spem meam.* Interim tamen, dum per oblectationes illicitas, corporisque incommoda commoda, longiùs, velut citato cursu, ab optimi parentis latere sese proripiunt, in vaferrimi hostis laqueos incidunt, fitque vt qui nolebant imperium Patris, crudelis Tyranni asperum iugum noxiæ seruitutis ferant: ferant inquam, grauatè quidem cùm senserint, quæ adhuc pars alicuius felicitatis est non omnibus communis (sunt enim nonnulli nouâ quâdam calamitate insensibiles effecti) sed quod interim semel admis-

Psal. 72. v. 28.

admiſſum, propriaque voluntate ſuſceptum, non facilè excutiant.

Variæ naues, quæ hoc mundi mare nauigant, oſtenduntur.

22 Oſtendi vobis paullò antè nauem quam IONAS conſcendit, vnà cum ipſo in Tharſis abeuntem: oſtendi, ſed eminus; accedite propiùs, & mecum videbitis naues plures, meliùs à me, meliùs à vobis agnitas; quarum vti diſpar eſt iter, ita diſpar itineris ratio. Tendunt quidem in cælum omnes, eoque iter dirigere ſatagunt, quotquot ſunt ſupremi Imperatoris Chriſtianæ militiæ ſtipendiariæ: ſed modo, & viâ, aliâ atque aliâ.

Nauis Religioſorum.

Sunt namque nonnullæ, quæ plenis velis, vento proſpero, & vt plurimùm, pacato mari nauigant. Eæ ſunt clauſtralium, monachorum, & religioſorum quorumcumque familiæ, optimis, ſapientiſſimis, ſanctiſſimis inſtitutæ olim legibus; quæ in feruore priſtino & auita ſanctitate perſeuerant, aluntque non degeneres à parentibus & maioribus, filios & nepotes.

Nauis Virginum, & Continentium.

23 Sunt aliæ, quibus non religioſorum ſed Virginum, Continentium, aliorumque Deo plus reliquis ſeruientium, cœtus vehi cenſeo; præcipuè autem eorum, qui Sacerdotalis ſunt ordinis ac dignitatis. Hæ, vt priores, plenis quidem velis nauigant; ſed cùm ſubinde abſque nauclero, vel eo non ſatis perito, aut prouido, vt ſedens in puppi ad clauum ſingulas ſingulorum actiones inſpiciat, aut conſideret, operas pro viribus diſpertiat, quid cuique agendum maturè & cautè moneat, nocitura aut auertat ipſe, aut ſibi concreditos declinare doceat: fit nonnunquàm, vt prædominante vento aduerſo, aut longiuſculè ab itinere deflectant, & poſt noxias demum ambages viarum, portum capiant; aut, quod dolendum magis, interdum naufragio fractæ, & protritæ fluctibus, vix quod optarunt votis omnibus, littus legant.

Nauis Coniugatorum.

24 Alterius adhuc generis naues ſunt, in quibus agunt connubio iuncti; in eoque proli honeſtè procreandæ, educandæ, inſtituendæ, formandæ quoad bonos mores intenti. Hæ continuò luctantur cum fluctibus, & ſæpè ipſis decumanis maioribus. Quid enim eſt aliud quod ait Apoſtolus, *Tribulationem carnis habebunt huiuſmodi?* Carnis tribulationibus quinam eſſe maiores fluctus poſſunt? quia verò fluctus tanti, non auſi plenis velis nauigare, ad inſtar triremium, ferè moleſto & ad laborem facto remigio vtuntur; quò continuo opere, eos non parum fatigari neceſſe eſt. Intereà, tametſi ſentiant *1. Cor. c. 7. v. 28.*

Luctantes ventos, tempeſtateſq; ſonoras, *Virgil. 1. Æneid.*

ſi ſupremi Argonautæ præſcriptum ſeruent, ſi Deum vaſtiſſimi huius orbis Oceani Archithalaſſum audiant imperantem; tandem enauigato periculoſo huius maris ſinu; exantlati laboris præmium ferent; atque æternum de tragicæ huius vitæ epilogo celeuſma in feliciſſimo illo perennaturæ beatitatis portu concinent. Tunc quomodo per foras anxiâ temporalium ſolicitudine curſitando; vela explicando & conuoluendo, modò inquam aduerſa ferendo, modò proſpera; malum ſcandendo, id eſt, pericula præuidendo & auertendo; cum pyratis, immaniſſimis inquam humani generis hoſtibus, qui non niſi de animabus prædas agunt, omnibus infeſti, generosè dimicando; dubiam iuxtà ac periculoſam diu aleam ſubierint; cum quodam interiori ſenſu dulcedinis, & intelligent, & reuoluent.

25 Sed interim nauiganti naulum ſoluendum, cuius pro ſe portorium dandum. Verùm quid nobiliſſimo Argonautæ noſtro dabimus non ſuum? Nihil. Cùm ergo aliud dare non poſſimus quàm quod ab eo accepimus; dabimus quod optimum accepimus; & reddemus ei nobiliſſimas animæ noſtræ potentias, intellectum, voluntatem, memoriam, has

H ei

ei dicabimus, sacrabimus, has eius sancto impendemus obsequio.

Nauis Sodalium Beatissimæ Virginis. 26 Vos etiam PARTHENII SODALES, quam ingressi estis nauem ne exscendite, delectũ in ea commorationis locum tuemini, cœtus vestros, tam pios, tam sanctos, vt facitis, frequentate assiduè. Congregationem vestram atque ipsum Oratorij locum nauem appello. In hac malus sanctæ crucis arbor; velum caritas est, quam spero per vos, atque etiam in cordibus vestrûm omnium longè lateque diffusam; prora recta intentio, quâ quidquid agitis dirigentes in bonum, ad gloriam vnius Dei agitis; puppis opera, mentem bonam intentionemque secuta. In hac sedet ad clauum gubernatrix VIRGO MATER, nunquàm non spectandis suorum laboribus intenta. Nauis huius cursum nulla remoratur, aut tardat malacia; semper eam propellunt, qui mari incubant, venti; & (quod vnicè iter agentibus optandum) plerumque quàm maximè prosperi; nimirum diuinæ gratiæ ac benedictionum cælestium fauonii, qui feliciter, etiam fluctuantem, aut tardantem nonnihil, propellunt. Rudentes leges sunt, quibus Virgini militatis. His

Virg. 6. Æneid. *Anchora de prora iacitur, stant littore puppes.*

securè inquam consistitur, neque fluctus assurgentes timentur. Nautæ sunt, qui Congregationis bono ex officio consulunt, ceteros dirigunt, caventque ne quid detrimenti sancta hæc capiat Respublica. Naui hac vehuntur SODALES omnes, & ducit non in THARSIS, sed in patriam continuò lacte & melle manantem; soluit non ex IOPPE, sed ex orbe vago, vbi nullum, nisi periculosissimum littus, atque in portum vsque cælestis Ierusalem vehit: sic tamen vt interdum etiam tempestates subeat priusquàm eò saluos & incolumes ducat.

27 Explico: venit nescio quis nouus homo, paullò plus sapiens quàm sapere oporteat, qui sanctas in eiusmodi vestris cœtibus exercitationes obiri solitas, piaque munia non probat, qui vt iocularia hæc ridet, qui illum non vulgarem BEATÆ VIRGINIS cultum aspernatur, qui fauores diuinos, istic nobilissimis viris, honestissimis adolescentibus ope VIRGINIS præstari solitos, obnubilare nititur: tempestates hæ sunt eò periculosiores, quò interdum & magis subitæ, & inopinatæ, & ab iis, qui digniores, magisque ad speciem pij videri volunt, suscitatæ. *Declarantur tempestates quæ in hanc nauim insurgunt subinde.*

Est alius quispiam, qui cùm pro instituti ratione conueniendum; querulus de hora locoque minùs commodis, sibi ceterisque negotium facessit, parum in alios & se æquus, parum pius in Matrem. Et hæc tẽpestas est, quæ subinde non tam citò & facilè subsidit; quò fit, vt vasa eiici incipiant; vt vnus & alter, quandoque plures, à bona mente propositoque resiliant, à conuentibus illis tam sanctis sese subducant, nec tam, vt solebant, BEATISSIMÆ VIRGINI MATRI eiusque gloriæ seruiant sedulò, libenter, constanter, feruenter. Sed quidquid sit, vna ex alia nascatur tempestas, geminentur fluctus, non idcircò periclitatur nauis hæc conteri; illa inuitis æmulis omnibus, reclamantibus & nihil non contrà agentibus hostibus, secundum tenebit cursum; & eiusdem patrocinio, cuius primò viam instituit, à littore soluit, exorsa inquam feliciter est; imò maiori adhuc quàm exorsa felicitate ac gaudio portum tanget. Itaque quotquot in ea estis, nolite exscendere; hoc polliceor, bene vobis istic erit; &, si quos oportet auditis; nullum à stygiis pyratis, qui animabus perpetuò insidiantur, imminebit periculum securi venietis in patriam.

28 Sat nunc de nauibus maris dexteram tenentibus, & nauigantibus plerumque cursu prospero; sed antequàm nauigationẽ hanc deserã, & ad latus

latus alterum prorsus infelix me vertam, vnum quęrendum occurrit: Cur nimirum multi, cùm semper nauigent, & quidem in naui optima ac felicissima, nihil tamen nauigando proficiant, sed locum vix mutent, hæreantque in eo, à quo ab annis exisse debuerant, littore; velut immoti. Dicam clariùs, cùm laborent semper, & continuò, vt apparet, spiritui intendant, nunquam tamen perfectionem consequantur. Quorundam videas continuis ora pallere ieiuniis, (obseruatio hæc, nisi fallor, est Iacobi Aluaris de Paz in libris suis de vita Spirituali, loci non ita memini) quorũdam immoderatis vigiliis valetudinem eneruari; quorumdã corpora ex cilicij asperitate & flagrorũ assiduitate continuis labefactari vulneribus; aliorũ sẽper cogitationes in cælestium rerũ contemplatione defigi, iis sibi caput frangere; aliorum vires externarũ rerum, bonarũ quidem, sed non necessariarum, curâ exhauriri; aliorum, qui nescio quâ vtilitatis specie decipiuntur, ætatem ac vitam in proximorum vsum commodumque insumi; nihil tamen quoad propriæ vitæ integritatem, mentis nitorem, prauorum affectuum victoriam, solidarum virtutum adeptionẽ proficere in melius.

Causa cur quidã semper nauigantes, siue laborantes, nihil vnquam promoueant in virtute.

29 Vnde hoc malum? quia cum IONA in THARSIS nauigant, & proposito sibi nequaquàm certo vitæ termino, per spiritualia, vt sic loquar, itinera ambiguis & incertis oberrant passibus, proindeque incassum laborantes, nihil etiam post annos se promouisse sentiunt; sed tandem ad locum pristinarum imperfectionum, à quo, vt putabant, iam pridem exierant, reuertuntur, cum laborum suorum æquè ac temporis iactura grauissima.

Quid ergo consilij? proficere magnisque passibus ad virtutem progredi volenti, in ipso statim bonorum desideriorum exortu de via cogitandum, eaque non dubiâ, sed securâ, & certâ. Hæc autem à perito ductore & Spiritus magistro cognita constanter tenenda; sic vt neque ad dextram declinetur, neque ad sinistram quocumque demum stulto sui amore, aut commodo.

Sed alta nimis & sublimis hæc philosophia est, quæ fortè non omnibus æquè arrideat, aut quam non omnes æquè capiant. Intelligentibus hoc saltem dixisse sit satis, conuertamur ad alia.

30 Egimus de nauibus quæ dexteram occupant; sed non pauciores nec minùs etiã potentes, aut magnæ, quæ læuam; hæ per fœtidos Cocyti lacus, per vitiorum inquam longè lateque stagnantes vndas, plenis velis, ventisque voluptatũ secundis, in Tartarum nauigant. In quibusdam ex his, ij ferè qui aurum, argentũ, gemmas, lapides pretiosos, attalicas vestes, amplam & & superbam, quoad possunt, suppellectilem generis omnis piscantur. In aliis vera ventris mancipia, homines nimirum, qui toti abdomini suo seruiunt, de re nulla quàm de cuticula probè curanda soliciti, qui tantùm opiperas dapes & falerna cogitant. In aliis sectatores libidinũ, spurcissimi ganeones, scortorum greges, immundæ sues. In aliis fæx populi, hominum malè feriatorum colluuies. Denique in iis, quæ toti mundo celeberrimæ, regnis etiam & Regibus minãtur exitiũ; sunt Catholicę Religionis hostes, veritatis inimici. Et hi quieti ferè sedent, manum operi adhibente nemine; quoniam præeunte eis ad hoc Magistro suo Luthero, plerię; solam sufficere fidem clamant, crede, inquiunt, saluus eris. Quorsum ergo illa tam anxia de operibus cura? quorsum ad hæc labor? quieti indulge, tibi parce, te nihil agente, te non remigante, non circa antẽnas, malum, sentinam laborante, non ad clauum sedente, securum portum nauis inueniet.

Naues variæ Diuitum, Voluptariorum, Hæreticorum, vehentium suos ad infernum.

31 Placet hoc desidibus nautis, placet hominibus otiosis, & cùm ad sensum affluat, non est difficile vt placeat. Itaque gaudent, epulantur, triumphum canunt ante victoriam, portum sibi iam pollicentur,

tur, quem ne quidem è longinquo adhuc conspiciunt, imò à quo longissimè absunt; & quò procedunt diutius, eò longiùs, breui cantaturi palinodiam. Nam cùm se securos radere littus arbitrabuntur, facient planè, in eo quem sibi fingebant portu, infame naufragium: vel potiùs, qui in mari portum sibi finxerunt, in portu mare offendent, quod nullæ naues traiiciant, nisi cum æterno, neque vnquam reparando, naufragio. Nec mirum, nam mare istud, quod in vitæ huius littore offendunt, non aqueis, sed igneis fluctibus sæuit, irascitur, tumultuatur semper, nec vnquam compescitur, aut eius furor intercurrente malaciâ frangitur.

Naues hæreticorum, Dialtum, Voluptuariorũ, cauendæ.

32 Verum quid nobis istis cum nauibus, in quibus nautas agunt aliquot diobolares quinti Euangelij Ministelli, Nauclerum humani generis hostis diabolus, vbi pro portorio animæ dantur? has ingrediantur qui volent, apud nos tanti non emitur pœnitere. Sed interim videant quid agant, & quàm benè sibi consularit, qui ex firma Ecclesiæ Catholicæ naui, in quâ viuebant securi, in aliquam prioribus similem, infami apostasiâ demigrare, saltuque lethali desilire tam operosè contendunt. Interim perire si velint, satius est soli vt pereant, quàm vt secum plures, vitæ improbitate, corruptissimisque moribus & exemplis, in certum discrimen adducant, & quam sibi deligunt æternam mortem, simul aliis inferant.

33 Ad IONAM denuò reuertor. Dixi paullò antè, ipsomet referente, quod *Descendit in Ioppen.* Addo ex eodem sacro ipsius ore, quod etiam IN NAVEM. Id, testibus D. Hieronymo & Remigio, fecit vt fugitiuus, qui latebras quærit. 70. transtulerunt, *καὶ ἀνέβη ἐις αὐτὸ*, id est, *Ascendit in eam*; verum in idem recidit, siue dixerimus ascendit in nauem, siue descendit. Sunt quidem hæc duo contraria eiusdem respectu; sed non diuersorum, quorum intuitu, vtraque vera. Nam, vt benè Petrus à Figuero, ingressum in nauem Hebræi descensum, posteriorem motus partem spectando; Latini spectando priorem, ascensum vocant phrasi etiam Latinæ linguæ classicis auctoribus vsitata. Titus Liuius. *Ab Caieta nauem conscensurus proficiscitur.* Cicero: *Et vos naues subitò perterrefacti metu conscendistis.* Descendit ergo, aut, si mauultis, ascendit in nauem IONAS; vt quocumque illa tenderet eò & ipse veniret.

Liuius lib. 12. *Cicero lib. 1. de diuin.*

Christus quomodò, & in quam nauem descenderit, & in quam ascenderit. ex Rykelio.

34 Mysticus IONAS Christus Dominus, vt & de illo verbum vnum dicamus, postquàm in Ioppen siue decoram, id est, prout Dionysius Rykelius professione Carthusianus interpretatur, Beatissimæ Virginis, quæ tota pulchra est, & decora, plenaque gratiarum, secundum illud Cantici Canticorum: *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te*, sacratissimum vterum descendisset; nauem ascendit, nobilem inquam crucis arborem, in ea clauis transfixus. Aut certè, si mauultis, in eam profundâ, nec vnquam satis laudatâ demissione descendit, dicente Apostolo: *Humiliauit semetipsum, factus obediens vsque ad mortem: mortem autem Crucis. Non tamen*, (vt rectè B. Augustinus) *sicut Ionas fugiens, sed per mare huius seculi transiens.*

Cantic. c. 4. v. 7. *Ad Philip. c. 2. v. 8.*

Christus quomodo dederit vectoribus naulum: secundum varios varium.

35 Quoniam verò ad oues perditas domus Israël venerat; non vult dare panem filiorum canibus. Quid igitur? dat vectoribus naulum. Cùm, vt Haymo, & Remigius interpretantur, sperandæ salutis pignus Gentibus offert. Cùm, vt ait Franciscus Feuardentius, Sacerdotibus, Ecclesiæ Præfectis, ligandi & soluendi, consecrandi, offerendique pro viuis ac defunctis incruentum sacrificium, potestatem impertit. Cùm, vt D. Bernardus, *Pro nobis per huius vitæ pelagus ad patriam de exilio transferendis, rapacibus pyratis*, trucem Iudæorum populum

In hunc locum. *Bernar. ser. 2. de Cœna Domini.*

pulum intelligit, *naulum propriæ mortis exsoluit.* Nostrum est sic agere, vt naulum suum bene nobis, & vtiliter impensum, tam bonus, tam munificus ac liberalis Dominus videat, gaudeat.

Christus quomodo in Ioppen descenderit, & in nauem ascenderit, ex Chrysologo. Chrysol. serm. 37. Ioan. c. 3. v. 13.

36 D. Chrysologus aliter paululùm applicat descensum IONÆ in Ioppen, eiusdemque ascensum in nauem Christo Domino de se dicenti: *Nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo. Descendit*, inquit, *Dominus de cælo ad terram; descendit deitas ad humana, descendit ad nostram superna dominatio seruitutem; & tamen qui descenderat ad nauem, nauē nauigaturus ascendit: Sic Christus qui in hunc mundum descendit; virtutibus & mirabilibus Ecclesiæ suæ conscendit in nauem.* Hactenus Chrysologus. Nos cum Christo descendamus per plures profundæ demissionis sæpiùs iteratos actus, velut gradus quosdam, ad virtutum consecutionem percommodos; vt cum eodem ascendere etiam aliquando ad gloriam, nauem ingressi triumphantis Ecclesiæ, quæ nunquam fluctuat, quieti securique possimus.

LECTIO SEPTIMA.

DOMINVS AVTEM MISIT VENTVM MAGNVM IN MARE: ET FACTA EST TEMPESTAS MAGNA IN MARI, ET NAVIS PERICLITABATVR CONTERI. *Vers.* 4.

ARGVMENTVM.

Pro Deo, contra Ionam, & quemuis peccatorem, pugnare omnia ostenditur. Vnius peccatum sæpè multos luere; &, quod hinc sequitur, nullum tolerari in Republica improbum sine periculo posse, rationibus & exemplis docetur. Proponitur excitata aliquando in Christum tempestas, etiam in Ecclesiam illius, & causa disquiritur. Explicatur quomodo boni quique suas interdum tempestates patiantur.



1 CONSIDERAVIMVS vsque modò præpostera IONÆ consilia, iter maritimum suscipientis, vt à facie Domini fugiat; cùm hoc non nisi propitio Numine suscipi posse, non nisi irato fugam ab ipso iniri nemo prudens ignoret. At, quoniam ei fuga hæc præ Dei imperio atque obsequio placuit, rogo, quo sit euentu suscepta; mox etiam ad quem exitum deducta, suo loco mecum attentiùs videatis. Atque hîc in primis intueamini opus admirabile dexteræ excelsi, *Producentis ventos de thesauris suis.* Erit hîc opposita humanæ insipientiæ sapientia diuina. IONAS nihil non agit vt fugiat; Dominus parum laborat vt teneat: tantùm MITTIT VENTVM MAGNVM IN MARE, Mediterraneum scilicet, huic ventum ex alto immittit, ac velut præcipitat, vt ampliùs sæuiat, atque vt alibi de tempestate ab Æolo suscitata Virgilius loquitur, totus mari incumbat. Quid deinde factum? *Subitò*, vt ait D. Basilius Seleuciæ Episcopus, *Dei mandatum monet mare ad inquisitionem, retine*, inquit, *ô mare prophetam meum fugientem, age seruum meum in vincula; intelligat vt audax, & malè meditatum facinus sit aggressus, nauis fluctibus obsideatur, ac vi ventorum propellatur in periculum, dum tradatur qui quæritur.*

Deus ventum emittit, quasi à satellitem, vt Ionam capiat. Psal. 13. v. 7. Æneid. lib. 1. Oratione 12.

2 Subortâ igitur quamprimùm ingenti

genti tempestate pro imperantis nutu NAVIS PERICLITABATVR CONTERI. Romana editio 70. Interpretum habet συντριβῆναι, quod idem est. Biblia Regia & Complutensia διαλυθῆναι, id est, *dissolui*. Quid dicis, ad hoc IONA. Iam vides quòd Domini manus grauiter puniendus senties; &, si cetera omnia, has saltem nequaquàm vllâ arte dolóue effugies.

Rabbinorum sententia de exorta in mari tempestate ad ostium fluminis alicuius.

3 Doctores quidam Hebræi nimiùm mihi seduli videntur, vt quærant, vbi hæc inchoata tempestas, vbi præcipuum naufragij periculum. Rabbi Aben Esra affirmat in loco flumini sese in mare exoneranti vicino: tum quod hic ceteris naturâ periculosior; tum quòd dicat de se Propheta, *Proiecisti me in profundum, in corde maris, & flumen circumdedit me.*

Ionæ c. 2. v. 4.

Sed esto periculosior sit locus quem rapido cursu fluminis vnda alluit, pugnantibus hinc inde aquis, & vnis alteri nequaquàm cedentibus; cùm fuerit, vt vulgò creditur, miraculosa hæc, de qua loquimur, tempestas, frustrà in mari pericula quærimus.

Ionâ in mari existente, tempestas orta, miraculo non caruit.

4 Benedictus Arias Montanus nullâ causâ præuiâ, nubium concursu nullo, hos ventos, hos fluctus, naui pelagoque immissos cum multis asserit. Id si verum, quod omnino verissimum existimo, suscitari vbique tempestas potuit, nec vbi suscitata anxiè percunctandum. Tantum est velle Deum, vt ad eius nutum nullâ interpositâ morâ, & rumpantur antennæ, & dissiliant rudentes, & vulsis clauis nauium etiam firmissimarum latera crepent, malus corruat, secetur vela, mergatur sentina, anchoræ non subsistant, gubernatorem clauus excutiat, denique ascendentibus ad cælos fluctibus, ad abyssos iterùm descendentibus, omni momento feralis vox imminentis mortis in auribus nauigantium sonet.

Ionas miraculosam tempestatē immissam agnoscit.

5 Porrò hos fluctus, diuini arbitrij voluntatisque satellites, satis noster IONAS agnoscit, dum ait: DOMINVS MISIT VENTVM. Et quidem quando nauis tranquillo mari, sereno cælo, secundo vento, fauente sydere è portu soluerat: tum inquam sæua tempestas, vento concitato surrexit subitò, & in momento,

Quocumque aspicio, nihil est nisi pontus & æther.
Fluctibus hic tumidus, nubibus ille minax.

Ouid. lib. 1. Trist. Ele. 2.

Quasi dicat, Idcircò ne credite, aut casu, aut consueto naturæ cursu ac ordine, sed singulari aliquâ diuinæ dispositione prouidentiæ factum; quòd ventus vndam, vnda nauim, nauis IONIAM concuteret, & fugitiuum tali tantoque furore sibi mare deposceret. Hunc furorem S. Zeno Veronensis graphicè describens, ait: *Compugnantium ventorum flatu violento lacessitum fremit mare; sollicitiq; gurgitis præruptorum montium cauis voluminibus repugnantium littorum spumantia ora contundens, minatur per momenta naufragium: procellæ crebrescentes insaniunt. Horrendum sibilant funes, gemunt cedentibus velis antennæ, retunsa vndique iter non inuenit prora.* Ex quo apparet hunc maris ventorumque, Domini etiam furorem, ad IONAM perdendum, indicasse.

Zeno ser. de Iona.

Flumen pro fluctibus sumitur.

6 Quod verò se flumine circumdatum Propheta noster secundo capite narrat, Hebræorum sententiæ non fauet. Nam *flumen*, vel vt habent 70. *flumina*, Theophilactus, Ribera, aliique propriissimè fluctus interpretantur. Neque aliud vult cùm ait, *Flumen circumdedit me.* quàm vallatus fluctibus, velut captiuus detentus sum, de qua captiuitate pulchrè Chrysostomus. *Cùm primùm Dei hostis nauem fuit ingressus, turbantur maria, fluctus eleuantur, & profundi pelagi arena monstratur; & sicut fidele mancipium contra seruum fugâ lapsum, nonnullis etiam communi domino pretiosis ablatis, omni animositate contra eius retentores insistit; nec antè derelinquit, nisi eum præsentauerit domino. Sic & mare conseruum agnitum, non alieno*

Homil. de Iona in fine 1. Tomi.

alieno patrocinio, nullius postulato subsidio; sed propriâ virtute commotum, vt sibi redderetur exposcit. Et sanè feliciter: nam sic IONAM fugitiuum, & ventus, & mare tenuerunt, & ad Dominum, à quo fugerat, reduxerunt.

Tilmannus lib. Alleg. & Tropologiarum vtriusque testa.

Fit hoc quotidie, inquit ad hunc locum Godefridus Tilmannus, *dum illi, qui à Deo recesserant, per pressuras & tribulationes ad ipsum reuertuntur.*

Venti, tempestas, fluctus, Dei satellites Ionam capiunt.

7 Videte hîc SODALES, & discite, quàm vani sint filij hominum, quàm consilij inopes, quàm in sua sapientia insipientes. Putabat IONAS prodesse se sibi, cautè etiam agere, ac vt humana sunt, sapienter, si nauem conscenderet, & fugeret: sed dum fugit, in captiuitatem incidit miserrimam, quâ non ipse tantùm de fortunis periclitabatur & vita; sed propter ipsum, cum ipso, nauis vniuersa. Benè Seneca Tragicus:

Seneca in Hercule furente Act. 2. Sce. 3.

Sequitur superbos vltor à tergo Deus. Quomodò IONAM, superbè detrectantem imperia, secutus sit hîc videtis; ventis nimirum, tempestate, fluctibus; vt hos in Domini sui obsequium tam promptos expertus; ab iisdem, iam hostibus suis, ipse quoque celerem promptamque obedientiam disceret.

Melius Deo Creatura alia seruiunt quàm homo.

8 Sanè est hoc homini ad infamiam & opprobrium sempiternum; tam subitò, tam bene, suo obsequi Cõditori res insensibiles & inanimas, cui ipse tam lentè, tam malè obsequitur: cùm tamen vnius Dei gloriæ, tot titulis tam meritò seruire debeat, illi omne studium, operam, conatum, industriam suam impendere. Nobis saltem, si fortè cetera neglexerimus, hoc conandum, hoc agendum, vt sanctissimis eius legibus ac iussis, studiosè ac strenuè pareamus; & memores simus dictum Saulo rebelli, etiam nobis, si tales fuerimus, aut simus, *Durum est tibi contra stimulum calcitrare.*

Act. c. 9. v. 5.

Contra Ægyptios omnia pugnarunt.

9 Non meministis Ægyptios, Deo populi sui dimissionem vrgente, in dira perstantes tyrannide, post tot immissas & dimissas, iterumque inductas alias super alias, & semper grauiores plagas, certa & constantia irati Numinis argumenta, immanè illud contempti diuini imperij facinus, non modò primogenitorum nece; sed & copiosissimi exercitus, vnà cum ipso Rege Pharaone, luctuoso inter maris vndas luisse interitu; non tamen eluisse; æternis ignibus ampliùs piandum, nunquàm expiandum.

Deo obedientibus omnia obediunt: contra inobedientes pugnant omnia.

10 Mihi credite, omnia nobis, vt iussa sunt, seruient elementa, ipsis dominabimur, & obsequentur; si nos pariter obsecuti fuerimus Deo; si hoc quantulumcumque est in nobis potentiæ & virium, eius, vt par est, honori impenderimus. Hugo Victorinus explanans tres illas voces, quas ingeminare dicuntur hominibus omnes creaturæ: *Accipe, redde, fuge. Accipe beneficium, redde debitum, fuge supplicium. Prima*, inquit, *vox est famulantis; secunda admonentis, tertia comminantis. Vox famulantis est. Cælum dicit. Ministro tibi lucem in die, vt vigiles, tenebras in nocte, vt pauses. Ego ad oblectationem tuam gratas temporum vicissitudines pario, tempore veris & æstatis feruorem, autumni plenitudinem, & algorem hyemis. Ego alternantibus incrementis, dierum & noctium spatia simili ratione dissimiliter extendo: vt & varietas tollat fastidium, & ratio pariat oblectamentum. Aër dicit. Vitalem tibi pario flatum, & omne genus auium ad tuum mitto obsequium. Aqua dicit. Potum tibi præbeo, sordes purgo, arentia vegeto, & diuersorum genera piscium ad tuum esum ministro. Terra dicit. Ego te porto, ego te nutrio, pane conforto, vino lætifico, omnigenis fructibus oblecto, diuersis animalibus mensas tuas repleo.* Atque ita omnino, quamdiu boni fumus, Deoque obsequentes, nobis famulantur omnia.

Hugo Victorinus lib. 2. de arca mystica Noë c. 4.

11 Verùm si, quod absit ominari, esse refractarij cœperimus; si sanctè à Deo præscripta cõtemnere, si eius sacra imperia humanis iussionibus metiri; paullò pòst videbimus, cum igne aquam, terrã cum aëre, quæ maximè

 sibi

sibi contraria elementa sunt, sociali fœdere conspirantia in euersionem nostram, nostrumque interitum.

In die Iudicij elementa contra peccatores pugnabunt. Et verò quid aliud significat improperium illud, quod die nouissimo audituros reprobos idem Hugo Victorinus affirmat quàm armari iustissimè in homines sceleratos, neque iam diuini tantùm amoris, sed & timoris expertes, mundum vniuersum. Velim hoc recolant qui seculi rebus, bonis dico breuî perituris non vtûtur, sed abutuntur, & contra Deum conditorem, & largitorem illorum insurgunt. *Vox*, inquit Victorinus, *Comminantis est*, tum certè si vnquam audienda, *Ignis dicit, à me combureris. Aqua dicit, in me submergêris. Terra dicit, à me absorbeberis. Infernus dicit, à me deglutieris. Quia omnis creatura, sicut ex conditione sua homini famulatur, sic etiam peccatoribus pro malorum meritorum conscientia comminatur, vt in singulis creaturis perpeti timeant quod se meruisse cognoscunt.* Dura hæc, & vel ipso auditu aspera, sed qui ad omne Dei imperium peruicax obduruit, talibus se dignum hostibus, talibus dignum fecit suppliciis.

Hugo Victorinus. Ibidem.

Vnius peccatum sæpè multi luunt. 12 Iterum ad rem nostram propiùs. Quod hîc videtis ob vnum IONAM in præsentissimum discrimen adduci multos, nec primum fuit, nec vltimum. Nam vt ait Lyricus.

Horat. lib. 3. Car. ode 2.

——*Sæpè Diespiter*
Neglectus, incesto addidit integrum.

Debuissent, si benè sibi cautum volebant, ij quorum ex officio intererat, cauere sedulò, ne quis improbus communis nauis exciperetur hospitio; quippe hac ratione futuri securi; alioquin vel alienum ob crimen anxij semper, neque vnquam sine metu. Quamquàm nec ea prosit anxietas neque vtilis sæpè sit timor; vti hîc patuit, quando tota periclitata est nauis. At quænam? *Illa*, inquit D. Hieronymus, *quæ periclitantem susceperat.* Ob hunc *vento maria concitantur, in tranquillitate tempestas oritur.* Idque, vt idem affirmat Hieronymus, quia *nihil Deo aduersante securum est.*

Hieron. Comment. in hunc locum.

13 Quare prorsus cauendum Regibus, Principibus, Senatui tam politico quàm sacro, ne quos patiantur inter suos, quorum aliis noceat improbitas, & ob quos deinde grauibus pœnis suppliciisq; cuncti subiaceant. Vnus luat, atque, si necesse est, vnus pereat, potiùs quàm mille; vnum esse infelicem magis expedit, quàm vnius ergô, qui id commeruit, plures innocentes immeritos, aut perire, aut pati. *Non tolerandi in Republica mali.*

14 Quod de Regibus, Principibus, Senatoribus dixi, idem de Præfectis militiæ dictum quoque arbitremini. Nam & hos vigilare oportet, & cautè animaduertere, ne quos adsciscant in suos, proque defensione fidei, & regnorum iusta tutela, armis & gladio accingendos putent, qui dissolutis sunt moribus vitaque corruptâ: cùm hi, si iam fuerint signis adscripti, exauctorandi sint potius; quàm, si nondum adscripti, ad signa euocandi; ne improbitate suâ magis contra patriam pugnent, quàm armis pro patria. *Nec in castris milites scelerati.*

Verùm nunc non illorum modò toleratur improbitas; sed ferè quiuis miles militiæ titulo grassatur impunè: vt prorsus iterum verificatum nostro seculo appareat, vetus illud Ennij. *Militum huius temporis delicta & mores.*

——*Cauponantes bellum, non belligerantes.*

Dico amplius; vsque eò deuentum nunc est, vt quædam, quæ paulatim irrepsit, effrenis licentia multorum, etiam apud eos qui bellicâ laude floruerunt & florent, suntque virtutis aliquousque studiosi, generositas censeatur. Hinc illæ lacrymæ; hinc innumeræ, iam non hostium, sed domesticorum strages; hæc sæpè causa solutæ omnis disciplinæ militaris, fugati copiosissimi florentissimique exercitus, direptarum vrbium, prouinciarum, regnorum.

15 At inquies: tot inter hominum millia parum est pauculos aliquos videri nequiores. Profectò vel inter millena millia esse vnicum, mihi credite, nimiùm est multum. Nam si hodie *Ne vnus quidem tolerandus est malus.*

hodie vnus, cras duo, post dies pauculos decem, mox centum erunt, & mille: locum enim hîc habet quod dixit aliquando Iuuenalis.

Iuuenal. Satyra 2.

———Dedit hanc contagio labem,
Et dabit in plures: sicut grex totus in agris
Vnius scabie cadit, & porrigine porci.
Vnaq; conspecta liuorem ducit ab vua.

1. Cor. cap. 5. v. 6.

Et quod Corinthiis Paulus. *Modicum fermentum totam massam corrumpit.* Verè sic accidit, vnus dumtaxat nequior multos ex probis improbos facit. Igitur qui talis, secernendus est ne noceat; aut si nocere cœpit, tandem esse aliis noxius desinat.

Sicut ob vnum bonum, multa malis bona; sic ob vnum malum, multa bonis mala accidunt.

16 Mementote, si placet, ob vnum Loth ereptam communi incendio Segor, datam ob vnum Naman salutem Syriæ; ob vnum Iosephum seruatam Ægyptum; ob solum Iacob repletum copiosis benedictionibus Labanum; ob Paulum totam nauim, & in ea viros ampliùs ducentos septuaginta euidenti ereptos naufragio: nec mirabimini, ab eo qui vti clemens est & misericors, ita etiam iustus, vel ob vnum improbum, plures licet innoxios pœnis grauibus suppliciisque inuolui; atque hîc ob vnum Ionam agitari fluctibus nauem hominum multitudine refertissimam, eamque in extremum discrimen adduci.

17 Quid simile stupebat apud Virgilium Dido, quare indignata vehementer, exclamat.

Virgil. 1. Æneid.

Pallásne exurere classem
Argiuum, atque ipsos potuit submergere ponto,
Vnius ob noxam & furias Aiacis Oilei?

Sed meliùs agnouit citatus ab Aeschine Hesiodus: sic enim ipse.

Vnius ob culpam sæpè vrbs dabit integra pœnas;
Iustitiam spretis violat quæ legibus; inde
Supplicium iratus de tota Iuppiter vrbe
Sumit, & immittit miseris pestemq; famemq;.

Loquitur more suo, & quæcumque grassantur vrbe, atque orbe toto pœnæ mala, diis tribuit: nos summæ veri Numinis prouidentiæ, quam nunquàm non in hoc communi supplicij genere nouimus eluxisse.

Exempla, quibus ostenditur, multos ob vnum punitos.

18 Historias sacras, profanas, veteres recentioresque consulite, tam multa eius generis reperietis exempla, documenta tam multa, vt ex iis confici iustum volumen facillimè possit. Mihi quidem in præsens occurrit, ob vnius Sichemi stuprum Dinæ Iacobi filiæ illatum, omnes Sichimitas deletos; ob vnius Dauidis in censu populi habendo fastum & arrogantiam, adeò totâ Iudæâ pestem fuisse grassatam; vt extinctis iam hominum millibus septuaginta, cùm ipsa adhuc pluribus minaretur exitium, misertum populi sui Dauidem clamare ad Deum compulerit. *Ego sum qui peccaui, ego iniquè egi, isti qui oues sunt quid fecerunt?* Ob stupratam à sceleratis quibusdam hominibus atque impuris lenonibus Leuitæ coniugem, totam propè Tribum Beniamin de medio fuisse sublatam. Achamum memini, nescio quid rerum hostilium furatum, & turpis fugæ, & stragis ingentis suorum Israëlitarum auctorem exstitisse. Memini filios Heli sacerdotis, Ophni & Phinees, bello periisse non solos, sed cum gente sua, ingenti prælio à Philistinis profligata, Arcâ Dei captâ, parente quoque ad nuntium cladis fractis ceruicibus terræ illiso & mortuo. Si liceat etiam sacris profana miscere, memini Lacedæmonios memorabili clade ad Leuctra cæsos ob duorum adolescentium scelus. Sunt in sacris, sunt in profanis auctoribus eius generis plurima, quæ prolixum esset recensere. Citatur à quibusdam sanctus Ambrosius, affirmans, Sermone de Cathedra Petri, Apostolos propter Iudam fuisse tempestate iactatos, & verba illius referuntur. *Tranquillitas est, vbi solus Petrus nauigat, tempestas vbi Iudas adiungitur. Licet esset Petrus firmus suis meritis, perturbatur tamen criminibus proditoris. Vnius*

Genes. c. 34.

2. Reg. c. 24. v. 17.

1. Reg. c. 4. v. 18.

igitur

igitur delicto cunctorum merita quassabuntur. Verùm in operibus D. Ambrosij, excusis accuratè & eleganter Parisiis anno 1586. nullum ab eo habitum, scriptúmve sermonem de Cathedra hac reperio. Fortassis in loco citando fuerit ab auctoribus erratum, illud Ambrosij esse vix dubito.

19 At si quis dicat & queratur cum Patriarcha Abrahamo apud Dominum. *Nunquid perdes iustum cum impio?* quid respondebimus ei? Prorsus rectè facturū si fecerit, neque deesse causas cur cum nocentibus innocentes pœnis temporalibus plectat, supplicijs puniat. Has prosequitur more suo eleganter Nicolaus Serrarius, scribens in Iosue. Vna mihi hic instar erit omnium, vinculum societatis commune bonorum cum malis; siue in tota, qua longè lateque patet orbe vniuerso, Christi Ecclesia; siue in regno aliquo, aut ciuitate, aut etiā congregatione priuata, atque familia. Nam vt hæc suum singula corpus conficiunt; ita & membris pluribus constant. Si verò ob membri vnius languorem aut morbum, languere aut laborare reliqua omnia mirum videri non debeat; neque mirum videri debet, si vno peccante peccasse reliqui omnes, qui velut vnius corporis membra sunt, quodammodò censeantur; &, quod peccatum consequitur, iisdem omnes malis atque ærumnis subiaceant.

Gen. c.18. v.23.

Serrarius ad cap.7. Iosue.q.37

Causa cur interdum innocentes cum nocentibus puniantur.

Ex quo illud sequitur boni, vt cùm sibi quotquot sunt tali vinculo colligati, pœnam vel ob vnum sceleratū grauissimam metuant, mutuis etiam moribus inuigilent diligentiùs, caueantque ne quid irrepat per illum vnicū ob quod puniri omnes meritò possint. Quò spectat illud S. Augustini. *Apud eos qui talia metuunt disciplina sancitur, vt non solùm se quisque curet in populo: sed inuicem sibi adhibeant diligentiam, & tanquam vnius corporis & vnius hominis alia pro aliis sint membra solicita.*

Augustin. q.8. in Iosue.

20 Hinc videtis non immeritò, licet nos causæ lateant, quandoque periclitari familias, affligi vrbes, premi egestate Respublicas; bellis, cladibus, repentinis hostiū incursionibus vastari regna; vbi non vnus, sed plures peccandi licentiam, & quidlibet audendi libertatem impunè arripuerint; quæ tametsi vetera sint subinde, & à nobis obliuioni iam tradita, non idcirco à recētibus plagis immunia. Pœnis Maiorum nos posteri subdimur. Benè Iustus Lipsius: *Haredes commodorum pramiorumq́; si qua Maioribus debita sunt, esse volumus, cur onera recusemus & pœnas?*

Causa malorū communium sunt peccata.

Lipsius lib. 2. de Constan. c.17.

Delicta Maiorum immeritus lues
Romane.

Horat. lib. 3. Car. ode 6.

Canit Romanus ille vates, verè nisi quod addit, immeritus; meritissimò enim, quia meruere maiores; sed effectū videre Poëta potuit, non adsurrexit ad causam. Vt autem in vno eodemq́; homine iure in senecta atate delictū aliquod punimus admissum in iuuenta: sic Deus in imperiis ac regnis peccata vetera, quia externa cōmunionis ratione vnum quoddā Deo sunt & coniunctum. Interualla hac temporum apud illum nos non diuidunt, qui omnem aternitatem clausam habet in capaci sua mente. Hæc Lipsius.

21 Videte nunc quæso, an non iustæ sint causæ, cur hoc tēpore, & tam grauiter, & tam diu, & tot modis puniamur? vel vnius culpa hæc meruit, & longè grauiora; quid ergo merebitur iniquitas tam multorum? Olim deplorabatur vel vnius improbitas, vnius insania; vnicū vnius damnabatur crimen: faceret vtinam Deus immortalis, vt lethale hoc peccati virus tam exiguis nunc esset limitibus circumscriptum, & paucorum mentes depasceret, neque magnam hominū partem ne dicam potiorē conficeret.

Rari quippe boni; numero vix sunt
totidem, quot
Thebarum porta, vel diuitis ostia Nili,

Iuuenal. Satyra 13.

dixit Iuuenalis. Nescio an non idem nunc dicere possim. Nimiùm profectò multos habet asseclas illa peruicax licentia & lubentia. Dixit etiam suo tempore Beatus Saluianus Massiliensis Antistes; & nos longè melius

nostro

nostro id ipsum dicere pro dolor! possumus, cùm de bonis & qui iis immisti sunt malis, nobis, quemadmodùm illi, sermo inciderit. *Nunc pari vtriusque partis numero cōtenti sumus; & quid contenti? dicam, exultare nos potiùs, & tripudiare gaudio conueniret, si parilitas nobis ista contingeret.* Nimiùm etiam verè gemere possumus, cum eo dicētes vlterius. *Ecce in quid recidimus, ecce in quid post illam Christiani populi puritatem, quâ omnes quondam immaculati erant, ecce in quid redacti sumus, vt beatam fore Ecclesiam iudicemus, si vel tantillum in se boni habeat quantum mali? Nam quomodò beatam non arbitremur, si mediam plebis partem haberet innoxiam, quam penè totam nunc esse plangimus criminosam?*

Saluian. lib. 6. de Prouidentia.

Deserenda malorum consortia, bonorum sectanda.

22 Hæc ego cum Saluiano pro nostra ætate vehementer deploro. Moneo etiam singulos vestrûm, degētes in medio nationis prauę, velitis circūspicere sedulò quibuscū agatis, multoque magis quosnam ex iis quibuscum agitis in socios, amicos, cōtubernales, maximè verò in familiares, adsciscatis. Dixit ex Menandro Paulus:

1. Cor. c. 15 v. 33.

Corrumpunt mores bonos colloquia praua.

En quantum consuetudo collocutionesque familiariū possint. Placet mihi vehementer mens, dictum, & factum Regis eximij Dauid, cui ad cor redeunti omnis displicebat peccator; quæ causa cur dixerit: *Non habitabit in medio domus meæ qui facit superbiam. Superbo oculo, & insatiabili corde cum hoc non edebam.* Verebatur nempe vir vir sanctus, prudens & sapiens, ne agens cum superbo indueret quoque superbiam. In quo semper quidē magnum, & satis propinquum periculū est; sed multò adhuc maius, multoq; propinquius, cùm quis familiarē suū, domesticū suum, nec superbum, nec in Deum impium, nec hostē veritatis, licet sit quàm maximè talis, deceptus externâ probitatis specie, cognoscit; nihilque minùs quàm fraudem metuens, eundem colit, veneratur, complectitur, vt amicum syncerum, qui ne quidem vulgari est dignus alloquio, nedum amicitiâ priuatâ.

Psal. 100. v. 5. & 7.

23 Porrò est hoc æuo nostro perditissimo heu nimiùm frequens, quòd homines quidā perditissimi insinuent se in amicitias quorūdam, etiam magnatum. Alij etiam, qui nihil altum sapiunt, non tantùm insinuant, sed ingerunt sese & familiares esse contendunt quibusdam, quos primò adulationibus palpant, deinde dementant. Alij etiā importunè sese, vt sic dicam, intrudunt in bonorū obsequium, & agunt velut amici cùm sint hostes occulti, atque sub vestimētis ouium lupi, qui sicut facti sunt suarum cupiditatum mancipia iam pridem, illisque procul à recto abducti, iam hærent in cœnosita facere alios quoque ex liberis seruos, & paulatim abducere à via virtutis contendunt in sordium volutabrum, ac nescio qua voluptatula inescatos paribus secum culpis, mox etiam pœnis inuoluere.

Mali cum bonis agūt, vt eos seducant.

Subdola hæc sceleratorum hominū fraus piâ sapientiâ prudentique industriâ facillimè vincitur, maximè cùm ad eam quædam fortitudo animi, obsequium qualecumque à diuinis vel leuiter auocans, generosè repudiantis, accesserit.

24 Quamquàm verò omnis improborum cōsuetudo noxia; nam secūdùm illud Dauidicum, *Cum peruerso peruerteris*: tamen nulla æquè ac eorum qui contra fidē peccant, & suum cum pertinacia tuentur errorē. *Hæreticorum* enim, vt D. Leo loquitur, *sermo serpit vt cancer, humiliter irrepunt, blandè capiunt, molliter ligant, latenter occidunt.* Cauēdi sunt igitur; nihilque est cum illis habendum cōmune, cùm sint in cōmunem parentem iniurij, ab eoque, atque ab omnibus Orthodoxis, lōgè se segregent. Docuit nos hoc verbo, docuit exemplo suo, tam carus Domino, adeoq; pro ipsius honore & gloria insigniter vbique depugnans S. Ioannes. Hic namque, vti ex ore eorum, qui id à B. Polycarpo Martyre Ioannis discipulo audierunt, refert Irenæus, aliquando Ephesi in

Hæretici vitandi S. Ioannis exemplo.

Psal. 17. v. 27.

Leo ser. 5. de Ieiunio X. mensis.

Irenæus lib. 3. aduersus hæret. c. 3.

in balneum ingressus, vbi Cherintus hæreticus lauabatur, ad eius conspectum exiliit protinus, dicens; timere se ne balneum concidat, in quo sit Cherinthus hostis veritatis. Quid ni timeamus etiam nos, ne domus, templa, vrbes concidant, in quibus pietatis, religionis, diuini cultus, adeoque ipsius Numinis hostes cōueniunt; vbi pro supplicibus votis ac precibus, non nisi voces impiæ personant.

Sensus Ecclesiæ de hæreticis.

25 Meritò proinde secundùm D. Hieronymum sibi plaudit, & gratulatur Ecclesia, sponsoque suo cælesti gratias agit, quòd ab iis liberata, in securo posita, conseruataque ibidem fuerit. *Protexisti me*, inquit, *à conuentu malignantium, à multitudine operantium iniquitatem.* Quid ita? *Exacuerunt* enim *vt gladium linguas suas*: quando scilicet apertis sermonibus, dicteriis, concionibus impetiuerunt me. *Intenderunt arcum rem amaram*: quādo per insidias occultamque malitiam multa spargentes venena, multa noxia disseminantes, innocentium filiorum meorum mentes vulnerarunt, peremerunt. Quare idem Hieronymus, exponens illud Christi Domini apud Matthæum, *Attendite à falsis Prophetis*, ait: *Hoc specialiter de hæreticis intelligendum, qui videntur continentiâ, castitate, ieiunio, quasi quadam pietatis se veste circumdare: intrinsecus verò habentes animum venenatum, simpliciorum fratrum corda decipiunt.*

Psalm. 63. v. 2.

Matthæi c. 7. v. 15.

26 Hæc hactenus ex occasione peruersi IONÆ hærentis in naui ob quem paullò antè excitatam tempestatem vidimus.

Varia quæ hominem impetunt tempestates describuntur.

Subinde, non secus atque in mari, etiam in humanis mentibus tempestas, & quidem grauissima exoritur, eaque ex vario capite varia ac multiplex. Nonnunquàm enim hominem angustiæ conscientiæ prauæ, & synderesæos morsus continui quiescere non sinunt, omnem illi tranquillitatem adimunt, motusque excitant turbulentos. Nonnunquàm tecta aliquamdiu scelera erumpunt, adiutoribus prauarum cupiditatum & libidinum sociis; ita vt iam pudeat non esse impudentem, & illa tempestas minor non est: Nonnunquàm sicut sæpè alia ex alia tempestas nascitur, ex his afflictionibus morbi oriuntur, qui ita corpus atterunt & labefactāt, vt periclitetur conteri, id est, vt propè veniatur ad fores mortis.

Quid in his tempestatibus tam molestis, tam periculosis, quando non modò opum, famæ & nominis, sanitatis & corporis, sed animi quoque, nisi sedatæ fuerint, timetur naufragium, facto est opus? Harum aliquam sibi qui senserit imminere, magis etiam si iam experiatur exortam, & concitatam in se, vt euadat illæsus causam indaget; & ad primam originem reuocet vniuersa, ac culpas posteriores esse priorum pœnam; inquietudinem verò quam patitur, & priorum & posteriorum supplicium agnoscat, se fugisse, & etiamnum fugere à facie Domini intelligat: tum verò vitæ morumque honestate, virtute, religiosâ diuinorum mandatorum obseruantiâ, ad eum à quo fugerat reuertatur. Ita subsident aduersi venti & veniet desiderata tranquillitas.

Remedium ad illas sedandas.

27 Optandum sic sapiamus, sic agamus omnes; putemusque, quæ hîc patimur mala, corporis sint siue animi nil interest, non obuenire nobis casu fortuito, sicuti dici solet,

Sæpè alias aliter, & tunc sic forte cucurrit,

sed certa dispositione diuina. Nam reuerà quoties aut cædimur, aut premimur, toties monemur à Deo, aduersitatibus velut nuntiis quibusdam in ministerium missis, *Propter eos qui hæreditatem capient salutis.* Hinc licet interdum, cùm in peccatorum velut scopulos impegimus, congesserimus calamitatum ingentem quodammodò aceruum, quo subitò obruendi & suffocandi videamur; Deus tamen, pro singulari sua bonitate immensaque clementia, nos nimiùm premi non sinit, neque tentari suprà quod possumus: *Sed facit cum tentatione*

Ad Hebr. c. 1. v. 14.

1. Corint. c. 10. v. 13.

tione prouentum, vt possimus sustinere.

Tempestas contra Christum grauissima excitata est.

28 Quod miremini etiam in typicum IONAM, in CHRISTVM inquam, qui nunquàm fugere à facie Domini aut potuit, aut voluit; *Quoniam peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius*; immanis est excitata tempestas, eoque immanior, quò magis innocens fuit atque innoxius. Hæc cœpit; cùm, vt ait Rupertus Abbas, ob prædicationem illius factus est motus ingens animorum magis quàm corporum. Vnde illa deinde accusatorum calumniantium vox scelerata & perfida. *Commouit populum, docens per vniuersam Iudæam incipiens à Galilæa.*

1. Petr. c. 5. v. 22.

Lucæ c. 23 v. 5.

Increuit hæc ipsa tempestas ampliùs; cùm, vt notauit Remigius Antisiodorensis, Iudęi furere cœperunt, & postulantes eum ad necem, plenis vocibus clamare, *Crucifige, crucifige.*

Lucæ c. 23 v. 21.

29 Tantam hanc in Christum tempestatem, quæ tandem illum morti tradidit, venti quatuor totidem plagis emissi suscitarunt.

Describuntur 4. venti, qui Christum impetierunt.

Primus supernè è cælo exoriens, voluntas æterni Patris; qui sic humano generi pereunti pro sua bonitate & munificentia succursum voluit: vt pateret, *Quia apud Dominum misericordia & copiosa apud eum redemptio.*

Psal. 129. v. 7.

Secundus infernè ex ipso terræ centro prodiens, malitia diaboli; qui Iudæos & Iudam, ac ne quid deesset, etiam Gentiles animauit in Christum. *Quid sibi vult*, inquit B. Petrus Chrysologus, *confusa ventis procella? nisi diabolum, qui cor Iudæ penetrans, Reges, gentes, populos, militiam, Iudices, marinos eleuauit & inflauit in fluctus; vt ascendentes & cadentes vndæ auctorem suum seculi peterent ad quietem. Audi vndas seculi, audi Prophetam dicentem. Quare fremuerunt gentes & populi meditati sunt inania? Astiterunt Reges terræ, & principes conuenerunt in vnum, aduersus Dominum, & aduersus Christum eius.*

Chrysol. Homil. 37

Psal. 2. v. 1. & 2.

30 Tertius dextrorsum spirans, Iudas Iscariotes vnus è duodecim Apostolis; sed perfidus, sceleratus, Domini sui proditor, qui primò quidem leui ex causa flauit non impetu tanto; leui inquam ex causa se illi opposuit; sed citra omne quod eidẽ inde creari possit necis periculum: mox verò fortiùs & pertinaciùs concitari cœpit, prodere nimirum genium & malitiam suam manifestiùs; cùm indignabundus, ad nobilissimi effusionem vnguẽti super pedes Domini factam per Mariam Magdalenam, in has voces erupit. *Vt quid perditio ista vnguenti facta est? poterat enim vnguentum istud vænundari plus quàm trecentis denariis, & dari pauperibus*: nec antè quieuit, quàm audisset eum, quem vendiderat & tradiderat, sacerdotum & seniorum iudicio condemnatum, & ad Pilatum Præsidem deductum. Tunc enim dumtaxat *Pœnitentiâ ductus retulit triginta argenteos*, & quod deerat ad complementum insaniæ, furore indignationis, & tempestate in seipsum conuersâ, *Proiectis argenteis in templo, recessit, & abiens laqueo se suspendit.*

Marci c. 14. v. 4.

Matt. c. 27 v. 5.

31 Quartus sinistrorsum magno erumpens impetu, fuere Iudæi; qui Christum ad instar turbinis circumdederunt vndequaque, inuaserunt, depresserunt, & oppresserunt. Continuerat ventus hic sese aliquãtisper; sed erumpere vehementiùs cœpit in consilio Caiphæ; deinde summo furore effundere impetum & rabiem suam; quando Paschalis solemnitatis aut immemores, aut contemptores, etiam tam sancto tempore, ad eum comprehendendum miserunt *Ministros suos cum laternis & facibus & armis*, nec destiterunt apud Pilatum accusare, & concitatâ voce clamare, *Tolle, tolle, crucifige eum*: donec tandem Pilatus, quem ipsi, vt D. Leo loquitur, *expetierunt executorem magis sæuitiæ, quàm arbitrum causæ, adiudicauit fieri petitionem eorum.* Cùm, vt idem Leo, *inter tot præiudicia, quem omnes vellent perire, non auderet ipse absoluere.*

Ioannis c. 18. v. 3.

D. Leo ser. 8. de Pass.

Matth. c. 27. v. 24

Quatuor his ventis omni ex parte sæuientibus, quid mirum si *mare ibat*

& intumescebat vſque eò, vt nauis periclitaretur conteri? quid mirum inter hos fluctus conclamatum de Chriſti agni innocentiſſimi vita fuiſſe, trepidaſſe nautas, Apoſtolos inquam metu turbatos, exanimatoſque quodammodò, hæſiſſe conſilij inopes? cùm de ſe non minùs quàm de Magiſtro ſuo actum crederent.

In Iudæos per Reges exorta tempeſtas eſt. Zeno orat. in Ionam Tom. 3. Biblio. SS. PP.

32 Quæ nos hactenus allegoricè Chriſto Domino, ea S. Zeno Veronenſis Epiſcopus ſynagogæ applicat in hunc modum. *Nauis typus eſt ſynagogæ; eius proretam ſacerdotale corpus accipimus; nautas Scribas & Phariſæos; iacturam vaſorum repudiationem Prophetarum omniumq. Sanctorum, quos ſynagogâ pulſos, Iudæi in damna ſalutis ſuæ indignis cædibus mactauerunt. Venti ſæuientes diuerſi ſunt Reges, qui Iudæam lugubri clangore tubarum, armorumq. fragore terribili, inſtantibus vndique præliorum procellis, miſerabiliter per totum orbem diſperſere terrarum. Mare autem mundus eſt iſte tumidus, fluctus eius Iudæorum populos & gentes accipimus, quia aduerſus Deum inaniter fremuerunt.* Hæc ille.

Variæ tempeſtates Eccleſiæ.

33 Sicut olim in ſynagogam exortæ ſunt tempeſtates; ita etiam modò in Chriſti nauem Eccleſiam; quam quotidie adhuc noui fluctus impetunt, nec vnquam qui impeterent defuerunt. Verùm, dicturi forſitan ſitis, impetant quid ei eſſe ab his diſcriminis poteſt, quando & per ſe firma eſt, & à tanta nautarum multitudine cuſtodita. Fateor illi firmitudo non deeſt, ſed neque nautarum copia, vtinam nec in illis aptitudo, curaque ſolicita. Bone Deus, timeo dicere quod veritas cogit, inter illos quàm multi vecordes, genio ſeruientes, temporalium cupiditate inflammati magis quàm lucro animarum; quàm multi omnium minimè illius ſacræ nauigationis, & rei nauticæ in hoc genere gnari; fortè etiam nonnulli, qui perſoluto naulo numerataque pecunia ingreſſi, magis vt præeſſent & dominarentur, quàm vt aliquando fluctuanti nauiculæ, & periclitantibus in ea opem operamque ſuam impenderent. Similium præſidio quo modo ſat tutos putabimus eos, qui turbulentum hoc mundi mare nauigant. Apage cum eiuſcemodi nautis, vectoribus, ductoribus. Certè ſicut nunquàm eſt ſedata tempeſtas, quin potiùs crebreſcentibus fluctibus inualuit magis, dum hæſit in naui profugus IONAS: ſic nec Chriſti nauem Eccleſiam fore in curſu ſuo tranquillam quietamque, ſed potiùs crebrioribus adhuc actam iri motibus, procellis, turbinibus arbitremini, dum in ea tales, quà laborando, quà remigando, &, quod nolim ſuſpicari, etiam ad clauum conſtituti aliqui, operam ſuam impenderint.

Tempeſtates contra particulares reſtruntur.

34 Præter illas communes Eccleſiæ tempeſtates, ſinguli quoque ſuas priuatas patiuntur. Canit Hugo Victorinus Sermone de B. MARIÆ VIRGINIS Natiuitate ex alio aliquo antiquiore, vt inſinuare videtur, ex quo neſcio, ſanè eleganter.

Hugo Victor. lib. c. Sermonum Ser. 4. Operum To. 1

Sæuit mare, fremunt venti,
Fluctus ſurgunt turbulenti,
Nauis currit, ſed currenti
Tot occurrunt obuia.
Hinc ſyrena voluptatis
Draco, canes cum pyratis,
Mortem penè deſperatis
Hæc intentant omnia.
Poſt abyſſos, nunc ad cælum,
Furens vnda fert phaſelum,
Nutat malus, fluit velum,
Nautæ ceſſat opera.
Contabeſcit in his malis
Homo noſter animalis:

Contra illas remedium.

Quid hic remedij? ſuggerit idem Victorinus ibidem præſentiſſimum remedium cùm ait: *More nautarum fundamus ſemper preces ad Beatam Mariam, & ad eius filium.* Porrò quomodò id facere debeamus, docent nos verſus ſequentes eiuſdem rhythmi

Tu nos mater ſpiritalis
Pereuntes libera.
IESV *ſacri ventris fructus,*
Nobis inter mundi fluctus
Sis via, dux & conductus
Liber, ad cæleſtia.

Tene

Tene clauum, rege nauem,
Tu procellam sedans grauem,
Portum nobis det suauem
Pro tua potentia.
Ex te natus, nobis datus,
Qui Deus regnat beatus
Per immensa secula.

Proderit periclitantibus & fluctuantibus inter aduersa plurima, sic Christi, sic B. Virginis opem implorasse, & fecerit rectè, quisquis sic eam implorarit quotidie.

Boni maximas tempestates patiuntur.

35 Est adhuc quod disquiram, antequàm hodie tumultuosum hoc, in quod cum IONA deducti sumus, pelagus deseramus. Quî nimirum fiat, vt ferè quò quis sanctiùs viuere instituit, eò vehementiores in se tempestates & fluctus, auctore suasoréve, seu per se seu per suos diabolo, videat exurgere. Mirum id nobis videri posset nisi diu anteà ab Ecclesiastico moniti audiuissemus. *Fili accedens ad seruitutem Dei, sta in iustitia, & timore, & præpara animam tuam ad tentationem.* (Ecclesiast. c.2.v.1.) En quomodò non modò molestias, incommoda, ventos aduersos, auram minùs fauentem & placidam denuntiet, etiam optimis Dei amicis Siracides; sed & tentationes, quibus maior in animo iusti suscitari tempestas non potest. Hanc censent illi, & meritò, inter persecutiones omnes à quouis hoste terrâ maríve metuendas, longè maximam; hac tentationum tempestate, velut apparitore, vtitur Deus, vt omnes, omnes, ad tribunal suum accersat, & sistere ibi se iubeat. Neque est, aut erit facilè quispiam, qui huius importuni satellitis manus euadat, dicente ad discipulum suum Timotheum Paulo: *Omnes qui piè volunt viuere in Christo Iesu persecutionem patientur.* (Ad Tim. Epistol.2. c.3.v.12.) Quod ita verum esse, ita reipsâ vsuque comprobatum arbitratus est Augustinus; (August. in Psal.55.) &, ni fallor, plus quàm ducentis ante eum annis Tertullianus; vt asserere non dubitauerint, pro imperitiorum institutione aliqua, se beatos arbitrabantium quòd tribulationibus careant: *Si putas te non habere tribulationes, nondùm incœpisti esse Christianus.*

Nemo à tentationibus immunis.

36 Demus nunc, quod perrarum, afflictionibus, omnique priuatâ molestiâ carere quempiam: is fortè paullò pòst longè alia, his grauiora, iam tantisper immunis à vulgaribus illis, persentiet. Quænam hæc? persecutiones domi forisque, nec facilè modum posituras. Miramini quod dico, & fortè exclamatis taciti, Bone Deus! domi persecutiones? nugas narras. Nugas non narro, veritatem dico, domi persecutiones, & tertium repeto, persecutiones etiam domi. Mentiar, si non sit id hodie persæpè videre, cùm quis à vita licentiore liberioreque ad Christianam modestiam moresque compositos transire contendit; multoque potiùs, cùm ad Religionem iam factus perfectionis studiosus appellit animum: vix enim hoc vultu verboque prodidit, cùm subitò esse domesticis, esse extraneis, notis ignotisque omnibus, ad quos hic deuenerit nuntius, ludibrio incipit. Hoc parum: succedunt paulatim grauiora, maledictis impetitur, iniuriis lacessitur, contumeliis proscinditur, vt verè vnius amore virtutis, insigni fortitudine opus sit ei, qui sic animatus etiam inter suos degit: quò secundùm illud Tertulliani, *Fatigetur aliena improbitas patientiâ eius.* (Tertull. lib. de Patientia.c.8) Neque ferè alius huic tempestati sedandæ modus certior, securior, opportunior.

Hostes domesticos habent sæpè, qui esse desiderant boni.

37 Intereà huic afflicto tantoperè à suis, non in extrema parte solatij est bona securaque conscientia: nihil namque æquè serenat animum exortâ iam tempestate paululùm turbidum, quàm, quod norit is qui patitur, ea quæ patitur, nullâ se suâ culpâ pati, neque alterius nisi vnius Dei amore & vitæ æternæ mercede sustinere; futurumque aliquando vt redeat Domino imperante tranquillitas. Quare discit animi quadam eximia magnitudine, hæc contemnere, quando etiam omnia ex tunc aspernari

In tribulationibus magnum solatium bona conscientia.

Remedia in tribulationibus opportuna assignantur.

Horatius lib. 3. Car. Ode 6.

De tenero meditatur vngui.

subinde annis iuuenis sed iudicio & sapientiâ maturus & senex. Iniurias igitur & opprobria tanti non facit, vt putet mereri pro iis reponi à se verbulum; sed obtrectatoribus omnibus maior, quidquid audierit, æternâ obliuione sepelit, de se triumphator & victor.

38 Si quis tamen imbecillior, neque ignarus

Horatius in Arte.

——Quid valeant humeri, quid ferre recusent,

sibi ab eiuscemodi tempestate metuit; vbi præsertim increbuerint venti tentationum, elatique in altum fluctus; continuò, quò sit securior, quando se tueri aliter non potest, spei anchoram in terram firmam, in Dominum Iesum Christum Seruatorem nostrum iaciat, atque aliquando eripiendum se periculis, eripiendum tempestatibus credat. Si nec sic optata succedat malacia, tum planè opus, vasa eiiciat, iacturam mercium faciat, nauem alleuet, omnem inquam curam rerum seculi ponat, præsentia, vt mox peritura, spernat; futuris, vt quæ æternùm duratura, mente adhæreat, eoque statim præuolet gressibus immortalis animi, quò paulatim gressus mortalis corporis ducunt. Vno verbo cælum intueatur; putetque, quod generosa septem Machabæorum mater, filio suo iuniori, prioribus sex iam morte gloriosa defunctis, eundem ad moriendum similiter pro patriis legibus animans dixit: idem optimam matrem suam sanctam Ecclesiam sibi quoque suggerere, dicereque verbis iisdem. *Peto nate, vt aspicias ad cælum, & terram; & ad omnia quæ in eis sunt; & intelligas quia ex nihilo fecit illa Deus, & hominum genus; & ita fiet vt non timeas carnificem istum.* Sed neque carnifices mille, neque hostium mille milia. Addo nihil etiam malorum, quantumuis grauium, grauiter senties; ac tametsi de fortunæ bonis, honore, fama, vita ipsa agatur, curabis: in hoc firmus & constans, pro Dei honore atque illius vnius gloria viuere & mori fortiter; vt qui deinde gloriosiùs sis triumphaturus, quò in maiori certamine generosiùs & fortiùs dimicaueris, alacriùs & constantiùs viceris.

2. Mach. c. 7. v. 28.



LECTIO

LECTIO OCTAVA.

ET TIMVERVNT NAVTÆ, ET CLAMAVERVNT VIRI AD DEVM SVVM. *Vers. 5.*

ARGVMENTVM.

Narrantur nautarum & nauigantium incommoda & pericula; quorundam etiam felicitas. In periculis Deum inuocandum docetur; athei impugnantur. Contra Lutherum & Sectarios Sanctorum cultum non esse idololatriam probatur. Felicitatem nimiam sæpè Dei obliuionem inducere; afflictiones verò frequentiorem ad Deum recursum à nobis quodammodò extorquere ostenditur.

Ad Dei cognitionem & pœnitentiam venti, tempestates, tonitrua homines mouent.

1 NIHIL est prorsus, quòd hominum, tametsi impiissimorum, & Deum vel non agnoscentium, vel non timentium, mentes superbas fastuque elatas conturbet ampliùs, prosternat, & conterat; doceat etiam deponere superbiam, & quantumuis inolitos mores improbos in meliores commutare, Deoq; promptissimè obsequi: quàm subita aliqua & valida maris tempestas, ventorum tumultuosus fragor, longè lateque reboantia cæli tonitrua, emicantia fulgura, terræ tremores motusque horribiles, vel quid simile ad significationem potentiæ suæ immissum à Deo. Factum enim hac ratione non semel nouimus, vt qui non erant vllo modo flexiles, & ducibiles in viam virtutis; sed potiùs, vt verbis sacris vtar, videbantur *Venundati vt facerent malum*, resipuerint; & certas sibi Christianæ vitæ leges, qui sine lege eatenus vixerant, ponere instituerint, seruandas susceperint, & seruarint.

1. Macha. c.1.v.16.

2 Sed & alios nouimus, qui cùm in tanta rerum conditarum, quæ nobis versantur ob oculos quotidie, pulchritudine, varietate, excellentia, earum Cōditorem non agnouissent, multò minùs eum debitis fuerant laudibus, honoribus, amoribus prosecuti; motos paullò pòst fragore tonitruum, ventorum, turbinum, fluctuum, tempestatum, terræ motuum, quodammodò volentes nolentes, ad Dei agnitionem, timorem, cultumque: & vel sic necessitate quodāmodò compulsos, didicisse flexo poplite, atque supplici prece, humiliari sub potenti manu illius, dareque tandē Domino suo victas manus.

3 Id cùm sæpè aliàs, tum etiam hîc factum; quando obortâ tempestate TIMVERVNT NAVTÆ, ET CLAMAVERVNT VIRI AD DEVM SVVM. Porrò tempestatis & periculorum præsentium magnitudinem non poterat meliùs Propheta noster exprimere; quàm si diceret, nauim periclitatam conteri, timuisse nautas, clamauisse viros ad Deum suum.

Nautæ certè, vt nostis, durum hominum genus, & laboris iuxta, ac periculorum patiens, crebris magnisq; tempestatibus assueti, facillimè contemnunt omnia: hinc ferè omnē aliorum timorem, tametsi iustū, eludunt. Quare vbi timere etiam ipsi cœperint, facilè timidiores alios in maiorem metum inducūt; estque illorum

timor communi omnium sensu, vti etiam à B. Cyrillo obseruatum, indubium magnæ tempestatis & periculi, vti notatum à Theophilacto, etiam deficientis animi, adeoque mortis proximè imminentis, argumentum.

Timoris nautarum in tempestate hac causa singularis.

4 Verùm quid nautas hîc adeò in timorem agit? Visa tempestas, aliis, quas plures viderant, quia longè dissimilis, longè etiam ampliùs formidanda. Nam cùm eam ab irato Deo immissam crederent; prorsus arti, industriæ, conatui, laboribus suis diffidebant.

Nautæ plerumque miseri.

Libet hîc exclamare. O miseram nautarum & nauigantium sortem! quibus aut tranquillitas nimia est fastidio, aut tempestas periculo; serenitas, si obuenerit nequaquàm est commodo: quia nihil tranquillâ serenitate incertius; & si certa ad tempus fuerit, continuâ, quæ hanc ferè comitari solet malaciâ, nihil tædiosius. Scio, sicut in hoc rerum genere infelicitatis est plurimum & incommodi; ita etiam subinde esse felicitatis aliquid, sed quod magno labore ematur.

Columbi nauigatio & felicitas in ea.
Bisarus Hist. Genuensis lib. 16. in Principio. Iouius in Elogiis militaribus. lib. 4. Maffeius Hist. Indicarum lib. 1.

5 De Columbo Ligure referunt Petrus Bisarus, Paulus Iouius, Ioannes Maffeius, & alij; Hispali egressum, tribus non ampliùs instructum nauibus; quas, ab Emanuele Lusitaniæ Rege passus repulsam, continuâ & importunâ septem annorũ prece, tandem à Rege Castellæ Ferdinando extorserat; vbi Canarinas insulas petisset, & inde dierum aliquot velificatione esset in occasum progressus, Insulas reperisse nouas, quas Principes nominauit, eò quòd primę occurrissent, & in iis ingentes auri fodinas, dominum suum ditaturas.

Nautæ Hollandi mira peritia, & felicitas in nauigatione aliqua in Italiam.

6 Accepi etiam, quod nostrorum est temporum, ab Henrico Vweno nùper Ducatus Geldriæ & Comitatus Zutphaniæ pro Rege Catholico Cancellario, fuisse nautam, itineris quidem imperitum, nunquàm enim in Italiam nauigarat, imò nec eam viderat, sed artis nauticæ mirè gnarum, à Balthazare Robiano, tum mercatore inter præcipuos & opulentiores Antuerpiæ, deinde ærarij Principum Belgij summo Præfecto Bruxellæ, missum sub annum millesimum quingentesimum nonagesimum secundum, dum annonæ caritate laboraret Italia, in Liguriam, qui soluens Amsterodamo (portus is est, & emporium Hollandiæ nobilissimum, vnde etiam fuerat oriundus) Britannicum, Cantabricum, Occidentalem Oceanum, fretum Gaditanum, mare Mediterraneum prætereuectus & Corsicam inter & Italiam mare Lygusticum nauigans, densis tenebris, mediâ nocte bolide fundum explorans, iactis anchoris, nisi tabulæ fallerent geographicæ, vicinum se Genuæ asseruit. Nauigauerat continenter triginta, vti accepi, diebus; vento fauente & & feruente, ignarus locorum. Vix dies illuxerat, en Genuam ante oculos: ergo ingreditur; vendit frumenti aduecti bonam partem, ac Neapolim abit, vbi distractâ similiter parte alterâ, Belgium cogitans è portu Neapolitano soluit; primò quidem aduerso vento, magno sui suorumque discrimine; tali inquam ac tanto, vt nauigationem eâ aurâ ac vento suscipere, nemo non temeritatem diceret maximam, quam spectatura confluebat ad littus multitudo hominum, quasi ad fortunæ ludibrium, copiosissima. Hic ille, viginti & quatuor horarum spatio continuo, ante omnium oculos, non sine eorumdem horrore, Neapolim inter & Siciliam alternans ventis repugnantibus itu redituque minus felicem cursum, penè omni momento naufragio propior quàm saluti; tandem eâ felicitate, secundiore vento, è spectantium oculis euanuit; vt non modò plenis velis fortunaque prosperâ redierit ad suos in Belgium; verùm etiam ipso illo renauigato itinere, iterùm in Italiam Neapolim vsque: ibidemque, quod dictu mirum, quas abiens in portu reliquerat naues, omnes omnino (erant

ex

ex numero nonaginta) adhuc cunctantes, & auram nauigationi commodam præstolantes, denuò reperit.

Iter terrestre maritimo præferendum.

7 Fuerunt & alij nonnulli æquè fortassis felices, atque etiam magis: sed non est illa paucorum fortunâ communis nauigantium sors metienda. Ventis fidere, aquis barbaro sanè elemento se credere, nauigiis ratibúsve se & sua committere prudentis esse non dixero. Certè non id faciat me auctore, qui aliter possit.

8 Mecum sentiunt, & senserunt olim sapientes. Marcus Cato, referente Plutarcho, enarrans quædam minùs à se facta sapienter, inter illa & hoc recenset, aliquando nauigasse, quò pedibus ire licuisset; videlicet nauigantium pericula perpenderat, audierat, viderat.

Pericula nauigantium à variis memorata recensentur.

Audite de nauium inuentore, seu potiùs primo vsurpatore, loquentem Horatium; & videbitis quomodò eius damnet audaciam, quæ in illius imitatoribus non minor.

Horat. lib. 1. Car. Ode 3.

——Illi (inquit) *robur, & æs triplex*
Circa pectus erat, qui fragilem truci
Commisit pelago ratem.
Primus——

Ipsa illa pericula ritè perpensa impulerant aliquando Anacharsim, teste Laërtio, vt dubitaret num in viuorum, an mortuorum potiùs numero censendi essent qui nauigant: tanti illi videbatur discriminis vitam vndarum ac ventorum imperio committere.

Diog. Laërt. lib. 1. c. 9.

9 Nec minùs prudenter ab eodem dictum, cùm aliquando quærenti, quanta esset tabularum nauticarum spissitudo? responsum esset, quatuor digitorum: *Tantillum ergo absunt à morte qui nauigãt!* Quod in Poësim suam transferens Iuuenalis.

Iuuenalis Satyra 12.

I nunc (inquit) *& ventis animam committe, dolato*
Confisus ligno, digitis à morte remotus
Quatuor, ac septem, si sit latissima teda.

Hic si vidisset confectas naues ex viminibus, arundinibus, aliisque virgultis, de quibus ex Plinij historia naturali loquitur Thomas Garzoni, in libro quem Italica lingua scripsit, & inscripsit *Piazza vniuersale*, nuper à Germano quodam latinitate donato: vel, vt Herodotus, ex corio bubalino, quod etiam nostrâ memoriâ nõ diu ante inducias Belgicas, anno videlicet huius seculi quarto aut quinto, Bataui in Aduaticos, Dunkercani in Batauos vsurparunt, potissimùm in Aduaticos Bataui, qui aliquoties Schaldim nobile flumen, quod Antuerpiam alluit, iis non parũ infestarunt: si denique, quod maximè mirum, nauiculam ex solis compaginatam constructamque plumis, nullis interim adminiculis nauigationis carentem; non remis (erant ij ad pedum anatis similitudinem formati ex tenui lamina ferrea) non anchorâ, non gubernaculo, non velo, non vectore; qualem Brugis in Flandria anno huius seculi vigesimo tertio Senatui in flumine spectandam exhibuit ingeniosus nauta (vti aliquando à R. P. Ottone Zylio nostræ Societatis Sacerdote, viro in primis litterato accepi) iam non de quatuor digitorũ interstitio, sed longè minus quàm vnius; admiratione, timore, ac curâ solicitâ plenus, non immeritò exclamaret *Pro superi! tantillum absunt à morte qui nauigant!*

Naues ex corio, arũdinibus, plumis, confecta aliquandò.

10 Tam præsens nautarum ac nauigantium ex lintribus, ratibus, nauigiis malè compaginatis constructísque periculum; additis aliis plurimis, quæ nimis longum esset recensere, ex furore præsertim indomiti maris ac fluctuum, cogitent & recogitent, qui longa pelagi spatia transcurrere meditantur; & si quæ mente gerant oppansa aduersis littoribus vela, facilè ea subsidere, vti auguror, patientur, eligentque magis nisi res aliter ferat, prematque legem non habens necessitas, inhærere tuto littori, quàm dubiæ se carinæ concredere.

 11 Ad-

Mare fugiendum, nec nauigandum temerè.

11 Addo, quòd ampliùs nauigationem & iter maritimum molientes, deterrere ab eo possit, cùm ex me, tum ex ore Platonis, illius inquam, qui à suis diuinus aliquando nuncupatus. Ex me, vel idcircò videri mare fugiendum; quòd virtuti inimicum. Ex Platone, quòd improbitatis Magister; sic enim ab eo appellatur. Porrò sicut verissimum illud viri apprimè religiosi pronuntiatum; *Qui multùm peregrinantur rarò sanctificantur*, de quibuscumque, quocumque modo institutis peregrinationibus; ita vel maximè de maritimis. Quare ipse etiam Poëta Ethnicus non malè obseruauerat, quòd

Thom. à Kempis lib. 1. de Imit. Chr. c. 23.

Cælum non animum mutant, qui trans mare currunt.

Horat. lib. 1. Epist. epist. 11.

Ex quo vobiscum statuatis, mutare eodem cælo animum potiùs, quàm eodem animo cælum, emolumento non magno.

At de his satis: ne cum nauigantibus vlteriùs quàm oporteat velificare velle videar.

12 Visâ trepidatione nautarum de communi calamitate anxij CLAMAVERVNT VIRI AD DEVM SVVM. Nec mirum hoc eos fecisse, cùm omni tempore etiam Ethnici sic facere tali occasione & loco solerent. Hinc ille Poëta:

Hor. lib. 3. ode 29.

Non est meum si mugiat Africis
Malus procellis, ad miseras preces
Recurrere, & votis pacisci,
Ne Tyriæ, Cypriæq; merces
Addant auaro diuitias mari.

Sententia est Rabbi Salomonis, nauim hanc IONÆ ductricem homines eâ nauigatione complexam è nationibus septuaginta. Liberaliùs hoc, meo quidem iudicio, asseruit Rabbinus, & faciliùs, quàm probauerit: id enim quo pacto constare illi nobísve possit non video. Equidem fateor, non omnes eiusdem aut religionis fuisse, aut gentis: innuunt hoc apertè sacræ Litteræ, & clariùs adhuc nostro Interprete 70. qui pro eo quod nos habemus, *Clamauerunt viri ad Deum suum*, transtulerunt, *Clamauerunt quisque ad Deum suum.* Verùm de tanta nationum multitudine nec illi meminerunt, de qua certè non potuerunt nisi præsentes testari.

Socij nauigationis Ionæ varij ex variis gentibus fuerunt.

13 Paulus Palatius inter ceteros populos recenset Phœnices, Philistæos, Ægyptios, Amalechitas, Iudæos, quorum singuli ad Deum suum deósve confugerint. Ad Dagonem alij, alij ad Baalim, ad Apim, ad Beelphegor; vti, si fortè ibi Ammonitæ, ad Moloch, Sidonij ad Astartem, Gazæi ad Marnan, ad Chamos Moabitæ; Pœni ad Solem & Lunam, Ioppenses, vnde nauis soluerat, quibus, vt auctor est Plinius, Derceto colebatur mater Semiramidis, ad deam suam, alij etiam ad nescio quæ alia deorum monstra singuli in suis ponentes fiduciam, à suis auxilium præstolantes. Sed rectè Benedictus Arias Montanus, quantò melius est in necessitate ad Deum confugere; tantò peius veri Numinis, quod inuocari debeat, notitiâ carere.

Singuli suum Deum aut deos inuocarunt.

14 Est ergo insania longè maxima, pro vero Deo falsos agnoscere, eos inclamare, deprecari, sibi in subsidium deposcere; sacro cultu, diuinis honoribus venerari; inde oracula præstolari, qui inuocati crebriùs, rogati instantiùs non magis audiunt, & exaudiunt; quàm olim Baal; cui cùm à manè ad meridiem totum sacerdotum Collegium supplicasset, cultris quoque atque lanceolis, eum iam feruentiùs adoraturi, sese singuli laniassent, *Non erat vox, neque qui responderet:* neque verò esse poterat, dicente verissimè Dauid: *Simulacra gentium argentum & aurum, opera manuum hominum. Os habent, & non loquentur; oculos habent & non videbunt; aures habent & non audient.*

Cultus falsorum deorum stultus, & inutilis.

3. Reg. 18. v. 26.

Psal. 113. v. 4.

15 Fuerunt quidem, vt satis apparet, neque inficiari quis potest, in naui hac diuersæ sectæ supersti-tionis-

Non puniuntur in naui cum Iona nauigantes idolatræ.

Idolatræ; sed ipse à Domino profugus. tionisque homines alia atque alia colentes idola; non tamen, quod obseruatu dignissimum, ob idololatras illos, quantumuis inuisos Deo, sed ob vnum fugitiuum Prophetam, illa tam immanis est excitata tempestas. Non quòd idololatrarum culpa non fuerit IONÆ crimine longè maior & grauior, Deoque non displicuerit; displicuit sanè quàm maximè: sed quòd IONÆ fugientis crimen in præsens corripi corrigique, habitâ salutis Niniuitarum ratione, oporteret; idque Dominus, pro sua prouidentia, factum nunc hac tempestate vellet, alteri vti pœnæ, ita etiam tempori, idolorum cultum & cultores reseruans.

Lutherus religiosorum habitus & Ecclesiæ ceremonias damnat. In 1. cap. Ionæ. 16 Declamant hîc, veriùs dixero debacchantur, in Catholicos hæretici horum temporum; atque in primis eorum coryphæus Lutherus in Religiosorum diuersos habitus; credo ad facti sui defensionem, quòd eorum aliquem ipse aliquando exuerit, & dimiserit, eoque magis hi inuisi desertori pessimo facti sint. Nec minùs in sacros Ecclesiæ ritus ac ceremonias, quasi superstitione falsoque atque inani cultu plenissimas. Ipsum deblaterantem audiamus. *Papistæ* (inquit) *illam varietatem, & tantum splendorem caremoniarum in templis, tot sectas, tot cultus, tot genera vitæ inuenerunt, quibus inseruiant, & placeant Deo; cùm nunc talis Deus, tale Numen nusquam sit, quod eiusmodi rebus delectetur.* (Luherus in 1. cap. Ionæ.)

Lutherus ex dicto hoc suo impio atheus ostenditur. 17 Non tantùm hæreticus, sed etiam atheus hîc factus videtur Lutherus: certè qui à Deo immutabilitatem tollit, æternitatem tollit; & qui æternitatem, ipsam etiam, vt sic loquar, deitatem. Fuit, secundùm Lutherum, aliquando Deus, qui hoc genere rerum delectatus sit. Nam cùm *Nunc* non delectari affirmet, delectatum aliquando oportuit, vel frustrà dixit, quod dixit. Si olim, cur non modò? aut quando demum mutatus est? quod dum rogo, simul rogo, quando Deus, Deus esse desierit? Facit ergo similia comminiscens Lutherus Deum non Deum: neque curat impius hæresiarcha esse in Deum iniurius, non curat in eum æquè ac homines quidlibet effutire; dummodò habeat quò Orthodoxos calumnietur. Hoc enim agit, egitque studiosissimè, vt vapulet simul vterque, & Deus, & Dei amicus, idque tam linguâ maledicâ, quàm calamo nequam. Genius is omnium penè hæreticorum est, quiduis liberè deblaterare, & subinde verba vomere, quæ mustum & crapula, quibus madere plusculum solent, non benè decoxit.

18 Eo ex genere etiam est, similis omnino farinæ homo; Franciscus Lambertus Auenionensis, de quo, licet aliàs obscuro, faciam subinde mentionem, productis verbis illius, ex quibus cognoscatis quid hominis fuerit, quo inquam genio & ingenio. Ad Professionem quod attinet discipulus fuit Lutheri, & inter primos, magni à suis habitus, atque vt talis in Indice Chronologico ab Abrahamo Bucholcero eiusdem sectæ viro recensitus. Scripsit is in IONAM anno prioris seculi quinto & vigesimo, mortuus deinde trigesimo. Sed in scripto hoc suo non admodùm copioso, habet ferè quot verba, tot calumniosa mendacia, tot hæreses, totque simul eructat blasphemias. Nam post damnatos hoc loco eos, qui ad sua confugiebant idola audacter subiungit: *Quid minùs faciunt hodie, & fecerunt hactenus omnes, quos Antichristi factio seduxit.* Notat hac descriptione Catholicos, quos Antichristianos nominat à Romano Pontifice, quem simili commento Antichristum dixere heterodoxi, ipsimet præambulones illius, quem vocat Apostolus, *hominem peccati, filium perditionis,* nos ab operibus Antichristum, id est contrarium Christo. Hos ergo qui in vnitate Romanæ Ca-

(Hoc loco in cap. 1. Ionæ.) (In 1. cap. Ionæ.) (*Ioannes Lambertus omnes Catholicos facit idololatras.*) (2. ad Thessal. 2 v. 13.)

Catholicæ, Apostolicæ Ecclesiæ viuunt, cultores idolorum esse & haberi cupit Lambertus. At procul absunt ab omni cultura eiusmodi; cùm hanc, & quidquid vanæ est superstitionis, quidquid vnius veri Dei religioni repugnat & cultui, cane peius & angue oderint; proindeque omni contentione & studio præ ceteris quibuscumque auersentur & damnent.

Sed contrarium verum asseritur.

19 Pergit in suis ineptiis. *Nonne*, inquit, *habet quisque deos suos, & idola sua?* Dicat impudenter quidquid voluerit, Catholici nec deos habent nec idola: vnum solum Deum omnes sanctæ Romanæ Ecclesiæ filij agnoscunt, & colunt longè rectiùs quàm tui Nouantes Lamberte, quibus fortè secundus aliquis Deus est, congruente illorum plerisque dicto illo Apostoli, *Quorum Deus venter est*; solent enim fidæ hæreseos sociæ esse, crapula, & ebrietas; quibus qui seruit, ventrem Deum colit.

Ad Phil. c.3. v.19.

20 Subiungit: *Dei autem, à quo est salus, obliuiscuntur.* Quid ita? credo quia Sanctos adhibent deprecatores, ac mentis suæ interpretes ad Deum: hoc scilicet est sensu Lutherano & Lambertiniano obliuisci Deum. Vtinam non aliter obliuiscantur ipsi vitæ suæ improbitate, & obduratâ malitiâ; quando, vt ait Apostolus, *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant: cùm sint abominati, & incredibiles, & ad omne opus bonum reprobi.* Non potuisset magis viuis coloribus sceleratam eorum agendi rationem depingere: sic autem agere, quemadmodùm ipse hic scribit, nunquid hoc verè est obliuisci Deum?

Ad Titum c.1. v.16.

21 Qui semel perfricuit frontem, & amisso pudore ingenuo, ac honestate virtutis contemptâ, audacter mentiri cœpit, vt ferè hæretici omnes, illi vnum alterúmve mendacium non sufficit. Benè enim Iuuenalis

Hæretici impudenter mendaces.

——————*Nam quis*
Peccandi finem posuit sibi, quando recepit
Eiectum semel attritâ de fronte ruborem?

Iuuenalis Satyra 13.

Quare pergit magis strenuè quàm vnquam Lambertus. *Vouent*, inquit, *ad idolum Beatæ Virginis, aut alterius Sancti, quod in isto, vel in alio loco habetur.* Quin variis locis, temporibus, modis voueamus, oremus, supplicemus, atque etiam coram sacratissimæ Virginis Deiparę Sanctorumque imaginibus, non eo inficias; neque etiã diffiteor, has, quia pluribus locis illustriores miraculis, ibidẽ frequentari quoque ampliùs afflictorũ & egẽtium votis ac precibus: non tamen, tametsi hoc facimus, ad eorũ idola, vt ineptit ipse, recurrimus. Nam qui nec Sãctis vllis, nec Virgini Matri diuinitatem tribuimus, quomodò eorũ imaginibus pictis, fictis, sculptis, hanc tribuamus? Sed neque aut Deiparæ, aut Sanctorum imagines idola sunt: referunt hæ nobis eorum in cælis viuentium triumphantiumque modò, vti & olim nobiscum in hac mortalitate sanctè pieque agentium, sed longè feliciùs, memoriam. Has ergo eorum aut statuas aut imagines dum veneramur, dum coram illis vouemus, aliud non agimus, quàm rerum omnium Domino, in illorum, ad quos recurrimus, Sanctorum, quosque per statuas præsentes mentibus nostris exhibemus, honorem; vota nostra supplicationesque depromere. Dicere verò, à nobis truncis illis, lapideis, aut ligneis imaginibus pictis, aut fictis, aut cuicumque rei conditæ, adeoque hominibus quibuscumque vitâ functis, licet eorum animi beatâ immortalitate gaudeant, diuinos honores tribui, eaque Dei loco apud nos esse, tam exiguam habet speciem veritatis; vt nulli, nisi imperito admodùm, aut maleuolo qui aliter credere aut sentire nolit, id facilè persuaderi possit.

Sanctorum imagines ab hæreticis idola vocantur.

Neque deos, neque idola censeri, aut coli vt talia à Catholicis Sanctos, eorúmve imagines, ostenditur.

Explicatur cultus Sanctorum

22 Subiungit demum idẽ impostor mendaciorũ omnium mendacissimũ. *Deum non inuocant.* quæ causa? *Namq;*, inquit, *aduocatũ & mediatorẽ nostrum Iesum*

Colià Catholicis vel maximè Deum, contra Ioannem Lambertum, ostenditur.

Iesum Christum flocci pendunt. Bone Deus, quid est mentiri, si hoc non est! Quid agimus quotidie Catholici Sacerdotes, laicos taceo, matutinis, diurnis, vespertinis precibus, quàm Deum inuocare? vt verè apud nos omninò seruetur, quod voluit Christus Dominus, dicens: *Oportet semper orare & non deficere.* Quid agimus stantes ad aras, & sacrosancta Sacrificia offerentes, quàm Deum inuocare? & per innocentem Christi filij eius sanguinem, quem istic litamus, eum nobis propitium reddere? Certè nos illi sumus, qui vaticinium Malachiæ explemus; nam per Catholicos, *In omni loco sacrificatur, & offertur nomini Domini oblatio munda.* Vnde apparet æquè falsum esse, nos *Aduocatū ac mediatorem nostrum Iesum Christum flocci pendere*, ac quod antè dixit, *nos Deum non inuocare*; cùm in honorem ipsius, quod semel celebrauit ipse in ara Crucis pro mundi redemptione sacrificium cruentum; nos illius beneficij immensi memores, celebremus quotidie incruentum, illudque æterno Patri, per ipsum quoque sperantes & postulantes omnia, repræsentemus. Porrò illa tam iugis & continua eius memoria, abundè manifestat Deo, Angelis, & hominibus, quanti IESVM CHRISTVM mediatorem nostrum faciamus. Fecisset vtinam tanti eum aliquando Lambertus, meliùs cum ipso actum olim, meliùs nunc quoque ageretur.

Lucæ c. 18 v. 1.

Malachiæ c. 1. v. 11.

Cultus Sanctorū Dei cultum non minuit, sed auget.

23 Profectò in quo à nobis inhonorari eum nimis audacter obgannit, in illo vel maximè honoratur. Nunquid hoc est Regi aut Cæsari deferre plurimum, & illum magnis honoribus prosequi; si maiestatis plenum & dignitatis verearis accedere, alloqui timeas, nisi per amicos? sic nos Maiestatem reueremur diuinam, simul & colimus; cùm nimirum, antequàm Deum, aliquid ab eo postulaturi, accedamus, nobis eius amicos conciliare contendimus, horum idcircò impensiùs implorato fauore, quòd eos apud hunc ipsum posse plurimum (sicut verè possunt, tanquam fideles olim in Domini sui famulatu, ideoque hanc commeriti gratiam) non immeritò arbitremur.

24 Nihil ergo euicit hactenus contra Orthodoxos Heterodoxus: verba & voces maledicas ore impio buccinauit; rationis nihil, argumentorum nihil attulit, quo vinceret, aut stabilitam tot iam seculis Catholicam conuelleret veritatem.

Deum esse contra atheos clarum est.

Meliùs quàm ille nos, Atheos & nostrorum temporum politicos, contemptores inquam diuinæ prouidentiæ ac Numinis, arguunt ij, qui cum IONA nauigant. *Clamauerunt* namque, licet *ad Deum suum*; id est, tametsi quinam deorum inuocandus nescirent, Deum tamen esse, eumque inuocandum non ignorabant; neque enim, si secus arbitrarentur, ad eum clamarent. Docent igitur illi clamore suo vt clamemus etiam nos ad Deum, quem aliquem esse debere natura ipsa & res creatæ omnes loquuntur.

25 Certè tales aliquando repertos homines qui Deum esse non crederent, qui nullā eius prouidentiam, qui casu fortuito euenire omnia, etiam sapientiores ethnici mirabantur: quid non miretur modò Christianus, cadere in hominem, post lucem præsertim Euangelicæ veritatis, tantas tenebras; vt de Dei prouidētia, essentia, ac natura quis dubitet? Non potest reuerà in vllo, qui vsque eò desipit, esse vel tenuis scintilla, non dicam pietatis, sed vel rationis, aut luminis. *De hominibus*, inquit Marcus Tullius, *nulla gens est, neque tam immansueta, neque tam ferrea, quæ non etiamsi ignoret qualem Deum habere deceat, tamen habendum sciat.* Et hoc nesciet Christianus?

Cicero lib. 1. de legibus.

Pauci Deum esse ignorant; multi illā ignorantiam affectant.

26 Verè paucos omnino esse arbitror, qui nesciant; sed non paucos, qui licet sciant, tamen quodammodò scire nolint, vt peccent liberiùs, velut sub nullius ferula; aut Magistri manu minitantis supplicium; proin-

Catholicæ, Apostolicæ Ecclesiæ viuunt, cultores idolorum esse & haberi cupit Lambertus. At procul absunt ab omni cultura eiusmodi; cùm hanc, & quidquid vanæ est superstitionis, quidquid vnius veri Dei religioni repugnat & cultui, cane peius & angue oderint; proindeque omni contentione & studio præ ceteris quibuscumque auersentur & damnent.

Sed contrarium verum asseritur.

19 Pergit in suis ineptiis. *Nonne*, inquit, *habet quisque deos suos, & idola sua?* Dicat impudenter quidquid voluerit, Catholici nec deos habent nec idola: vnum solum Deum omnes sanctæ Romanæ Ecclesiæ filij agnoscunt, & colunt longè rectiùs quàm tui Nouantes Lamberte, quibus fortè secundus aliquis Deus est, congruente illorum plerisque dicto illo Apostoli, *Quorum Deus venter est*; solent enim fidæ hæreseos sociæ esse, crapula, & ebrietas; quibus qui seruit, ventrem Deum colit.

Ad Phil. c.3. v.19.

20 Subiungit: *Dei autem, à quo est salus, obliuiscuntur.* Quid ita? credo quia Sanctos adhibent deprecatores, ac mentis suæ interpretes ad Deum: hoc scilicet est sensu Lutherano & Lambertiniano obliuisci Deum. Vtinam non aliter obliuiscantur ipsi vitæ suæ improbitate, & obduratâ malitiâ; quando, vt ait Apostolus, *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant: cùm sint abominati, & incredibiles, & ad omne opus bonum reprobi.* Non potuisset magis viuis coloribus sceleratam eorum agendi rationem depingere: sic autem agere, quemadmodùm ipse hic scribit, nunquid hoc verè est obliuisci Deum?

Ad Titum c.1. v.16.

21 Qui semel perfricuit frontem, & amisso pudore ingenuo, ac honestate virtutis contemptâ, audacter mentiri cœpit, vt ferè hæretici omnes, illi vnum alterúmve mendacium non sufficit. Benè enim Iuuenalis

Hæretici impudenter mendaces.

———Nam quis
Peccandi finem posuit sibi, quando recepit
Eiectum semel attritâ de fronte ruborem?

Iuuenalis Satyra 13.

Quare pergit magis strenuè quàm vnquam Lambertus. *Vouent*, inquit, *ad idolum Beatæ Virginis, aut alterius Sancti, quod in isto, vel in alio loco habetur.* Quin variis locis, temporibus, modis voueamus, oremus, supplicemus, atque etiam coram sacratissimæ Virginis Deiparę Sanctorumque imaginibus, non eo inficias; neque etiã diffiteor, has, quia pluribus locis illustriores miraculis, ibidẽ frequentari quoque ampliùs afflictorũ & egẽtium votis ac precibus: non tamen, tametsi hoc facimus, ad eorũ idola, vt ineptit ipse, recurrimus. Nam qui nec Sãctis vllis, nec Virgini Matri diuinitatem tribuimus, quomodò eorũ imaginibus pictis, fictis, sculptis, hanc tribuamus? Sed neque aut Deiparæ, aut Sanctorum imagines idola sunt: referunt hæ nobis eorum in cælis viuentium triumphantiumque modò, vti & olim nobiscum in hac mortalitate sanctè pieque agentium, sed longè feliciùs, memoriam. Has ergo eorum aut statuas aut imagines dum veneramur, dum coram illis vouemus, aliud non agimus, quàm rerum omnium Domino, in illorum, ad quos recurrimus, Sanctorum, quosque per statuas præsentes mentibus nostris exhibemus, honorem; vota nostra supplicationesque depromere. Dicere verò, à nobis truncis illis, lapideis, aut ligneis imaginibus pictis, aut fictis, aut cuicumque rei conditæ, adeoque hominibus quibuscumque vitâ functis, licet eorum animi beatâ immortalitate gaudeant, diuinos honores tribui, eaque Dei loco apud nos esse, tam exiguam habet speciem veritatis; vt nulli, nisi imperito admodùm, aut maleuolo qui aliter credere aut sentire nolit, id facilè persuaderi possit.

Sanctorum imagines ab hæreticis idola vocantur.

Neque deos, neque idola censeri, aut coli vt talia à Catholicis Sanctos, eorúmve imagines, ostenditur.

Explicatur cultus Sanctorum

22 Subiungit demum idẽ impostor mendaciorũ omnium mendacissimũ. *Deum non inuocant*. quæ causa? *Namq;*, inquit, *aduocatũ & mediatorẽ nostrum Iesum*

Coli à Catholicis vel maximè Deum, contra Ioannem Lambertum, ostenditur.

Iesum Christum flocci pendunt. Bone Deus, quid est mentiri, si hoc non est! Quid agimus quotidie Catholici Sacerdotes, laicos taceo, matutinis, diurnis, vespertinis precibus, quàm Deum inuocare? vt verè apud nos omninò seruetur, quod voluit Christus Dominus, dicens: *Oportet semper orare & non deficere.* Quid agimus stantes ad aras, & sacrosancta Sacrificia offerentes, quàm Deum inuocare? & per innocentem Christi filij eius sanguinem, quem istic litamus, eum nobis propitium reddere? Certè nos illi sumus, qui vaticinium Malachiæ explemus; nam per Catholicos, *In omni loco sacrificatur, & offertur nomini Domini oblatio munda.* Vnde apparet æquè falsum esse, nos *Aduocatū ac mediatorem nostrum Iesum Christum flocci pendere,* ac quod antè dixit, *nos Deum non inuocare*; cùm in honorem ipsius, quod semel celebrauit ipse in ara Crucis pro mundi redemptione sacrificium cruentum; nos illius beneficij immensi memores, celebremus quotidie incruentum, illudque æterno Patri, per ipsum quoque sperantes & postulantes omnia, repræsentemus. Porrò illa tam iugis & continua eius memoria, abundè manifestat Deo, Angelis, & hominibus, quanti IESVM CHRISTVM mediatorem nostrum faciamus. Fecisset vtinam tanti eum aliquando Lambertus, meliùs cum ipso actum olim, meliùs nunc quoque ageretur.

Lucæ c.18 v.1.

Malachiæ c.1.v.11.

Cultus Sanctorū Dei cultum non minuit, sed auget.

23 Profectò in quo à nobis inhonorari eum nimis audacter obgannit, in illo vel maximè honoratur. Nunquid hoc est Regi aut Cæsari deferre plurimum, & illum magnis honoribus prosequi; si maiestatis plenum & dignitatis verearis accedere, alloqui timeas, nisi per amicos? sic nos Maiestatem reueremur diuinam, simul & colimus; cùm nimirum, antequàm Deum, aliquid ab eo postulaturi, accedamus, nobis eius amicos conciliare contendimus, horum idcircò impensiùs implorato fauore, quòd eos apud hunc ipsum posse plurimùm (sicut verè possunt, tanquam fideles olim in Domini sui famulatu, ideoque hanc commeriti gratiam) non immeritò arbitremur.

24 Nihil ergo euicit hactenus contra Orthodoxos Heterodoxus: verba & voces maledicas ore impio buccinauit; rationis nihil, argumentorum nihil attulit, quo vinceret, aut stabilitam tot iam seculis Catholicam conuelleret veritatem.

Meliùs quàm ille nos, Atheos & nostrorum temporum politicos, contemptores inquam diuinæ prouidentiæ ac Numinis, arguunt ij, qui cum IONA nauigant. *Clamauerunt* namque, licet *ad Deum suum*; id est, tametsi quinam deorum inuocandus nescirent, Deum tamen esse, eumque inuocandum non ignorabant; neque enim, si secus arbitrarentur, ad eum clamarent. Docent igitur illi clamore suo vt clamemus etiam nos ad Deum, quem aliquem esse debere natura ipsa & res creatæ omnes loquuntur.

Deum esse contra atheos clarum est.

25 Certè tales aliquando repertos homines qui Deum esse non crederent, qui nullā eius prouidentiam, qui casu fortuito euenire omnia, etiam sapientiores ethnici mirabantur: quid non miretur modò Christianus, cadere in hominem, post lucem præsertim Euangelicæ veritatis, tantas tenebras; vt de Dei prouidētia, essentia, ac natura quis dubitet? Non potest reuerà in vllo, qui vsque eò desipit, esse vel tenuis scintilla, non dicam pietatis, sed vel rationis, aut luminis. *De hominibus,* inquit Marcus Tullius, *nulla gens est, neque tam immansueta, neque tam ferrea, quæ non etiamsi ignoret qualem Deum habere deceat, tamen habendum sciat.* Et hoc nesciet Christianus?

Cicero lib.1. de legibus.

26 Verè paucos omnino esse arbitror, qui nesciant; sed non paucos, qui licet sciant, tamen quodammodò scire nolint, vt peccent liberiùs, velut sub nullius ferula; aut Magistri manu minitantis supplicium; proin-

Pauci Deum esse ignorant; multi illā ignorantiam affectant.

proindeque præ ceteris omnibus miserrimi. Illis, quoniam homines profligatæ prorsus sunt vitæ, & se salutemque suam sponte perditam cupiunt ad Deum & diuina surdi, confutandis arguendisque non immoror. Habent quem legant, si discere & sequi velint, eruditissimi Theologi Leonardi Lessij perelegantem libellum, æquè doctum ac varium, ante omnes aliquot editum typis Plantinianis, de Prouidentia Numinis, & Animi immortalitate. Ego meis contentus finibus, quod ad propositum facit, docere dumtaxat volui, nautas nostros, tametsi summæ illius sempiternæque veritatis ignaros, diuinam tamen prouidentiam, vt nunc multi, nequaquam sustulisse. Nam eâ suscitatam præsentem tempestatem, rursum etiam sedandam scientes, Numinis opem auxiliumque contentâ voce implorant; & rectè, si verum pariter Numen agnoscentes, ad illud, quod vnum omnia potest, confugerent. Neque enim re deploratâ humanitus, vllum est nisi in illo præsidium.

Describitur status periclitantium in mari. 27 Nauigantium, grauique in periculo inter maris æstus, non minùs quàm IONÆ cum suis in naui existentis, constitutorum discrimina enarrans, atque inopiam humani consilij in eiusmodi casibus exprimens David, ait: *Turbati sunt, & moti sunt sicut ebrius, & omnis sapientia eorum deuorata est.* (Psal. 106 v. 27.) quasi dicat, vsque eò deuenitur miseriarum, impendente iam naufragio; vt collabantibus animi pariter & corporis viribus, debilia sint in nautis æquè ac nauigantibus omnia, atque ante mortem continuò ob oculos versantem quodammodò emortua; vacillant pedes, nutat iudicium, ars omnis subito quodam stupore superueniente languescit. Huc cùm deuentum, quid spei, quid opis, quid faciendum suades Rex magne & sapiens? *Remedium periclitantibus in mari oratio.* dicet nobis quid fecerint filij Israël, vt ab illis discamus. *Clamauerunt*, inquit, *ad Dominum cùm tribularentur* (Psal. 106. v. 6.): videlicet in seruitute illa Ægyptiaca tot annis, tot iterum in molesta illa peregrinatione per desertum ad terram promissam. Sic & ipse in tribulationibus censebat faciendum. Censuerunt similiter & fecerunt Nautæ, & alij cuiuscumque conditionis ac ordinis, qui cum IONA communi nauigio velut captiui detinebantur, ad argonautæ imperium. O felices calamitates, quæ sapientes illos nosque faciunt! *Mala* namque, teste magno Gregorio, *quæ nos hîc premunt, ad Deum ire compellunt.* (Gregor.)

Felicitas nimia Dei obliuionem inducit. 28 Heu nimiùm facilè Domini Dei nostri obliuiscimur, si semper placidè nauigemus! si nusquam ad scopulos allidamur, si non subinde tempestatem immittat, quâ nos, velut in felicitate quadam perpete dormientes, excitet; ac sui nolentes volentes faciat meminisse.

Pincerna ille Pharaonis, qui liberatus de carcere, tam facilè interpretis sui Iosephi oblitus est, multos nunc socios habet. (Gen. c. 40) Quàm multi hoc seculo, nostri Iosephi, IESV inquam Christi, qui innocens in lacum miseriarum & mortis à fratribus suis missus, etiam illos ex inferni carcere liberauit, obliuiscuntur! & ne semel quidem tantum beneficium recolunt, multò minùs pro eo debitam gratitudinem re & opere exhibent. Quid ergo facto opus? ad hoc compellantur quod sponte non præstant & tamen præstare tenentur; *Afflictio ad Deum ire compellit.* nouus paretur carcer pincernæ Pharaonis, nouam immittat afflictionem Dominus, tempestatem excitet in placidè nauigantes, illicò recordabuntur illius. *Imple* (inquit David) *faciem eorum ignominiâ* (Psal. 82. v. 17.) (est & hoc quoddam tempestatis genus multis etiam grauibus pelagi tempestatibus hominibus quibusdam, honoris & gloriæ cupidis præsertim, longè maius & acerbius) quid tum verò futurum? *Quærent nomen tuum Domine.*

Id illustri exemplo ostenditur. 29 Ita se fecisse testatus est Wenceslaus Boëmiæ Rex; fuerat is cum toto exercitu suo fusus fugatusque, atque in hostium manus captiuus venerat,

nerat, quod opprobriũ regibus maximum esse solet; factus ergo hac ratione hostibus ludibrium, ab iis quo sit animo rogatur. Audite responsum, nunquàm, inquit, meliore: fui felix, fuit aliquãdo cùm mihi ex voto fluerent omnia, tum verò de tanta felicitate multa mihi cogitatio, sensus & sermo; de Deo aut exiguus, aut nullus: modò infelix quidem humana spectantibus; sed hoc felicissimus, quòd in vno Deo vota mea cogitationesque figam. Prȩclaram sanè sapientissimi Regis doctrinam! dignam quæ in omnem eat posteritatem, & multos eius imitatores efficiat.

30 Doceat, nos saltē, Wenceslaus, doceant nautæ, cum quibus hîc nobis negotium, nunquàm esse intempestiuum, aut serum nimis, etiam inter tempestates & turbines, inter ventos & procellas, inter densas nubes & opacam calamitatum noctem, ad Deum recursum; cùm optatissimum dare omni momēto possit securitatis portum, & nunquàm, vbi ei ita placuerit, intermorituram quietē, quam saltem voueamus nobis, si temporaneam hîc adipisci non possimus, aliquando in vita altera sempiternam.

Nunquàm intempestiuus, aut serus nimis ad Deum recursus.

LECTIO NONA.

MISERVNT VASA QVÆ ERANT IN NAVI IN MARE VT ALLEVIARETVR AB EIS. *Vers.* 5.

ARGVMENTVM.

Declaratur, ad exemplum nautarum, Deo eiusque gratiæ omnibus collaborandum. Cur vasa eiecta è naui, in qua fuit Ionas, & quomodò subleuanda nauis Ecclesiæ, docetur. Peccato nihil esse grauius, nihil magis fugiendum, ostenditur.

1 Idimvs quàm sollicitâ ac contentâ prece, vt essent ab impēdentibus periculis vitæq; discrimine securi, Dei sui aures pulsauerint, quotquot Ionæ socij, cum eo communi tempestate ac fluctibus iactabantur. Sed hac nequaquàm contēti, opem quoque suam industriamque impendēre; ne auxiliũ à Domino quærētes, & proprio se suâ destituentes socordiâ, etiam diuino redderentur indigni. Ita certè facere nos decet; supremi Numinis auxilio, vires, voluntatē, actionesque nostras iungere; ne, quod absit, Dei gratia vacua in nobis fuisse deprehendatur, eaque deinceps censeamur indigni.

Dei gratia cooperandum est.

2 Docet hoc præclarè D. Leo Magnus, illum disserentem audiamus: *Quamuis*, inquit, *omnium bonorum sit Deus ipse largitor; etiã nostra tamen fructum quærit industria. Non enim dormientibus prouenit regnum cælorum; sed in mandatis Dei laborantibus, atque vigilantibus: vt si dona illius irrita non fecerimus, per ea quæ dedit, mereamur accipère quod promisit.*

Leo ser. 2. de Epiphania.

Non meministis reprehensos à patrefamilias, quȩrente operarios quos in vineam suã mitteret apud D. Matthæum nonnullos, quos circa vndecimam stantes reperit otiosos. Quid minùs exspectemus, à Domino subsidia præstolantes complicatis vt sic dicam manibus, nihilq; de nostro conferentes, quàm eandem illam increpationem, *Quid statis totâ die otiosi?*

Matth. c. 20. v. 6

3 Dictum est vetus & verum apud nostrates Belgas: *Te iuua, iuuabit te Deus.* Sic factũ ab huius nauis incolis; manum operi adhibentes iuuerunt se quantùm potuerunt, & Dei pariter senserunt auxiliũ. Scire vultis quid de suo cōtulerint? Primò *miserunt vasa, quæ erãt in naui, in mare, vt alleuiaretur ab eis.* Deinde, *Remigarunt vt reuerterētur ad aridã.* Denique, *Tulerunt Ionam, & miserunt in mare.* Cùm alia omnia nihil conferrent aut præsidij, aut solatij,

Laborasse nautas, & alios, vt sedaretur tempestas, & quo modo laborarint, ostenditur.

Ionæ c. 1. v. 5.

Vers. 13.

Vers. 15.

latij; tum certè, quasi extremis malis extrema adhibituri remedia, auctorem tempestatis in minantes ei fluctus dedêre præcipitem.

Quid sint Hebræis vasa.

4 Porrò ne existimetis vasa dumtaxat inania & vacua abiecisse, etiam cum illis abiecêre merces: & sic vertit Vatablus. Certè Hebræi vasorum nomine vestes, arma, merces, omnisque generis variam supellectilem complectuntur. Similiter Latinè dicimus conclamare vasa, id est, sarcinulas colligere, ac velut ad iter sese, mox expeditiorem futurum, maturè disponere. Non dubium quin quidquid graue, minùs necessarium, nautisque in fluctus depugnantibus quomodolibet impedimẽto erat, deturbarint in mare: sic namq; fieri in tam euidentibus naufragij periculis solet.

In tempestate exoneranda naues.

5 Minimè vos latet, Paulo ad Cæsarem, quem appellauerat, missos iamque in Italiam nauigante, ingenti exortâ tempestate non procul à Creta, vti in Actis Apostolorum legimus, nautas *iactum fecisse*, sarcinas inquam, merces, & vt Syrus vertit, supellectilia, mox *etiam armamenta nauis*; puta anchoras, contos, remos, saburram, atque alia generis eiusdem, quæ nauis quasi arma sunt, denique post dies aliquot, *etiam triticum* in mare abiecisse; ne videlicet his omnibus onusta nauis, allisa ad scopulos, aut impetita crebrioribus vehementioribusque fluctibus, maiori impetu atque etiam faciliùs dissiliret. Ita hîc factum, licet non omnino per omnia modo eodem: neque enim arbitror remos, anchoras, contos, & similia, quæ nautis in nauibus necessaria, protinus abiecta: sed, vt D. Cyrillus Alexandrinus ait, *Turba nautica ad vsitata auxilia confugiens, nauim releuat vt vndis emineat, & ita deinceps facili cursu feratur.*

Actor. c.27. v.18 · Ibid. v.19. · Ibid. v 38. · S. Cyrill. Alex. ad c. 1. Ionæ.

Cur tum exoneranda.

6 Non est dubium, quin leuatæ grauioribus oneribus naues, vim ventorum & fluctuum sustinere faciliùs possint: pondus quippe, si præsertim nimium fuerit, & mole suâ deprimit, & allisum aquarum impetum, vel ad frangendum naues, vel ad mergendum ampliùs iuuat. Vnde prima periti argonautæ in extremis angustiis cura esse consueuit, expedire se ab oneribus, nauimque hac expeditione reddere tutiorem.

Hic cur nauis exonerata sit. Benedicti Ariæ Mõtani sententia singularis.

7 Acuto Benedicti Ariæ Montani dignum ingenio est, quod hîc comminiscitur; videlicet censuisse non paucos, qui in naui erant, Gentiles atque Ethnicos, non adeò altè & sublimè de diis suis; sed arbitratos, illos hominum more, irâ, cupiditate vindictæ, furore, aliisque animi perturbationibus aliquando aliàs obnoxios, & modò his victos, tempestatem immittere; proindeque cõtinuò placandos muneribus, quibus iam irati, & per iracundiam indignationemque facti immites, mox mansuetudinem induerent, furoremque ponerent, secundùm illud Poëtæ:

Munera, crede mihi, placant homines q́ deos q́,
Placatur donis Iupiter ipse datis.

Ouid. lib. 2. de Arte.

Furto ablata restituenda, vt dimittatur culpa & cesset pœna.

8 Idem Montanus, & cum eo Feuardentius, plusculum virtutis nonnullis nauigantium tribuentes, putant magno animo & generoso abiecta vasa, totamque adeò supellectilem; vt si quid à quoquam illorum, furto, sacrilegio, dolo malo, aut parũ honestis artibus partum; si quid occupatum detentúmve iniustè; id eâ iactatione fraudatori periret: sicque cessante per delicti pœnitudinem, & quæ in præsens fieri poterat restitutionem redhibitionemque qualemqualẽ culpâ; cessaret tempestas peccati pœna; quam (cùm teste etiã Augustino: *Non dimittatur peccatum, nisi restituatur ablatum*) non exspectarent segniorem, quoad vsque isthęc se malitia remitteret. Sed hæc altior ferè philosophia est, quàm vt exspectari ab eiusmodi hominibus potuerit. Practica tamen, & vera auertendorum malorum ratio in hominibus iniustis alienorum restitutio est, nec alia suppetit.

Gẽmis & auro placari posse

9 Tertium hîc addit Montanus, aitque etiam ætate nostrâ vsitatum, mihi

mare non probatur.

mihi tamen, vt verum fatear, omnino mirum visum & nouum: esse nonnullos, qui exortâ turbulentissimâ tempestate, non solùm oneribus & mercibus ponderosioribus iactatis in mare, nauem alleuent; sed iniecto quoque auro, annulis, gemmis, exigui quidem ponderis, magni tamen pretij, procellam sedandam procurent. Verùm non caret, meo quidem iudicio, superstitionis alicuius suspicione hæc cura tam futilis. Quid namque cum pelagi tempestate tranquillitateque auro, gemmisque commune? nisi quis fortè, ductus religione quadam, hæc, aut si quæ habeat penes se alia pretiosa, abiiciat vt peccandi illecebram, vt tempestatis & periculorum causam; idque eâ mente, vt expeditior & solutior in Christi schola, sub pauperrimo & omnium rerum contemptore Magistro philosophari, & diuinam condiscere sapientiam meliùs possit: à quo deinceps tempestatem mentis æquè ac maris sublatam inueniat; reuersusque ad littus, simul ad humanarum rerum contemptum, simul ad Deum redeat. Sed non sedat hanc tempestatem aurum, non gemmæ; at gemmis omnibus auroque pretiosior diuina gratia, marisque illius Dominus Christus, qui solus mentem immisso cælesti fauonio tranquillat & pacat.

Venetorum mos desponsandi sibi mare quotannis solemniter.

10 Habent hoc solemne Veneti, vt quotannis D. Marci vrbis suæ totiusque Reipublicæ tutelaris sacrâ luce, confluente ad spectaculum hominum multitudine maximâ, Adriaticum mare, quod vrbem alluit, iniecto annulo, velut datâ arrhâ, sibi despondeant, amicumque in speciem reddant. At vetus hæc ceremonia est, ritusque sacer, quem à maioribus acceptum sinunt etiam illi ad posteros transire. Porrò id factum aliquando, quo tempore magis vndæ sæuierunt, vt pristina illi elemento rediret tranquillitas, aut à Venetis, aut aliis, non memini me hactenus, aut lectione auctorum, aut alicuius viri eruditi priuatâ narratione collaudatum audiuisse.

Mos Græcorum, quotannis aquas consecrandi, & mare aperiendi.

Busbequius Epist. 1. legatio. Turcicæ.

Tradit quidem Busbequius, Græcorum sacerdotibus morem esse, certo veris tempore aquas consecrando mare clausum velut reserare: ante quod tempus, ferè istic non nauigatur. Sequuntur hunc morem illorum etiam Turcæ, qui rebus ad nauigandum iam comparatis, subinde ad Græcos accedunt rogaturi an nondum sit aquis benedictum: si negent, nauigationem differunt; si factum affirment, naues conscendunt & nauigant. Sed nulla apud illum mentio thesauri alicuius in mare iniecti per sacerdotes Græcorum. Quo autem pacto ista per eos consecratio fiat, disputare nec loci huius, nec temporis est. Hoc apud Catholicos indubitatum & certum; multaque experientiâ comprobatũ, Sanctorũ corporum reliquias, & bullas ex cera candida, Summi Pontificis iussu conflatas, ab eoque soleni ritu benedictas, quas vulgò Agnos Dei vocant, in mare coniectas, frequẽter tempestatem sedasse, & nauigãtes ab infami, quod iis imminebat, naufragio liberasse. Inter ceteros S. Franciscum Xauerium accepimus, cùm Cocino Malacam nauigaret, & in medio ferè cursu atrox procella vectores nautasque in maximum adduxisset metum, conscensâ puppi sacrarum reliquiarum thecam funiculo religatam in fluctus deiecisse, atque extemplò conquieuisse ventos, sedatam fuisse tempestatem, nauemque sereno cælo cursum tenuisse.

Horat. Tursel. lib. 5. vitæ Xauerij.

Curâ vitæ tuendæ omnem curã hic superare solet.

11 Ad rem nostram. Spectate hîc hominum de vita sua periclitantium sollicitudinẽ & metum; præ illa contemnunt omnia, quantocumque in pretio habita, quantocumque labore cõparata. Dummodò vitæ iacturam ne faciant, rerum aliarum dispendiũ per se maximũ, illis videtur aut minimum, aut nullum: tanta est omnibus, etiam inter miserias maximas, vitæ huius cupido. Cùm in vna hac naui salus esset vitaque omnium, & omnes ac singuli viuos se vellent, ac saluos

uos; vt vitam tueantur, omnem industriam, vires, laboremque in nauis conseruationem impendunt.

Vita animæ omni curâ potior esse debet. Apta ad hoc media traduntur.

12 O si sic multi, pro animi sui nauicula, quam tot tãtique fluctus quotidie exagitant, custodienda, ne aliquando absorbeatur, laborent! Inter tam multos periclitantes, omnino pauci sunt, *Qui mittunt vasa in mare.* Faciunt quidem iactum aliqui, subinde dant pauperibus stipem, & de peculio suo promunt aliquid: at non totos se spoliant, non abiiciunt omnia, vt nudi euadant, quò dicere possint: *Ecce nos reliquimus omnia.* Felices sanè qui ita sapiunt, & solius salutis suę, aut certè illius, præ rebus omnibus aliis, curam habentes, cetera flocci pendunt. Omnia perdidisse, & animam saluam fecisse, est nihil perdidisse, & omnia vicisse. Vti enim *Nil prodest homini*, ita Seruatore nostro apud D. Matthæum asserente, *si mundum vniuersum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur*: ita eidem nihil obest, si omnium rerum detrimentum patiatur, & animam suam lucretur.

Matth. c.19.v.27.

Matth. c.16.v.26.

Cura de Ecclesiæ naui, quæ impetitur sæpè ventis hæreseon, haberi debet maxima.

13 Est & altera nauis, parata omnibus seculi huius mare nauigantibus, pro qua sollicitos nos esse oportet, sollicitos inquam, atque etiã sollicitiores quàm hi nautæ de sua. In hac sumus, quæ Dei est gratia, & viuimus, extra eã omnino perituri. Est illa Catholica, Apostolica, Romana Ecclesia, in qua salus nostrûm omnium, felicitas, gloria. Impetitur nonnunquàm irruentium hæreseon turbinibus; sed non vincitur: falsæ doctrinæ fluctibus premitur; sed non opprimitur: commentis nouis, velut vndis stygiis, lacessitur; sed non mergitur: scriptum est enim, quia *Portæ inferi non præualebunt aduersus eam.*

Matth. c.16. v.18.

Periclitantibus in naui discipulis fuit auxilio Christus.

14 Si recordemini, timuerunt aliquando discipuli, quando factâ tempestate in mari, nauicula, in qua erant, operiebatur fluctibus; vsque eò, vt videntes Dominum in hac dormientem, illum suscitantes accederent anxij, & clamarent: *Domine salua nos, perimus.* At, quid timeant illi? vbi Dominus est, ibi securitas. Id satis apparuit, quando *Imperauit ventis & mari, & facta est tranquillitas magna.* Etiam modò imperare ventis & mari, cùm placuerit, potest: nam in Ecclesiæ naui nobiscum nauigat, contra eam exortas sedare tempestates omni momento in ipsius est manu. Verùm non parum sibi in eo complacet, quòd nos subinde luctantes spectet, & in remigando laborantes, conferentesque pro modulo nostro aliquid, ad securiorem prosperioremque cursum.

Matth. c.8.v.25.

Ibid. v.26.

Erit etiam modò cùm placuerit.

Iuuanda Ecclesia à nobis & opibus, & vitâ, si opus fuerit.

15 Existimemus ergo, dum Ecclesiæ nauiculam premi aduersis videmus, tot inquã superuenientibus hostibus, velut nouis turbinibus concuti, non esse nostrum stare otiosos; subleuanda omnino est, in eam opes, fortunæque nostræ, in eam honor proprius, in eius defensionem, si opus, vita ipsa insumenda non solùm ne non obruatur, sed quantum fieri sedulitate nostrâ potest, ne non prematur quidem: hoc etenim est more nautarum cum IONA nauigantium simul ad Deum confugere, simul opem nostram industriamque conferre.

Nauem vasorum eiectio, quamdiu mansit in ea Ionas, non iuuit.

16 Quid nunc post vasorum eiectione exoneratam nauim secutum putatis? maiorémne nauigantibus securitatẽ? saluáne tunc omnia? minimè gentiũ. nihil hoc ad auertẽda pericula, nihil ad maris trãquillitatem, nihil periclitantibus contulit ad salutem. Quid ita? hoc vobis sanctorum Patrum ore edisseram. *Festinant*, ait S. Zeno Veronensis Episcopus, *incassum iacturâ vasorum nauem leuare ponderibus, quæ Propheta pondere premebatur.* Mittant ergo in mare vasa omnia, totamque spolient nauem, solus maneat IONAS, nihil agitur.

Zeno oratione in Ionam.

17 Explicatiùs nobis dicet idipsum aureo suo ore sanctus Ioannes Chrysostomus, illum audiamus. *Nautæ*, inquit, *nondum agnitâ causâ naufragij, nauim aliquantarum rerum iactatione subleuari arbitrabantur; & nihilominus nauigium turbabatur; apud se enim periculi sarcinam retinebant, &*

Chrysost. Homil. de Iona To.1 in fine.

magis

magis magisq́ Propheta corpore grauabantur, non corporis magnitudine, sed peccati.

In quam etiam sententiam ait D. Hieronymus. *Arbitrantur nauem solito onere pragrauari, & non intelligunt totum pondus esse fugitiui Propheta.*

Hieron. in 1. c. Ionæ.

Peccata calamitatum omniũ causa, vt hæ cessent, tollenda.

18 Sic & nos non rarò fallimur, causam & multitudinis, & magnitudinis omnium nostrarum calamitatum coniicientes in alia quæuis, peccatum verò vnam & solam miseriarum causam non agnoscentes. Morbum vis tollere, morbi causam tolle, hac permanente frustrà pharmaca omnia. Benè cecinit Lyricus.

Horatius lib. 2. Car. ode 2.

Crescit indulgens sibi dirus hydrops,
Nec sitim pellit, nisi causa morbi
Cesserit venis, & aquosus albo
Corpore langor.

Sublatas, quæ te infestant, calamitates cupis? peccatum earum radicem & causam tolle. Tollatur IONAS, & ecce tranquillitas.

Homines mali in naui sæpè sunt tempestatis causa.

19 Hic apparet meridianâ luce clarius, quàm nonnunquàm patrata in naui, aut etiam ante ingressum in eam, ac non rectè expiata à nauigantibus scelera, tempestatum enormium, & procellarum sint causa, quibus diuina iustitia suos terreat rebelles, & ad supplicium quodammodò vocet.

Id exemplo ostenditur. Seba. Beretarius vitæ eius. lib. 4.

Certè cùm nauim, quâ cum ceteris vehebatur Iosephus Ancieta Societatis IESV Prouinciæ Brasiliæ Prouincialis, vir planè admirabilis, multis clarus prodigiis, videret ipse circa Præfecturam S. Spiritus, quò tendebat, reluctantibus ventis ac tempestatibus, vndisque altùm mugientibus rauco & horribili sonitu, optatum portum tenere non posse; sed magis propelli & arceri longiùs, dixit quamprimùm magnâ voce, prophetico spiritu: Aliquis ab Ecclesiæ communione seclusus hac naui vehitur, is veniat, pro potestate quam habeo, soluam vinculum quo tenetur. Accessit è vectoribus vnus, ac Missalem librum è Francisci Sosæ Prætoris acceptũ supellectile, (cum interdictâ piorum communione iis, qui quidpiam inde acceptum intra certum diem non restituisset, ipse hactenus fuisset in mora) apud Iosephum exhibuit, crimen confessus est, redditusque Ecclesiæ Sacramentis, se culpâ, nauim periculo liberauit; quę cótinuò littori adnauigans facilè portum securum omnibus optatissimum tenuit. Remorabatur felicitatem hanc vnus ille; vti tot ac tam multorum hominum secum olim nauigantium prosperitatem IONAS.

20 Videamus modò cur naui suæ tam onerosus, tam grauis, tam molestus noster Propheta? talis non esset, nisi à facie Domini fugeret, nisi peccaret; totum onus, omnis molestia, peccatum eius est; quo, vt ait Chrysostomus, *Nihil graue æquè ac onerosum.* Certè hoc vnum homines cælo conditos in imum baratri præcipites agit. Si quod ergo deprimens peccati pondus animi nostri lacertis incumbat, illud hortatore Paulo deponamus: *Deponentes* (inquit) *omne pondus, & circumstans nos peccatum, per patientiam curramus ad propositum nobis certamen.*

Peccato nihil grauius & ponderosius.

Homil. de Iona.

Ad cælum currere volenti hoc excutiendum.

Paulus ad Hebr. c. 12. v. 1.

Primò deponi *pondus* iubet, quod quia generalius est, ne cui fortè sit dubium de quo faciat pondere mentionem, protinus subiicit; declarans quod paullò antè dixerat: *Circumstans nos peccatum*, ac si dicat manifestè: *Pondus*, quod à vobis deponi ô Hebręi percupio, non aliud est quàm peccatum, pondus profectò permolestum & graue.

21 Scitis quòd currere velle nil iuuet, si quid eius, qui currere cupit, cursum impediat: hunc, præ omnibus impedit grauissimum peccati pondus, illud & nobis excutiendum: nam eo prægrauati nunquàm sic currere poterimus, vt accipiamus brauium, propter quod vel maximè curritur.

Ostenditur quàm sit peccatum graue in Angelis.

Cucurrerunt aliquantulũ Angeli, sed assumpto peccati pondere, statim miserè ceciderunt. Mira res, è qua, quàm sit peccatũ graue, vel maximè appa-

appareat. Cùm solidum sit cælum, & vt Iob ait, *quasi ære fusum*, Angelos tamen, hoc solo graues sustinere non potuit; imò cùm illis nobilissimis spiritibus nihil subtilius, velocius, leuius sit, & agilius; statim à commisso peccato, nullâ morâ interpositâ, velut illius pondere in tartarum acti præcipites, nunquàm ad beatam illam patriam, vnde exciderant, remigrare potuerunt.

Iob.c.37. v.18.

Neque aliud animas, quæ purgatorio igne lustrantur, in imo, tenebris horrido, & suppliciis graui detinet loco; aliud nihil eorũ in cęlum volatum præpedit, quàm peccati pondus, leues inquam culpæ, quæ quantumuis leues etiam pondus suum habent, vel pro iis nondum persolutæ pœnæ. Hoc onere prægrauati Ægyptij submersi sunt in mari rubro: *Abyssi operuerunt eos, descenderunt in profundum quasi lapis.*

Exodi c.15. v.4.5

22 Nos verò non tantùm iam admissum peccatum pondere suo premit; sed necdum admissum circumstat vndique vt impetat, deiiciat, opprimat. Quare ad luctandum cum eo semper nos paratos esse oportet, cùm semper vel in lucta versemur, vel ea nobis assiduè immineat.

Semper contra peccatum luctandum, & standum fortiter.

Theodoretus quibus simus vallati hostibus, & quomodò, clariùs nonnihil exponens ait; circũstant & cingunt nos peccata instar gladiatorum, qui plures vnum adorti facillimè deiiciunt & trucidant. Itaque semper bene armatos nos esse, semper, vt antè monui, optimè comparatos & instructos ad prœlium, semper vigiles, & velut continuas nos agere excubias conuenit.

Deiecerat peccatum aliquando Dauidem tantum virum nihil simile anteà cogitantem, qui mox sentiens impositum sibi pondus, à quo liber fuerat anteà, queritur & gemit ex imo corde, quòd tam ægrè se valeat erigere: *Iniquitates*, inquit, *meæ supergressæ sunt caput meum*: ac si dicat, quæ patraui scelera, & iam expianda suscepi, tam sunt multa & grauia; vt me, quasi prorsus impotentem factum & destitutum viribus, obruant penitus & pessundent.

Cum quis semel ab eo vincitur, difficile surgit.

Psal.37. v.4.

Beatus Paulinus allegoriam tractans capillitij Sampsonis, iniquitates super capita, ait esse velut comas, & circumplexos funes, cuiusmodi erat illa prægrauis Absalonis cæsaries, his enim anima & implicatur & premitur.

23 Necdum satis quid esset de suis iniquitatibus & peccatis expressisse sibi videbatur Dauid cùm diceret, supergressas caput suum, nisi protinus adderet: *Et sicut onus graue grauata sunt super me.* Quod interpretãs S. Augustinus ait dicere eum voluisse: *Sicut sustulerunt iniquitates caput meum, & per superbiam erectus sum contra Deum; sic ab ipsis peccatis meis iustâ vindictâ Dei, depressus sum infra me.* Profectò peccator omnis peccati sui pondere infra seipsum deprimitur, & longè minor esse quàm fuerat ante peccatum dignoscitur.

Peccatum hominem infra se deprimit.

Psalm.37. v.4.

O quàm nunc multi grauissimum illud peccati pondus portant! &, quod maximoperè dolendum, tam graue, tamque onerosum cùm sit, illius tamen onus & ponderis grauitatem non sentiunt: quia non iam ampliùs stant ceterorum more erecti, luminibus cælo fixis; sed per illud depressi animantium ritu proni in terram decumbunt & iacent, conditionis dignitatisque suæ & hominum omniũ iam planè immemores, quòd videlicet Deus Conditor noster

Idem hominem insensibilem facit.

Os homini sublime dedit, cælumq; tueri
Iussit, & erectos ad sydera tollere vultus.

Ouid. lib.1. metamor.

Porrò vbi oculos in cælum sustulerint, & erigere se aliquantisper cœperint, tum demum impositi sibi oneris grauitatem sentient, & ingemiscent. Verùm id non ita factu facile; nam, vt verissimè ait S. Gregorius Magnus: *Omne peccatum, cùm graue sit, non permittit animum ad sublimia eleuari.* Hîc ergo opus & conatu, & diuina in primis gratiâ, sine qua omnis irritus noster est labor, conatus, industria.

Gregor. Homil. 2. in Ezech.

24 Ere-

Peccati onus abiiciendum in mare sanguinis Christi per Confessionem &c.

24 Erecti stare vultis SODALES, & obuersis in cælum, ad quod anhelatis, obtutibus? vultis feratur ad sublimia animus vester beatam æternitatem sitiens? vultis in hoc sæculo expediti currere? sic inquam currere vt comprehendatis? onus peccati abiicite in mare, mare inquam sanguineum Dominicæ Passionis; immittite vos in nobilissimum hoc balneum aquarum vitæ perennium, habẽtium omnem dulcedinem & saporem, & omne delectamentum suauitatis, per frequentem sanctorum Sacramentorum vsum. Tum verò, licet animæ vestræ nauicula prægrauata criminibus mergi subinde cœperit, emerget secura; illisque tam salutaribus vndis tutiùs innatabit, quàm quidquid prodigiosè aquis lacuum Asphaltitis in Iudæa, aut Arethusæ in maiori Armenia supereminere perhibetur.

Plinius lib. 2. Historiæ Natura. c. 103.

Peccatori parandum balneum ex lacrymis suis, in quo se lauet & purget.

25 Sed & balneum vobis de feruentibus, imoque ex corde manantibus parate lacrymis. Hoc faciebat Bernardus sic secum ratiocinans. *Cogitantem quòd Patrem offenderim, est certè quod pudeat, etsi non quod terreat. Ipse quidem patrem se exhibuit mihi, sed non ego me illi vicissim filium. Quânam fronte attollo iam oculos ad vultum patris tam boni, tam malus filius. Pudet indigna gessisse genere meo, pudet tanto patre vixisse degenerem. Exitus aquarum deducite oculi mei, operiat confusio faciem meam, vultum meum pudor suffundat, occupetq; caligo, deficiat in dolore vita mea, & anni mei in gemitibus.* Hoc vnicũ meum vestrumque cum B. Bernardo votum sit, *deficiat in dolore vita mea, & anni mei in gemitibus.*

Bernar. ser. 16. in Cant.

Cura temporalium nimia & affectus ad diuitias tollendus.

26 Præter peccati illud tam graue pondus vasaque nequitiæ, etiam alia abiicienda, si vobis vestra curæ integritas & salus: abiiciendæ inquam, si non ipsæ opes, opum saltem cupiditates noxiæ secundùm illud Dauidicum: *Diuitiæ si affluant nolite cor apponere.* Id sibi dictum existiment ij potissimùm, qui sæpè noctes insomnes ducunt, vt rationes excogitent quibus ditescant, parum soliciti iurène an iniuriâ. Psal. 61. v. 11.

Crates Thebanus insignis suâ ætate philosophus inter ethnicos, hoc multis Christianorum nostri æui sapientior, ne à cupiditate vinceretur; opes suas omnes abiecit in mare: *Ite,* inquiens, *fomenta malorum, & animorum pestes; malo vos mergere, quàm à vobis mergi.* Quid nunc faciat qui diuina sapit, si hoc egit qui tantùm humana?

Contemnens terrena, vt acquirat cælestia, felix est.

27 Beatus sanè qui abiicit, qui contemnit omnia; & rerum affluentiam nudæ Christi inopiæ postputans.

Horat. lib. 3. Car. ode 16.

——Nil cupientium
Nudus castra petit, transfuga diuitum
Partes linquere gestiens
Contemptæ Dominus splendidior rei.

Idque non aliâ mente, quàm vt scopuloso hoc mundanarum varietatum enauigato pelago, eiusque monstris, stygiis inquam piratis, qui bonis animi nostri cælestibus perpetuò insidiantur, faciliùs superatis; feliciter tandem carnales Sirenum concentus, &, quæ salutem vorat cupiditatum Charybdim, & Scyllam, ceterasque inanium honorum syrtes prętervectus; more lætantium nautarum, beatum de tragicæ huius vitæ epilogo celeusma concinat, cum illis viginti quatuor senioribus apud Sanctum Ioannem in Apocalypsi: *Dignus es Domine Deus noster accipere gloriam, & honorem & virtutem; quia tu creasti omnia, & propter voluntatem tuam erant, & creata sunt.* Apoc. c. 4. v. 11.

LECTIO DECIMA.

ET IONAS DESCENDIT AD INTERIORA NAVIS ET DORMIEBAT SOPORE GRAVI. *Vers.5.*

ARGVMENTVM.

Causæ descensus IONÆ, *& somni indagantur. Somno æquè ac descensu illius exprimi mores hominis peccatoris, quem mirum est securè dormire posse, ostenditur. Prælatis vigilantia commendatur.*

Ionam in tanta tempestate dormire mirum.

1 IRVM omnino est, tumultuantibus vndequaque fluctibus, auditoque nautarum aliorumq; vociferantium improbo clamore, IONAM nequaquàm perculsum, tametsi in nauem anteà descendisset, ibique dormiret; adeoque non continuò euigilantem ascendisse, quid rerum agereur, quanto essent in discrimine spectaturum; sed æquè ac anteà placidè somno indulsisse.

Vidistis, audistísve aliquando, concrepare lituos, pulsari tympana, tubas personare,

Virgil. 6. Æneid. ——*Martemq́ accendere cantu.*

& inter ista generosum militem, vel, quod magis indignum, militiæ Ducem, sedere otiosum, non se mouere omnino, imò importunis horis, qui vix opportunis soleat, aut debeat, ignauum stertere; quoad vsque de sua aliorumque sibi concreditorum salute conclamatum, multorum vocibus vociferationeque cognorit.

2 Ita mihi nunc facere IONAS delectus militum Dei Tribunus videtur, qui missus, vt multos Domini sui signis adscribat, *Descendit ad interiora nauis*, 70. habent εἰς τὴν κοίλην τοῦ πλοίου. id est, *in concauum*, aut *in ventrem nauis*, Hebræus textus *ad latera, carinæ* inquit vatablus, id est, ad alterutrum latus illius, sicut legimus de latronibus, qui cum Christo crucifixi erant, Marci 15. capite, *conuiciabantur ei*, cùm tamen id de altero tantùm intelligatur. Clariùs id habet Chaldæus dicens, *Ad infimum latus nauis, quo decumbens dormiebat.*

Cur Ionas descenderit ad interiora nauis rationes variæ assignantur.

Quare tantoperè descendit? quorsum se in has latebras abdit? Quærit, secundùm Cornelium à Lapide, locum secretiorem & tutiorem; secundùm Franciscum Riberam, tumultū nautarum fugit, & locum deligit, vbi minùs iactatio & tempestatū procella sentiatur. D. Hieronymus, Remigius, Haymo arbitrantur, quòd cùm sciret se fugere, fluctus suæ fugæ vindices videre non audeat; Feuardentius, quòd conscius sceleris sui, aliorū aspectum pudibundus non ferat; Ioannes Ferus, quòd nec ipsam lucem, libenter se aut in imis terræ visceribus, aut in profundo maris abditurus, si possit.

Anxietates & angustia peccatoris exprimuntur in Iona.

3 Equidem non miror quòd lateré studeat; sic solet omnis peccator. Non dubito quin ingentem terrorem, & admirabiles angustias senserit; similiter non dubito quin multas anxias & sollicitas cogitationes habuerit, quin sæpiùs ingemuerit, suspirarit, fortè & mori optarit præ tædio. Has & similes in se angustias expertus Dauid dicebat: *Timor & tremor venerunt super me, & contexerunt me tenebræ.* *Psalm. 54. v. 6.*

Ionas profundè dormit in naui.

Verùm quid in intimo nauis, quid istis in latebris IONAS nunc agit? *Dormiebat* habet historia: hoc mirum, & multò magis, quod ibidem additur, *sopore graui.* Iosephus ait: *Operiens seipsum iacebat*; sic nimirum acturus *Ioseph. lib. 9. Ant. Iudaicarum. c. 14.*

com-

commodiùs quod agebat. 70. vertũt, *stertebat*: id est; vt habet in suis Lectionibus Ioannes Drusius, arctè & grauiter dormiebat; eorum videlicet more quibus molestâ & graui aliquâ cogitatione affectis languidi artus sopore obruuntur.

Magna sanè dementia est, tantis in periculis, tam securè somnum capere; cogitare debuisset noster IONAS, posse se inter hæc improuidum opprimi, & perire. Nihil in ciuitate hostium excursionibus exposita, somno & securitate præsidiariorum ciuiumque periculosius. Hinc quinque exploratores Danitæ, sociis suis inuasionem ciuitatis Lais persuadere conantes, dicebant: *Surgite, ascendamus ad eos: vidimus enim terram valdè opulentam & vberem: nolite negligere, nolite cessare, eamus & possideamus eam, nullus erit labor: intrabimus ad securos.* Et prorsus, sicut dixerant, accidit. Nam *venerunt in Lais ad populum quiescentem atque securum, & percusserunt eos in ore gladij, vrbemq; incendio tradiderunt, nullo penitus ferente præsidium.*

Iudicum c.18.v.9.

Ibidem v.27.

4 Ne simile quoque discrimen IONAS nimiùm securus incurrat, & aquis tumescentibus, & in nauim magno impetu irruentibus opprimatur improuidus; ego illum pace vestrâ bonâque veniâ stertentem hîc excitare conabor. Quæro igitur: tantúmne tibi, mi IONA, abs re tua est otij, vt cùm tu ipse, tua omnia tecum, & cum rebus tuis etiam alij, in extremum adducantur discrimen; tu tamen quasi saluis omnibus, compositisque ex mente tua negotiis, in vtramque aurem securus dormias? nihílne te recentis peccati conscientia, nihil nauigationis insolitæ tædiũ, nihil exortæ tempestatis commouet fragor? an non tibi hæc somnum excutiunt? surdo loquor, dicentem non audit, dormire pergit meus IONAS.

Quid hoc? alia subest neque vulgaris somni huius tam profundi causa quàm prima fronte occurrat; aliâ tam securæ quietis ratio.

Somni Ionæ causa data à variis varia.

5 Disquiram primò, quod credo libenter vos intellecturos; quid SS. Patres, quid viri eruditi hîc senserint; quamnam illi arctioris profundiorisque somni; IONAM tam importuno tempore inuadentis, atque etiam opprimentis, causam putent.

Rupertus, cùm omnia quæ figuræ conueniunt velit conuenire etiam figurato, eidemque hæc applicet: quæcumque scribuntur de IONA, rectè quoque CHRISTO tribui posse existimat; dicitque conformiter, IONÆ somno, CHRISTI inter Iudaicas tempestates insignem patientiam nobis viuaciter adumbrari.

Paulus Palatius, sensu similiter allegorico, eiusdem in suum sepulchrum descensum, & in eo mortis somnum exprimi.

Alij, inter quos Rabbi Aben Ezra, propiùs ad litteram; IONÆ somnum æstui maris adscribunt, ob quẽ cùm ipse ferre eum minùs commodè posset, vt qui fortè nunquam aliàs nauigauerat, ad nauis interiora descenderit, nauseam illam somno victurus, si posset.

6 Magis tropologicè quàm ad litteram, sed an satis verè affirmare non ausim, Haymo Halberstadensis Episcopus, & Remigius, volunt IONAM hac suâ quiete profundoque somno, fortis viri patientiam, stantis per omnia æquè inter aduersa & prospera semper intrepidè, ducti nec spe nec metu, exhibere nobis velut in schemate voluisse. Sed vnde tanta menti illius sit data natáve securitas? quomodò quispiam sibi conscius malè, stare possit tot inter aduersa, tot inter discrimina, sine vllo timore ac metu prorsus intrepidus, non sat capio. Etenim

Iuuenalis Satyra 13.

——*Diri conscia facti*
Mens habet attonitos, & surdo verbere cædit
Occultum quatiente animo tortore flagellum.

Certum est quod pax, quies, tranquillitas animi, homini in peccatis viuenti & hærenti nulla omnino esse possit; dicente Domino, *Non est pax impiis:*

Isaiæ c.48 v.22.

impius: talis enim licet deforis subinde quietus & securus appareat, intus tamen nunquam quiescit: sed, vt rectè Cassiodorus: *Semper cum conscientia litigat, & cùm alium hostem non habeat secum ipse certat.*

7 Benedictus Arias Montanus & Rochus Mamerotius aliquantò clariùs, & ad speciem veriùs, opinantur obduratum animo & præfractum, nihil hæc omnia diuinæ potentiæ, iustitiæ, vindictæ quoque impendentis signa timuisse, nihil curasse cetera omnia, dummodò Niniuen adire ne cogeretur, adeoq; dormisse securum.

Huc spectat, quod ex hoc IONÆ somno transfert ad mores Christianos Godefridus Tilmannus in suis Tropologiis, sæpè eos qui à bono statu cadunt, cùm inuoluuntur vanis huius seculi curis, longè peiores fieri, quàm illi qui semper fuerant mali.

Alij volunt, patriæ fines iam egressum, credidisse quòd esset in tuto, neque de Deo se insequente cogitasse; sed more mercatorum rebus suis iam constitutis in saluo securè quiescentium, fugâ ex animi sui sententiâ & adornatâ, &, vt ei videbatur, non infeliciter succedente, cùm non esset quod quietem remoraretur, & dulcem interrumperet somnum, eidem placidè indulsisse, suo arbitrio & commodo.

8 Gaspar Sanchius, & cum eo Cornelius à Lapide, somnum hunc lassitudini & defatigationi Prophetæ adscribunt: cùm non sit absimile vero, cum veloci cursu, vt à facie Domini simul quàm ocyssimè, simul quàm longissimè fugeret, veniendo ex Zabulon in Ioppen, magna locorum spatia, in his etiam vastos & præruptos scopulos, quibus hæc vrbs insidebat, exiguo tempore decurrisse.

9 Ad me quod attinet, tametsi aliquid eius fatigationi tribuendũ censeam; ampliùs tamen mœrori, quem cum Sanctis Hieronymo & Chrysostomo, Theodoreto quoque, Remigio, Theophylacto, Vatablo, Sanchio, & aliis pluribus, primam & præcipuam illius somni causam existimo. Neque enim poterat non timere, simul & mœrere grauiter, qui fugiebat à Deo, seque manifesto committebat periculo, & corporis, & animi; præsertim si, vt ait Sanchius, ab æstuante pelago iam admonitus, sceleris sui magnitudinem fœditatemque cognouerat. D. Hieronymum audiamus: *Quod Ionas dormit (inquit) non securitatis est, sed mœroris.* Ac ne quis nouum aut inauditum putet ex mœrore in somnum incidere, subiungit: *Nam & Apostolos legimus in Domini passione præ tristitia magnitudine somno fuisse depressos.*

Vera causa somni Ionæ traditur, mœror.

Hieron. in c. 1. Ionæ.

10 Quid aliud agat, qui conscientiæ stimulis vulneratus, mœrore tabidus, cogitationum suarum æstum ferre non potest, prorsus animo inquietus, quàm in somno quietem quærere, si fortè inueniat? Quare non omnino mihi displicet, quod nonnulli putant certo consilio, deliberataque voluntate somno se dedisse IONAM, vt molestis curis ac cogitationibus exolutus, violati contemptique diuini præcepti non ampliùs meminisset. Nam nullum est dubium, quin, si non antè, auditâ saltem foris tempestate, audierit etiam intus conscientiam accusantem; audierit illam dicentem sibi, quid fecisti IONA? Deum offendisti, eius iram indignationemque incurristi, dignus es morte. Vnde subitò atra in animo eius nubes, spissæ dolorũ nebulæ; ingens mœror, angustiæ admirabiles. Benè dixit Eusebius Emissenus: *Seruus peccati quò fugiet? qui secum trahit quocũque fugerit, non fugit semetipsum, non est quò eat, mala conscientia sequitur se, imò non recedit à se.* Quid ergo agat inter hæc miser IONAS factus iam seruus peccati, secundùm illud Christi, *Qui facit peccatum, seruus est peccati.* Profectò hominum saltem societatem fugiens, si fugere seipsum non possit, ad nauis interiora descendit, ibique dormit.

Ionas dormit, vt se angore conscientia tantisper liberet.

Homil. 3. de Pascha.

Ioannis c. 8. v. 34.

Somno leuatur tristitia, tollitur tadiũ.

11 Idem sibi accidisse aliquando Psaltes Regius testatur: *Dormitauit,* in-

Psal. 118. v. 28.

inquit, *anima mea præ tædio.* Fortè ſe tum etiam mœſtus, vt modò IONAS, ad quietem ſomnumque locorum vſpiam capiendum compoſuerat; quòd noſſet ſomno mitigari mentis triſtitiam, tædium tolli: nihil verò ſit continuâ quadam triſtitiâ grauius, quæ etiam, vt auctor Hippocrates, vigilias creat, ex vigiliis verò vacuo & debilitato cerebro perſæpè delirium. Neque alia de cauſa ſenes & melãcholici ferè peruigiles; infantes & phlegmatici, vt notarunt Conymbricenſes, ſomniculoſi, quàm quòd illi ſiccitate, hi humore abundent, cuius fumi cùm cerebrum magis refrigerent quàm inflamment, fit vt his & facilior, & gratior, & quietior, & magis continuus ac ſine moleſtis interruptionibus ſomnus obueniat.

Hippoc. lib. Prænotion.

Senes cur parcioris ſomni iunioribus.

12 Verùm nullo emolumento, nullo ſolatio, dormiuit in naui IONAS: nullo in domo ſua Dauid. Etenim, vt idem Euſebius ait, *Vix aliquod deforis poteſt eſſe remedium, quando intus eſt vulnus incluſum. Quid prodeſt quòd homo ſonantem fugit arcum, qui iaculum ſecum portat infixum. Serpens ille etſi reuocauit morſum, reliquit venenum; fecit quiſque peccatum vt aliquam corporalem acciperet voluptatem; remanet quod damnat, præterit quod delectat: conſummata iniquitas permanet, voluptas fugitiua pertranſit.* Hæc ille: ex quibus videre poteſt peccator ſtultitiam ſuam.

Somnus Ionæ non profuit.

Euſeb. Emiſſ. Hom. 3. de Paſcha.

13 Conuertamus nos nunc iterum ad Prophetæ latebras, & ex illis aliquid etiam in rem noſtram eruamus. Diſcemus certè, ſi in iis commorari paullulùm attentâ mente cogitationeque libeat, vti in IONA paullò antè obſeruauimus, quales, & quantas vix admiſſum crimen animis anguſtias pariat; videlicet tales, quæ ducant ad vltimum vſque tædium vitæ omnis ac boni: ita vt mors, quæ aliis horrori eſt, iis qui grauiùs deliquerunt in deſiderio ſit; non quòd per hanc meliora ſperent, ſed quòd præſentes moleſtias aliter ſe effugere poſſe diffidant. Porrò cùm hæc ſe ambientes quodammodò fugiat, nihil illis placet quàm triſtis ſolitudo, quàm obſcuræ latebræ, quàm luctus & dolor perpetuus.

Peccatum quantas, & quales pariat anguſtias, & mala, amplius oſtenditur.

14 Verum eſt quod dico, plerumque ſic cruciat delinquentes patratorum conſcientia ſcelerum, eoſque ſic omni ex parte turbat, exagitat, premit; vt nullus ſupereſſe videatur, quem arte aliquâ inueniant atque induſtriâ, locus etiam in humanis, ne dicam in rebus diuinis, quas horrent, futurus illis alicui aliquando ſecuritati, felicitati, vel gaudio. Veriſſimum enim experiuntur illud Senecæ Philoſophi: *Mala conſcientia ſemper tuta eſt, ſecura nunquàm*; atque illud quod multò antè dixerat Sapiens: *Semper præſumit ſæua, perturbata conſcientia.* Cui conformiter docet S. Bernardus. *Vis nunquàm eſſe triſtis, bene viue. Bona vita ſemper gaudium habet; conſcientia rei ſemper in pœna eſt.*

Mala conſcientia magnum malum, & dura crux.

Sapient. c. 17. v. 11.

Bern. lib. de Inte. dom. c. 45.

15 Ampliùs quid intus in animo ſceleratorum agatur graphicè nobis deſcribens idem Bernardus. *In domo,* inquit, *propria & propria familia habeo accuſatores, teſtes, iudices & tortores. Accuſat me conſcientia, teſtis eſt memoria, ratio iudex, voluptas carcer, timor tortor, oblectamentum tormẽtum. Quotquot enim fuerint oblectamenta mala, tot erunt tormenta dira in pœna. Nam inde punimur vnde delectamur.* Hæc Bernardus. Videat nunc peccator an inter iſta etiam illi vlteriùs peccare libeat, an peccare eum vlteriùs delectet, præſertim, cùm ſi quid delectat, id momentaneum futurum ſit, æternum verò quod cruciat.

Bernard. lib. medit. c. 13.

16 Adhæc, ſi relictis tantiſper interioribus ad exteriora veniamus; etiam hæc parum ſibi amica, magis aduerſa omnia peccator reperiet. Enimverò hominem generoſum & fortem anteà, atque ad omnia imperterritum, peccatum ſubitò exarmat, eundemque verecundum ac timidum facit. Teſtis Adam primus omnium noſtrûm parens, qui vbi peccauerat, diuinæ legis violator guſtatâ arbore ſcientiæ boni & mali effectus; protinus *timuit, eò quòd nudus eſſet, & abſ-*

Peccatum hominem etiam generoſiſſimum, timidum facit.

Geneſ. c. 3. v. 10.

condit

condit se: videlicet ad latibula confugiens, sese inter densa arborum folia, quoad poterat, occultauit. Non erat minùs antè, quàm cùm peccauerat, nudus, sed tum non timuit, non se abscondit; timuit atque abscondit se cùm primùm peccare cœpit: fuit ergo causa timoris, verecundiæ, & latebrarum in Adamo peccatum.

Peccati plura dãna enarrãtur. 17 Nec in vno hoc alteróve stat pœna peccati. Etenim quid non malorum peccatũ comitatur? quid non consequitur? quid ipsum bonorum non subruit & euertit? ampliùs dico, peccatum peccantem vincit, illi dominatur, victo imperat, vincula & compedes iniicit: virtutis actus omnes priores, vt spolia, tollit, ingenium hebetat, intellectum obscurat, voluntatem ad bonum segnem facit, & tardam, animum totum sic inquietat, vt meritò dicere possit, quod innoxia Susanna apud Danielem, timore peccati, peccator noxius pœnæ formidine, *Angustiæ sunt mihi vndique.* Daniel. c.13. v.22.

Peccati pœna in animo statim cum peccato exorta recensentur. Et verò quomodo non sint? quando semper videre sibi videtur supra se iratum iudicem Deum, omni momẽto minantem supplicia, in vita, in morte, post mortem duratura. Infra se infernum hiantibus faucibus flammarum globos arsuros perpetuò eructãtem, quibus mox ipse subministretur in pabulum. Intra se, vermem rodentem assiduò, atque quot cogitationibus timidis, quot anxiis curis, quot molestis conflictibus, tot nouis spiculis cor suum & animum ferientem. Neque enim aliter fieri potest, quin his crucietur vehementer, quando etiam secundùm Satyricum homines mali

Iuuenal. Saty.3.

——Quid fas
Atque nefas tandem incipiunt sentire peractis
Criminibus——

S.Cypr. Epist. 49. ad Corn. Papam. Et ampliùs, secundùm eloquentissimum Cyprianum, *Feruntur semper mali suo furore dementes, & posteaquàm scelera fecerint, conscientiâ ipsâ sceleratæ mentis agitantur*: &, quod ego adiungo, nisi vitâ comite maturè resipuerint, agitabuntur æternùm.

18 En quot mala, quot damna, quot & quàm grauia vulnera, vno ex crimine; vnâ ex voluptatula, tam leui, tam breui, quantum dolorum, calamitatum, tormentorum. Sed iam patratum est nefas, & quod factum infectum fieri nequit. Nihil ergo homini suâ quidem culpâ reo, & misero, sed gementi & dolenti remedij est? ergóne sic illi pereundum? nequaquàm: quamdiu spes vitæ est, spes etiam superest salutis & veniæ. *Ne desperet seruus fugitiuus*, inquit Petrus Blesensis, *si pœnituerit, si de profundis clamauerit, eruet eum Dominus de visceribus ceti, de faucibus inferni, & statuet eum à dextris inter oues.* Erit ergo illi pharmacum, & medicina malis suis omnibus, dolor & gemitus; se tãtùm medico sistat, malum pandat, occulta per sacram exomologesim aperiat vulnera, ad cor redeat, sibi timoris Domini frænum iniici sinat, in viam virtutis redeat, & hoc stadium nouis animis decurrere verus athleta incipiat. *Contra peccatum iam patratum remedia.* Petrus Blesen. ser.48.ad Prælatos.

19 Inspectis latebris IONÆ, postquàm ex iis aliquid ad instructionem nostram deprompsimus; dirigamus nunc paulisper oculos in dormientem, inspecturi num etiam somnus eius aliquid nobis ad formandos in melius mores suppeditet. Atque inprimis quid hîc sibi vult somnus? Respondet D. Hieronymus: *Si interpretamur in typo, hominem significat erroris sopore torpentem, cui non suffecerat fugisse à facie Dei, nisi quadam vecordiâ, mens illius obruta ignoraret iracundiam Dei, & quasi securus dormiret, & profundissimum somnum roncha nare sonaret.* Ex qua D. Hieronymi interpretatione apparet altera conditio, siue improbitas hominis scelerati: nimirum, quod hic, vbi primus ille metus, indicatus per latebras, siue nauis interiora, in quibus noster IONAS tantisper hærebat, resedit paululùm; iam periculi immemor, atque expers formidinis, velut securus somno se tradat, adeoque quò propius est periculum, *Somnii Ionæ Tropologia.* D.Hier. Com. in Iona c.1. *Somnus & securitas peccatoris, res pessima.*

eò

cò etiam profundiùs dormiat: quæ sanè non leuis calamitas est, nulli nisi ipsi plurimùm noxia.

20 Meministis credo dictum Domino per Ieremiam Prophetam deplorantem grauiter scelera Iudaici populi, ad quem mittebatur admonitor, *Percussisti eos & non doluerunt.* Magnum enim malum, si non maximum, immissa à Deo flagella nõ persentiscere. Hippocratis aphorismus est. *Cùm corpus ægrũ vel afflictum, suas plagas vel dolores non sentit, certum est signum mentem ægrotare.* Id est laborare stupore, vel amentia. Sic Iudæi non sentientes plagas Domini, sanè vehementi mentis stupore, & amenti pertinaciâ laborabant. Videmus ægros phreneticos, quò magis morti vicini sunt, eò ferè, dolentibus magis amicis, ridere ampliùs. Festum agebat olim Ierusalem, sed illius lugebat interitũ Christus: & nos sæpè festum agimus, cũ mors in ianuis est; dormimus, cùm interim, nobis nihil minùs cogitantibus, vno eodẽque tempore,

——*In æternã clauduntur lumina noctẽ*

mox perituris. Existens ebrius aliquis in obsessa ciuitate (conceptus est Gregorij Mastrilli, si rectè memini) licet iam aggeres perruperit, valla penetrarit, ac ipsis propè in mœnibus hostis fuerit, omnibus repentinam irruptionem metuentibus; solus ipse sine metu, solus sine cura totus exultat: quid ita? quia ebrius est, & sui impos nescit quid agat. Hic solus peccator, quia peccator, sine cura, sine lege viuit, nec Deum timet, nec homines reueretur.

Ieremiæ c.5.v.3.
Mortu signum in ægro est, morbum non sentire.

Quod in morbo corporu id etiam in animæ morbo verum ostenditur.
Virg. 12. Æn.

21 En hic IONAS noster solus inter omnes dormit in naui, inter perstrepentes vndas, in ipsis penè faucibus mortis. Solus dormit Sisara in alieno tabernaculo, plenus lactis, quod ei Iahel mulier inimica porrexerat; sed miser, soporem morti socians, non se priùs occidi, quàm occisum agnoscit. Dormit Holofernes, cùm armata Iudith eius iugulo ferrum intentat & demetit caput sceleratum, corpus obuoluens. Sic ferè omnes impij dormiunt: primò, ex somno facili in grauiorem, deinde sin lethargum labentes, à quo vt excitentur, atque ad se redeant tandem, opus potenti Domini voce clamantis vt olim ad monumentum Lazari Christus, *Veni foras.*

Ioan. cap. 11. v. 44.

22 Redeamus iterũ nonnihil ad secula illa pristina, & Dauidem lapsum intueamur; statim notabimus, licet aliàs vigil esset & pernox, eum suis sceleribus indormire intrepidum. An non cùm Bersabeam è suo congressu grauidam audijt, primò infamiæ metu occultare facinus studuit? cùm verò scelus scelere cumulasset, iniustâ nece Vriæ illatâ, factus audacior nunquid eamdem suam induxit in domum? & mox omni metu posito, illicitis amoribus securus indormiit, Dei & diuinæ iustitiæ immemor, quoad vsque veniens Nathan ei somnum depulit, facti turpitudinem exposuit, timorem incussit? cuius deinde salubribus monitis sui facti indignitatem agnoscens, ad mentẽ, simul ad Deum gemens & pœnitens redijt.

Dauid in peccatis suis dormit securus.

Qualem videtis fuisse Dauidẽ Regem, talem etiam se esse peccator intelliget, cùm animum suum inspexerit, primò quidem timidiorem, deinde etiam in sua malitia securum, & profundè dormientem, sed vtinam tandẽ etiam vt Dauid, ad cor redeat, & vt ille syncerâ pœnitentiâ ducatur factorum suorum.

23 Secundùm Petrum Blesensem multus & varius est sopor; nimirum infirmitatis, necessitatis, veritatis, vanitatis: breuis, grandis, leuis, grauis: admittendus, expectandus, amplectendus, abiiciẽdus: quia vtilis, ineuitabilis, amabilis, detestabilis, de his non loquor, tantùm dico & exclamo.

Blesensis ser. 48 ad Prælatos.
Alius somnus iusti alius peccatoris.

O quàm dispar peccatoris & iusti somnus. Peccatores dormientes vidistis, videte similiter iustos. Dormit Elias sub vmbra iuniperi, dormit Petrus vinctus in carcere catenis duabus, & tam profundè dormit, vt percusso latere excitari ab Angelo debeat, licet huic Herodes, illi Iezabel vitam tollere moliantur. Tantam in

tantis periculis quietē, tam placidum somnum miratur mundus, at quid mirum? cur quæso inquietus sit homo iustus ac timens Deum, qui non habet quod perdat, nisi breuem aliquam labentis vitæ moram, neque de mente potiore sui parte, sed de corpore tantùm periclitatur: habet verò quod lucretur æterna cæli gaudia, vitamque perpetuò felicem. Quę causa cur prospera inter & aduersa viuat omnis timoris ac trepidationis expers. Miremur potiùs hominem peccatis obvolutum, quem manent nunquam terminanda supplicia, & cui Rex ille Regum ex nunc vehementer iratus est, dormire, imò quiescere aliquando posse, si præsertim oculos sustulerit ad strictum diuinæ iustitiæ gladium suo capiti impendentem. Quod dum videmus à nonnullis fieri interdum, nescio an dicere debeam stupendâ quadam incuriâ an potiùs admirabili proteruiâ, meritò exclamemus, eorū verè infelicium infelicissimam sortem miserati, cum Moyse in Deuteronomio. *Gens absque consilio est & sine prudentia: vtinam saperent, & intelligerent, & nouissima prouiderent.*

Peccatorē dormire aut quiescere posse prorsus mirum.

Deut. c. 32. v. 28.

24 Hoc etiam facere debuisset IONAS; sapere, intelligere, & prouidere nouissima; atque fecisset vtinam, & illius Domini spectasset potentiā, cuius imperio obsequi, & cui ad nutū seruire tenebatur: non tunc, vt modò hîc cernimus, in abiecto abstrusoque aliquo nauis angulo, fœtido, squalente, horrido, miser sterteret; neque tantùm rerum omnium, atque adeò vitæ, salutisque suæ discrimen adiret inglorius. Nec minùs facere debuissent, ac deberent etiam hodie voluptuarij nostri, qui quotidie magis ac magis sui obliti, in mensis earumque deliciis, in poculis, in cyathis morantur & cantharis, qui student per singulos dies nouo ardore calicibus epotandis: deberent, inquam, intelligere, sapere, & nouissima prouidere. Omnis enim ruinæ eorum causa, ac fons mali totius insipientia est; quam secuti, in mediis mundi campis mensas parare sibi videntur stratasque seruare perpetuas; neque iam de tabernaculis, aut tentoriis, vt olim patres nostri, sed de figenda habitatione firma & domo stabili cogitant, ipsi instabiles. Quare ab insipientia sua seducti, atque acti in miseriarum labyrinthum, suas sibi, quibus deinde grauiùs premuntur, & premi non desinent, calamitates imputent.

Futurorū Prouidentia Ionæ defuit.

Eadem nunc deest peccatoribus.

25 Nouimus, qui aliquid nouimus, quòd, vt ait S. Augustinus, *Omnes illæ felicitates, quæ videtur seculi, somnia sunt dormientium.* Sicut igitur *dormierunt somnum suum, & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus suis:* sic nec voluptuarij, nec superbi, nec libidini seruientes, aut alteri vitio cuicumque, vbi euigilarint, quidquam reperiunt; tantò magis insipientes quantò faciliùs ea, quæ nimis anxia sollicitudine quæsierant, perdunt.

Felicitates seculi somnia sunt. August. in psal. 131. Psalmo 75. v. 6.

26 Excitatorem habuit, vt vidimus, dormiens IONAS, per quem nequaquam ei securè indulgere somno licuit, vel vnico horæ momento; synteresi diuinæ iustitiæ ministro velut importuno satellite fores animi pulsante continuò. Eiusmodi excitatorē habet omnis peccator, ad quem, etiā ingēti conatu pulsus, sēper vltrò redit.

Cōscientiæ remorsus peccatorem dormire, aut quiescere non sinit.

Amoliri eum omni studio à se voluit sæpius improbus ille Magister & hæreseon architectus Lutherus; at quātūcumque vellet & conaretur, nō potuit. Vtilis ei per omnia fuisset hæc domestici opera, nisi illam importunè nimis, suo heu nimiū magno, & æternùm lugendo malo! repudiasset.

Lutheri inquietudo.

27 Aristotelem dormientem scripsit in eius vita Laërtius, æneâ sphęrâ, quam manu tenebat ex resolutione neruorum in suppositam peluim prolapsâ excitari solitum. Hac industriâ non indigebat Lutherus, erat sufficiens tinnitus, audiebatur in eius animo sat magnus clamor, intus premebat eū abundè dolor, & aderat exulceratio; vt hæc facilè dormientem, & in sua perstantem malitia excitarent, commonerent, affligerent, remordente semper nocte æquè ac die improbum

Aristotelis industria ad procurandam vigiliam.

Lutheri industria ad sopiendam conscientiam.

probum hominem suâ conscientiâ. Verùm nihil profuit, quia Sirenum cantibus, corporis inquam voluptatibus, animi aures obturarat, assuetus bibere genialiter, quemadmodùm ex vitro illo insigniter capaci, cuius formã expressit Ioannes Fredericus Matenesius, Historiarum & Græcæ linguæ in Academia Coloniensi Professor, in libello suo de Ritu Bibendi super sanitate, satis colligi potest: quo magnus ille Doctor vti velle videbatur, alios etiam ad æquales haustus prouocans, vt omnem simul obseruantiam combiberent. Etenim compotoribus suis dicebat eo ad primum vsque circulum decem Decalogi pręcepta contineri; ad secundum Apostolorum symbolum; ad tertium orationem Dominicam; ad fundum vsq; quidquid est reliquum catecheseos. Et sic haustu vno vitreum illud poculum vino Rhenano plenum potator nobilis egregiè vacuabat, exemplo non imitando; cùm nos omni tẽpore esse oporteat memores monitionis Domini, per Prophetam suum dicentis: *Vę qui potentes estis ad bibendum vinum, & viri fortes ad miscendam ebrietatem.* Nemo ergo hîc Lutherum imitetur, sed magis, cùm per inspirationes diuinas commonetur, instruitur, vt noscat peccata sua, eadẽque detestetur ac damnet, id facere quàm primùm sobriè, piè, castèque viuendo, incipiat.

Matenc. lib. 1. c. 9.

Isaiæ c. 5. v. 22.

28 Iterum reuertor ad Ionam. Is excœcatus, induratus, atque, vti apparet, sepultus incurię somno; in eo perrexisset, & forsan non excitandus vnquam etiam periisset, sua in memoriã peccata nõ reuocans; nisi ad hoc eum tam profundè stertentem dura irati Numinis flagella excitassent. *Dormiebat* enim, vt dicitur, *sopore graui.* Sic dormit, qui mediis in periculis, mediis in peccatis, vt diximus, etiam Dei irâ in se sæuiente, non excitatur. Verum quidem est, ita dormientem euigilare nõ posse, nisi excitatum à Deo: sed vbi excitantem senserit, quod ipsius est audiat, coneturque ne denuò obdormiscat. *Hodie*, canit Psaltes Regius, *si vocem eius audieritis nolite obdurare corda vestra.* Psal. 94. v. 8.

29 Petrus Bercorius per Ionam dormientem in mari, hominem intelligit vitæ improbæ & exempli non boni; qui mundi & peccati mare ingressus, in naui siue religiosi alicuius instituti, siue cõmuni Ecclesiæ ad aliquã præfecturã admittitur: sed quia ibidẽ per socordiam dormit, suisque in vitiis securus conquiescit, causa est, agens præposterè omnia, cur concredita ei nauicula naufragij incurrat periculum, nequaquã tollendum quoad ipse sublatus, & præfecturâ destitutus, mittatur in mare, siue mundi, vt cum ceteris redigatur in ordinem, siue inferni per mortem, vt istic à ceto diabolo deuoretur.

30 Hæc ferè Bercorius: quibus hoc tantùm adiungo, omnino operæpretium videri, vt vigilent Ecclesiæ Præsules, caueant religiosorum Præfecti, ne dormiant in suorum æquè ac propria salute procuranda: non enim id facturos se sciant impunè; vtpote rationẽ aliquando, & quidem exactiorem quàm putent, de sibi concreditis summo Prefecto & Pręsuli reddituri. At quia de his paulò pòst fusiùs, quando de gubernatore nauis vero Superiorum typo acturi sumus, tollo nunc manum de tabula, & quę reliqua sunt, in proximum tempus reseruo.

LECTIO VNDECIMA.

ACCESSIT AD EVM GVBERNATOR, ET DIXIT EI: QVID TV SOPORE DEPRIMERIS? SVRGE, INVOCA DEVM TVVM, SI FORTE RECOGITET DEVS DE NOBIS, ET NON PEREAMVS. *Vers. 6.*

ARGVMENTVM.

Nauis gubernator typus Prælatorum Ecclesiæ proponitur, deque horum munere agitur. In communi calamitate opus esse precibus, atque ad eas, cùm priuatim tum publicè, recurrendum ostenditur. Ex occasione Ionæ, *peccatum suum non statim confitentis, de Sacramentali Confessione copiosiùs agitur.*

1 IONAS alijs omnibus timore perterritis, & tantam tempestatē mirantibus, ac prorsus ad eam attonitis, placidæ quieti somnoque ampliùs quidem indulgere statuerat; sed non licuit quod lubebat. Nam cùm hoc ageret vt altùm dormiret, & profundè sterteret: ACCESSIT AD EVM GVBERNATOR. Hunc vocat Rabbi Dauid Kimchi *Maiorem*, seu supremum nauis, constitutum super חבלי chable, id est funes nauis, ad eam dirigendam & gubernandam, quasi funarium diceres. Gubernator hic siue nauclerus, memor muneris sui, vbi semper magis & magis intumescentes vndas, proindeque præsentius ac certius videt periculum, totam circuit nauem sedulò, acta & agenda pro sui ratione muneris cogniturus; quâ curâ opereque dum distinetur, obseruans actutùm omnia, incurrit in eius oculos IONAS in imo nauis, fortè circa sentinam alicubi dormiens. Certè Petrus Blesensis cum velut pro ipsa nauis sentina hîc habet; quare *sentina*, inquit, *non potest remanere in medio, inferius ceteris cadit quia prait cadentes.* Subiungit: *Nauis Noë quinque mansiones habet. In summa homines & aues, Prælati & contemplatiui, quia soli Deo vacare habent. In secunda immitia animalia, id est actiui, qui diuisi sunt. Post immitia, qui nomine tantùm, & non numine. In sentina stercora, aqua paulatim intrans, pondus trahens superiora.* Hæc ille. Quidquid sit siue circa sentinam, siue circa locum alium, ad nauis ima repertus fuerit IONAS, cum ibi delitescentem, tono aliquantulùm concitatiore, licet non asperioribus verbis, vt fas est credere, sic gubernator affatus est: QVID TV SOPORE DEPRIMERIS?

Gubernatoris nauis diligentia notatur.

Blesens. ser. 48.

2 Gubernatoribus istis esse consuetudinem ait Hieronymus Pradus in Ezechielem, quasi è specula prospectare periculi magnitudinem, & cùm se illi non posse satis prouidere arbitrantur; vociferari, clamare, præcipere voce tumultuariâ, nemine attendente, obsequente nemine: hoc verò cùm viderint, & communem illam, ad tumultuantem similiter turbam, vociferationem nihil posse conferre, maiori commodo conuerti ad singulos, & priuatim quemque sui muneris commonere. Quam etiam rationē prudenter iniens nauis huius gubernator inter ceteros IONAM alloquens dormientem: *Quid*, inquit, *tu sopore deprimeris?* ac si dicat, Benedicto Aria Montano interprete, adeóne ineptus es,

Gubernatoris munus est omnibus & singulis intendere.

Monetur ab eo Ionas.

es, qui solus in tanta temporum rerumque perturbatione, in communi omnium periculo, aliis & de se, & de te quoque sollicitis, profundè dormias? si securus hoc agas, es & supinè negligens, & vehementer incurius, quod non est viri probi. si mœrore oppressus, quid inde boni? quid commodi? etiam turbulentis temporibus, etiam mente inquietâ & turbidâ, aduersis obniti, & vigilem stare, non segnem, aut somnolentum te sedere, aut iacere oportuit. Dicito igitur, modò tibi quid venit in mentem, aut quid accidit, vt, quasi ratione ac sensu destitutus, tanto in omnium discrimine iaceas somno sepultus? Ferè sicuti apud Poëtam legimus monitum à Mercurio Æneam;

Virgil. Æne. lib. 4.

Nate deâ potes hoc sub casu ducere somnos?
Nec quæ circumstent te deinde pericula cernis?

Triplici modo Ionas à somno excitatur.

ita monetur hîc à gubernatore IONAS.

3. Tripliciter quemadmodùm à Ioanne Fero rectè est obseruatum IONAS excitatur à somno. Primò voce gubernatoris, deinde timore præsentis tempestatis atque periculi, denique, cùm hæc non sufficiunt, ipso Domini animum eius commouentis instinctu. Et hic modus omnium fuit efficacissimus; solus namque effecit, quod monitiones præuiæ, cùm argonautæ huius, tum impendentis periculi, quæ mouere tamen vt plurimùm solent, efficere nequierunt.

Peccator similiter.

Triplici hoc modo à somno suo, æquè ac IONAS à suo, excitatur peccator: nimirum vel Oratoris Christiani, aut Superioris sui quasi gubernatoris voce; vel aduersitatibus & flagellis, quæ aptissimè hæc nobis tempestas adumbrat, vel sancti Spiritus gratiâ hominum mentibus illapsâ, qua quidquid nobis deperiit restituitur, quidquid collapsũ instauratur, quidquid viuit & floret, in vita, flore vigoreque suo, permanet.

4 Hic, quem cernitis, gubernator, tam in opere strenuus, tã nauiter suæ suorumque intẽtus saluti, modis omnibus adlaborans ne concredita curæ ipsius atque industriæ nauis, minùs cautâ custodiâ aut obruatur fluctibus, aut impingat in scopulos, sicque damno nõ reparabili pereat; typus est Ecclesiæ Præsulum, eorum inquam qui ad nauiculæ Petri clauum sedentes, ceteris, nauigantibus mare hoc seculi magnum, imperant. Hi igitur discant, ab eo de quo modò agimus gubernatore, quid sibi omni quidem tempore, præcipuè verò afflictissimis rebus agẽdum: vigilent primi, deinde alios vigilare similiter doceant, & si id facere noluerint, suo tempore suauiter etiã compellant: dormientes in eadem secum naui, si quos habeant, si quos inquam in cœtu congregationeque sua socordes, excitent, & quos nõ possunt precibus flectere, verbis corripiant, terreant minis, atque in omni actione muneris sui meminerint; vt in magno extremi iudicii die, quando erit reddenda cuique exactior de omnibus ratio ad tribunal supremi Iudicis, appareat non debitæ institutionis defectu, sed socordiâ propriâ prauæque arbitrio voluntatis perire voluisse, periisseque quotquot perierunt, neque defuisse cohortationes, & surgere potuisse nisi voluntas bona defuisset.

Gubernator hic typus est Prælatorum Ecclesiæ.

5 Dicam paullò clariùs (licet mea commonitione non egeant, & probè nouerint munus suum) quid facere maximè circa segniores debeant ij, quibus commissa proximorum cura. Certè vbi repertus fuerit quispiã dormiens sicut IONAS somnum peccati grauissimũ, de exorta tempestate, de vindicta diuina, de æternæ damnationis periculo nõ cogitans; is subitò excitandus, monẽdus, vrgendus, opportunè, importunè; & nisi factum id fuerit, iam non tantùm dormientis, sed illius etiam, qui cùm deberet non excitat dormientem, causa agetur, salus in discrimen vocabitur.

Prælatorũ & Pastorum officium.

6 Habent hîc quod timeant non solùm pastores mali, sed etiam boni, cogitentque & frequentiùs, & attentiùs, quantum sibi sit onus impositum;

Periculum in prælaturis est magnum.

 tum;

tum; & quàm sint de multis, & grauibus responsum reddituri aliquando illi qui nouit omnia, & quem nullum latet secretum.

Chrysost. Hom. 9. in Epist. ad Heb. Dictum est aliquando, & scriptum à viro maximo & sanctissimo, quod meritò multis timorē incutiat: *Miror si potest aliquis rectorum saluari.* In qua etiam mente existens Beatus Thomas Villanoua ex Ordine S. Augustini Archiepiscopus Valentinus, afflictus vehementer ob demandatū sibi munus Episcopale, & metuens, vt aiebat, *ne excluderetur numero Beatorum, quia fuisset de numero Prælatorum*: coram Christi è cruce pendentis prostratus effigie sortem suam plurimùm luxit. Audiant hæc, recolant, & altiùs dimittant in animum, qui ad eiusmodi munia honoris, dignitatis, lucri & cōmodi gratiâ, vel etiam amplioris potestatis specie aspirāt; neque quod in iis onus est, suorū humerorū imbecillitate metiuntur. Videant verò, vbi iam eiusmodi aliquid sibi impositum fuerit, vtinam nolentibus, & quodammodò inuitis, certè non ambientibus, multò minùs per violentiam, aut simoniam se ingerentibus, vt agant quod debent, vt sine vllo timore humano partes suas munusque adimpleant, excitēt somnolentos, eosdem delitescentes in ignauo otio quærant & aduocent; nec cōquiescant donec inuenerint, & depellentes veternum cōsuetudinis prauæ, eos ad vigilias, & laborē aliquando profuturum compulerint.

B. Thomas Villanoua deplorabat quòd esset Prælatus.

Nicolaus Baxius in vita.

Dionys. lib. de cælest. Hyerarchia. 7 Hic opus spiritu, virtute, industriâ. Est quidem, teste S. Dionysio Areopagita, *diuinorum omnium diuinissimum, cooperari Deo in reductionem animarum*: sed ausim addere, esse similiter difficilium omniū difficillimum; vt rectè dictum sit in hanc meam sententiam à B. Gregorio supremō Pastore Ecclesiæ, eodemque sapientissimo & optimo: *Ars artium regimen animarum.* Facit hoc difficilius, & magis arduum tanta ingeniorum & mentium aliter & aliter dirigendarum varietas: nam velle vno pede metiri omnes, omnes vnâ eademque normâ regere, est ipso in limine offendere. Quare quod scribit Paulus Apostolus, pater multorum, Corinthiis suis: *Omnibus omnia factus sum, vt omnes facerem saluos*: id prorsus agendum quærenti lucrum animorum. Hic namque prudenter in omnes versare se partes debet, diligenter circumspiciendo ne, dum prodesse cupit vni, obsit alteri; eam regulā statuens, quam velit vniformiter sine personarum & ingeniorum delectu seruari ab omnibus. 1. Cor. c. 9. v. 22.

Maximum munus & simul difficillimū regimen animarum.

Greg. lib. de cura Pastorali.

Non omnes vno modo regendi.

8 Argumentum hoc tractat copiosè Carolus Scribanius, vitâ functus ab annis plus minus decē, vir suo tempore magnus. Notat hic inter cetera longo vsu & ampliùs quàm continuo annorum viginti & quinque regimine animaduersa probataque à se, benignitatem & quandam quasi familiaritatem in nonnullis contemptum, amorem in aliis prouocare; maturitatem & grauitatem in his venerationem, in illis conciliare odium; maiestatis seueram quandam exhibitionem à nonnullis diuinum quid, à nonnullis quid omnino barbarum censeri; denique alios amore & beneuolentia duci velle vt filios, alios cogi timore vt seruos. Et verè sic est.

Scribanius in super. Religioso lib. 1. c. 2.

9 Addo esse quosdam in omni penè familia, quibuscum si agatur leniùs, contemnunt, alios si rigidiùs, offenduntur; & statim illum qualemcumque rigorem, fortitudinem vocare solemus, esse magnam animi impotentiam iudicant. Quibusdam officit minima etiam indulgentia; nam gustum ex aliqua libertate concessa experti, maiorem deinde ex se sumunt, & tantam subinde, vt facti mox liberiores, deinde etiam liberrimi, nihil non audeant. Quidam verò, si nihil eis indultum fuerit, si nihil de rigore & obseruantia accuratiore remissum, ita vt contineantur continuò in virga, vt dici solet, ferrea, in apertam indignationem erumpentes, animo à duce suo auertuntur, & Superiorem qualis & quantuscumque demum is fuerit,

Ingenium & indoles eorum qui reguntur spectanda.

fuerit, quem vt patrem amare debuerāt, incipiunt nō iam ampliùs amare, sed timere vt dominum, durum, insulsum, vix tractabilem, nullo præditum sensu humanitatis, propè etiam horrere, velut tyrannum.

Singulorū genio regimen aliquo modo attēperandum

10 Quare magistrum spiritus, sui magisterij bene peritum, omnes induere vultus, formas omnes, suo tempore oportet, secundùm Pauli doctrinam dicentis discipulo suo Timotheo: *Argue, obsecra, increpa in omni patientia & doctrina.* Sunt enim qui comitate & suauitate non ficta, sunt qui lento, assiduo tamen rigore, optimè continentur: quorundam animi affabilitate aliqua, aliorum modestiâ & morum grauitate expugnantur. Nonnulli verba amant & frequens alloquium, alij nonnulli sermonem parcum, & rarum; vt his ferè semper nimiùm, illis nunquàm dictum sit satis. Paulus dicebat: *Sapientibus & insipientibus debitor sum:* sic se esse hic putet omnibus illis debitorē quorum curam suscepit.

Ad Tim. Epist. 2. c. 4. v. 2.

Ad Rom. c. 1. v. 14.

Primò suauitate agēdum in regimine.

11. Porrò errare in munere suo vix potest, si in hoc collimet, vt benignitate & beneuolentiâ, non tamen politicâ illâ quæ vera beneuolentia non est, sed syncerâ quàm religiosissimè vtatur; tentetque quàm maximâ suauitate priùs omnia, quàm ad grauius aliquid descendat, tametsi ij, quibuscum agendum, ferinæ quodammodò naturæ fuerint: quos si comitate quadam sibi demeritos, eò deduxerit, vt hortantem audiant atque amare incipiant, tum etiam nullo negotio ducet vlteriùs ad mansuetudinem moresque compositos. Nam vt ait ille:

Horatius li. 1. Epist. Epist. 1.

Nemo adeò ferus est, qui non mitescere possit,
Si modò culturæ patientem commodet aurem.

Commodabit verò, non dubito, si ad hoc quoque suauitate inducatur potiùs & precibus, quæ potentissimæ esse solent quando à paterno pectore proficiscuntur, quàm minis. Etiam apud politicos nedum apud Christianos, regimen illud censetur optimum quod suauissimum est. Dixit Seneca Tragicus.

Seneca in Thebaide Act. 4. in fine.

Qui vult amari (hoc velle debet, qui vult regere) *languidâ regnet manu,*
Inuisa nunquàm imperia retinentur diu.

In regimine etiam suo tempore opus est fortitudine.

12. Si tamen subditorum quispiam talis sit, vt apud eum maiorū suorum neque benignitas, neque preces locum inueniant, & eorum longâ dissimulatione, aliud nihil agatur, quàm vt *qui in sordibus est, sordescat adhuc,* quique antea dormituriebat tantùm, paulatim etiam profundiùs dormiat; cum hoc nequaquam dissimulandum vlteriùs, sed cum gubernatore nauis in qua IONAS hærebat dicendum tono grauiore quod ille IONÆ: *Quid tu sopore deprimeris?*

Apoc. c. 22. v. 11.

Gubernator nauis est typus boni patrisfamilias.

13 Agnosco etiam in gubernatore hoc, vt habeant quod in eo imitentur qui in seculo viuunt, non secus ac illi qui seculum reliquerunt, idæam boni & solliciti patrisfamilias, qui singulorum domesticorum suorum actionibus intendens sedulò, singulorum mores considerans, quid quiuis agat introspicit, & si quid censoriâ dignum virgulâ viderit, monet, corripit, corrigit; quod sanè facere ex debito muneris sui tenetur; & vtinam quilibet faciat.

Est hic quod maximoperè damnemus, à quibusdam nimiùm laxari habenas filiis suis & filiabus, famulabus & famulis, quibus, quasi peccare non possint, omnia licent, permittuntur omnia, & si quis illorū, etiam manifestè, in disciplinam domesticam peccet, peccaret impunè: vt mirum non sit, si subinde viri aliàs probi, sed non satis vigiles pro honestis, vt putant, adolescentibus, fornicarios; pro castis virginibus scorta alant domi suæ, insolentiarum, quæ ipsos intra domesticos parietes aguntur, ignari: scilicet dum ipsi altùm dormiunt, cōueniunt inter se iuuenculi & iuuenculæ, impudicos sermones miscent, choreas ducunt, pergræcantur, scortantur. Sed quid dico? nihil opus est omnium sce-

lera in publicum proferre.

Tilmannus lib. Allegoriarum & Tropolog. vtriusque testamenti.

14. Ad rem nostram: attentâ consideratione dignum est, quomodò hic rudis & ignarus nauta, insuper homo ethnicus, IONAM natione Iudæum, in diuinis versatum, imò legis sacræ professorem ac Prophetam; proindeque Deo familiarem, & cum illo coniunctissimum, à somno excitet; atque sui officij moneat, qui moneri ab ipso IONA debuerat. *Quid est hoc*, inquit Godefridus Tilmannus, *nisi quòd ille qui caput fuerat malorum quandoque malum redarguit Prælatum tanquàm peiorē se. Hoc est quod asina subiugale animal allocuta est Balaam.* Ita ille.

15 Sic nostro tempore videmus, pro dolor! quod ingens dedecus est & infame probrum, reprehendi interdū, neq; iniuriâ, ab Ethnicis Christianos, ab hæreticis Orthodoxos, à laicis Sacerdotes, ab amicis mundi huius, eos qui mundum & quidquid est mundi vestitu cultuque corporis, sed non vti apparet vitâ & moribus, quemadmodùm debuerant, reliquerunt. Verùm quid virtutis & diuinæ gloriæ cupidis hac re magis inglorium? quid magis indignum, quàm hos iustè carpi, argui, damnari ab iis quos ipsi continere in officio, & si vspiam exorbitassent, reducere in viam debuerāt. O quàm turpitèr, sic agēdo, multi fiunt ex magistris discipulorum suorum discipuli, discipuli verò prorsus præpostero ordine magistrorum suorum magistri.

S. Augustinus dolet se à simplicioribus vinci. August. lib. 8. Cōfess. c. 8.

16 Beatum Augustinum, vbi multorum aliàs imperitorum, probatæ vitæ non modò Christianos mores aduertit, sed propè religiosos, sui aliquando puduit; & cùm iis se non seguiter instrui arbitraretur, actus ipse felici & salubri quadam verecundiâ, in has voces magno sensu prorupit: *Surgunt indocti & cælum rapiunt, & nos cum doctrinis nostris sine corde, ecce vbi volutamur in carne & sanguine.* Et quomodò modò non quosdam pudeat, non tantùm factis, sed etiam verbis moneri debere ab iis quos ipsi verbo & opere, quid faciendum, quid omittendum, monere debuerant? Fateor non omnes tales, non desunt tamen qui dicere possint cum Augustino, *Surgunt indocti*, &c.

17 Vtinam nos, qui sæpè intus virtutibus vacui & inanes, foris verò vanitatibus turgidi, annis pluribus Theologicis scientiis vacauimus, & vacamus adhuc; interpretamur litteras sacras, antiquorum Patrum volumina quotidie manibus terimus, sublimia de SS. Trinitate, Incarnatione Verbi, arcanis mysteriis Sacramentorum, in scholis, pulpitis, consessibus publicis, in numerosâ eruditorum corona disputamus, priuatis colloquiis inculcamus, velut magistri omnium, iis ab ore nostro pendentibus, vt vulgus solet ab ore viri prudentis & grauis, secundùm illud Maronianum:

Tum pietate grauem ac meritis si fortè virum quem Virgilius. lib. 1. Æneidos.
Conspexère, silent, arrectisq; auribus adstant.
Ille regit dictis animos, & pectora mulcet.

Indocti humiles multos doctos superbos confundūt.

Vtinam inquam nos tales, non confundamur aliquādo ab iis, qui paruuli in oculis suis, in Dei verò conspectu magni, non philosophantur de rebus altis & arduis, non disputant de sublimibus, de magnis & reconditis, nihil ad Dei perfectiorē cognitionē, amorem, desiderium valituris, inquirunt: sed diuinarum legum accuratæ obseruationi insistentes, & IESV Christi sanctissimo amori seruientes, prælibant quodammodò summam illam sempiternāque Beatorum felicitatem ad quam medullitus suspirant.

Virtutes morales gubernatoris nauis commendantur.

18 Ad extremum non est hîc nobis occultanda silentio, gubernatoris, quem tam vidimus in suo officio diligentem atque assiduum, benignitas, humanitas, prudentia singularis, quâ IONAM tanta in perturbatione rerum omnium, in necessitate tanta, tantoque periculo stertentem, non quamprimùm obtruncat & cōficit; vti cum suis excubitoribus, si quando eos dormientes reperiret, facere solitū Epaminondam Thebanorum Imperatorem Plutarchus memoriæ prodidit; non

Epaminonda in excubitores dormientes seueritas

non pedibus proterit, non manibus vellicat, discerpit vnguibus, contundit pugnis; aut quò ducere impetus iracundiæ potuisset, deturbat in mare: sed neque, quod facere congruenter poterat, iubet vt sentinam exhauriat, remiget, rudentes expediat, antennis se applicet, velo obuoluendo manum admoueat, anchoram iaciat, stet ad proram aut puppim intentus operi, contentus monuisse eum, vt expergefactus Deum cunctis propitium suis precibus flagitet.

Ab orando Deo nullus excusare se potest.

19 Quisque Christianus hoc ipsum quoque à suo gubernatore rogatur: neque est vllus, qui hoc præstare non possit, & debeat. Si imbecilliori cuipiam, qui tenello est corpore atque attritis viribus, imperetur molestus & difficilis labor, is obtexere meritò potest, vt se excuset, virium impotentiam; si dicatur inopi, conferat ingentem auri vim, ad rem Christianam augendam, & prolatandos religionis Catholicæ terminos, paupertatem; si imperito armorũ, loricam vt induat, gladio se accingat, sclopo instructus procedat in aciem, suam imperitiam: at dicatur cuipiam, quisquis demum aut qualiscumque is fuerit, precibus propitium sibi faciat Deum, non habet prorsus quod opponat. Nam tametsi ire armis in hostem, conferre in commune ærarium de suo affluenter, totum se summo conatu ac studio operi & labori impendere non quilibet possit; orare certè potest. Quapropter *Sodales*, pro muneris mei ratione vos commonitos cupio; vt si vnquam, modò saltem, in tantis tempestatibus, hoc est in tam præsentibus Ecclesiæ necessitatibus, dictum singulis vestrũ, quod IONÆ, putetis: *Surge, inuoca Deum tuum.*

Orandum modò, si vnquam.

Gubernator suaniter Ionam monens fructum magis spectat, quàm aliud.

20 Videbatur quidem illius segnities, otium & incuria, inter aliorum vigilias, labores & curas, acriorem reprehensionem commereri, & hoc ipsum sufficiat, cur monitionem tam publicam benignè atque æquanimiter admittere debeat; sed aliud, ni me fallat opinio, prudens gubernator intendit; nimirum sic instruere, sic monere errantem; vt tamen potiùs vtilem omnibus ex monitione fructum, quàm monitionẽ spectaret.

Obseruabat prouidus, quòd vasorum dimissione iactuque in mare, nihil proficerent, quòd deorum implorantes auxilium, non magis audirentur, quàm si surdis fabulam canerent. Igitur, vt in communi discrimine quisque de alio quàm de se sperare plus solet, id egit impensiùs, *Vt cuius erat commune periculum, esset etiam*, vt ait D. Hieronymus, *communis oratio.* Hinc IONAM adit dormientem, excitat, Deum suum inuocare iubet, fieri posse arbitratus vt aut Numinis ab eo culti protectione, aut proprio deprecantis merito impendens certissimũ exitium ab omnium capitibus propulsetur.

In communi periculo communis esse debet oratio

Hieron. in 1. cap. Ionæ.

Atque hoc erat vel maximè pronum arbitrari; vbi præsertim, quod vult Paulus Palatius, ex habitu modoque agendi Iudæus ex veste religiosus est agnitus. Nec mirum, si vel idcircò in imo nauis studiosè quæsitus (cùm esset in opinione aliqua sanctitatis) vt Deum suum ceterorum omnium diis potentiorem, maiorem, futurumque magis propitium, in sua vota deposceret.

Ionas velut religiosus, ad orandum Deum suum, pro communi salute vocatur.

21 Opinio est Ioannis Feri, nautas tranquillo pelago Prophetam contempsisse; furentibus deinde procellis animo demisso ad eum conuolasse, velut auxilio futurum: imò, quem antea si cognouissent Iudæũ, Deique veri cultorem ac de eo disserentem audissent, habituri erãt ludibrio, hunc mox, idolis opem non ferentibus, habuisse in pretio. Certè omne gubernatoris consilium erat in recursu ad Deum.

Idem qui in prosperis erat contemptui, in aduersis in pretio est.

Exponentem id si placet copiosiùs D. Chrysostomum audiamus: *Sciebat*, inquit, *iam nõ naturã suam exercere elementum: sed diuino motu vniuersa turbari, & artem nauticã tantis procellis nullã resistere posse virtute: nec gubernatoris manus, vndique circumuallantibus fluctibus, reluctari posse credebat. Maior enim gubernator*

Chrysost. Homil. de Iona Tom. 1. in fine.

In necessitatibus extremis extremum remedium, diuinæ misericordiæ imploratio.

gubernator necessarius fuit; scilicet qui cuncta gubernare consueuit, & aliud nihil nisi cæleste flagitabatur auxilium. Ideò & illi contemptis remis, velisq. depositis, & omne nauticum consilium abdicantes, manus tendebant ad cælum, Dei misericordiam postulantes. Hactenus Chrysostomus.

Postulare autem, vt ille ait, Dei misericordiam homines afflictos, atque è suis calamitatibus eluctari nescios, non solùm suadet, sed cogit quoque subinde necessitas: in qua, nulla magis tuta est anchora, quàm fiducia in Deum: hac ridentur omnes terræ & pelagi minæ: hac Dauid suos quoque ridebat inimicos intrepidus, dicens: *Si consistant aduersum me castra, non timebit cor meum, si exurgat aduersum me prælium in hoc ego sperabo.* Huic quisquis nititur,

In tempestate optima anchora fiducia in Deum.

Horat. lib. 3. Car. Ode. 3.

Si fractus illabatur orbis,
Impauidum ferient ruinæ.

Orationes nullius hominis licet vilis contemnendæ. Iuuen. satyra 7.

22 Gubernatoris voce monitus est IONAS; moneamur & nos. Primò, nullius, quantumcumque ad externam speciem contemptibilis & despecti, contemnendas preces. Dixit quidem Iuuenalis:

——Rara in tenui facundia panno.

Sed, *ne sutor vltra crepidam.* Altiora & sublimiora ille non est assecutus vtpote homo ethnicus: quare nec de his locutus est quæ non cognouerat. Certè si, vti dicitur prouerbio, *sæpe sub sordido palliolo latet sapientia*: potest etiã sub minùs liberali facie liberalis indoles, sub inculto corpore bene cultus animus, sub minùs cõpositis moribus abscondi composita pietas: potest qui hominibus inuisus, esse gratissimus Deo. Nolite ergo contemnere diuino cultui deditum, precibus vacantẽ, si fuerit probus: improbo enim non patrocinantur pietas, non preces. *Scimus* namque, assentiente nobis apud D. Ioannẽ cœco nato, cui Christus Dominus lumen reddiderat oculorum: *Quia peccatores Deus non audit; sed si quis Dei cultor est, & voluntatem eius facit, hunc exaudit.* Sed nec hæreticos, quos communis mater Ecclesia filios non agnoscit.

Ioan. c. 9. v. 31.

23 Lepidè quidam nostratium nautarum ab annis non ita multis, ingruente atrâ & horribili tempestate, quam credebat nauigantibus futurã exitio, videns in naui sua hominem improbum, insuper hæreticum, cum ceteris conuersum ad preces (ferè vt olim teste Diogene Laërtio dixit Bias Prienæus) eum vehementer increpuit dicens: Quid tu etiam clamas? si te hîc nobiscum esse Deus audierit, viderit; periimus, actum est. Putabat vir rectus & simplex, quidquid demũ de Dei præsentiâ & auxilio sentiret; non modò non prodesse hominibus in periculo constitutis, sed obesse quoque impiorum preces: & bene, si perstare in sceleribus & improbitate suâ studeant. Quippe cùm sic affectos preces fundere, & Deum velle sibi propitium aliud non sit, quàm eum cõtra se ampliùs in vindictã animare.

Hæreticorum preces parum validæ, parũ timendæ.

Diog. Laërt. lib. 1. c. 6.

Hic gubernator in dormiente IONA, quamuis nihil singulare dignumque encomio eius polliceretur incuria, singularem habere fiduciam videbatur. Sic sperandum etiam ab iis aliquid interdum, qui minùs gratiæ suæ donis, magnâ nos lactare spe posse videntur. Memineritis non frustrà à Domino dictum: *Nolite iudicare secundùm faciem.*

Ioan. c. 7. 24.

24 En nunc monitum alterum. Qui in aliquo siue corporis, siue animi discrimine versantur, gubernatoris exemplo non modò non spernant aliorum preces; sed eas magno etiam studio, magnâ cõtentione postulent. Cessit id pluribus ex animi sententia bene. Meministis credo Abrahami precibus, petente id Abimelecho, & ipsi, & vxori, & famulabus datam sanitatem: Mariæ, petente id quoque Aarone, per Moysem fratrem impetratam immunitatem à lepra: populo peccanti, & hoc etiam peccatis suis adiicienti, vt peteret sibi Regem, deprecante Samuele concessum, ne relictus à Domino interiret.

Orationes aliorum exquirendæ, vt iis in necessitatibus iuuemur. Quàm illæ efficaces variis exemplis ostenditur ex S. Scriptura. Gen. 20. v. 7. & 17. Num. c. 12. v. 11. 1. Reg. c. 12. v. 19.

Sed neque Ieroboamus, si recordemini, aggressus Semeiam frustrà per

per eum manus suæ restitutionem periit. *Deprecare*, inquit, *faciem Domini Dei tui, & ora pro me, vt restituatur manus mea mihi*: fecit nãque Semeias quod rogabatur; &, vt sacrę litteræ loquuntur, *Orauit vir Dei faciẽ Domini, & reuersa est manus Regis ad eum, & facta est sicut priùs fuerat.* Naaman quoque Elizæo, Rex Ezechias Isaia, Sedechias Ieremia deprecatoribus quod postulauerant, impetrarunt.

3. Reg. c. 13. v. 6.

25 Nouimus prætereà, neque vllus ignorare potest, qui vel paululùm Paginas Sacras voluerit, Noë precibus datas olim perituro mundo ad tempus inducias: Abrahę intercessione Loth cum familia Sodomæos ignes euasisse: Isaaco rogante Rebeccam & concepisse, & peperisse: Eliam suis deprecationibus cælum aperuisse, clausisse: Ecclesiam orantem de Herodis custodia Apostolorum Principem Petrum solutis compedibus eduxisse: Paulum in Italiam nauigantem, vt sisteretur Cæsari, animas omnium secum nauigantium in acerrima tempestate, Deo hoc illi donante, conseruasse: plurimos denique, nullo non tempore, bonorum precibus, siue ab animi, siue corporis incommodis, periculis, exitio liberatos.

Exempla alia ex historiis sacris. Baronius Tom. 3. ad an. Domini 338. ex Theodoreto. lib. 2. c. 30.

26 Certè de Nisibi, alij Antiochiam Migdoniæ appellãt, in Annales suos retulit Illustrissimus Cæsar Cardinalis Baronius, quod cũ obsideretur à Persis, parum etiam abesset quin expugnaretur per subitam aquarum illuuionẽ magnâ murorũ illius parte collapsâ, vnius Iacobi dictæ ciuitatis Antistitis, viri sanctitate morumque integritate eximij, effectum precibus; vt altero die repentè nouus murus prodigiosè assurgeret, & cùm veniret spectator ad mœnia ipse Persarum Imperator Sapores, structuræ celeritatem admiratus, simul cælesti viso territus, fugam arripuerit; hoc vnum vibratâ in cælum sagittâ effatus: *Pro Romanis deus bellum gerit:* tantum in defensionem omnium Iacobi Episcopi preces valuêre. Erant illi delendi penitus, cum bonorum, & vitæ, quis nescit an non etiã illorum multi cum salutis æternæ iactura.

27 Memorat quoque Ioannes Vastauius cum diua Catharina Sueuica S. Brigittæ filia Romæ existeret, & vsque eò inundaret Tiberis, vt Romani vrbis suæ interitum timerent, eos ad D. Catharinam conuolasse, & rogasse instãter, ne grauaretur ad ferocientem fluuium comes descendere, suas illi preces oppositura. Vbi verò, profusis lacrymis indignitatem suam testata, id facere detrectauit, Romanos vel inuitam domo elatam sæuientibus vndis obiecisse, quas, vt pedibus attigit, velut non vltrà progredi ausas in alueum suum, eum nequaquam vlteriùs superaturas, remeasse.

Ex Ioanne Vastauio Antonius Balingem in Kalend. Mariano ad 22. Martij. *Circa an.* 1380.

Millena sunt & millena exempla huiusmodi quibus nec diuinarum rerum momi, quos nimium multos habet hæc ætas, nec ipsi hæretici refragari possunt; sed nec vllus sanus mente diffiteri, sanissimum esse consilium in necessitatibus ad Dei amicos opis causâ confugere; nisi fortè quis Diuo Paulo sapientior insanire illum, aut minùs sapere putet, cùm ad Romanos scribens; *Obsecro*, inquit, *vos fratres per Dominũ nostrum Iesum Christum, & per caritatem S. Spiritus, vt adiuuetis me in orationibus vestris pro me ad Deum.* Quod ipsum etiã [a] Ephesios, [b] Philippenses, [c] Colossenses, [d] Thessalonicenses, [e] Hebræos rogauit. Quid minus rogemus & nos fratres nostros, Dei amicos, seu viuos, seu mortalitate hac functos quando magis etiam in beata cælitum regione boni nostri amantes sunt, proindeque meritò speramus fore, vt Deus ac Dominus omnium, libellis nostris supplicibus benigniùs annuat, cùm talium fulciuntur præsidio, & horum velut magnatum manibus ipsi summo Regum Regi offeruntur.

c. 15. v. 30. *Exemplo suo nos docet Paulus aliorum orationes exquirere.* a c. 6. v. 18. b c. 1. v. 19. c c. 4. v. 3. d c. 5. v. 1. e c. 13. v. 18.

28 Si quis interim vsque eò desipit, vt hæc habere ludibrio pergat, timeat sibi, neque enim id facturum se putet impunè. Accepimus non ita pridem rem in hoc genere miram, & nouam,

Punitio recens vnius qui alterũ defuncti cuiusdam & sancti habitus implorantem auxilium, ridebat.

nouam, quam quia piè curiosis non ingratam fore arbitror, hîc attexo. Ferunt accidisse Neapoli anno huius seculi sexto supra vigesimum, vt essent in nosocomio eodem, eodemque in conclaui, duo vitæ conditione pares, vtpote Sacerdotes ambo, at moribus dispares: quippe alter Bernardinum Realinum Societatis IESV Sacerdotem, cum magna sanctitatis opinione Lupiis post quadraginta duos annos eadem in vrbe, eodemque in Collegio exactos, vitâ functum secundâ Iulij anni millesimi sexcentesimi sexti decimi, id est à decennio tum temporis, colebat & venerabatur impensiùs; ideoque illius effigiem chartæ impressam, parieti inter duas lecticas affixerat, in quam oculis sæpè intentus & mente, bonum Patrem adhibebat desideriorum suorum & precum interpretem ad Deum. Alter Societati eiusque hominibus infensior, coli hanc à socio suo imaginem iniquiùs ferens sciscitabatur identidem cur illi tantum honoris cultusque tribueret, quemnã referret; vbi accepit referre eum quem dixi Bernardinum Realinum Lupiis vitâ functum, virtutis laude & miraculorum gloriâ celeberrimum; tum verò salso nimium ioco, per sarcasmum; scio inquit, quid velis: *Verè ex lupis illis fuit, qui ad se trahunt, & deuorant omnia.* Audiit socius cum stomacho, & verbo vno alterove malè loquentem increpuit, neque tum actum aliud. At nocte insequente cùm vterque altùm dormiret, derepente fax pleno lumine eidem imagini ad parietem defixæ ita præluxit, vt fumi indices notas vicinior parietis pars non obscurè referret. Euigilans prior eximius ille Bernardini cultor atque ad fulgorem insolitum hærens attonitus, protinus clamore vicinum socium adhuc dormientem excitat, num fortè lumen accenderit, sollicitus quærit, hic vbi accensi se luminis conscium negat, ad rei nouitatem & vnus & alter obstupefacti, lecto exiliunt, facem candelabro impositam vident, eamque non nisi Angelorum delatã collocatamque manibus arbitrati (neque enim in clausum conclaue mortalium vlli aditus patuerat) domesticos ad rei nouæ spectaculum accersunt, & imagini advoluti, supplices fundunt preces.

Litteræ datæ Neapoli. anno 1626. mense Nouemb.

29 Porrò qui virum sanctũ, quem diuinitus honorari videbat, eiusque cultorem riserat, maius aliquod capiti suo impendere malum arbitratus, procacis ac maledicæ linguæ veniã continuò quàm ardentissimè postulare instituit, quod ipsius saluti, æquè ac defuncti gloriæ, cessit benè. Nam grauior morbus immissus sibi (vt ipse interpretabatur, & aliis ad se accedentibus etiam narrabat) in sceleris pœnam, antè minùs grauiter malè habentem, illicò inuasit, lectoque constanter affixit, vberrimis lacrymis assiduè improbum dictum eluere molientem, donec octauo demum die, directi ex ipsa imagine in decumbentis faciẽ radij, propitium Numen indicare visi; ipseque cælesti dulcedine recreatus placidè in Domino conquieuit illius gloriam, vti sperandum, visurus in cælis cuius aliquando contempserat felicitatem in terris. Bona quidẽ & beata hæc catastrophe, sed eo periculo ne ludant, & illudant bonis & sanctis, qui rectè sibi consultum volunt.

30 Tertium monitum esto, supposito illo Auli Gellij in noctibus Atticis prouerbio, πολλάκι καὶ κηπωρὸς ἀνὴρ μάλα καίριον εἶπεν id est,

Sæpè etiam est holitor verba opportuna locutus:

Attendendum sedulò gubernatoris huius consilio, omnibus quidem alicuius familiæ præsidibus; illis verò potissimùm, quibus concredita ante alios cura animorum. Igitur hi agentes vigilias super gregem suum, si quã ex suis ouiculam viderint cæcis errantem gressibus, & diu palabundam, tandem in peccati tenebris atque nocte horribili somnum ac quietem capere inquietam iuxta aquas turbidas fœdissimæ voluptatis, clament: *Surge, inuoca Deum tuum.*

Pastores non solum dormientes excitare debent; sed etiam monere vt orent.

Ampliùs

Ampliùs si viderint ægritudine tabidam, extremum propè spiritum, fatiscentibus & aridis labiis excipientē; atque inter hæc de supremi Iudicis irreuocabili sentētia imprimis anxiam, spē quidē inter & metum aliquousque dubiam, sic tamē vt magis exanimetur metu, clamēt: *Surge inuoca Deum tuum.*

Maximè verò, si viderint bonorum omnium, illorum dico, quæ bona meritò censentur, indigam, extremaque confectā inopiā, sepositā melioris vitæ spe omni, atque inductā obliuione diuinæ clementiæ, somnum capere falsæ in suis tantis criminibus securitatis: ne cessent ingeminare multiplicatis clamoribus: *Surge inuoca Deum tuum.*

Monitionis fructus exponitur. 31 Fructus hic erit, quòd errans & palabunda ouicula, propè deperdita, miser, inquam, peccator, ad quem hactenus illi clamarunt, ad Deum similiter clamare incipiat; ab illo exaudiri, ac demum eripi de potestate tenebrarum, & perditionis æternæ somno, secundum supremi Pastoris pollicitationem, ore Dauidico factam: *Eruam te, & honorificabis me.* *Psalm. 49. v. 15.*

Credite mihi, plurimis profuit eiusmodi boni Pastoris amicus clamor, & æternùm profuit; plurimis morientibus reddidit sanitatem, plurimos propè mortuos ad vitam reuocauit.

Ionæ durities post monitionē gubernatoris ostenditur. 32 Neque stetit, vt ad rem nostram reuertamur, per nauis huius gubernatorem quò minus tam grauiter periclitantibus certa salus quamprimùm obuenerit. Egit ille quod debuit, quod potuit tali loco ac tempore: sed non egit quod debuit IONAS: quippe durus, peruicax & flecti adhuc nescius, crimen occuluit; agnitionis delicti, & precum, ad Deum offensum reconciliandū sibi, fundendarū non meminit.

Gubernator de Dei clementia dubiè loquitur. 33 Mirabimini fortasse, quòd cùm cupiat eum insistere precibus nauta, atque intendat eidem idipsum impensiùs commendare, adeò agat timidè, ac velut dubius, & propè infra spem omnem constitutus dicat: *Si fortè recogitet Deus de nobis.* Vel vt Hebræa sonant: *Forsitan placabitur, seu amicus efficietur Deus nobis.* Vt Chaldæus vertit: *Si fortè misericordia concedatur à Domino nobis.* Vt Ioannes Benedictus: *Si fortè Deus benè velit nobis.* Quæ omnia, variatis aliquantulum verbis, nihil in re & sensu variant; & satis dubiam fiduciam, maiorem verò gubernatoris timorem, & metum de minus felici successu innuunt.

Nec mirum hoc: nam fortasse hominis Ethnici, ethnico more loquentis, mens fuerit, Deum, quicumque demum is esset, aut parum attentè de illorum meritis ac supplicio, quos in tam euidens periculū coniecerat, cogitasse; aut casu nihil de nauigantium discrimine curantem, ita fieri permisisse. Quare eum recogitare cupit, & recogitantem præsenti malo mederi. Sicuti mortales solent, de negotio aliquo cogitantes deliberantesq; maturiùs, mutare sæpiùs mentem; & quod per libidinem, iram, indignationem, aut alium aliquem minùs ordinatum affectum facere instituerant, prudentiùs, sepositis animi passionibus, aliter constituere, aliter adimplere, secundùm quod Prouerbio dicitur: *Sapientis est mutare consilium.* *Etiam de diuina prouidentia hic dubitare videtur.*

34 Quidquid sit de nautæ huius mente ac sensu, qui nobis omnino incertus, dubitarit ille de diuina, quod probabiliùs, prouidentia; non dubitamus nos, qui omnia vitæ nostræ momēta, ita nouimus in Dei posita potestate; vt si vel vno, protectionis suæ subtraxerit dexterā, ac nos conseruare desierit, eodem desinamus esse qui fuimus. *Diuina prouidentia à nobis & agnoscenda, & recolenda.*

Agnouit hoc in suis Soliloquiis Augustinus, creationis beneficium à Domino acceptū memorans, vbi recordatus simul illius quod quotidie accipimus cōseruationis, id sibi ne desit, suppliciter precatur dicendo: *Creasti me, Domine, rege ergo quod creasti; opera manuum tuarum ne despicias Deus. Me fecisti de nihilo, si me non regis Domine, iterum reuertar ad nihilum. Sicut enim non eram, & de nihilo fecisti me; sic si me non regis, adhuc ad nihilum redigar in me.* Nobis idem cum Augustino agnoscentibus, cum eodem ad hæc dicendum: *Adiuua me Domine vita mea, ne peream in malitia* *August. in Soliloquiis c. 11. tom. 9.* *Gratitudinem in recolendis beneficiis Christiano necessariā esse ostenditur Patrū testimoniis.*

M *mea,*

mea, si non creasses me Domine, non essem; quia creasti me, iam sum: si non regis iam non sum: non enim mea merita, non mea gratia te coëgerunt vt creares me, sed benignissima bonitas tua, & clementia tua. Sic continuum pro creatione & conseruatione debitum recolentes, pro vtroque grati esse conabimur.

35 Præclara omnino consideratio est, quam nobis ad hãc gratitudinem excitandam suggerit S. Bernard. his verbis: *Ecce in ianuis est, qui fecit calũ & terram, & creator tuus est, tu creatura: tu seruus, ille Dominus: ille figulus, tu figmentum. Totum ergo quod es, illi debes à quo totum habes, illi præcipuè Domino, qui & te fecit, & benefecit tibi, qui tibi ministrat syderum cursus, aëris temperiem, fœcunditatem terræ, fructuum vbertatẽ.* Et subdit, ostendens quàm illi vel idcirco nos famulari oporteat: *Huic reuerà totis medullis, totis viribus seruiendum, ne fortè indignationis oculo te respiciat, & despiciat, & conterat in æternum & in seculum seculi.*

Bernard. serm. de quad. debito in fine.

36 Franciscus Ribera magnoperè argonautæ huius magnanimitatẽ & fiduciam cõmendat, dignamque gubernatore & homine sapiente vocem arbitratur: *Si fortè recogitet Deus de nobis, & non pereamus:* quasi docere voluerit, nũquam crescentibus licet laboribus, itaq; Dei quantumuis sæuiente, cadẽdum animis, existimandũ potiùs nolle mortem peccatoris, mederi velle non perdere, minari non plectere, pœnitentiâ & precibus aduersus iram eius minasque pugnandum.

Rebus etiã calamitosissimis, exemplo huius gubernatoris, non desperandum.

Et verò, quis aliter sentiat de Domino, qui famulorum suorũ salutem, de Parente, qui filiorum commoda, de Imperatore, qui militum gloriam tam quærit ardenter, tam constanter propugnat? profectò insigniter simus iniurij tam bono Domino, tam sollicito Patri, tam munifico Imperatori, si de illius in nos promptissima ac maximè beneuola volũtate vel minimùm dubitemus, si quomodolibet afflicti, ad sinũ misericordiæ illius, vt ad paternũ maternumve gremiũ, instar paruulorũ mala timẽtiũ, nõ protinus accurramus.

De Deo eiusq; propensa in nos voluntate rectè sentiendũ.

37 Agamus igitur, & quantumuis vallati malis, miseriis obruti, fracti mẽtis & corporis viribus, hac nos, hac alios voce animemus: *Surge, inuoca Deũ tuum, si fortè recogitet Deus de nobis, & non pereamus:* cui voci si fuerimus obsecuti, & apud Deum precibus institerimus, atque vt par est causam nostram egerimus supplices, erit suus operi fructus, merces labori.

Orandus in quauis necessitate Deus.

Mercedem hanc & fructum consecuti sunt olim filij Israël; nam, vt ait Moyses: *Audiuit Deus gemitum eorum, & recordatus est fœderis, quod pepigit cũ Abraham, Isaac, & Iacob, & respexit Dominus filios Israël:* volens videlicet iis se exhibere clementem; idque quia, vt ibidem narratur, *vociferati sunt.* Flagello quippe seruitutis durissimæ cæsi tot annis, tãdem post tyrannorũ mortem, quasi maior sperandæ libertatis daretur occasio, ad cor redeuntes, Deum, qui solus liberare eos poterat, inuocarunt. Hoc enarrans in Psalmis suis Dauid: *Ad te clamauerunt,* inquit, *& salui facti sunt, in te sperauerunt, & non sunt confusi.*

Exod. c. 2. v. vltimo. *Orantes exauditos fuisse ostenditur.*

Psalm. 21. v. 6.

Vti tunc, ita etiam modò, verissimum comprobatur, quod scriptum est per ipsum illum Dauidem: *Qui confidunt in Domino, sicut mons Sion: non commouebitur in æternũ, qui habitat in Ierusalẽ:* erũt enim aduersus quaslibet tempestates & turbines prorsus immobiles; nõ secus ac ipse mõs Sion, super Ierusalẽ eleuatus stat firmus & solidus.

Psal. 124. v. 1.

38 Ad IONAM è somno suo iam excitatũ tandem aliquando accedamus. Nullum est dubium quin auditâ gubernatoris voce quamprimùm surrexerit, Deumq; sicuti iussus fuerat, inuocarit: sed pauidus, tremẽs, de euentũ anxius, & longè adhuc magis de seipso saluteque sua sollicitus. Quî enim fieri aliter possit, quando nihil ei versabatur ab oculos, quàm

Orat Ionas tempestate sæuiente totus afflictus.

——— Crudelis vbique
Luctus, vbique pauor, & plurima mortis imago.

Virgil. 2. Æneidos.

Quid habeat animi, quando ad primũ oculorũ adhuc caligantiũ lumen, dico adhuc semisopito, occurrit tam

sæua

sæua tempestas, tam præsentia pericula, tanta nautarum, à quibus, si quid sperandum, spes omnis, trepidatio. Si priùs obdormiuit tristis; sæuiente nũc ampliùs vindice Dei manu, quomodo non euigilet tristior? non sine causa ei duplicantur angustiæ, quando intus sæuit conscientia, foris vndæ, quas vnus ipse plus ceteris metuebat.

Ionas non statim cõfitetur factũ suum. 39 Interim, quod quiuis meritò stupeat, tametsi nihil quo se excuset adducat; non tamen, vti debuerat, se etiam accusat, crimen nequaquã agnoscit, culpam non deprecatur: verùm in taciturnitate sua pertinax, linguam cohibet, verecũdiam formidat, amatque, vti apparet, tantis in angustiis viuere & mori potiùs, quàm se reum agnoscere.

Confessio multu grauis est. O quàm sic hodie multi! quibus cariùs est verecundum silentium cũ crimine, quàm criminis cum virtute agnitio. Quare nonnullos faciliùs ad supplicium, quàm ad sacram exomologesim pertraxeris: ita eorum fauces obsidet superbiæ malus genius, dæmonium mutum.

40 Magnum & arduum est, fateor, cordis intima, occulta omnibus, notaque nemini, in aures atque animum alterius per propriam confessionem transmittere, seipsum habitum innocentem nocentem statuere, reum dicere, ad pœnas paratum offerre; *Sacramentalis confessio necessaria.* videri enim quod non sumus volumus, & quod sumus nolumus. Verùm sic fieri oportet: eligendum est, placere debet tantilla in pręsens corã vno Sacerdote verecundia; vel, quæ sequetur, coram mundo vniuerso grauissima & æterna confusio. Quid satius? nonne hunc modicum pudorem, perpetuæ ignominiæ posthabere? Dicit Ecclesiasticus: *Est confusio adducens peccatum, & est confusio adducens gloriam.* Priorem metue, illam scilicet ex qua culpæ reticentia; alteram dilige, quam nimirum manifestatis delictis eorum remissio excipit.

Ecclesiast. c.4. v.25. Pudor & verecundia in confessione vtilis est.

Nil reticendum in confessione. Nemo igitur prodesse sibi dum quærit, se lædat: nemo virulentum peccati pus, quo totam inquinet mentem, abditum præcordiis gerat: si fecerit, serpentem in sinu, & venenum quo se perimat fouet.

41 Deplorauit aliquando taciturnitatem suam Dauid, dicens: *Quoniam tacui, inueterauerũt ossa mea.* Verùm vbi obseruauit attentiùs illius ingẽs damnum, emolumentum verò nullum, in salubriores prorumpens voces: *Confitebor*, ait, *aduersum me iniustitiam meam Domino:* Ero idem reus, accusator, testis, & iudex mei ipsius. Feliciter sanè! supremum enim Iudicem hac sua demissione tam benignum est nactus, vt veniam obtinuerit delictorum. Quod agnoscens, & gratias agens, ait: *Tu remisisti impietatem peccati mei.*

Psal. 31. v.3. Dauid taciturnitatem suam damnans; peccatum confitetur. V.5.

Peccator iudicare seipsum debet & punire, ne iudicetur, & damnetur. Ibidem.

Remittet idem Dominus, supremus mundi arbiter, impietatem quoque peccatorum nostrorum, si Dauidem Regem gemitibus ac lacrymis, si confessione criminum humili, si sanctioris vitæ institutis imitemur.

Docuit hoc nos à seculis Eusebius Emissenus cùm ait: *Qui placiturus est Deo, ipse sibi displicet, ipse sibi quodammodo sub priuata cognitionis sententia & testis, & accusator & iudex est. Ad tales meritò ipse Dominus loquitur: Non iudicabo bis in idipsum; id est, quod tu in te seuerus agnoscis, ego propitius ignoscam: quod tu tristis accusas, ego lætus absoluam: quod tu recordaris in publicũ, ego obliuiscar in æternum. Et quia per pœnitentiam tuam præuenisti sententiam meam, recondam gladium meum, ac me tibi ad remunerationum tempora reseruabo.*

Euseb. Emissen. Hom. de Pœnitẽtia Niniuitarum.

42 Video plerumque inanem esse timorem, & fallacem metum qui terreat. Quid quæso tãtoperè timendum in illo tam sancto, tam arcano tribunali, vbi idem qui hîc iudex, alibi reus; & nunc cũ iudex simul etiam pater: quo fit vt, quemadmodum D. Gregorius ait, *Plus erga corrigendos agat beneuolentia*, quã vel maximè vtendum, *quàm seueritas; plus cohortatio quàm commotio; plus caritas quàm potestas; cùm nemo sine reprehensione, & sine peccato viuat.*

Inanis metus timentium confiteri ostenditur.

S. Greg. Epist. ad Episc. Frãcix.

43 An non sensistis aliquando paterna viscera, amorem dico plus quàm paternum, aut etiam maternum, ab eiusmodi

Commoda, & gustus spiritualis, ex confessione multiplex.

eiusmodi iudice? nunquid ad eum accedentes mœsti, recessistis sæpius hilares mutati iam in viros alteros? tãtum illius caritas, Dei cooperante gratiâ, potuit.

Confessarij benigni esse debent erga pœnitentes. Non diffiteor esse quoque iudicum huiusmodi nonnullos, qui peccent agantque acerbiùs, eosque ego patres non patres censeo, vitricos veriùs quàm patres. Oporteret profectò illos paulò meliùs infirmitatis suæ meminisse, & quomodo secum actũ velint, sic cum alijs agere; ne fortè, quos trahere debuissent *in funiculis Adam, in vinculis caritatis*, suâ duritie, atque acerbitate arceant, & quos aduocare debuerant, pellant. Oseæ c. 11. v. 4.

Exemplum S. Augustini suos inuitantis ad confessionem. Discant illi, quomodo agẽdum sibi imposterum exemplo Augustini qui sic ad populum pro Concione: *Quid times ô homo, quid erubescis confiteri peccata tua? peccator sum, sicut & tu; homo sum, sicut & tu; humani nihil à me alienũ putans; confitere ergo homo homini, homo peccator, homini peccatori.* August. ser. 124. de Tempore.

Cur Angeli non excipiant confessiones. 44 Docet D. Chrysostomus, ne quem nimium sua fortasse peccata cõfunderent, & ea confiteri erubesceret; potestatem hæc dimittendi amplissimam, non Angelis, qui nunquam peccauerant, sed hominibus datam. Ipsum audiamus: *Ideo*, inquit, *non Angelis hæc est commissa potestas, qui nunquam peccauerunt, sed homo passibilis supra homines ordinatur; vt dum in iis suas recolit passiones, mitem apud eos se præbeat & benignum.* Chrysost. Homil. 80. in Matth.

Benignitas S. Xauerij in pœnitentes. 45 Sic faciebat ille magnus Indiarum Apostolus S. Frãciscus Xauerius, quem aliquot cẽtena hominum millia Christo lucrifecisse certum est, vnde tanta in illo eluxit caritas, mansuetudo, benignitas; quæ velim vos arcanorum iudices, sacrorum antistites, in eo quod vobis proponam exemplo cognoscere, & imitari.

Dixerat nauis illius, quâ in Seilanũ insulam nauigabat, gubernator, factus ei familiarior ex itinere, esse grauius aliquid quod mentem angeret, esse vinculum, quo ligatus, solui non posset. Quid ad hoc Xauerius? effecturum se facilè, vt eodem solutus, tutus & liber euadat. Et verò vbi portum nauis tenuit, commodam id præstandi occasionem arripere aggreditur. Obambulabat fortè in littore gubernator, & licet nihil minùs quàm de confessione cogitaret, vbi in Xauerium incidit, velut moneri se sentiens, quando sibi confitenti aures dare velit interrogat: tum verò Xauerius: IESV bone confiteri vis gubernator! etiam hîc obambulantem te libens audiam; quâ comitate ita quamprimùm hominem mouit, vt vitæ totius noxas detegere illa occasione statuerit. Mox verò aliquanto audaciorem factum, velut aliud agens, ad vicinum deduxit sacellum, vbi cùm loci religione tactus vellet quidẽ poplitibus flexis confessionem absoluere; verùm, vt obseruabat Xauerius, secum ipse luctans, neque omnino libenter, etiam vt sederet indulsit, & vt idipsum facere posset commodiùs, substrauit storiam: quâ sancti viri benignitate & beneuolentiâ, ita est immutatus diuinitus, vt vltro procumbens in genua, multis gemitibus, multis lacrymis, multâ doloris significatione, omnia anteactæ vitæ peccata expians, è turpi cœno, in quo diu hæserat, tandem emerserit. Sola potuit incensa Xauerij caritas & beneuolentia hunc ferreum hominis animum flectere. Poteritis & vos sacri mystæ caritate ardentes, si huic modestiam benignitatemque iunxeritis.

46 Finio cũ iterũ priora duo monuero. Alterum vt relicto veterno surgatis cum IONA, atque in omni discrimine, certâ nixi in Deum fiduciâ, eum sedulò inuocetis.

Alterum, vt si quod aliquando latuerit, aut etiamnum lateat peccati virus vestro in pectore, id omne ad Sacerdotis aures depositum, nunquam resumpturi, cum ingenti quadam nausea, sit verbo venia, euomatis. Tum verò, ita spondeo, securiùs excipientes præsentis sæculi fluctus; viuetis vitam, quam nulli turbines, tempestates nullæ; sed continua malacia excipiet.

LECTIO DVODECIMA.

ET DIXIT VIR AD COLLEGAM SVVM: VENITE ET MITTAMVS SORTES ET SCIAMVS QVARE HOC MALVM SIT NOBIS. *Vers. 7.*

ARGVMENTVM.

Causa mittendarum hoc loco & tempore sortium, & quomodo eas mitti debere decretum sit expenditur. De sortibus diuersimodè pro gentium diuersitate vsurpatis agitur. Quid in ijs licitum, quid illicitum explicatur. Nautis & alijs, an ad reum dignoscendum ijs hic vti licuerit, quæritur, & resoluitur.

1 AVEM totam illius obierat gubernator, omnes muneris sui partes nauiter adimpleuerat, ad orandum singulos prouocarat, IONAM dormientem in imo nauis stertentemq; sopore graui, intrepidũ, similiter ad preces pertraxerat: nihil interim pro communi salute ac maiori securitate omni curâ, industriâ, precibus tam multorum promotum cernebant itineris ac periculorum socij. Igitur quid agant? dum non iuuerant gentium dij sed neque Deus Iudæorum, quem à IONA rogatum, vti plus posse ceteris, sic & velle credebant, aut certè indignantes, vt putat Treminius, quod IONAS Deum suum rogare nollet, cùm de eius precibus nulla hîc fiat mentio, alia captanda putant consilia, esseque scelestum aliquem, cuius vita, tanto cum ceterorum incōmodo flagitetur. Sicuti apud Virgilium Dido Æneam naufragio, violati hospitij & proditæ fidei pœnas daturum, quasi vaticinans dixit, his verbis:

Suspicio de aliquo scelerato, causa est, cur socij nauigationis simul deliberent de sorte mittenda.

Virgil. 4. Æneidos.

I sequere Italiam ventis per regna, per vndas,
Spero equidem medijs, si quid pia numina possunt,
Supplicia hausurum scopulis ——

2 Quare nocentis causam, atque expiandum, vt coniectare fas erat, à quis crimen, cōtubernalibus infestum dum vident, secundùm illud Horatij.

—— *vetabo qui Cereris sacrum*
Vulgarit arcanæ, sub ijsdem
Sit trabibus, fragilemq; mecum
Soluat Faselum ——

Lib. 3. Carm. ode 2.

De tam præsenti à se amoliendo discrimine agentes: DIXIT VIR AD COLLEGAM SVVM. 70. & Chaldæus, VNVSQVISQVE AD PROXIMVM SVVM. Dixisse nautas non arbitror: quòd illi tanta in perturbatione & necessitate, operi suo, reique bene gerendæ intenti, laborantes manibus, vix otium haberent aliud cogitandi, nedum loquendi à suo munere aliena. Verùm aliorum omnium qui in nauem conuenerant, hæc vox fuerit.

VENITE, ET MITTAMVS SORTES, ET SCIAMVS QVARE, Hebraicè est PROPTER QVEM, vel CVIVS CAVSA, HOC MALVM SIT NOBIS: quò deinde, agnitâ missis sortibus mali causâ, certius remedium adferamus, & sinamus vnum perire potiùs, quàm omnes. Vti dictum, ita factum.

Deo permittente sors mittenda decernitur.

Ergo *Vbi*, verbis vtar D. Basilij Seleuciæ Episcopi, *salutem desperauit ars, spemq; fecerunt antè naufragium quàm nauis, sorte quærunt obortæ tempestatis auctorem*: sic permittente, sic volente Deo, atque in hac sortitionem, vt conuenirent omnes, inspirante, quò faciliùs auctor periculi, idem & sceleris reus IONAS, palam & innotesceret, & erubesceret. Quare secundùm D. Hieronymum, *Fugitiuus sorte deprehenditur, non viribus sortium, sed volun-*

Basil. Ora. 12. Sors mittitur.

 tate

tate eius, qui sortes regebat incertas.

Ionæ timor, cùm de sortiendo agitur.

3 Quid ei tunc animi fuisse putatis? quando vel tantùm agi de sortibus cœptũ, quibus vnũ se peti non ignorabat? numquid ad has æquè territum existimatis, atque damnati solent, ad mox educendum carnificis gladium, quem omni momento suis imaginantur ceruicibus impendere?

Verùm quorsum viri illi in re tam dubia & incerta ad sortes confugiunt? quibus singuli, cùm sortium euentus dubius sit, si fortè designarentur rei, periclitari ampliùs de vita poterant, & in reliquorum odium vehementius incurrere. Homines ignari consilij, & opis indigi, fortunam tentant, & in re noua noua remedia. *Nouerant* quippe, vt ait D. Hieronymus, atque ex illo Remigius Antisiodorensis, Hugo Cardinalis, Dionysius Carthusianus, Ribera, *naturam maris, & tanto tempore nauigantes, sciebant tempestatum ventorumq́ rationes, & vtique, si solitos, & quos aliquando experti fuerant fluctus, vidissent consurgere, nunquam sorte auctorem naufragij quærerent, & per rem incertam certum cuperent euitare discrimen.* At vbi insuetam tempestatem, sine vllis eius signis præuijs, sine vllis causarum naturalium adminiculis, præter consuetum cursum & ordinem ventorum, syderum, temporis, immissam vident; insolitam quoque rationem cognoscendæ originis illius, progressusque pertentant.

Quare ad sortes mittendas omnes libenter condescenderint.

In cap. 1. Ionæ.

Si Ionas confessus fuisset nil erat opus sortibus.

4 Veritatis sciendæ modus longè certissimus, & facillimus erat, reum, malè sibi cōscium, crimen agnoscere, & tum nullis fuisset sortibus opus. Verùm vbi nemo id agit, vbi silent omnes, vt boni, vt iusti, vt innocentes habeantur, inuenta communi consilio ratio est extorquendæ confessionis, etiam ab inuito: nimirũ si illi, quicumque demũ is esset, crimē impingerēt, quem missa sors designasset auctorem.

5 Date veniam si à IONA iterum paulisper ad nostra tēpora excurram: & videte mecum an non plures ei similes inuenire modò possimus. Maximis calamitatum turbinibus ab annis plus minus septuaginta quassatum est Belgium nostrum: de eo, vt aliquo orbis angulo mihi præ ceteris notiore, potiùs quàm de Italia, Hispania, Germania, Gallia, alijsve Europæ regnis, quibus suæ quoque nostro seculo non defuêre tēpestates, cum sensu loquor. Intestinum nos bellum toties, tot modis inuasit, tam diu detinuit, nunquam deseruit, minari multoties visum extremũ exitium; licet, quæ summa Dei bonitas est, adhuc aliquo modo eluctati simus hactenus, sæpè victi, sæpè victores, & in hanc horam necdum debellatum est. Quid causæ? quiuis prudens peccata tantorum malorum causam facilè agnoscit. Dicimus quidem cum Azaria: *Induxisti omnia hæc propter peccata nostra. Peccauimus enim & iniquè egimus recedentes à te: & deliquimus in omnibus: & præcepta tua non audiuimus, nec obseruauimus, nec fecimus sicut præceperas nobis, vt bene nobis esset. Omnia ergo quæ induxisti super nos, & vniuersa quæ fecisti nobis in vero iudicio fecisti: & tradidisti nos in manibus inimicorum nostrorum iniquorum & pessimorũ.* Sed nemo se accusat, nemo se mali illius auctorem putat, nemo se reum censet, nemo se damnat, proindeque nec ad pœnam vocat. Nil mirum igitur, si adhuc latente IONA, si peccatore in delictis hærente, tempestas iam tot annis sæuire pergat.

Bellorum causa in Belgio tot annis peccata nostra.

Dan. c. 3. v. 28.

Nemo sibi & peccatis suis imputat bella.

6 Nobis Christianis sortem tentare non licet, diuina rimari arcana non possumus, auctorem ignoramus, & ignorabimus; ita volente eo, qui

Prudens futuri temporis exitum
Caliginosâ nocte premit Deus:

donec veniat tempus, quo, vt ait Apostolus, *Illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium.*

Horat. lib. 3. Car. ode 29.

1. Cor. c. 4. v. 5.

Verùm errare non possumus, si nos ipsos singuli auctores mali statuentes, de eo à nobis, à socijs, à conciuibus, à conprouincialibus nostris amoliendo, syncerâ pœnitentiâ vitæque emendatione cogitemus.

7 Id faciliùs, vereor admodùm, dixero, quàm à me vobisque impetraro. Nam, vti ferè omnes aliquâ philautiâ labora-

laboramus, sic plerumq; de alijs sinistrè, de nobis rectè sentimus, cùm de publicis præsertim agitur, quæ sic nemo ad se spectare putat, vt mali causa videri velit, quasi nec esse possit. Quare vbi de his sermo inciderit, omnem transfert in laicos culpam Sacerdos; in Sacerdotes laicus; Prælatus in subditos, subditus in Prælatos; in nobiles ciuis, in ciues nobilis, in mercatorem & villicū miles, in milites mercator & villicus. Denique quisquis fuerit, quantumcumque sibi conscius malè, culpam non agnoscit, donec, permittente subinde Deo, deprehendatur Ionas, agnoscatur peccator, & miserum hunc malorum conscium fluctus deposcant.

Vnus alterius peccata considerat, nō sua: alteri immissa à Deo flagella imputat, non sibi.

8 Comminiscuntur Rabbini, inter quos Iarry & Kimchi; & quod miror, consentiunt Theodoretus, D. Basilius Seleuciæ, & Lyranus; atque ex recentioribus Benedictus Arias Montanus, nauibus omnibus placido cursu, tranquilloque mari passim quietè procedentibus; vnam hanc, quæ Ionam exceperat, vētis impetitam, circumdatam fluctibus, tantum discrimen adiisse, atque hanc potiorē fuisse iaciendæ tentandæq; sortis rationem. At fabellam credunt Iudaicam (quales apud Rabbinos etiam in rebus maximè seriis & sacris non paucæ) Rochus Mamerotius, Ribera, Salianus, & plerique alij: neque dubitant quin totum, quà patebat, vicinū mare fluctibus ageretur. Mihi quoque ego persuadere aliud non possum; cùm existimem, si quid simile accidisset, quod certè ad præsentem historiam illustrandam valeret plurimum, id à Propheta nostro, oculato omnium teste, in tam accurata quam conscripsit narratione, omittendum nequaquam fuisse.

Ionâ nauigante tempestas vniuersalis fuit in mari.

9 Atque mihi ipsa Prophetæ verba penitiùs inspicienti, occurrit videri iis, id quod asserimus cōtra Rabbinos, omninò adstrui. Ait namque suprà: *Facta est tempestas magna in mari.* Quod quisnam ita interpretandum censeat, vt idem sit *in mari*, atque in minimo aliquo maris spatio, vnam nimirum nauem alluente? Etenim hoc esset sensum per se clarum & amplum, obscurum angustumque reddere. Maneat ergo, omnium oculis obiectam illam ingentem tempestatem quaquà se verterent, ita vt dicere possent, de se quidem:

Probatur ex ipsis Ionæ verbis.

Ionæ c.1. ỷ.4.

Tollimur in cœlum curuato gurgite, & iydem
Subductâ ad manes imos descendimus vndâ. (Virgil. 3. Æneidos.)

Nec nos obniti contrà, nec tendere tantum
Sufficimus. — (Idem 5. Æneid.)

De aliis verò eâdem tempestate iactatis, quos eminus fortè viderent:

— Insequitur cumulo præruptus aquæ mons. (Idem 1. Æneid.)
Hi summo in fluctu pendent; his vnda dehiscens
Terram inter fluctus aperit; furit æstus arenis.

Quod faciliùs in aliena naui eminus visa, quàm in propria cominus quiuis obseruat: facitque ad terrorem non parum, videre alienum periculū longè grauissimum, quando proprium non minus esse cognoscitur.

Terret hominem videre à tempestate, & fluctibus naues impeti.

10 Igitur cōmunis calamitatis causam indagaturi, dicunt ad inuicem velut quæsitores & arbitri, quo puniant in Deum & socios delinquentem. *Sciamus quare*, propter quem, *hoc malum sit nobis*? vnde illa nobis tanta afflictio? & quia aliam rationem & modum indagandæ veritatis non nouimus omni vlteriore destituti consilio, *Mittamus sortes.* Quoniam ita fert argumentum, finite quæso de sortibus quædam paulò altiùs repetā; antequam de ea, quę Ionam reum designauit, latiùs disseramus.

11 Sortium genus varium fuit apud omnes omnino gentes, & variè adhibitum; benè ab alijs, ab alijs non ita. Vsurparunt sortes Ethnici, Iudæi, Christiani. Ethnicis nulli frequentiùs, sed neque ineptiùs. Triplicis sortis Doctor Angelicus meminit. *Diuisoria*, quâ quid cui cedere debeat: *Consultoria*, quâ quidnam certo loco, tempore, occasio-

Sors triplex diuisoria, consultoria, diuinatoria, assignatur.

D. Tho. 2.2.q.95. art.8.

occasionibus agendum: *Diuinatoria*, quâ, quid futurum, aut factum, rebus siue adhuc occultis, siue manifestis quidem, remotioribus tamen à nobis, proindeque à sensu ac cognitione nostra alienis, decernitur.

Sors diuisoria licita est.

12 In distributionibus rerumque diuisione sorte vti, & licitum est, & honestum: nisi quodam euentu aliter faciendum ratio suaserit. Hac vsi olim Iudæi ex Dei præcepto, qui sic lis terram promissionis diuidēdam curauit: & vt iussum fuerat diuisit Iosue, quando missis sortibus in Silo, septem tribubus (cùm aliæ tres per Moysem partes suas accepissent) quod singulis obuenerat, ex æquo distribuit.

Vsus illius præscriptus subinde à Deo. c.18. v.10.

Sed & sorte ipsius Domini precepto quotannis immolabatur hircus alter, alter dimittebatur secundum illud Leuitici: *Duos hircos stare faciet coram Domino in ostio tabernaculi testimonij* (de Aarone summo Sacerdote loquitur Moysi Deus) *mittensq́ super vtrumque sortem, vnam Domino, & alteram capro emissario: cuius exierit sors Domino, offeret illum pro peccato: cuius autem in caprum emissarium, statuet eum viuum coram Domino, vt fundat preces super eo, & emittat eum in solitudinem.* Hanc sortitionem factam à summo sacerdote per festucas, seu virgulas, alias aliis longiores, ait Hieronymus ab Oleastro hoc caput Leuitici explanans.

Leuit. c. 16. v.7.

Sortium vsus apud Hebræos.

13 Distributa quoque apud Iudęos sorte templi ministeria, vel ex eo patet, quod referente B. Lucâ, *secundum consuetudinem sacerdotij*, Zacharias Ioannis Baptistæ præcursoris Domini pater *sorte exiit vt poneret incensum.* Sed & à sapientissimo Salomone contentionum dirimēdarum gratiâ, posse rectè laudabiliterque sortes vsurpari accepimus. Sic namque ipse in Prouerbiis: *Contradictiones comprimit sors, & inter potentes quoque diiudicat.*

Prouerb. c.18. v.18.

Apud Græcos.

14 Vsi similiter sortibus Græci, iis ipsi colonias deducebant, vnde coloni dicti κληροῦχοι. Homerus delectum sorte ait, qui cum Hectore in certamen descenderet. Athenienses sorte distribuebant Magistratus; &, vt notauit, Sigonius, in Areopago iactis in vrnam litteris etiam Iudices sortiebātur. Lacedæmonij similiter, teste Luciano, athletas sorte ad pugnam educebant. Quod & in ludis Olympicis factum refert Alexander ab Alexandro: *Sorte, inquit, educi ad pugnandum paria athletarum, & de loco inter se pugiles decernere exemplis sæpe probatum est. Quæ sortitio fiebat, vt calculis in vrnam coniectis, bina compares litteræ inscriberentur: quique eductis sortibus pares sortiti erant, committerentur.* Sic ille.

Sigonius lib. 3. de Repub. Athenien.

Alexander ab Alexand. Gen. dierum c.8.

15 Ad Romanos quod attinet: refert Cornelius Tacitus eos Magistratus, Legationes, Præfecturas, Prouincias, sorte diuidere solitos: *Ne esset ambitioni aut inimicitiis locus.* Hi quoque adeptâ victoriâ prædam sorte militibus partiebantur. Quò spectat illud Virgilij.

Tacitus lib. 10. *Apud Latinos.*

Si verò capere Italiàm, sceptrisq́ potiri
Contigerit victori, & prædæ ducere sortem.

Virgil. lib. 9. Æneid.

Meministis credo ad eundem modū cùm de partitione vestimentorum Christi, quæ sibi Romani milites à Pilato submissi velut satellites & ministri iustitiæ, quibus ea cedere de more cōsueuerunt, in prædam rapuerant, inter eos ageretur, missam esse sortem, *quis quid tolleret.*

Marci c. 15. v.24.

Non minus quàm milites, etiam ipsi militiæ Duces apud Romanos de certaminis loco & ordine, sicuti à Tito Liuio obseruatum & notatum, sortiebantur.

Liuius l. 2. decade 3.

Sed & cytharædos, cùm essent prodituri in scenam, eductos sorte fuisse, innuere videtur Suetonius, dum ait: *Ac sine mora nomen suum in albo profitentium cytharædorum iussit adscribi, sorticulaq́ in vrnam cum cæteris dimissâ intrauit ordine suo.* Quò allusisse Tertullianum libro de spectaculis affirmat eius Scoliastes Pamelius.

Suetonius in Nerone c.21.

Tertull. lib. de spectaculis c.16.

Ægyptij, si non aliud, agros saltem, quos quisque coleret, viritim sorte diuidebant.

Fuisse quoque alicubi consuetudinem, vbinam gentium non ita memini, suum cuique locum assignare in conuiuiis

Athenæus lib. 8.

conuiuiis sorte, scribit Athenæus.

Etiam nūc est sortium vsus.

16 Sicut olim, ita & modò sortibus vtimur, atque vtinam etiam in conuiuiis; esset hoc longè melius, quàm pro appositis ferculis lautioribus, reficiendo & recreando corpori; non refici & recreari, sed exulcerari, excedi atque consumi intus animos nonnullorum (quod non semel accidit) indignatione & rancore, eò quòd postponantur iis, quibus præferri voluissent; &, vt illi sibi imaginantur, debuissent.

Non tamen in conuiuiis.

Verùm non est in his modò sortium vsus. Benè in militia; quando siue pro periculo, siue pro gloria, de ordinanda acie, vel apparando conflictu decernitur. Etiam in iure quando de causa primò dicenda, de adeunda hæreditate, de bonis partiendis, quibusdam etiam locis cùm de seruis manumittendis agitur. In Republica aut Senatu similiter; quando conferenda munia, ad quæ à multis, qui sunt virtute ac meritis pares, concurritur; neque alter alteri sine iusta offensa atque inuidia præferretur.

In sortibus diuisoriis quæ sint obseruanda.

Fiunt hæc non minùs sapienter quàm licitè, dummodo quis in sortitione successum, aut secundum, aut aduersum, astris fatóve non tribuat; dummodo indigni non sint qui in hanc sortitionem veniunt; dummodo sortientes rebus sacris non abutantur, & sorte aliud non intendant, quàm querelas, lites, discordias, inuidiam tollere: minimè verò Dei voluntatem nouâ & non vsitatâ Catholicis ratione indagare.

Improbauit scio Principum ac Magistratuum electionem per sortes Aristoteles in Ethicis, improbauit etiam Philo habitus aliquando Iudæorum sapientissimus: *Quod sæpè accideret, vt ad principatum sors eueheret, quos vir bonus non ferret in subditorum numero.* Talem per sortes electionem improbamus & nos; quando nimirum inter deligendos, indigni muneribus, permixti dignioribus statuuntur; sed non cùm pares virtute, moribus, meritis, gratiâ, concurrunt; neque sors cadere, nisi in dignos potest.

Philo. lib. 1.

In conferendis muniis publicis non sortiendum nisi inter dignos.

In officiis Ecclesiasticis dandis sortes adhibere illicitum est.

17 Ecclesiæ Præsules sorte deligi, atque eo modo dignitates sacras conferri, Summorum decreta Pontificum non patiuntur; eiusmodi electiones Sacri Canones damnant, neque vllo modo hoc licitum Theologi censent. Causam adfert Abulensis; quia, dum electione, nón sortitione, creatur Magistratus, magis ad Deo fidendum erudiuntur Christiani. Idipsum quàm non conueniat fieri, aliquot rationibus solidis probat Nicolaus Serrarius, scribens in Iosue.

Abulensis in Iosue 7. q. 36.

Serrarius ad c. 7. Iosue q. 2. n. 3.

18 Si quis opponat, quod in Actis Apostolorum legimus, delectum in sacrum illud Collegium Matthiam sorte, & sic *Annumeratum cum vndecim Apostolis*; is responderi, & dici sibi putet à Beato Hieronymo, ipsum illud, quod habet cùm de sortitione nauigantium cum IONA agit hoc loco; vbi & S. Matthiæ sorte delecti nominatim meminit: *Priuilegia singulorum, non posse legem facere communem.* Ad Matthiam ergo quod attinet: Apostolorum numerus, duodenarius esse debebat, ex institutione Domini prima, non maior, non minor; ad hunc explendum, ex ampliori discipulorum Collegio non sorte, sed consilio & ratione, delecti Matthias & Ioseph, tantis vterque virtutibus; vt quis cui præponendus humano discerni iudicio ac prudentiâ non posset. Quid igitur fieret? opportunissimum visum, negotio vsque eò perducto, rationem inire diuiniorem, quâ cœpta, & ad istos duos iam deuoluta electio, Dei calculo finiretur. Quare ante sortium missionem, *Orantes dixerunt: Tu Domine, qui corda nosti omnium, ostende quem elegeris, ex his duobus vnum.* Postea verò, cùm ex vniuersa multitudine assumendi essent Diaconi, non dixerunt inter se ampliùs Apostoli, qui conuenerant & conuocarant simul discipulos omnes, *Mittantur sor-*

Actorum c. 1. v. 26.

Sorte rectè S. Matthiam delectum Apostolum ostenditur.

Hieron. in Ionam.

Quomodo S. Matthias sorte delectus.

Acto. c. 1. v. 24.

tes:

tes: quemadmodum in conferendo Apostolatus munere, pro Matthia & Ioseph factum fuerat: sed
Actor.c.6. v.3. *Considerate viros ex vobis boni testimonij septem, plenos Spiritu sancto, & sapientia.*

Sortium receptacula varia. 19 De sortibus diuisoriis, & quatenus eæ licitæ hactenus. Adiungamus aliquid de sortiendi modo, & sortium receptaculis.

Missas aliquando in sinum testatur Salomon dicens: *Sortes mittuntur in sinum; sed à Domino temperantur.* (Prouerb. c.16. v.vlt.) Etiam in calicem, quem sinus exciperet, existimat Martinus Del Rio, secundùm illud Dauidicum: *Dominus pars hæreditatis meæ & calicis mei.* (Psalm. 15. v.5.)

Meminit Cicero sortium coniectarum in hydriam, Plautus in situlam, Homerus in galeam, sicut & Virgilius, cùm ait,

Conuenêre viri, deiectamq; aerea sortem (Virg. 5. Æneid.)
Accepit galea, & primus clamore secundo
Hircacidæ ante omnes exit locus Hypocoontis.

Horatius in vrnam, qui aliquam etiam vitæ & mortis omnium capacem confinxit. Audite quàm lepidè:

Omnes, inquit, *eodem cogimur: omnium* (Lib. 2. Car. ode 3.)
Versatur vrna, seriùs, ocyùs
Sors exitura, & nos in æternum
Exilium, impositura cymbæ.

Et iterum:

—— Æquâ lege necessitas (Lib. 3. Car. ode 1.)
Sortitur insignes, & imos;
Omne capax mouet vrna nomen.

Sed Ethnici hominis, commentum ethnicum ridemus Christiani, qui nouimus itavitam & mortem omnium in Dei esse arbitrio & manu; vt illius prouidentiâ & nutu, non sorte, viuat qui viuit; moriatur qui moritur.

Sortiendi modus varius. 20 Sortiendi modus in distributionibus dignitatum, munium, præmiorum, hæreditatum, rerumque aliarum fuit omnino varius. Darij hinnitu equi, strato primo solis orientis intuitu, ex conuentione sortiti fuêre imperium. Fuerunt qui ad sortes fabis nigris & candidis vterentur, sicut adhuc modò pluribus locis in Gallia sacro Epiphaniæ die Reges educuntur.

Romanis olim, tam in iudiciorum quàm aliarum rerum suffragiis, mos erat calculis vti nigris & candidis, quos in vrnam suo arbitratu quisque mittebat. Conscribere etiam solebant nomina omnium, qui in partem sortis vocabantur. Porrò calculus candidus felicitatem, infelicitatem ater indicabat, Ouidio teste, qui sic ait in sua Metamorphosi:

Mos erat antiquis niueis atrisq; lapillis, (Ouid. Metam. lib.15.)
His damnare reos, illis absoluere culpâ.

Vnde ortum habuit, vt fausti dies candido, infausti atro lapillo notarentur; secundùm illud Persij:

Hunc Macrine diem numera meliore lapillo, (Persius Satyra 2.)
Qui tibi labentes apponit candidus annos.

Fuerunt etiam qui Homeri, qui Virgilij versibus, qui nominum propriorum atque hostilium litteris, sicuti Athenienses Græci alphabeti caracteribus, Veneti adhuc modò aureis argenteisque globulis, Genuenses lancis, olim nonnulli annulis, vt ait Plutarchus, sagittis vt Ezechiel, virgis vt Tacitus, taleolis vt Saxo Grammaticus. Et hoc etiamnum apud pueros in vsu est, qui quotidie eò in genere noui aliquid inueniunt; modò cultros, modò nummos, modò monetam cusam, siue cupream, siue argenteam, modò lapillos, sursum deorsum ad sortes iacientes. Atque hæc, aliaque his similia, pro varietate locorum, personarum, temporum, in sortibus circa rerum diuisionem perquirendis aliquando vsurpata, dixisse sufficiat.

21 Venio ad alterum sortium genus, quòd à D. Thoma *Consultorium* nuncupatur: quippe captandi diuini consilij (Quid sors Consultoria, & quousque licita.)

consilij gratiâ adhiberi solitum, vt de obscuro dubioque negotio statuatur: licitum quando aliis mediis deficientibus ex necessitate dumtaxat vsurpatur. Necessitatem hîc voco, quando quid potissimùm ad Dei gloriam, aut vtilitatem Ecclesię publicam, aut proximi, siue subsidium, siue exemplum futurum naturali nostrâ sagacitate atque prudentiâ nequaquam decernere, atque non nisi sic cognoscere possumus. Et tum quidem præmissis precibus, cum timore ac reuerentia id agendum, atque ab vno Deo exspectãdus euentus. Quoniam verò non tam frequens est illa necessitatis ratio; sunt qui hoc sortium genus esse planè illicitum dicunt vti reuerà est, si iam dictis conditionibus careat.

Merouæus Chilperici Regis Francorum filius sorte consultoriâ malè vtitur & infeliciter.

20 Per speciem piè & sanctè, sed reuerà impiè atque improbè, in re nimirum iniquissima consuluit aliquando sorte Dominum Merouæus Chilperici Regis Francorum filius contra illud Catonis Christiani:

Quid Deus intendat noli perquirere sorte,
Quid statuat de te, sine te deliberat ipse.

Sed vel sic, obuenturam sibi infelicitatẽ agnouit. Tenebatur ille regnandi cupiditate; quare Chilperico patri adhuc superstiti, & pro illius voluntate nimiùm diu, varias & parabat calumnias, & struebat insidias: vt verò sciret, Domino reuelãte, num regnum adepturus esset aliquando, quemadmodum retulit Turonensis Gregorius, tres è sacris voluminibus libros, videlicet Regum, Psalterij, Euangeliorum, Beati Martini tumulo imposuit, cumq; totâ istic peruigil nocte obsecrauit, vt quid sibi esset euenturum, dignaretur ostendere. Traduxit deinde alterum triduum ieiuniis, vigiliis, precibus, atque ad Beati tumulum rediens, impositosque libros reserans in eo quidem qui erat Regum, primus paginæ sorte diductæ versiculus fuit: *Pro eo quod dereliquistis Dominum Deum vestrum, & ambulastis post deos alienos, nec fecistis rectum ante conspectum eius; ideò tradidit vos Dominus Deus vester in manibus inimicorum vestrorum.* Psalmi autem versus in altero libro primus occurrit: *Verumtamen propter dolos, vel dolositatem,* vt legit Gregorius Turonensis, *posuisti eis mala, deiecisti eos dum alleuarentur: quomodo facti sunt in desolationem, subitò defecerunt, perierunt propter iniquitates suas.* In tertio libro, qui erat Euangeliorum, illud è passione Dominica: *Scitis quia post biduum Pascha fiet, & Filius hominis tradetur, vt crucifigatur:* sicque suâ dignum impietatę Merouæus accepit oraculum, quod fuisse verissimum exitus comprobauit.

Gregor. Turon. li. 5. historiæ Franco. c. 14.

2. Paralip. c. 7. v. vlt.

Psal. 72. v. 18.

Matth. c. 26. v. 2.

21 Felicius Augustinus hærens in superstitione & sordibus Manichæorum, cùm audisset de cælo vocem, *Tolle lege, tolle lege*, librum sumpsit in manus, eumque sorte consuluit, aperuit, legit: erat autem Epistolarum Pauli, occurritque in ijs omnium primò, quod scripsit ille ad Romanos: *Non in cubilibus & impudicitiis, non in contentione & æmulatione: sed induimini Dominum* IESVM CHRISTVM, *& carnis prouidentiam ne feceritis in concupiscentiis.* Quod illi profuit ad salutem. Quippe sibi dictum putans, id in quod sorte inciderat, ad Manichæorum sectam eiurandam, ad Catholicæ Ecclesiæ aggregandum sese, simulq; voluptatibus illicitis nuntium remittendum animum seriò adiecit.

August. li. 8. Confess. c. 12.

S. Augustinus eâdem bene & feliciter vtitur ad salutem.

Ad Rom. c. 13. v. 13.

22 Sic S. Ignatius Ordinis nostri Parens, ex vulnere saucius, cùm temporis fallendi causâ libros peteret, qui Heroum equestria, & hoc genus profana continerent, neque illi domi vsquam essent, oblatos duos melioris argumenti codices accepit; vnum quo Christi Domini gesta; alterum quo Sanctorum præclara facinora notabantur; effectumque hac fortuitâ lectione, vt subitò in rerum à se lectarum imitationem exarserit, & talis ac tantus, quantus ab vniuerso mundo agnoscitur, virtute & sanctitate euaserit.

Ribad. lib. 1. vitæ c. 2.

S. Ignatio feliciter boni libri fortuitò obueniunt.

O si nos sic quoque fortuitâ sanctorum librorum lectione aliquando sortiamur feliciter bonam mentem, vitam, mores, & deinde beatitatem perpe-

Ad Rom. c.11. v.34.

perpetuam: *Quis cognouit sensum Domini, aut quis consiliarius eius fuit?* legisse saltem non pigeat.

Bonauen. vitæ S. Franc. lib. 1. c. 3. n. 2. ex recensione Sedulij.

Bernardus de Quintaualle S. Francisco Asisinati forte primus socius obuenit.

Matth. c. 19. v. 21. Marci c. 8. v. 8. Matth. c. 16. v. 24.

23 Reperio quoque in vita S. Francisci Institutoris Ordinis Minorum, à B. Bonauentura conscripta, non priùs à Francisco Bernardum de Quintaualle mundum contemnere cupientem adlectum in socium, quàm consulturus Dominum, cum eo in Ecclesiam Sancti Nicolai ingressus manè, præmissâ ibidem oratione, ter Euangeliorum librum aperuisset, trino exposcens testimonio, sanctum Bernardi propositum confirmari. Quod & factum: nam in prima libri apertione illud occurrit: *Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus.* In secunda: *Nihil tuleritis in via.* In tertia verò: *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* Quam cùm esse regulam suam dixisset Franciscus, & in eam consensisset Bernardus, is statim à D. Francisco admissus & probatus est; simul socius, simul & primogenitus eius filius *tam*, vt Bonauentura loquitur, *prioritate temporis, quàm priuilegio sanctitatis* effectus.

Quid sors diuinatoria.

24 Tertium sortium genus, dictum à D. Thoma ac Theologis *Diuinatorium*; quo, vt suprà asserui, inquiritur cognitio futuræ, vel præsentis, sed occultæ veritatis: huic loco maximè proprium est, proindeque fusiùs de eo imposterùm disserendum.

Sors diuinatoria illicita quocumque modo fiat.

Diuinare per aquam, aërem, terram, ignem, fumum, securim, peluim: futurarum rerum euentus spectare ex herbis, cribro, amphorâ, dissultantibus speculi imaginibus: ex manuum humanarum, ex frontis inspectione, vultus lineamentis, somniorum interpretatione, membrorum totius corporis contemplatione, proportione, formâ: ex auium cantu, volatu, pastu, extorum consideratione, vel alia re quacumque, sicut vanum, ita prorsus illicitum. Cùm enim hæc cum rerum euentu connexionem non habeant, de illis erudire nos nequaquam possunt: sed si quid è similibus hauriri videatur scientiæ, id omne non aliunde, quàm ex tacito vel etiam manifesto cum dæmone commercio, qui vt Doctor consulitur, & à quo licet mendace, ac mendacij omnis parente, occulta veritas quæritur.

Ethnici diuinationibus olim dediti fuerunt.

25 Erant admodum diuinationibus per varias sortes addicti Ethnici, vt non sit mirum, si etiam illi, qui cum IONA nauigabant in Tharsis, causam tempestatis indagaturi, more suo ad eas confugerint. Apud Suetonium legimus sortes Domitiano Cæsari denuntiasse interitum, Alexandro Seuero, nihil tale speranti, Imperium: cùm illi inter Virgilianos versus eductos sorte, exiit hic è sexto Æneidos:

Modi diuinandi apud illos varij.

Tu regere Imperio populos Romane, memento.

Troiani belli tempore habitâ nominis ratione, ex compositione & numero litterarum atque ex illarum valore potissimùm, decernebatur per sortes de victore & victo: siquidem ille, cuius nomen plures litteras, aut maiorem continebat numerum, victurus, cuius verò pauciores, vincendus credebatur. Non defuerunt quoque, qui aliis ex feliciori iactu calculi, aut tesseræ, vitam, fortunas, felicitatémque promitterent.

Tursellinus in vita Xauerij lib. 3. c. 18.

In vita S. Francisci Xauerij legimus, cùm ipse Malacâ in Iaponiam nauigaret, Sinam Ethnicum nautam, cuius naui vehebatur, in itinere hoc tertiò sortibus idolum quod penes se habebat consuluisse. Primò vt sciret an idoneâ vsuri essent tempestate si Iaponiam peterent. Secundò cur nauarchi filia excussa è naui in mare, ibi interiisset. Tertiò cùm ad Cantonium Sinarum portum ventum est, an tutò nauigare inde in Iaponiam possent. Sed fefellêre hominē Ethnicum diabolo id agente sortes: feliciter enim nauigatum est, & successit profectio in Iaponiā, quā diabolus propter Xauerium impedire nitebatur: quē etiam, vt redderet odiosum, cū de nauarchi filia rogaretur sors exiit, si Emanuel homo Christianus in sentina periisset: puellam in mari non fuisse perituram.

26 Nostris

Superstitiones diuinatoriæ nunc in vsu diuersæ recensentur.

26 Nostris temporibus etiam inter Christianos mulierculæ ipsę diuinum quid sapere etiam volunt, vbi puncta, notas, litteras, lineolas, scripturas nescio quas consuluerint; vbi cineres inspexerint, festucas maiores aut minores sorte eduxerint. Alij furta, imò quæuis occulta, per clauis agitationē, libri inscriptionem, & nescio quæ alia inuestigant. Sunt qui cùm monacho, fœminæ prægnanti, aut lepori obuiant, id mali ominis habent, & obuenturum sibi infortunium augurantur. Omnia ridiculè, vanè, impiè.

Sortilegiū certis de caussis subinde permisit Deus atque præcepit.

27 Nec est quod quispiam ad erroris sui defensionem dicat, sortilegæ diuinationis probatæ à Deo, etiam sacras litteras meminisse. Meminisse scio, & Deum subinde aut sortes permisisse, aut mitti iussisse, aut vt mitterentur nonnullis in mentem dedisse, ad rem aliquam arcanam detegendam, & propalandam. Verùm quis legem statuet Deo (cuius in manibus vniuersa, qui de singulis suo arbitratu disponit, & ordinat) vt hoc, vel illo modo occulta aperiat? Ipse est qui virgam Aaronis aliorum virgis permistam solam inter duodecim germinare fecit; in signum, quòd eum præ cæteris Summum Sacerdotem atque Pontificem delegisset. Ille, per Samuelem Prophetam sortes in Maspha mitti iussit, & iis Saülem de tribu Beniamin, de cognatione Metri, designatum Regem constituit super Israël. Ille, cùm aliquid in castris Iudæorum sublatum esset de anathemate, ductori populi Iosue imperauit, & dixit: *Accedetis manè singuli per tribus vestras, & quamcumque tribum sors inuenerit, accedet per cognationes suas, & cognatio per domos, domusq́, per viros, & quicumque ille in hoc facinore fuerit deprehensus, comburetur igni cum omni substantia sua; quoniam præuaricatus est pactum Domini, & fecit nefas in Israël.* Hæc ita accuratè Deus præcepit, vt statim, sicuti factum est, sacrilegus innotesceret. Missâ ergo manè ante Arcam fœderis, siue ad tabernaculi atrium, corā omnibus sorte, primò per tribus, deinde per cognationes, postea per domos, ad extremū per viros singulos, vti Dominus iusserat, designatus est, qui verè reus erat, Achan filius Charmi, furatus pallium coccineum, ducētos siclos argēti, regulā quoq; auream quinquaginta siclorū; &, secūdū Domini voluntatem, mandante Iosue ab vniuerso populo lapidatus est, rebus eius omnibus igne consumptis.

Sorte electus Aaron summus Sacerdos. Num. c. 17.

1. Reg. c. 10. v. 19. *Sorte Saül Rex electus.*

Iosue c. 7. v. 14. *Sorte Achan sacrilegus agnitus.*

Horum exemplo nihil sorte agendum.

28 Si quis ad horum exemplum, auctoritate propriâ id agere velit, vt ductis sortibus, aut quod est peius, cōsultis ariolis ac magis, occulta cognoscat, vt futura prædicat, vt absentia velut præsentia alicui ob oculos statuat; is & grauiter errat, & vehemēter est in Deum iniurius: quippe cuius vnius est scientia futurorum, & cognitio cogitationum, ac cordium. Enimverò hic diuinitatem sibi aliquo modo arrogare velle videtur, vsurpans quod Dei est, Isaiâ dicente: *Annuntiate quæ ventura sunt in futurum, & sciemus quia dij estis vos.*

Isaias c. 41. v. 23.

Arioli & magi non consuluntur impunè.

Ceterùm sciat se hoc non minùs impunè facturum quàm olim Pharao magos consuluit, à quibus demētatus, regnum, vitamq; inter vndas perdidit: quàm Saül, Pythonissam, qui à Philistæis posterâ die cæsus propriâ manu infelix occubuit: quàm Ochozias oraculum Accaronis, ad quod cū nuntios misisset, audiuit à Propheta Domini: *De lectulo super quem ascēdisti non descendes, sed morte morieris.* Vetera quidem sunt illa, verùm recētiora non desunt; plures, prô dolor, nostro etiam æuo fuêre, qui sortilegos, incantatores, veneficos, magos consulendo; opes, honorem, valetudinem, vitam, &, quod omnium deterrimū, animā perdidêre.

1. Reg. c. 31. v. 4.

4. Reg. 1. v. 4.

Id recenti exemplo ostenditur, in eo qui id tantùm tentauit.

29 Exemplo sit quod anno decimo septimo supra millesimum sexcentesimum accidit in Belgio nostro; eò magis deplorandum, quò in persona illustriori. Audite rem verè calamitosam & miseram. Erat vir primæ prorsus nobilitatis, prædiues, speciosus, liberali indole, venustis moribus, apud omnes gratiosus in paucis, insuper linguarum plurium egregiè peritus; vt nihil prorsus

ſus ad eum commendandum deſiderari videretur. Is cum paris nobilitatis viro, de illuſtri Comitum Germanorum ſtirpe, iam pridem ſimultates habuerat; & Sereniſſimorum Alberti & Iſabellæ Belgij Principum mandato, patriæ limitibus certis concluſus, properare in Germaniam ad vlciſcendum coràm de hoſte non poterat, quæſiuit ergo viam, quâ abſens poſſet.

30 Audierat cũ in Ducatu Luxemburgico, ſito ad oram Treuirenſem, ageret, à quodam venationis ſocio, inter venandum, neſcio quid de incantatore aliquo & venefico: illius igitur, vt ſuo inflammato in iras animo faceret ſatis, familiaritatem ſummâ auiditate ac deſiderio ambiit. Erat hic, de quo in vulgus fama necromanticæ artis aliàs vſurpatæ manarat, opilio, Henricus nomine, paſſim *Scheffer Heyn* dictus, idiomate patrio (vti ex actis iudiciariis Malbergenſibus, quibus quarta Ianuarij anni milleſimi ſexcenteſimi vigeſimi tertij, ſcriptus eſt capitis reus, accepi) homo inſigniter nequam, qui ſe peritum artis huius ſimulabat: hunc ergo quæſitum vbi inuenit ille, quem diximus ita vltionis cupidum, vir generoſus & potens, tria, ſibi futura vt putabat vſui, poſtulauit. Primò haurire peregrini ſermonis cognitionem plurimam. Secundò artem noſſe ictu certo & infallibili telum librandi; alienorum verò ictus telorum illæſo corpore ſuſtinendi. Tertiò denique dexteritatem habere abſentis corpori vulnus infligendi lethiferum, & certo faſcino omnium, cùm ita luberet, oculos declinandi.

31 Hæc vbi Henricus opilio peti à ſe, & inſtanter peti per virum talem ac tantum aduertit, quod res erat, fatetur eſſe ſe artis illius prorſus ignarum, popello rudi & nouarum rerum auido, impoſuiſſe dumtaxat: at ille hæc dicenti non credere, vlteriùs vrgere, minari etiam, ſi tergiuerſari & occultam habere ſcientiam ſuam perrexerit. Ad hæc opilio, quà territus minis, quà præmio propoſito motus, vbi ſe non niſi ægrè admodùm eluctaturum videt, addicit operam, cumque ſic velit, eius ſe obſecuturũ deſiderio ſpondet; diem ſtatuit, locum deſignat, montem quemdam quem ementito nomine Veneris montem nuncupabat, non ita remotum, ſacris illis, vt aiebat, artibus peridoneum.

Hac ſponſione recreatus vir nobilis, futuro magiſtro ſuo viginti quatuor daleros Imperiales impertit, & eum in conſtitutum diem dimittit.

32 Domum reuerſus opilio, acceptâ iam ſponſionis arrhâ angebatur vehementiùs, quòd rei illius, cuius erat ignarus, alteri magiſterium addixiſſet; ergo vt quâ poteſt dexteritate ſeſe expediat, Theodorum van Ouervvyler ruricolam, hominem prorſus ſimplicem (qui & ipſe vndecima Ianuarij, eiuſdem anni quo ſocius eius Henricus Malbergæ, in Prouinciali Concilio Luxemburgi damnatus ad reſtem, dedit ſui ſceleris pœnas) ſocium ſtropharum adſciſcit, illi quid agatur exponit; vrgeri nempe ſe à viro magno, & indicabat non ignotum nomen, ad procurandum ei dæmonis familiare alloquium, intentare minas, tormenta, mortem ni fecerit; modum nullum occurrere, quo à ſe amoliatur importunum hominem; velit proinde venire in fraudis partem, ſimul & lucri, atque tantiſper dum peracta ſit fabula, dæmonis perſonam ſuſtinere, & quæ antè à ſe reſponſa acceperit, hoſpes ignotus & abditus, ex trunco deſignatæ arboris reddere. Placet propoſita Theodoro induſtria, ad quam opem ſe collaturum datâ liberaliter dexterâ addicit, promittitque ſuam ad ſtatutum diem præſentiam.

33 Is vbi aduenit, ex condicto delectam communi conſilio ſedem inter arborum denſa dæmon hic viſibilis occupat; adeſt quoque cum magiſtro ſuo opilione diſcipulus, nouæ ſcientiæ hauriendæ plus quàm credi poſſit auidus, ſub ſolis occaſum. Porrò opilio deſignato iam antè cum ſocio ſuo

suo Theodoro loco opportuno in proximo, ibidem orbem bacillo depingit in puluere, cuius se discipulus cõtinere limitibus debeat, quem nec citra vitæ periculum valeat pertransire. Paret ille, & magister magicum ementitus carmen, editisque nescio quibus peregrinis vocibus dæmonem ciere se fingit, eique nouum in speciem offert discipulum, ad eius anhelantem alloquium. Tum verò abditus arborum frondibus simulatus dæmon, Ecquid inquit à nobis vult ille? magister verò clientis sui petitionem proponens, simul de pretio tractat: quod dæmon ipsam eius animam esse dum cupit, gallum gallinaceum alter offerens, en viuam & spirantem exclamat: cui primò nequaquam acquiescere velle visus fictitius dæmon, auri tamen quàm alterius rei sitientior, oblatum tãdem pro animæ pretio nummum admittit argenteum, postulans vnà in amoris perennaturi symbolum sibi osculum dari: quod dum pro suo magister discipulo dandum similiter negat, nescio quid aliud ei insusurrans in aures; Apollo rusticus obmutescit, & peractâ fabellâ, vtrimque receditur.

34 Prælibatio hæc infelicis operis, & colloquij fraudulenti, in nouo hoc opilionis discipulo, æstum & desiderium non modò non extinxit; sed ampliùs accendit: quippe exinde esse importunior magistro suo cœpit, easdem sibi gustare delicias vt liceret iterum. Quem etiam in finem, eiusdem directionem secutus, oppignorato dominio quodam suo, ingentem vim auri corrasit, quo onustus ad diem præstitutum accurrit, iam planè edoctus & credens istis & artibus & opibus dæmonem vinci, & petitas acquiri scientias posse.

35 Ergo ad fatalem accessurus locum, quærit infelix discipulus à magistro, num vel obesse corona precatoria vel mucro possint, atque, vbi intelligit nihil opus armorum, retentis tantùm rosarij calculis precatoriis, ceterùm exarmatus iter ingreditur malè ominatum. Nemus erat ad quod ibatur, & satis vt dixi vicinum; hic, vt antea, rursus erat descriptus in terra circulus, in quem se nouus ille studiosus, sed non virtutum, iubetur recipere, oculos obuoluere fasciâ, vestem lineam certum quoddam sacci genus densum satis, tum ne quid videat, tum ne commouere se possit, induere, totum corpus supinum in nuda humo, tanquam sic meliùs sit auditurus oracula, extendere. Exequitur omnia nimiùm in damnum suum obediens: vbi iam conclusus est vndique, atque ita constrictus vt se mouere ampliùs non possit, circumcursat ductor eius & Magister Henricus opilio, & quiddam denuò tam diu immurmurat, donec sumptâ in manus securi, quam fictitius dæmõ inter dumeta abdiderat, discipuli sui in terra iacentis frontem sic feriat, & dissecet, vt ei vnico ictu vitam adimat, relicto dumtaxat spatio suspirandi semel, simul & exspirandi.

36 O casum infelicem! ô exitum luctuosum! hic vtinam propositus & infixus sit firmâ & frequenti recordatione eorum mentibus quos artes magicæ pridem dementarunt, iisque quà falsam, quà veram, dęmonis hostis nostri capitalissimi familiaritatem aucupãtur; tum se beatos arbitrantes, cùm ea didicerint, quorum ignorationem magis, quàm cognitionẽ ambire oporteat. Interim, quod nemo satis deploret, tam grande hoc nefas maius incrementum sumit, quàm velint probi omnes, & quò occultum magis, amans cum magistro principe tenebrarum tenebras, eò magis latentis instar veneni sese diffundit, vt iure meritissimo, cùm detectum fuerit, non nisi ignibus piari debeat, quò ceteri grauitate supplicij terreantur. *Dolendum multos esse magiæ studiosos.*

37 Ab argumento nobis proprio, quod erat de sortibus, licet non multùm, paululùm tamen deflexiмus, & volentes recessimus ad rem valdè vicinam, & quasi cognatam. Nunc ad illud iterum redeuntes, quod sit de sortibus Patrum iudicium dum expono, vos de iisdem quid statuendum, quid sentiendum nullo nego-

N 2 tio,

tio, etiam me tacente, videbitis.

Leo IV. Epist. ad Episcopos Britanniæ. *Sortilegi à Leone IV. Pontifice excommunicantur.*

Leo Romanus Pontifex illius nominis quartus, aliquid de fortibus in Britannia vsurpari solitis inaudierat: huic gliscenti malo vt maturè pro pastoralis sui officij cura occurreret, Episcopos regionum illarum verbis grauissimis in hunc modum admonuit. *Sortes quibus cuncta vos vestris discriminatis Prouinciis, quas Patres damnarunt, nihil aliud quàm diuinationes & maleficia esse decernimus. Quamobrem volumus illas omnino damnari, & inter Christianos vltrà nolumus nominari, & ne exerceantur anathematis interdicto prohibemus.* Iure meritissimo, quid enim Christiano, cui omnis fiducia aut est, aut certè esse debet in Deo, cum fortibus? quas qui à fortuna quærit, quærit vanè; qui à cælo & stellis, falsò; qui à Deo, cùm humanæ rationes suppetunt, malè; & velut qui tentet eum. Ineptiunt proinde philosophastri, & astrologi quidam malè feriati, non modò temerariè, sed impiè quoque, comminiscentes se ex astris nosse liberas hominum actiones; posse etiam futura, vt loquimur in scholis, contingentia præuidere. Hoc enim, & libertatem nostram euerteret, quippe alligatam cursui ac motui syderum, & illud ineuitabile Ethnicorũ fatum, atque necessitatem, quam nemo Christianus admittit, induceret.

A fortibus nō est quærenda veritas.

Astrologi liberas hominum actiones præuidere & denuntiare ex astris non possunt.

38 Vetus hic error; sed subinde innouatus, olim damnatus, sicut & modò. Damnarunt namque eum Concilia, Bracarense primum, & Toletanum primum. Reprehendit pro Concione Leo Magnus, & quantum inoleuisset insinuans hũc iustè deplorat. *Sunt*, inquit, *qui totam humanæ vitæ conditionem de stellarum pendere effectibus mentiuntur, & quod est, aut diuinæ voluntatis, aut nostræ, indeclinabilium dicũt esse fatorum, quæ tamen, vt cumulatiùs noceant, spondent posse mutari, si illis, quæ aduersantur, syderibus supplicetur. Vnde commentum impium suâ ratione destruitur; quia si prædicta non permanent, non sunt fata metuenda; si permanẽt, non sunt astra veneranda.* Vbi paucis verbis multas suorum temporum ineptias, & errores qui erant inter astrologos & diuinatores complectitur. Nostrâ memoriâ eosdem quoque errores Sixtus V. priorum Conciliorum & Pontificum decretis insistens è S. Petri Cathedra damnauit. Sed & Iustinianus Imperator, non minùs quàm Romani Pontifices, quàm esset ab illis iniquitatibus alienus ostendit *In Codice, Titulo proprio, De Maleficis & Mathematicis*: vt appareat manifestè, legibus ciuilibus, æquè atque Ecclesiasticis, omni tempore sortilegos, diuinatores, maleficos fuisse damnatos.

Contrà sentientes à Concilijs & SS. Patribus dãnati.

S. Leo Magnus ser. 7. de Natiuit. Domini.

Damnati à Sixto V. Pontifice, Max.

Iustinian. Codices lib. 9. c. 18. *Etiam lege Cæsareâ damnati.*

39 Sentire fortasse hæc præ cæteris videbuntur astrologi illi, qui ex astris certam se habere diuinandi scientiam putant, nixi loco illo libri Iudicum: *De Cælo dimicatum est contra eos, stellæ manentes in ordine & cursu suo, aduersus Sisaram pugnauerunt.* Sed parum habẽt inde subsidij; neque enim quidquam hîc pro astrologia iudiciaria: innuit tantùm Scriptura verbis illis, tempestatem, quâ Sisaræi à Barach prælio victi sunt, & illius causam victoriæ, videlicet vel cælum, particulari aliquo influxu, vel Angelos. De stellis in cursu & ordine suo manentibus, quod additur; exprimit hoc felicitatẽ pugnæ & victoriæ, cuius indicium est aciei integritas; in hac enim, cùm quisque ita suum tuetur locum vt ordines non turbentur, ante pugnam quidem victoriæ obtinendæ certa spes est; post pugnam verò, conflictu iam inito, obtentæ argumentum certissimum.

Iudicum c. 5. v. 20. *Explicatur locus libri Iudicum nō seruiens astrologis.*

Dico igitur, & concludo cum D. Leone Magno. *Anni vita nostræ, & actionum temporalium qualitates, nec in natura elementorum, nec in stellarum effectibus; sed in summi & veri Dei potestate consistunt, cuius auxilium & misericordiam in omnibus quæ obtinere cupimus, implorare debemus.*

Leo Magnus ser. 6. de Pass. Dom. *Vita nostra non à fortibus sed à Deo pẽdet.*

40 Multa hactenus de diuinationibus, multa de fortibus, & sortilegiis diximus: nũc verbo absoluã, vbi addidero rectène sortes miserint, & sine crimine, qui cum IONA nauigarunt. Has mittere, vt manifestum fiat crimen,

Num fortibus vti Ionæ socij potuerint disputatur.

men, quod aliàs occultum, ex genere suo illicitum esse nemo dubitat. Itaque nisi hîc Domino inspirante, quod nonnulli & graues auctores arbitrantur, sors missa fuerit, damnandum factum; sed tamen ita damnandum, vt Deus ex re superstitiosa & mala, elicere bonum voluerit: vti nõnunquam facit, & primò omnium fecisse cum Angelis ait Augustinus: *Hos enim cùm prasciret per elationem, quâ ipsi sibi ad beatam vitam sufficere vellent, tanti boni desertores futuros, non eis ademit hanc potestatem, potentius & melius esse iudicans, etiam de malis benefacere, quàm mala esse non sinere:* Hæc ille.

August. lib. 12. de Ciuit. Dei c. 1.

Deum sæpe ex malo bonum elicere exemplis ostenditur.

Accidit certè id etiam peropportunè hoc loco, quando Deo, non ex vi sortium, sed ex sua sancta voluntate ac beneplacito, ita disponente effectum est; vt, publicè agnitus & redargutus ab omnibus, publicè pro nocente IONAS habitus, ipse quoque culpâ suam, quam in id vsque temporis occultarat, publicè volens nolens agnouerit.

Sic Saüle, tametsi perperam, Pythonissam consulente, factum est permittente Deo, vt in eius præstigiis compareret Samuel, eique imminentem interitum, ad iustam delictorum suorum pœnam, nuntiaret.

41 Nolite *Domini Sodales* exspectare vt Deo viuatis, dum sorte vobis quoque nuntietur interitus: nolite differre vitæ in melius mutandæ consilium, dum veniat missus à Domino, qui dicat vobis, quod olim Ezechiæ Regi Propheta Isaias: *Dispone domui tuæ, morieris enim tu & non viues.* Nolite tum demum saniora cogitare incipere, cùm ex vitæ huius statione est discedendum. Putate ex nunc moneri vos sedulò, & dici singulis vestrûm quotidie, ad ortum auroræ:

Non exspectanda aliqua denũtiatio particularis pro vita emendatione.

Isaiæ c. 38. v. 1.

Sera nimis vita est crastina, viue hodie. Viuite inquam & hodie, & omni tempore, sed Deo; ne morientes vixisse alteri deprehensi, confundamini coram commilitonibus & sociis vestris, insuper coram hominibus omnibus, & mittamini, tamquam rebelles Domino, non in mare, vt IONAS, sed in ignem, inde numquam exituri, æternum, æternum.

Martialis lib. 1. Epigram.

LECTIO DECIMA-TERTIA.

MISERVNT SORTES ET CECIDIT SORS SVPER IONAM.

ARGVMENTVM.

Pro quibus & quomodo missa sit sors, cecideritque in Ionam indagatur. Sortis in Christum pro genere humano morientem cadentis, memoria renouatur Commendatur consuetudo laudabilis patronos menstruos sortiendi è Sanctis.

Sors cadens in Ionam diuinæ prouidentiæ argumentum est.



1 MAGNVM omnino elucet diuinæ prouidentiæ indicium, magnum sapientiæ argumẽtum in eductione publica sortium, hîc tam solemniter in naui ad concursum omnium instituta. Etenim vel ex eã apparet, quàm arcano, & suprà quàm homines solent ac possunt prudenti consilio, direxerit, atque etiam rexerit, nautas, nauigationis socios omnes, adeoque IONAM ipsum, atque hunc vel maximè, is qui solus est magni consilij Angelus.

2 Theophilactus quondã Bulgarorum Episcopus rectè animaduertit Deum; quamquam ipsi non desint mille rationes & viæ, quibus possit flectere hominum mentes, easque quantumuis rebelles facere tributarias sibi, & obsequentes ad nutum; pro suaui

Deum vocare quemque, mediis propriis & cõuenientibus, exemplo ostenditur.

suaui dispositione prouidentiæ suæ, solitum propriis quemque & velut sibi domesticis rebus ad agnitionem deducere veritatis, ad cultum veri Numinis, ad viam salutis. Sic priscis temporibus seruati Azotij; per symbolum boum Arcam reducentium eruditi instructique, quid sibi faciendum in posterum. Sic Magi magni & excellentes astronomi, motui cælorum spectando, & cursui syderum considerando intenti, recentis stellæ spectabili fulgore eos euocante & præcedente, ad sacras nati Seruatoris perducti cunas, illum Regem seculorum, terræ & cæli Dominum, natum orbi Messiam agnouerunt. Sic Petro & Andreæ piscatoribus intentis ex munere suo piscibus capiendis, cùm ad summam Apostolatus dignitatem vocarentur, dictum à vocante Christo Domino ex consueta illius opificij formula: *Venite post me, faciam vos fieri piscatores hominum:* ac si planè & apertè dicat eis: Vos hactenus pisces cepistis, at imposterùm homines longè nobilius animantium genus capietis, idque aliis planè retibus, escâ aliâ, & loco alio: in mari non Galileæ, neque in stagno Genezareth, vt modò: verùm in orbis totius vastissimo archipelago: atque ita à munere vno ad aliud, suauiter simul & feliciter suo magno emolumento, nec minore aliorum plurium commodo transierunt.

Lib. 1. Regum c. 6.

Matth. c. 2. v. 2.

Matth. c. 4. v. 19.

3 Idem prorsus nautis, mercatoribus, aliisque nostri IONÆ in hac nauigatione sociis hominibus Ethnicis accidit. Assueuerant illi plurimum diuinationibus, auguriis, sortibus, his in re quauis vtebantur frequentiùs, his non modicam fidem tribuebant. Sinit igitur Dominus, vt in angustiis constituti more suo sortiantur, & interim ita totum hoc negotium, ita sortes dirigit; vt iis, vanis & futilibus licet, occulta veritas innotescat, detegatur reus, crimen prodeat; ac mox suum quoque sit nocenti supplicium, innocentibus quies, ipsi verò tamquam iustissimo iudici honor & gloria.

Ethnici sortibus assueti, hic discunt ex eis veritatem.

4 Tametsi censuerim aliàs, ita fuisse occupatos circa sua in tam atroci tempestate nautas, vt de iaciendis sortibus cogitare parum illis temporis & otij fuerit: nullo tamen modo ambigo, quin pro illis, non secus ac pro ceteris, missa quoque sors fuerit. Etenim, si quispiã fuisset exemptus, neque communi comprehensus sortientium numero, constare omnino certò de auctore sceleris, & consequenter de pœna, immissâ inquam tempestate, nequaquam potuisset: cũ sic aliquando fortuito casu exemptus à sortilegio haberetur, aut etiã se posset ab eo subducere, qui vel maximè quærebatur, aut ne forte id fieret, plerique in magno metu versari. Ergo vt extra omnē dubitationis aleam procedat negotium, omnium nomina conscribuntur, de omnibus agitur, nullus hîc exlex, nullus immunis, nullus exceptus, ne gubernator quidem, cuius erat, si quæ fuisset in hoc genere dubitatio, eamdem dirimere.

Fuisse missam pro singulis qui in naui erant sortē certum est.

5 Sortium missarum modus non est vel verbulo vno à Propheta expressus; itaque de illo nobis constare certò non potest. Existimo tamen probabilius, hunc alium non fuisse, quàm simplicem nominum singulorum eductionem hoc pacto. Conuenerit inter omnes, vt descripta singulorum singulis chartis nomina singula, in commune aliquod receptaculum, siue hoc vrna, siue vas aliud fuerit, mitterentur; ibique laterent occulta, quoad vsque confusis permistisque agitatione vnâ alterâve nominibus in vas immissis, vnum nomē ex omnibus, insertâ clam manu, educeretur, proferretur, legeretur; isque communis censeretur auctor periculi, & criminis reus, cuius eductum nomen primò omnium prodiisset. Satis hoc consentit cũ eo quod habet Syrus: *Et ascendit sors Ionæ*: ac si dicat, charta IONÆ inscripta nomine prodiit.

Quomodo hic missæ sortes fuerint quæritur.

6 Ioannes Treminius allegans hos versus Prudentij,

Iussus perire solus è cunctis reus,
Cuius voluta crimen vrna expresserat,
Rotatur. ———

censet,

censet, in vrnam coniectos lapillos atros & candidos, Ionæ verò semper atrum obuenisse. Verùm vnde statim ad manum in naui atri lapilli & candidi, neque horum lapillorum vsum in sortitione illa fuisse Prudentius indicat.

Interim siue sic factum; siue, vt alij volunt, fuerit sorti alicui signum aliquod notáve impressa; ita vt is, super quem hæc caderet, aut qui eam educeret, mali auctor censeretur, haberetur; siue, sicuti nos arbitramur, singulorum fuerint descripta nomina; Cecidit sors svper Ionam; quæ, vt ait D. Basilius Seleuciæ Episcopus, *Non mendax indicium dedit, & sic Propheta fugacitatis argutus est.* Addo, & quod eius rebellioni debebatur, decretum supplicium: *Cetus verò damnationis sententiam excepit.*

Sors super Ionam cadit. Basil. Seleuciæ orat. 12.

Aliquorũ sententia quâ sæpius repetita sors, semper Ionam designauit, proponitur.

7 Missam sæpiùs sortem, repetitam inquam iterum & iterum, communi periclitantium suffragio, post veteres Rabbinos censuerunt Franciscus Feuardentius, & Arias Montanus; vt si casu semel Ionam, & aliàs alium designasset, pleniùs constaret quàm illi & quovsque fidendum: si verò, quod futurum opinabantur, in eumdem semper recideret, nullus esset de reo vlteriùs dubitandi locus. Vbi ergo repetita multoties, in vno Iona nominando constans fuit & pertinax; de illo conclamatum, illum passim ab omnibus habitum mali auctorem; illum etiam, neque alium vllum existimatum, à tam minacibus fluctibus ad supplicium peti.

Improbatur vt fabulosa.

8 Non dissentirem, si Rabbinis suffragaretur Propheta, aut saltem innueret verbulo aliquid, quo suam dicti auctores sententiam reddere possent firmiorem. Faceret hoc ad illustrandam historiam hoc loco non parum, faceret ad fugientem magis arguendum magisque in illa sua confundendum insania. Verùm cùm nihil tale de se ipse referat, qui cetera omnia accuratè; non possum aliud sentire, quàm hanc similem esse superiori de pacato vbiuis mari, præterquam ad Ionæ nauem, Iudaicam fabulam; quæ plus apud Lectorem atque Auditores plausus inueniat, quàm solidæ habeat veritatis.

9 Longè secus quàm olim cũ Iona anno superioris sęculi quinquagesimo nono cum Gaspare Villela, erat is è Societate Iesv Sacerdos, Meacum nauigante est actum: qui non propter tempestatem, sed propter malaciam magnum vitæ discrimen incurrit. Cùm enim cadente vento post diei vnius iter tranquillitas nauim eodem affixisset loco, Ethnici circumire vectores, & stipem viritim exigere, per quam ventum à suis idolis redimerēt. Hi ergo ad Villelam cùm venissent, vtque conferret ipse quoque, contenderent; eo negante in quoquam præterquam in vero Deo cæli terræque conditore se suas spes habere repositas, continuò exclamarunt, deprehensum malaciæ fontem, hominis eius odio claudere deos maria: ipsummet dandum eis piaculum, & præcipitem protinus deuoluendum in mare. Quod haud longè aberat, vt facerent, si diuturnior malacia tenuisset. Sed adfuit opportunè Deus preces suorum exaudiens, ad quas postero die secundus aspirauit ventus, atque ita Villela ingenti periculo liberatus est.

Historiæ Societatis tom. 2. lib. 3. n. 165.

Ad rem nostram: putauit Ionas; at vanè, vt cernitis, etiam sorte incertâ certum arguente crimen, posse se à facie Domini fugere, & latere. Putant idipsum etiam alij multi qui peccant; sed non minùs vanè quàm Ionas. Nemo sibi blandiatur, nemo se seducat, nulla ars est, nulla industria, quæ aliquid quantumuis occultum à Dei omnia intuentis oculo abscondat.

Omnia Deo aperta & manifestasse ostēditur.

Verè dixit Paulus: *Omnia nuda, & aperta sunt oculis eius.* Pro, *aperta*, Græcè est τετραχηλισμένα: est autem τραχηλίζειν, vt Gagnieus interpretatur, à collo ad caudam medium secare, siue per dorsi medium findere, quò fissi animalis intestina nudentur, & intuentibus pateant; quasi ibi significatum velit Paulus,

Ad Hebr. 4. v. 13.

Dei clarè videre omnia vlterius docetur. lus, sic patere Deo omnia, ac si essent diffissa, & quæ antè erant occulta, iam essent in apertum producta. Etenim, vt ait Ecclesiasticus, *Oculi Domini multò plus lucidiores sunt super solem, circumspicientes omnes vias hominum, & profundum abyssi, & hominum corda intuentes in absconditas partes.* Cap. 23. v. 28.

Dei hieroglyphicum in summitate sceptri oculus. 10 Hinc Ægyptij nō malè Dei hieroglyphicū in summitate regiæ virgæ, seu sceptri, ponunt vigilantem semper, atque in omnia intētum oculum.

Hæc paullò attentiùs perpendere, & dimittere ampliùs in animum oporteat homines improbos, habentes velamen malitiæ libertatem. Nouerint illi, quocumque se modo contexerint, detegēda omnia, propalanda omnia, etiam occultissima in lucem publicam protrahenda.

Meretrix Thaïs edocta quomodo Deus omnia videat, conuertitur. Fuit hæc consideratio à Sancto illo solitario Thaidi famosæ meretrici suggesta conuersionis illius & melioris vitæ prima origo. Recordemini etiam vos quid per Nathan Prophetā Dauidi peccanti interminatus sit Deus: *Tu,* inquit, *fecisti absconditè, ego autem faciam verbū istud in conspectu omnis Israël, & in conspectu solis.* 2. Reg. 12. 12. Verùm parum adhuc est, si nunc delicta nostra pauci hîc sciant, oderint, damnēt; videbit, damnabit aliquando orbis vniuersus, nisi priùs hæc nos ipsi damnemus.

Eleazarus sciens Deū videre omnia non vult etiam etiàm carnes porcinas comedere cōtra legem. 11 Mouebat Eleazarum ille omnia penetrans Dei oculus, ne vel ceteris ignorantibus peccaret, illumq; vnum offenderet, & ab illo vno perperam agere videretur. Quare sollicitatus ad violandam legem de carne porcina nō manducanda, ne quidē simulare volebat & videri fecisse quod fieri nequaquam licebat. Audite inuictā fortitudine eiusmodi proponentibus respondentem: *Non,* inquit, *ætati nostræ dignū est fingere, vt multi adolescentium, arbitrantes Eleazarum nonaginta annorum transisse ad vitam alienigenarum, & ipsi propter meam simulationem, & propter modicum corruptibilis vitæ tempus decipiantur; & per hoc maculam atque execrationem meæ senectuti conquiram. Nam, etsi in præsenti tempore suppliciis hominum eripiar; sed manum Omnipotentis nec viuus, nec defunctus effugiam.* 2 Mach. c. 6. v. 24.

12 Verè, sapienter, generosè loqueris magnanime heros. Discamus pusilli, quid tanti ducis exemplo, nobis, qui hoc ampliùs Deo debemus quòd in Christo per baptismum renati simus, præstandum. Numquid ingens probrum est, sic propriâ voluntate in libidinem, laxatis velut habenis homines abripi, gulæ ventrique seruire, impudicis cogitationibus, verbis, nutibus oblectari; iram, rancorem, inuidiam, tumorem animo coquere; atque hæc omnia fictâ quadam honestatis specie velare, & boni laruâ seculum fallere? *Hypocritæ non latent Deum, aliquando eorum hypocrisis detegetur.* At non fallent semper, detegenda aliquando est larua hæc; neque, tametsi decipi possit, atque in errorem induci mundus vniuersus, vnquam decipitur Deus. Seria est & syncera monitio Pauli ad Galatas: *Nolite errare: Deus non irridetur. Quæ enim seminauerit homo, hæc & metet. Quoniam qui seminat in carne sua, de carne & metet corruptionem: qui autem seminat in spiritu: de spiritu metet vitam æternam.* Ergo habeare licet, quisquis demum fueris, pius, probus, ac timens Deum, qui virtutem, qui salutem ames; nihil agitur, parum tibi consulis si tali gloriolæ nixus, beatum, aut etiam securum te putes: hæ tantùm sunt ad populum phaleræ, si intus non habeas, quod foris ostenditur, & habere te creditur. Memineris, quod, vt dicebat Eleazarus, malè agendo, *manum Omnipotentis, nec viuus, nec defunctus effugies.* Lib. 2. Machab. c. 6.

13 Ore Ieremiæ Prophetæ sui dixit aliquando Deus: *Peccatum Iuda, scriptum est stylo ferreo, in vngue adamantino:* videlicet Iudæorum scelera, mutis simulacris diuinos honores impendentium, admodùm summæ illi Maiestati displicebant, eamque ad vindictam inflammabant. Quare insinuare volens, quomodo intimè nosset, quo essent spiritu, quâ mente, & voluntate in bonum, quàm proni in malum, & in eo, quod improbè conceperant, pertinaces ac peruicaces; peccatum, inquit, Iuda, sic eius est animæ C 17. v. 1. *Dei de internis alicibus clara cognitio eius proprio testimonio cōprobata.*

animæ insculptum, vti stylo ferreo species aliqua in adamante cęlari consueuit; ex quo illa deteri, aut deleri non potest. Itaque quidquid egerit non occultabitur, non delebitur, suo tempore prodibit in publicum, & à me punietur.

Peccata singulorū scripta in eorum conscientijs, ibi aliquando leguntur ab omnibus.

14 Quod Iudæis Ieremias mandante Domino minatur; hoc, codem iubente, minatur & nobis. Etiam peccatum nostrum scriptum est stylo ferreo in vngue adamantino; & scripsimus nos ipsi. Vnguis adamantinus, propria est anima, siue conscientia nostra, cui peccatum inscripsimus, è qua nequaquam deletur. Erit porrò aliquando tempus, quando illa indelebilis scriptura & videbitur, & legetur ab omnibus. Hoc est quod ait Origenes: *Nudabitur pectoris mei conscientia; & aperto corde videbuntur litteræ peccatorum, quæ in stylo ferreo, in vngue adamantino sculptæ sunt. Atque ita vniuersa spectātium multitudo leget in pectore meo signatas imagines peccatorum.*

Origen. homil. 12. in Ierem.

Suppliciū peccatis mortalibus æternum debetur.

15 Neque solùm peccata, sed etiam supplicium peccatis nostris grauioribus debitum scriptum est stylo ferreo in vngue adamantino, nunquam reuocabitur, nunquam finietur, sed æternum omnino erit. Nolite existimare mitigādam in supremo die sententiam Iudicis, mitigandum supplicium. Non est, mihi credite, scriptum in puluere, qui vento motus facilè conturbat litteras quas accipit; non in charta, quæ facilè rumpitur, & in qua expungi nullo negotio characteres praxi saltem aliquâ atque industriâ, imò & eradi possunt; sed in solido adamante, ex quo nulla vis, quod semel est incisum, expungit, aut delet. Cauete ergo delinquere, cauete in Deum, ita constanter punientem, peccare.

Deus totus oculatus est, nihil hunc fugit.

16 Forsan arbitramini, quod erit aliquis aliquando latebris locus? mihi credite non occulitur vllâ arte aut industriâ, quantumuis abditum crimen. Is qui nostrorum exiget rationem factorum, oculos habet septem, & tam videt acutum, vt solus dignus sit accipere de *dextera sedentis supra thronum librum, scriptum intus & foris, signatum sigillis septem; illum aperire, & soluere signacula eius,* & quæ in eo scripta sunt enuntiare, & iuxta ea iudicium facere.

Apoc. c. 5. v. 1. & 2.

Res occulta Ionæ miro modo & nouo deteguntur; sicq; ad cōfessionem cogitur.

17 Quis vnquam arbitraretur, tam abditas IONÆ cogitationes, tam occulta ipsius consilia prodi posse, in tam arcto silentio? quis putaret, permittente Deo, aliquando iaciendas sortes; vt res, aliàs occultissima, innotesceret, & quamprimùm veniret in publicum? Quomodo nunc lateat Deum peccator, qui latere homines non potest! Iustus est ipse, ne dubitate, scelerum vindex, qui vt solus nouit, ita solus vult, & potest adhibere modos, quibus nocentes arguat, & eorum crimina producat, deq; illis meritum supplicium sumat. Latuit, tacuit, obmutuit IONAS: sed quid hac taciturnitate, quid cauto illo suo silentio obtinuit? quid latebris suis cuicit? Captus est in astutia sua, &, super priora mala, accessit nouum; nempe infelicitas multò prioribus maior, ingens confusio, rubor, ignominia, opprobrium, & ingens eius nominis probrum.

Afflictiones Ionæ cū sorte reus declaratus est exprimuntur.

Nemo hîc eum non intuetur, nemo non oculis, manibus, nutu signat; omnibus odiosus, ab omnibus exploditur, ridetur, peior omnibus creditur; à sociis talis agnoscitur & arguitur; denique, velit nolit, culpā fateatur oportet, veniam flagitet. *Beati* quidem *quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata* per pœnitētiam apud Deum; sed non per simulationem & hypocrisim apud homines. Nam, quæ sic tegit homo, detegit Deus.

Psal. 31. v. 1.

Hypocrisis Sacerdotis cuiusdam, grauiter castigatur à Deo.

18 Videte quàm verum dicam, in illustri & planè memorabili exemplo, quod ex Petro Cluniacensi D. Bernardi synchrono in suum Theatrum Historicum transtulit Matthæus Tympius. Agebat Sacerdos in Pictauiensi agro vitam impuram, & planè sordidam; simul erat, vti eius farinæ homines solent, insigniter impudens; atque vt celaret quoquo modo sordes suas, impudentiamque quodam bonæ vitæ & honestæ

& honestæ sanctæque consuetudinis pallio occuleret, religiosorum hominum vicinum cœnobium, de rebus saluti, & perfectioni adipiscendæ propriis acturus, subinde adibat. Religiosi, quorum colloquiis fruebatur, pro zelo suo & benè de homine merendi voluntate, auctores illi erant, vt laqueis seculi expeditus in Christi militiam, ibi meliùs & gloriosiùs cum vitiis depugnaturus, se transcribendum curaret; at conatu irrito. Attētus quidem videbatur tam sanctarum monitionum auditor, & cultor, ac spem fructus futuri promptus ad externam speciem ementiebatur animus; quo capti boni illi religiosi, non segniter eo excolendo horas impendebant & dies; cùm interim satis illi esset apud alios de tam sancta proborum virorū consuetudine, vt modò etiam subinde fit, gloriari posse, & vel sic videri, atque audire alius, quàm esset.

19 Verùm non diu ipsius technæ, non diu improbitas latuit: in morbum mox incidit periculosum & grauem, quo deinde ingrauescente adhuc magis & magis, ac mortem paulatim minitante, hominem adit Monasterij Prior (sic Religiosi, quibuscum agere solitus erat, suum ibi præfectum nuncupabant) atque dum istic est, audit nocte concubia ægrum tumultuantē, & conuersis in se oculis vultuq; toto, clamantem horribili fremitu: Succurre, succurre, duo truculenti leones me impetunt, iam hiantibus faucibus instant vt deuorent, tuis precibus compesce furentes. Prior clamore istoc exterritus, metuque palpitans, totum se ad orandum conuertit, atque tam diu orationi intendit, donec sibi restitutus aliquantisper infirmus, à se recessisse esseque abactos leones testaretur. Verùm non diu tenuit ista malacia; effluxit circiter horæ spatium inter mutua colloquia, non amplius, cùm ecce noua tempestas, & priore grauior; videt namque moribundus labentem in lectum de cælo ignem, & clamat: En ignis, ignis, qui iam iam mea consumet viscera, qui totum me in fauillam conuertet & cineres. Sed hunc quoque religiosi illius viri deprecatio amouit, repulit, exstinxit; iamque putabantur salua omnia, cùm post longum silentium is, quem Prior mortuum putabat, exitu longè quàm dicturus sum feliciore, declinantibus noctis tenebris, in se reuersus, altùm ingemiscens vociferatur: *A, a, a, ad iudicem æternum raptus sum, æternâ morte damnatus sum; en ignita sartago, plena bullienti adipe, quam ad me frigendum vndique succenderunt.* Institit religiosissimus Pater, illi fidus lateris Achates, orationi vt antè, sperans sic etiam hunc impetum ignis æquè ac priorem sistere, & auertere, donec extremam morientis vocem audiit: *Cessa, cessa pro me orare, quia non exaudieris*; viditque vnà cadentem de sartagine in manum eius guttam ignis perruptâ pelle consumptaque carne ad ipsa vsque ossa penetrantem, quæ quid esset de animæ statu sentiendū ostenderet; quando etiam corpus igne signatum tartareo, tam erat præsentibus horrendum tristeque spectaculum.

20 Discite hîc *Sodales* quid ad felicitatem securitatemque conferat hominum oculis seruire, quid iuuet illis placere, si Deo, aut placere, aut displicere nobis susque deque sit; quo fiat vt etiam ille ad nostra nauseans, nobis indignatus, oculos suos benignissimos à nobis similiter auertat, nosq; despiciat. Certè placuisse omnibus, & interim vni illi displicuisse, summa infelicitas, summa miseria est. Quidquid illi omnia intuenti oculo non placet, hoc semel hîc luctu & lacrymis, aut mox alibi supplicijs & ignibus piandum. **Deo placere non hominibus studium.**

21 Occasione peccati IONÆ antea occulti & latentis, postmodum verò per missas sortes detecti, quid sperandum, quid exspectandum; imò potiùs quid non timendum ab occultis criminibus, vos monitos volui. Nunc ad Dominum nostrum IESVM Christum mysticum IONAM conuertor. *Sors*, inquit Petrus Chrysologus, *quæ Ionam proditura non defuit, implet super Christum* **Sors quomodo super Christum ceciderit.** Chrysol. ser. 37. in Euangelia.

ſtum Dauidicam Prophetiam, quæ dicit; & ſuper veſtem meam miſerunt ſortem.

22 Ampliùs dico: etiam in hunc myſticum IONAM, ô rem admirabilem & ſtupendam! ſors peccati, non quidem proprij; nam *peccatum non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius;* ſed alieni, noſtri inquam, cecidit; & pro eo luit pœnas acerbiſſimas in ligno crucis, ibi *Delens quod aduerſus nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis.*

1. Petri c. 1. v. 22.

Ad Coloſ. c. 2. v. 14.

23 Fuit hoc adumbratum in duobus hircis, quorum ſuprà meminimus, olim poni ſolitis ad oſtium tabernaculi teſtimonij coram Domino, ex quibus vnus, provt ſors dictabat, offerebatur in ſacrificium pro peccato: alter verò dimiſſus liber, abibat in ſolitudinem. Chriſto ſors in oblationem pro ſalute noſtra obtigit: etenim *Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus:* ſors quidem hæc illi incommodiſſima fuit; at nobis commodiſſima, & ſaluberrima; ſic enim *lauit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo;* atque *eius liuore ſanati ſumus.* Hirci emiſſarij ſors Barabbæ latroni obuenit; qui proinde dimiſſus eſt liber velut in ſolitudinem, ſecum deferens peccata populi, vociferantis, *Crucifige, Crucifige.* Hircus ille in denſa, opaca, obſcura, & horrida inferni ſolitudine vagatur vſque hodie, cum omnibus eum dimittentibus, & æternùm vagabitur, futurus perpetuum coruis iſtic agentibus, id eſt dæmonibus, pabulum.

Lect. 12. num. 12. *Sors Chriſti & Barabbæ cum duobus hircis collata.* Leuitici c. 16.

1. Corint. c. 5. v. 7.

Apocal. c. 1. v. 5. 1. Petri c. 2. v. 24.

24 O quàm felix nobis iſtæc Chriſti ſors fuit! ô quàm beata! prorſus perieramus, niſi ille benigniſſimus Dominus, idemque Seruator noſter, hanc ſuper ſe cadere permiſiſſet. Immortales igitur tibi CHRISTE IESV Liberatori, Redemptori, Seruatori noſtro gratias agimus, qui hanc volens lubenſque tam tibi infauſtam ſortem ſubiiſti; vt nos tuis incommodis æternæ vitæ cōmoda ſortiremur.

Sors Chriſti nobis ceſſit feliciter.

25 De ſorte veri, atque etiam myſtici IONÆ quando hactenus egimus; Vos nunc etiam ad ſortes iaciendas inuitare lubet *Sodales.* Scio ſortium genus vnum, non modò non periculoſum, ſed vel maximè vtile & commodum; olim etiam à maioribus noſtris, & ſanctè, & cum diuinæ gloriæ ac propriæ virtutis incremento vſurpatum. Id nunc vobis commendatum eo.

Sorte Sanctos patronos deligere olim in vſu fuit.

26 Morem fuiſſe ferunt prioribus ſeculis, qui ante noſtra tempora iam exoleuerat, deligendi, ſiue in annos, ſiue in menſes ſingulos, Sanctos, tutelares vitæ & patronos, quos ſinguli in ſequentem vſque ſortitionem colerent, inuocarent imitarentur. Hoc autem fieri ſolitum non tantùm priuatim in domibus, aut piorum hominum Oratoriis, ſed publicè etiam in Eccleſiis, auctor eſt Nicolaus Serrarius. Atque vt faciat huius nobis aſſertionis fidem pleniorem, ait, videri adhuc modò Herbipoli, in æde Forenſi Beatiſsimæ Virginis, coronam verſatilem, quæ huic aliquando pietati ſeruierit.

Serrarius in c. 7. Ioſue qu. 17.

27 Reperio quoque apud Gomeſium in vita Iacobi I. Regis Aragonum; ei, quod admodùm memorabile, nomen hoc in ſacro fonte ſorte obtigiſſe. Sic habet hiſtoria. Cùm dubitaret Regina mater cuiuſnam ex Apoſtolis filio nomen imponendum iuberet, candelas cereas duodecim, pondere æquales, & pares magnitudine, offerri Apoſtolis duodecim ex voto iuſsit, adſcripto cuique candelæ vnius illorum nomine, & omnibus vno eodemque tempore ſimul accendi iuſſis, obſeruari quænam diutius luceret; vt illâ deſignatum notatumque Apoſtoli alicuius certum nomen puero obueniret. Ceteris iam conſumptis & extinctis candelis, vbi animaduerſum Iacobęam prę̨luxiſſe, in templum protinus remeatum eſt, & puero Iacobi nomen, velut à Deo impoſitum.

Gomeſius lib. 1. vitæ Regis Iacobi. *Sorte datū Iacobo I. Regi Aragonia, nomen illud.*

28 Ad morem illum, de quo paullò antè, quod attinet: apud Laurentium Surium, in vita ſanctæ Elizabethæ Landgrauij Haſsię quondam coniugis legimus, eidem tribus continuis vicibus, eductum è pluribus aliis Sanctis, D. Ioannem Euangeliſtam obtigiſſe.

Surius in vita S. Elizabeth. 19. Nouemb. *S. Elizabeth ter conſequenter S. Ioannem patronum accipit ſorte.*

Tam

Tam pij moris, ante annos ampliùs quingentos Cæsarius D. Bernardi æqualis etiam meminit. Sed tribus aut quatuor posterioribus seculis, de consuetudine simili, quæ tum æquè vt antè viguerit, nihil relatum in Annales accepimus. Quare hanc, vt diximus, exoleuisse oportuit; donec nouissimè, superiore seculo redintegrata in Hispaniis est; promouente potissimùm, & eam ex familiæ Borgicæ vetere instituto vnà cum domesticis omnibus vsurpante Francisco Borgia quarto Gandiæ Duce, illo nimirum ipso quem nuperrimè, mandante Vrbano VIII. Pontifice Maximo, colere ad aras, ingenti orbis vniuersi exultatione & gaudio, cœpimus. Hic deinde ex Duce Gandiæ factus Societatis IESV religiosus, mox etiam eiusdem Prępositus Generalis III. consuetudinē illam laudatissimā, à se in seculo vsurpatam, in Societatem quoque inuexit emolumento magno; & ab hac deinde, in cœtus Congregationesque Beatissimę Virginis, toto orbe longè lateque diffusas, non multo pòst tempore dimanauit.

Scottus vitæ Francisci Borgiæ lib. 1. c. 1.

Franciscus Borgias Gandiæ Dux morem sortiendi Sanctos in suā induxit familiam.

29 Transferte, rogo, etiam vos, ex hac vestra Congregatione, in familias singuli vestras: & pro eo, quod subinde horas, spectādæ indagandæve fortunæ vestræ curiosiùs; quod tempus quærendis lusu, chartarum & aleæ iniquis lucellis, liberalius impenditis; honestâ simul & vtili oblectatione, tam pio operi, sub cuiusque mensis, vel etiam, si hoc magis placeat, hebdomadæ initium aut finem, date vel vnicum horæ quadrantem.

Ad hoc & quædam etiam alia, plurimum ad virtutem conferentia, præstanda cum voluptate ac sine tædio suppeditabit materiam copiosā Ioannis Dauidis Veridicus Christianus, vel potiùs illa, quam ad calcem Veridici sui ipse adiunxit, Orbita.

Sodalitatū consuetudo circa menstruam sortitionem Sanctorum Patronorū.

30 Ceterùm non potestis non meminisse moris vestri, cuius etiam ego iam paullò antè memini, qui simul cū Congregatione vestra, imò cum Romana, Cōgregationum omnium fonte, & natus est, & adoleuit; quo mensibus singulis, de Sanctis eo tempore in patronos assumendis, sortitio publicè & solemniter instituitur. In qua etiam sortitione sua cuique virtus obuenit toto illo tempore impensiùs & accuratiùs exercenda.

Neque habeo hîc aliud quod magnoperè commendem; nisi vt, quod agere in hoc genere soletis, agatis seriò & nauiter; ne hic Sanctorum delectus magis institutus ad externā quandam religionis & pietatis speciem, quàm ad optatum patrocinium videatur: néve putetis, quod nonnulli alicubi non satis rectè sunt arbitrati, tempus teri, dum suum cuique Sodalium suffragium in Oratorio quot mensibus prælegitur.

31 Memini socios vestros Portuenses in Lusitania, annis superioribus, tanto studio ad optionem illam Sanctorum ferri solitos; vt quosdam non piguerit, ne exortes essent, leucas aliquot emetiri. Et ne extra Belgij nostri fines abeam; vidi ipse, quare id tanquam oculatus testis certiùs possum asserere, vidi inquam, Cortraci in Flandria nostra, ad Oratorium Congregationis Deiparę accurrentes, cùm iretur in sortitionem Sanctorum quot mensibus, non vnum, sed plures; à leucis, vna, duabus, atque etiam tribus propemodùm, id est à milliaribus Italicis ferè nouem, idque anno integro & pluribus. Ne igitur id facere eos tædeat, qui tam sunt propinqui; atque ibidem audire pręclarissimas Patrum, quæ prælegunturex suffragiis, sententias, ad virtutem ac pietatem ducentes: quando præsertim earum prælectione, & communicatione precum, quæ ibidem vni pro altero præstandæ indicuntur Sodalibus singulis, hoc agitur, vt inter omnes crescat caritas, seque mutuò, quotquot sunt, ad virtutem animēt, ad perfectionem inflamment exemplo, sicut & verbo, vbi id fuerit opportunum, & quod est potissimum ad hæc obtinenda orationibus adiuuent.

Feruor Sodalium ad delectum Sanctorum singulis mensibus concurrentium.

Ex annuis litt. Soc. A. 1603. Sodalis Parthen.

32 Scio Neapoli, Aletij, Oenipōti, atque

Sodales quidam cum patronis siue suffragiis suis tumulari cupiunt.

atque, quod maximè vestrũ est, vnum è cœtu hoc Ruremundano, non ita multi dies sunt, ne dicam menses, aut anni, noluisse, nisi cum patronis menstruis adpressis pectori, omnibus & singulis multorum annorum suffragiis in eum finem seruatis, inferri in tumulum, & humo tegi; sperãtem quòd vitâ functus eos habiturus esset patronos & intercessores in cælo, quos viuens & moriens coluisset. Fuit certè meo iudicio actus ille extremus, testis locuples multæ operæ, quam aliquando sanus & integer, in eorum cultu venerationeque posuerit. Interim non hoc narro, quasi rem valdè eximiam & magnam. Fateor quidem illum in Sanctos affectum, illamque fiduciam, esse etiam commendabilem; verumtamen cuperem eos, à vobis viuentibus magis, quàm à morituris sic coli, aut celebrari.

Annuæ Litte. Soc. an. 1594. Auxilium à patrono suo menstruo Sodalis accipit.

33 Coluit qui Cæsar-Augustæ tam præsens à suo patrono auxilium sensit. Præteribat istic anno nonagesimo quarto superioris seculi Sodalis, vir honestus, pontem quem Iberus subterlabitur; cumque equus, quo vehebatur, ferocire subitò cœpisset, equitem in vlteriorem pontis crepidinem ita deiecit, vt ex ephippio excussus sederet in summa trabe trãsuersa; quod factum diuinitus ne præceps eiiceretur in flumen, quisquis loci angustias, equi ferociam, & periculi magnitudinem vidit, protinus censuit. Recitabat autem, cùm deiiceretur ex equo, in D. Augustini, qui illo mense tutelaris ei Sanctus obuenerat, honorem, corollam precatoriam: quare meritò huic tribuebat beneficium istud tantumq; in tanto infortunio fortunium.

Sodalis Parthen. lib. 2. c. 6.

34 Nihil iam dico de inusitato illo Sodalium Germaniæ Superioris feruore, cuius Sodalis Parthenius, Academicorũ Ingolstadiẽsium operâ editus A. Domini M. DC. XXI. meminit; solitos nempe ibidem socios, quo tempore distribuuntur per singulos menses patroni, bonorum operum symbolam conferre, quâ suum tum Sanctum honorent, tum etiam se mutuò excitent, quod scio non vno quoque loco in Belgio factitatum.

Legenda Sanctorum patronorũ vita, & imitanda à Sodalibus.

35 Vnum vos hortabor, & finiam. Nimirum in iis, qui vobis sortitò obuenerint, Sanctis colendis, non tãtum seduli esse velitis; verùm etiam ad eorumdem gesta actusque heroicos imitandos æmulandosq; adlaborare contendatis. Conferet ad hoc plurimum Fastorum Marianorum, quos Monacenses in consodalium suorum & Sodalitatum omnium grãtiam publici iuris fecerunt non ita pridem, studiosa lectio; nequaquam, quoniam singulorum Sanctorum Vitæ perbreues sunt, oneri futura, etiam homini maximè occupato; ex his cuiuis facillimè inhærere poterunt, quæ sunt patroni sui menstrui propria.

Quare nequaquam in nuda hac lectione sistendum; lectionem excipere debet imitatio ad quam tamen iam antelectio prouocauerit: neque enim imitari quis potest quod nescit, vt quod numquam legerit, numquam audiuerit. Itaque legite & imitamini, vt per imitationem facti bonorum, quibus Sancti illi cælum mercati sunt, participes; demum etiam veniatis *in partem sortis Sanctorum in lumine.* Ad Colos. c. 1. v. 12.

O LECTIO

LECTIO DECIMA-QVARTA.

ET DIXERVNT AD EVM: INDICA NOBIS CVIVS CAVSA MALVM ISTVD SIT NOBIS: QVOD EST OPVS TVVM? QVÆ TERRA TVA? ET QVO VADIS? VEL EX QVO POPVLO ES TV? *Verſ.* 8.

ARGVMENTVM.

Forma iudicij in cauſa IONÆ *ſeruata proponitur. Iudicibus ex æquo non ex paſſione procedendum, docetur.* IONÆ *reo propoſitæ quæſtiones diſcutiuntur. Eaſdem quomodo ſibi quiſque proponere poſſit cum illuſtribus documentis oſtenditur.*

Verecundiam magnam, in pœnã peccati, ſubit Ionas.

1 EPREHENSVS forte IONAS, is eſſe tandem aliquando palã oſtenditur, ob quem tam vehemens, noua, inuſitata, qualis nec viſa, nec audita vnquam fuerit, ſit oborta tempeſtas, concitans erigenſq; totum in fluctus tumidos mare, omnes in præſentiſsimum diſcrimen adducens. Quare iam agnitus, arguitur ab omnibus, & confunditur, haberturque vt homo Superis inferiſque inuiſus, atque execrabilis, magnâ ſanè, at omnino iuſtâ, peccati pœnâ.

Nauis eſt tribunal, ſors accuſatrix, nautæ iudex Ionæ.

Sicuti ergo antea *fuit Ionæ nauigium*, quemadmodum loquitur D. Baſilius Seleuciæ, *audaciæ theatrum:* ita iam ſecundùm eumdem Baſilium, *Tribunal in naui conſtituebatur, nec non ſortitio reum arguebat, &,* vti mox videbimus, *Prophetam nautæ iudicio condemnabat.*

2 Ex commilitonibus & ſociis nanciſci ſubitò accuſatores & iudices, habere de repẽte infenſos omnes, & vno propè momẽto ſingulos ex amicis videre mutatos in inimicos, res dura eſt, quæ meritò vehemẽter affligat etiam fortiſsimum quemque, eumq; ex mœrore ac tædio facilè faciat contabeſcere, niſi quid animum aliunde erexerit.

Ionæ reo, sociorum quos offenderat, benignitas ſolatio eſt.

Opportunè ergo, quæ erigere, quæ ſolari mœrentem poſſet, ſi quid poſſet, eorum, quos maximè tali occaſione timere debebat, ſociorum benignitas adfuit; quâ factum, vt nihil in delinquentem grauiùs ſtatuerent, nullum ſupplicium decernerent; quo ſe, & de mercium omnium iacturâ, quam paſsi erant, & de adito vitæ diſcrimine grauiſsimo vlti, oſtenderent quid vellent, quid poſſent.

Neque verò idcirco arbitrati ſunt eum eſſe immunem à culpa, nullámve cõmeritum pœnam: verùm *Voluerunt*, vt ſenſũ meum D. Chryſoſt. verbis exponam, *habitâ communione colloquij, ſeruãtes velut iudicij diſciplinã, cũ omni diligẽtia maturas interrogationes proferre, & reſponſa poſcere, tanquã & ipſi prolatæ ſententiæ maiori cognitori daturi reſponſum.*

Inſtituunt ſocij Ionæ examen ſedulũ ante ſentẽtiam. Chryſoſt. homil. de Iona to. 1. in fine.

3 En magnam in primis nautarum prudentiam; neque enim ſuſpicionibus vllis coniecturiſque acquieſcunt, neque ſortibus in tantum fidunt; vt ex illis pendere hominis vitam velint: ſed reum ipſum interrogant, illum audiunt, ab illo edoceri pleniùs de veritate cupiunt; neque ferre ſentẽtiam, antequam illi liberas ad ſui defenſionem aures dederint.

Ex cauſis incertis nõ procedunt, ipſũ reum interrogant.

Non minor etiam in nautis apparet benignitas, quàm prudentia, quâ iudicij aſperitatem & rigorem quantum in ſe eſt leniunt: nouerunt enim quàm graue ſit afflicto afflictionem addere, & miſerorum miſeriis non cõmoueri.

4 Eſt ea vobis, & vel maximè, benignitate opus atq; clementiâ, ſi quando, ab amico, ab hoſte, nil intereſt, ſeu caſu,

Illata iniuria non vlciſcenda ab illo qui eam accepit.

pit minimè verò à iudice in iudicio. casu, seu ex composito & sponte, fuerit illata iniuria, vt sic absit quàm longissimè ab omni vindictæ cupiditate animus: multoque magis, si quando in causis reorum statuti iudices & arbitri decernere fortassis de capite vitaque illorum debeatis. Tunc enim, si vnquam, vel maximè mites vos esse oportet, & in benigniora pronos, Dei summi iudicis exemplo, qui secundùm Theologos semper punit citra condignum. Meministis credo à Christo Domino dictum: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Nulla verò maior misericordia hac, quæ concernit maximè miseros, vt sunt illi de quorum fortunis & vita agitur, exerceri potest.

Clementia iudicibus commendatur.

Matth. c.5.v.7.

Commendatur incorruptibilitas & iustitia iudicibus.

5 Non iam hoc dico, quasi ita clementes vos esse cupiam, vt impunita maneant scelera: longè minùs, quasi, vt clementes videamini, pati debeatis vos auro corrumpi, & sinere vt qui per portam ferream carceres ingressi sunt, egrediantur per auream. Scio nimium verum, quod ait ille:

Horat. lib.3. Car. ode 16.

Aurum, per medios ire satellites
Et perrumpere amat saxa potentius
Ictu fulmineo ——

Verùm nolim id fortes vestros, & generosos animos flectere, sic enim flecti non clementiæ, sed auaritiæ est. Hoc tantùm volo, cùm suus semper esse debeat æquitati locus, sit etiam suus clementiæ, cùm potest, & quantum quidem potest.

Iudicibus opus prudentiâ.

6 Est similiter vobis ad nautarum, siue iudicum nauis huius exemplum insigni opus prudentiâ; quâ discernatis in primis, inter bonum & malum, inter iustum & iniustum, atque non nisi omnimodâ causæ cognitione habitâ. Sit qui alterũ accuset, sit qui reum agat grauissimi criminis: talis aut ex parte, aut de toto conuincatur; num idcirco, nullâ interpositâ morâ, damnandus, plectendus, vitâ exuendus? Minimè gentium. Res penitiùs inspicienda, cunctandum est; nulla in re præproperâ festinatione, quàm in hac peccatur grauiùs. Itaque tametsi certum, clarum, euidens putetur id quod

In iudiciis non properandum.

reo opponitur, nolite, delecti vitæ præsertim & necis arbitri, præcipitare iudicium, date diem & horam: melius enim est pluribus diebus seriùs, quàm vel vnâ citiùs ac oporteat proferre sententiam & mandandam executioni committere. Vita semel sublata, nullâ ope humanâ, aut arte restituitur: honos cæteraque fortunæ bona ablata restitui possunt, illa non potest.

Recordamini Christi Domini ad terram se inclinantis, in eaque digito scribentis, priusquam condemnet adulteram, grauiter licet accusatam. Vos quoque inclinato in terra vertice, de terra ortos vos & in terram mox redituros memineritis, simulque vos nunc iudices, mox etiam iudicandos putate veriore synceriorequе iudicio.

Ioan.c.8. v.6. *Christi exemplo.*

7 Deus Optimus Maximus, sicuti omnium est iudex & arbiter, ita omnium, quantumuis arcanorum, intimè conscius, turpitudinem Sodomæorũ, eorumq; infandam nequitiam abundè habebat perspectam & cognitam: nihilominus, priusquam de illis statuat, & misso cælitus igne puniat tam enormiter delinquentes; &, vti meriti erãt, cuncta vertat in fauillam, ac cineres: *Descendam*, inquit, *& videbo vtrum clamorem, qui venit ad me, opere compleuerint:* vt videlicet, vel sic erudiantur iudices, & intelligant quid sibi circa etiam grauissimè delinquentes faciendum. Atque hæc non tantùm est mea, sed fuit iam pridem etiam Petri Damiani viri eruditissimi præclarissima obseruatio. Allegans enim atque explanans verba Geneseos paullò antè à me citata: *Hoc*, inquit, *ad nihil aliud dictum videtur, nisi vt humana doceatur ignorantia, sine experimentis audita non credere, incognita non leuiter adiudicare, nec antè sententiam promere, quàm rem dubiam testimonijs approbarit.* Sicut ergo inspicienda delicta; ita, quod inde quoque concludit Damianus, rei non minùs, quàm accusatores, & testes, sunt à iudicibus audiendi.

Deus lentus est in punitione Sodomitarum ad documentum nostrum.

Gen. c.18. v.21.

Damian. lib.1 Epistolarum epist.4. ad Leonem IX Papã.

8 Hoc ipsum est Spiritus sancti saluberrimum simul consilium, simul imperium loquentis per os Sapientis:

Rei à iudicibus benignè audiendi.

Sapient. c.6.v.3. *Præbete aures veſtras, qui continetis multitudinem.* Quid ita? quænam eſt ratio cur hoc facere iudices & Magiſtratus, quorum eſt continere multitudinem, debeant? Subiungit: *Quoniam data eſt à Domino poteſtas vobis, & virtus ab altiſſimo, qui interrogabit opera veſtra, & cogitationes ſcrutabitur.*

Obſeruandum dici à Sapiente, *Præbete*, non *mutuate.* Mutuant qui obiter, & quaſi per tranſennam miſeris aures accommodant, & parum, eorum rebus minùs intenti, auſcultant ad ea quæ dicunt, mox etiam faſtidioſi iubent eoſdem, quantumuis vehementer afflictos, abſcedere. Non ſic vos, non ſic: at *aures præbete*, auſcultate cum otio & libenter, quantum, quoties, & quamdiu, dicere pro ſe & cauſa ſua voluerint, neminem à congreſſu veſtro arcete, neminem prohibete alloquio: videant ſinguli, quantumuis calamitoſi, ſcelerati, ac perditi; quantumuis nullis non digni ſuppliciis, ſibi æquè ac ſuis accuſatoribus apertas eſſe iudicum aures: ſibi etiam licere, ſuas tutò & ſecurè, apud vos æqui ac iuris arbitros, querelas deponere.

Benignitatis iudicum vtilitas. 9 Confert hoc plurimum, tum ad pleniorem cauſæ cognitionem, & æquius in ea ferendum iudicium: tum etiam ad pacandum aliquouſque rei animum, quando intelligit, ſeuera licet in ſe proferatur ſententia, hanc tamen nequaquam præcipitatam, ſed auditis diſcuſſiſque vtrimque rationum momentis, enuntiatam, proindeque ſibi iure meritoque ſubeundam.

Pulchra eſt regis Ioſaphati ad iudices à ſe conſtitutos oratio, prudens doctaque monitio; quæ vtinam omnium conſtitutorum in munere publico, ad quos proximè pertinet de aliorum moribus, vita, factiſque cognoſcere atque decernere, animis obuerſetur Pſ 2.v.10. aſſiduò. *Audite*, ergo, *intelligite, & erudimini, qui iudicatis terram.* Paralip. lib.2.c.19. v. 6. *Videte*, inquit, *quid faciatis: non enim hominis exercetis iudicium ſed Domini: & quodcumque iudicaueritis in vos redundabit. Sit timor Domini vobiſcum, & cum diligentia cuncta facite: non eſt enim apud Dominum Deum noſtrum iniquitas, nec perſonarum acceptio, nec cupido munerum.*

10 Egerunt ſubinde aliqui nonnulla ex iracundia, vindictæ cupiditate, animi perturbatione ac paſſionibus aliis, quibus, vt homines, etiam illi obnoxij erant; aliqui etiam ex præpoſtero zelo, quæ contra fas & æquum; at non ſemper impunè. Patuit enim ſuo tempore ſubinde, alium aliquem iudicem, omnibus ſeculi maiorem iudicibus, in pœnam improborum iudicum vigilare; quando etiam ipſi, non ita multò poſt innocentium cædem, ad ſummum illud tribunal acciti, iuſſi ſunt ſuorum reddere iudiciorum rationem. *Paſsiones iudicum à ſummo iudice Deo puniuntur ſubinde.*

11 Id nobis teſtabitur vnus è pluri- Drexelius lib.1. Tribunalis c. 3. §.1. mis, quos enumerat in ſuo Tribunali Chriſti Ieremias Drexelius, Ferdinandus Caſtellæ Rex, pace & bello bonus; at rigidus, & in iudicando præceps. Hic, vt ibidem ait ex Ioanne Mariana lib.15. de Rebus Hiſp. c.11. Mariana Drexelius, anno milleſimo treceteſimo duodecimo, vere iam adulto, fratrem ad bellum præmiſerat, vt Alcaudetem oppidum à Mauris occupatum cum copiis circumſederet. Rex eius veſtigia ſubſecutus Tuccos venit, Hiſpani Martos vocant: in eo municipio Caruaialij fratres Petrus & Ioannes, regio iuſſu comprehenſi, è vinculis more gentis cauſam dixêre. Cauſa hæc fuit. Benauidius vir primarius, cũ noctu regiâ egrederetur, ad Palentiam occiſus eſt. Cædis auctor cognoſci non potuit, ſuſpicionibus multi exagitati, iis deniq; hi fratres oppreſſi, & lege maieſtatis poſtulati, quamuis nec teſtibus, nec iudicio conuicti, nec crimen faſſi, capitis damnati ſunt. Modus ſupplicio dictus, vt de rupe vicina darentur præcipites. Rex ob iniuriam recentem intractabilis, nec clementiæ, nec precibus dare quidquam voluit. Itaq; rapti ad ſupplicium, Diuûm hominumque fidem teſtati, ſe innocentes mori, quoniàm regiæ aures obturatæ eſſent, ad Deum æquiſsimum iudicem prouocare, regique diem dicere ex eo die trigeſimum. Eæ voces in præſenti

pręsenti pro vanis habitæ, mirabili certè euentu confirmatæ sunt. Rex nullâ periculi curâ Alcaudetem in castra abiit: ibi morbo tentatus grauissimo, Giennium sese retulit; quo tempore de oppido dedendo à Mauris mentio erat illata. Vis morbi augebatur in dies: rex curis grauioribus impari valetudine, lætus tamen nuntio oppidi capti, nouæ irruptionis faciendæ consilia explicabat, cùm die Iouis, septimo Idus Septembris, à prandio somno se dans, in strato exanimatus repertus est, ipso trigesimo enarrati supplicij die, cùm esset in flore ætatis, natus annos non plus quàm quatuor & viginti, menses nouem, in maximo cursu rerum suarum. Hic deinde, in tam subita morte multis diuini Numinis vim interpretãtibus inter Castellæ Reges *Ferdinandus in ius vocatus* nuncupari cœpit. En quam ipse suam quoque à maiori iudice, & non diu post sententiam acceperit, qualem nos peregrini & hospites ignoramus.

12 Antiquius est & callentibus sacrarum oracula litterarum non ignotum, Christianos Martyres, post fusum pro auita religione Christoque sponso suo sanguinem, contra Tyrannos vociferari: *Vsquequò Domine sanctus & verus, non iudicas, & non vindicas sanguinem nostrum, de iis qui habi-*
Apocal. c.6.v.10. *tant in terra.* Nec dubium est, quin id facturus sit aliquando; licet enim nunc dormire subinde videatur, euigilabit ad vindictam suo tempore, & *iustitias iudicabit.*

13 Interea non posse etiam omnia quæ voluerint iudices iniquos, quantumuis potentes, in Boleslao Poloniæ Rege, sanctum Stanislaum, Cracouiensem Episcopum, tanquam pagi à se coëmpti occupatorem iniustum, condemnare volente, abundè apparuit. Stanislaus enim, quòd rex minimè exspectabat, Petrum pagi venditorem triennio iam vitâ functum post preces tridui oblatamque ad aras hostiam sacram, euocatum è sepulchro, surgentemque, coram rege, omnibus stupore attonitis, de agro à se vendito, & pretio sibi ab eo ritè persoluto, cùm id non nisi sic probare posset, testem esse Surius In
iussit. Historiam, in vita S. Stanislai à vita S. Sta-
se edita, fusè describit Ioannes Longi- nislai n.15.
nus Canonicus Cracouiensis, quam inuenire est apud Surium in vitis Sanctorum, ad octauam diem Maij.

14 Nequeo sanè, sicut mirari satis, ita sufficienter laudare prudentiam, bonitatem, benignitatem, clementiam sociorum, & contubernalium *Vita homi-*
IONÆ, atque etiam, quorum hospes *nis quanti*
erat, nautarum; qui cùm de propriis *facienda,*
commodis, salute, incolumitate age- *socij Ionæ ostendunt.*
retur, quæ res homines, sui ferè amantiores, excœcare solẽt, rectumque iudicium & præuertere, & peruertere; sat ostenderunt quanti illius vitam facerent, quam illi etiam tanto cum suo discrimine, & dispendio benè vellent, cũ tam sollicitè, quidquid ad eius personam spectabat indagantes, dixerũt.

15 INDICA NOBIS, Hebraicè INDICA OBSECRO NOBIS: quibus verbis ostenditur, quàm blandè & benignè IONAM alloquantur: CVIVS CAVSA MALVM ISTVD SIT NOBIS? *Sæpiùs il-*
Cur quæso tantis iactamur procellis? *lum exa-*
cur vẽro adeò turbulento impetimur, *minant.*
tantumque non obruimur, & in imum pelagi mergimur? iam sortitione didicerant totius mali auctorem esse IONAM; quid ergo iteratâ opus quæstione? an fortè, quod sciunt quærunt? meo quidem iudicio, videntur certiùs voluisse explorãdo cognoscere, rectène sors designarit scelestum an secus. Ex D. Hieronymi sẽtẽtiâ, quem sors arguerat, hunc volunt suo quoque ipsius argui damnarique suffragio.

16 Sunt igitur quæ sequuntur velut legitimorum iudicum reo propositæ quæstiones. Et verò, tametsi iudices nõ essent, quis miretur, eos hęc, atque his similia quęrere, quando secundùm Philosophum: *Omnis homo naturaliter* *Homo na-*
scire desiderat: vel maximè autem cu- *turâ curio-*
riosus esse solet in alienis indagandis, *sus est.*
multò verò magis, cùm aliena ad eum etiam aliquo modo pertinent, vti hîc, vbi omnium erat fortuna communis. Quærunt ergo

O 3 QVOD

QVOD EST OPVS TVVM?
QVÆ TERRA TVA?
QVO VADIS?
EX QVO POPVLO ES TV?

Ad hæc à IONA, ſine vllo effugio ac tergiuerſatione, reſponſum poſcitur. Quaſi dicant apertè: Licet te ſors criminis arguat, te tempeſtatis auctorem notet: hac tamen ita niti nolumus, vt non te, pro te ipſo dicentem, priùs audiamus; multò minùs volumus inauditum, licet iuſtè irati, in mare dimittere. Eia, dic igitur quod in rem tuam facit? etenim tibi quantum in nobis eſt fauemus, vtinam cauſæ tuæ fauere quoque poſſimus; quod erit noſtrum, te priùs audito, decernere. Multa quidem, vti audiſtis, paucis ab eo quærũt de opere, de terra, de populo ſuo: *non* ſunt tamen *ſine vtilitate*, vt Cyrillus Alexandrinus loquitur, in his *curioſi*: quippe qui ſortitò tanti cauſam mali indagantes peccati modum nondum apertè cognorant.

Socij Ionæ hic vtiliter ſunt curioſi.

17 D. Ioannem Chryſoſtomum, non tam de quæſtionibus illis, quàm de huius forma iudicij, antequam ad quæſtiones ipſas veniamus, ſolitâ ſuâ eloquentiâ diſſerentem audire iuuerit: *Accuſant*, inquit, *maria fluctibus inquieta, ſortis atteſtatur incertum, reus omnibus declaratur; & tamen illi cognitorum ordinem imitantes, qui non antè ſententiam proferunt, niſi teſtium verba ipſius rei fuerint confeſſione firmata: diſſimulatâ inquietudine procellarum, & ignauiâ ſuæ naturæ depoſitâ, ſeruant iudiciariam diſciplinam, & ſententiam proferunt communi conſenſu.* Hæc autem vt præmeditata, vt in vtramque partem rectè diſcuſſa, vt ex cauſarum meritis concepta promulgetur ex æquo; ita hinc & inde ventilatur, vt ſuus ſit etiam reo dicendi locus. Quare, vti audiſtis, quò occaſionem habeat, id quantum voluerit ipſe præſtandi, paucis multa ab eo exquirunt; ſicuti etiam ab Ænea cum ſuis ſociis Romanæ vrbi Tybri aduerſo adnauigante, apud Virgilium Pallas Regis Euandri filius, hiſce verſibus:

Chryſoſt. homil. in Ionam to. 1. oper. in fine.

Quàm ſocij Ionæ iuridicè proceſſerint, docet S. Chryſoſtomus.

Reo Ionæ datur per quæſtiones occaſio, vt pro ſe quãtum voluerit, dicat.

Virgil lib. 8. Æneid.

— Iuuenes quæ cauſa ſubegit
Ignotas tentare vias? quò tenditis, inquit,
Qui genus, vnde domo? pacemne huc fertis an arma?

18 En prima de opere quæſtio; quippe quod ante omnia præmio dignũ vel pœna, & ex quo optimè quid de homine ſit cognoſcitur, dicente in Prouerbiis Salomone: *Ex ſtudiis ſuis intelligitur puer, ſi munda & recta ſint opera eius.* Quod idem clariùs & apertiùs dixit is, qui pluſquam Salomon de falſis Prophetis loquens, & notam nobis aſſignans, quâ hi diſcriminari ab aliis poſſint, cùm ait: *A fructibus eorum cognoſcetis eos.* Et apud Ioannem de ſemetipſo: *Opera quæ ego facio, teſtimonium perhibent de me.* Meritò ergo illæ voces priores ſunt ceteris: *Quod eſt opus tuum?* Scire velimus quo tu munere, quâ occupatione diſtineri ſoleas? Interpretatur Paulus Palatius, dicito nobis quid tu es hominis IONA? ariolus, magus, veneficus, vel alius aliquis ex eorum genere, quos vt hoſtes ſuos viuere non ſuſtinet Deus? aut fortè graſſator, ſicarius, raptor, parricida, atque de eorum ſocietate, quos natura inter mortales non patitur? quid rerum agis? quid moliris? quid cogitas?

Prima quæſtio Ionæ proponitur de opere & quare prima.

Prouerb. c. 20. v. 11.

Matth. c. 7. v. 16.

Ioannis c. 5. v. 36.

Interpretatur Rabbi Dauid Kymchi, in quo deprehenſus es ſcelere? quã artem, officium, opificium exerces? fortè illud vix exerceri ſine culpa poteſt, aut omnino non poteſt. Secundùm hunc igitur intendunt ex IONÆ ſiue opificio, ſiue officio, colligere illius vel innocẽtiam, vel noxam. Gentium Doctor Romanos inſtituens, cũ multa digna ſuppliciis ſcelera enarraſſet, demum concludit: *Qui talia agunt digni ſunt morte.* Sic fortè ſocij hac petitione videre volunt, num IONAS dicturus ſit, ea à ſe patrata ſcelera, quibus mortem videatur commeritus, ferrique in illum iuſta poſſit ſententia.

Eadem diſcutitur.

Ad Rom. c. 1. v. 32.

Quid hac intenderint ſocij.

19 Secũdum interrogationum reo propoſitarum caput fuit, de patria. *Quæ*, inquiunt, *eſt terra tua?* Quamuis, num de habitationis potiùs, quàm natiuitatis terra ſermo ſit, quibuſdam videatur

Secunda quæſtio, de Ionæ patria examinatur.

videatur incertum; mihi esse de terra natiuitatis longè videtur certissimum. Etenim hoc magis cum 70. Interpretum versione consentit; qui, vbi nos paullò pòst habemus, *quò vadis*? vertūt *vnde venis*. Quare secundùm illos, ne bis idem dicatur, ibi de domicilio locoque habitationis, hîc de patria agi prorsus sine ambiguitate videtur dicendum. Interim quidquid hac de re sit; certum est, sæpiùs ex sede, seu natali, seu domicilij, ferri de alicuius vita moribusque iudicium. Hinc bonus ille Nathanaël de Christo Domino loquens, vbi audierat ex Philippo oriundum à Nazareth, subiecit continuò: *A Nazareth potest aliquid boni esse*? In eum modum hîc factū à nautis Theodoretus censuit. *Iubent*, inquit, *hæc dicere, vt ex communibus gentis studiis & institutis, hominis vitam agnoscerent.*

Ex patria alicuius sæpè fertur de illius vita & moribus iudicium.

20 Angelus, qui Agar inuenit fugientem, duo quoque ab illa sciscitatus, dixit: *Agar ancilla Sarai vnde venis, & quò vadis?* Cui illa: *A facie Sarai dominæ meæ ego fugio*: subticens profectionis suæ atque instituti itineris terminum, dumtaxat vnde veniret, non quò iret respondit. Erubescebat quippe confiteri, se Ægyptū patriam suam repetere; verita, ne si se Ægyptiam, simul etiam scelestam proderet: adeò manifestum morum suorum indicium patriam iudicabat, inquit Mendoza.

Genes. c. 16. v. 8. *Agar rogata se dissimulat Ægyptiā.*

Mendoza in lib. 1. Reg. c. 1. v. 1. sect. 4. §. 5.

De Patria sua conditionibus ferè quiuis aliquid participat.

21 Certè cùm alicuius explorandi sunt mores, explorandumque ingenium; id cùm aliunde, tum etiam ex patriæ quam nactus conditionibus, à quibus ferè in inquilinos, seu boni, seu mali quidpiam promanat, factitādum. Experientiâ pridem didicimus, in mala patria, vbi mores corrupti, raros esse incolas bonos. Vnde maior fuit Iobi commendatio, quòd licet natus de terra scelerata, esset tamen sanctissimus. *Vir erat in terra Hus, nomine Iob, simplex & rectus*, ait Scriptura. Hus Iobi patria, regio erat profana, quam incolebat Esau homo improbus, de quo Dominus: *Esau odio habui*. Interim in illa tam sanctus vir nascitur; *Vt*, quemadmodum ait S. Ioannes Chrysostomus, *Prouinciam, ex qua tantus fructus floruit, verè mireris, qualisq́ rosa in spinarum medio germinauerit.*

Iob c. 1. v. 1. *Magna Iobo commendatio, quod ex terra, & patria mala, tam bonus vir.*

Malachiæ c. 1. v. 3.

Chrysost. homil. 2. de Patientia Iob.

22 Miraculi ac prodigij instar in terra arida ac sterili, fœcundæ sunt segetes. Sed non minùs in vrbe vitiosa vir probus. Nam ferè qualis patria, tales ciues. Videmus singulis nationibus, regionibus, vrbibus, sua esse vitia quædam propria; aliis in fastum, in luxum & libidinem aliis, quibusdam in furta & rapinas, quibusdam in gulam, ventris ingluuiem, pocula pronioribus. Sicuti etiam de Cretensibus dixit Paulus, quod *semper mendaces, malæ bestiæ, ventres pigri*: alij de aliis alia. Vnde hæc? sicut à corrupta natura aliquid, & à vitio culpaque singulorum plurimum; ita aliquid etiam à natali solo, aut potiùs à malorum, qui istic sunt societate ac consuetudine.

Singulis nationibus & regionibus singula insunt vitia magis particularia.

Epist. ad Titum c. 1. v. 12.

23 Rectè ergo scire cupientes à Iona socij cuias sit, quærunt: *Quæ est terra tua?* quasi dicāt: Cùm ignoremus veniasne è regione, quæ noxis abundat, & hominibus noxiis, quæ infamis sceleribus, quæ improborum commune perfugium, quæ sceleratorum asylum, proindeque an ex eorum consuetudine, & quadam velut loci naturâ, adhæserint tibi ea, ob quæ tantoperè affligimur, tam durè plectimur, ita grauiter diuinam experimur vindictā in nos, nullâ respirandi facultate concessâ, sæuientem: dicito nobis, quod tibi solum natale? illudne cui dij maris, ventorumque pater Æolus, cui cælum & sydera tam sunt constanter infesta? aut fortè diis carissimam patriam tuam, illis repugnantibus, parum religiosè deseris, atque ad eamdem, reluctantem te, ipsi rursum tantis fluctuum terroribus vocant? en alterum quod ex te scire percupimus.

Explicatur secunda quæstio de patria Ionæ, & vrgetur.

24 Accessit deinde quæstio tertia, nautarum, sociorumque, velut Ionæ iudicium: *Quo vadis?* quæ de profectionis termino aliquid etiam innuit singulare, & multam prudentiam sapit. Iure punitur, qui ad locum rebellem, damnatum, aut quouis modo illicitum vadit: vt si quis ad Principis ho-

Tertia quæstio Ionæ proposita perpenditur.

ſtem à Principe, ita ſi ad Dei hoſtem à Deo. Quærunt ergo, ad locúmne vadat humanis diuiníſve legibus interdictum.

Pro eo quod nos habemus: *Quo vadis?* Textus Hebræus, Chaldæus, & 70. Interpretum habent: *Vnde venis?* ſubintelligendum verò, quaſi prætermiſſum, quod noſter expreſſit, *Quo vadis?* cēſet Petrus à Figueiro, vt tranſlationes omnes conſentiant.

Variè à variis auctoribus hæc quæſtio explicatur.

25 Explicant propoſitam quæſtionem fuſiùs auctores varij variè, & ſinguli ex proponentium, vt quidem putant, mente, conſilio atque ſententia. Quis id optimè ſit aſſecutus ego non ſtatuo, vos omnibus auditis decernite.

Rabbi Dauid Kymchi, fortè ob patratum alicubi immane quoddam facinus fugiſti, & hîc te modò premit vindicta, ac ſequitur fugientem.

Rabbi Iarchi, fortè contra loci illius, ad quem properas, homines, decreta eſt pœnæ ſententia, quam ex ex nunc ſuſtinere incipis; noſque, non ſecus quàm tu, tecum ſociati patimur.

Dionyſius Rikelius Carthuſianus, fortè locus, quem mente deſignaſti huius tuæ profectionis ac peregrinationis terminum, vetitus eſt, teque ex nunc Deus tuus, inde arcere incipit.

Alij, fortè prauo intentus operi, & in id cogitatione iam pridem defixus, tandem hoc agis, vt conceptum animo virus euomas, malè meditatum facinus producas in publicum; quo ſupplicium hoc, quod nos etiam, quia ſocij, tecum patimur, inſigniter promereris. Pœnâ dignus eſt, non tantùm malè qui agit; ſed & qui malè agere ſtatuit. Pro maledictione intentatâ Iſraëli, atque intentatâ tantùm, meritò Balaam ab Angelo corripitur. Documento hoc ſit, vt ne velimus quidem, quod præſtare non poſſumus; ne mox etiam, quod nollemus, ſuſtinere debeamus.

Punitur non tantū qui malè agit, ſed qui vult malè agere.

Quarta & vltima quæſtio Ionæ propoſita diſcutitur.

26 Ad poſtremam IONÆ à ſuis propoſitam iudicibus quæſtionem veniamus. Omnium vltimò rogant: *Ex quo populo es tu?* Scire velimus oriundúſne non tantùm ex patria; ſed an etiam ex gente ſcelerata & nequam, ex populo infami? Progenies interdum, ſiue maiores, ſi vitioſi, dare ſiniſtræ ſuſpicionis occaſionem de nepotibus, & cetera poſteritate ſolent: vt certè propter hominem vnum tam euidentibus expoſiti periculis plurimi non immeritò ſciſcitentur ab illo: *Ex quo populo es tu?* Neque enim ignorare poterant, quòd parentum delicta; filij, nepotes, abnepotes, totaque ſubinde luere eorum poſteritas ſoleat. Dixit Euripedes:

Punitur quis interdū ob maiorum vel parentum delicta.

Crimina ſæpè luunt nati ſcelerata parentum.

Quod ipſum multò certiùs nos docent Litteræ ſacræ; quoniam libro Numerorum poſtquam dictum eſſet: ***Dominus patiens, & multæ miſericordiæ, auferens iniquitatem & ſcelera, nullumq́; innoxium derelinquens***; conſequenter legimus, vt tam iuſtum eſſe quàm miſericordem nouerimus, ***qui viſitas peccata patrum in filios, in tertiam & quartam generationem.*** Hoc verò contingit, non modò cùm filij peccata parentum imitantur, eademque, aut grauiora quàm illi committunt; tunc enim non tam aliena luunt quàm propria, atque eadem qua parentes lege iureque plectuntur: verùm cum ſoli filiis probis parentes ſunt improbi & peruerſi.

Numero: c. 14. v. 18.

27 Nec deſunt iuſtæ cauſæ, cur probos quoque interdum illa improborum quam hi hîc luunt pœna tāgat. Eſt enim, quemadmodùm aliàs etiam dixiſſe me memini, nunc autem aliquanto fuſiùs repeto; cōmune quoddam inter mortales omnes vinculum ſocietatis, inter quoſdam aliud etiam magis peculiare: quale nimirum inter Catholicæ Eccleſiæ filios toto orbe diſperſos; inter vnius regni, prouinciæ, ciuitatis incolas, ſocios, ciues; peculiariſſimum verò & arctiſſimum inter plures vnius eiuſdemque familiæ, inter propinquos, cognatos, fratres, fratrum filios: eò quòd, quaſi vnius corporis membra, hi omnes variis modis, alij plus, alij minus, aliquo ſint vinculo, aut neceſſitatis, aut familiaritatis, aut ſimili-

Cauſa cur quis ob delicta parentum vel maiorum iuſtè puniatur.

In c. 1. Ionæ lect. 7. n. 17.

similitudinis morum actionumq; copulati.

Igitur si, vti dixi aliàs, sæpiùs videamus ob vnius membri morbum, vlcus, aut vulnus alia membra languere, cruciari, ac quodammodo vulnerari; quid ni vno, qui alicuius mystici corporis mēbrum est, delinquēte, & ob delicta punito, puniantur simul, quæ simul deliquisse censentur societatis communione, membra reliqua.

Magna pœna parentibus videre propter se punitos filios.

28 Profectò sicut non immerita, ita non exigua quoque maioribus, parentibus, amicis, hæc pœna est: videre sibi propinquiores, maximeque caros, sui causâ in luctu, egestate, tormentis. Conducit autem hoc ipsum quàm maximè vt quiuis terreatur ne peccet, & liberè, vt antea facere solitus erat, delinquat ne secum suos saltem innocuos in discrimen adducat.

Gen.c.9. v.25.

Noëmum legimus, vt quod fecit Deus, fecisse quoque subinde homines videatis, maledicturum filio suo, maledixisse nepoti suo Chanaan, & Chamum puniuisse in filio. Cuius causam, non aliam dat D. Chrysostomus ab ea, quam paullò antè insinuauimus. *Quia pater non minorem pœnam*, inquit, *& cruciatum habuit quàm filius: grauius enim est videre filios supplicijs affici, quàm si ipsi parentes iis fiant obnoxij.* Cruciatus ergo fuit & grauiùs quàm credi possit in Chanaamo Cham, id est in filio pater.

Chrysost. homil.29. in Gen.

29 Ad nos quod attinet: cognoscere volentes rationem supplicij, quod immeritò se sustinere credebāt IONÆ collegæ, iustè ac legitimè quærunt, *Ex quo populo es tu?* Ammonita, Assyrius, Idumæus, Philistæus, Arabs, Hebræus, Sydonius, aut ex gente aliqua alia, quacumque demum, scelerata tamen & impia? Putant namque inde, eius se quoque vitam moresque cognituros; & quod hæc consequitur, an, & quanto tempore, huius aut illius gentis prauæ consuetudinibus sese accōmodans, pœnam aliquam, & quàm grauem mereatur.

Non est tamen hoc infallibilis veritatis, vt mali sint qui à gente mala, & boni, qui à bona proueniunt; cùm nec semper ipsorum bonorum parentum filij boni sint: sæpè enim filij Heroūm noxæ. Dixit Lyricus:

Ætas parentum peior auis, tulit
Nos nequiores, mox daturos
Progeniem vitiosiorem.

Horatius lib.3. Car. ode 6.

Et verè sic sæpè accidit; licet vt plurimum verum sit, quod idem ait:

Fortes creantur fortibus & bonis,
Est in iuuencis, est in equis patrum
Virtus, nec imbellem feroces
Progenerant aquilæ columbam.

Horat. lib.4. Car. ode 4.

Interim, sicuti magna à bonis parentibus commendatio esse solet, quemadmodum Raguel iuniori Tobiæ dicebat: *Benedictio tibi sit fili mi, quia boni & optimi viri filius es*: ita ab improbis non nisi magna ignominia & opprobrium.

Tobiæ c. 7. v.7.

30 Quæstionum IONÆ propositarum, vti audistis, finis est, atque hoc per illas à sociis intenditur (quoniam suspicantur hominem ingenti aliquo, seu priuato, seu publico, obstrictum crimine, quod tantâ tempestate expiandum sit) vt nudam synceramque veritatem, ex ipsius rei confessione, quâ nihil est certius, assequantur; hanc verò, si sic assequi non valeant, aliâ viâ etiam ab inuito extorquere contendant. Quam illorum mentem cùm dubio procul satis fuerit assecutus, malè sibi conscius IONAS, timuerit quoque ne ab iisdem exerceretur in se pro meritis & iudicium & supplicium.

Quæstiones has Ionæ proponi Deus permittit, vt ipse sic clementiam discat.

31 Hæc ab hominibus quidem profecta in hominem, altiora tamen humanis consiliis iudicauit Chrysostomus: *Nimirum*, vt ait ille, *omnia diuinâ prouidentiâ gerebantur, vt Propheta pius, & mansuetus existeret: & ita eum Deus rerum corrigebat documentis, tamquam si ad ipsum clamitaret, & diceret: Humanitatem imitare nautarum, qui ne vnius quidem animæ salutē despiciunt, nec vnius corporis curam prætereunt. Quantum autem ad tuam sollicitudinem pertinet, vniuersa ciuitas infinitis hominibus amplata, morti donata est. Et isti quidem calamitatis suæ reum sorte monstratum non passim præcipitare voluerunt: tu autem Niniuitas prodi-*

Chrysost. homil. in Ionā to. 1.

prodidisti, quorum nullâ fueras læsione laceratus. Hactenus D. Chrysostomus.

Pœnam quatuor modis mereri quisq; potest: secundùm quatuor quæsita à Iona.

32 Ioannes Ferus magnus suo tempore in Cathedrali Moguntina Ecclesiastes, arbitratur ex modo quadruplici, quo quemque pœnam mereri posse asserit, quatuor has petitiones desumptas. Et primò quidem, quia ex opere proprio malo, quæsitum ab eo, *Quod est opus tuum?*

Deinde, quia ex mali operis alieni participatione, secundùm illud Pauli, *Digni sunt morte, non tantùm qui peccant; sed etiam qui consentiunt peccantibus*, quæsitum, *Quæ est terra tua?*

Ad Rom. c.1.v.vlt.

Quia præterea ex intentione non recta, operis alioquin non mali, *Quò vadis?*

Denique quia ex maiorum demeritis & peccatis, *Ex quo populo es tu?*

Punitur Ionas propter opus suum scilicet fugam à facie Domini.

33 Verùm nec propter parentum delicta, nec propter patriam, aut populum, nec propter boni operis intentionem peruersam: sed propter opus ipsum, execrabilem inquam fugam, ex inobedientia natam, quam tentauit, cùm iussus ire in Niniuen, iter suum contento & pertinaci studio direxit in Tharsis; IONAS hîc comprehensus à ventis & fluctibus, in naui velut in carcere detentus, ac iudicum ibidem subiectus imperio, eorumdem nunc quæstionibus premitur.

Paulinus tom. 5. Biblioth. SS. PP. parte 1. pag. 224. editionis Coloniẽs. an. 1618.

Quam benè de hoc toto negotio S. Paulinus!

— *Deum frustra fugiens* (scilicet IONAS) *quem cuncta tenentem*
Nemo fugit, mouit cæli simul & maris iras.
Omnipotentis enim Domini natura rebellem
Cognoscens, timuit per se quasi conscia, tutum
Ferre reum, & ventis fugitiuum vinxit, & vndis.

Iona proposita quatuor quæstiones quisque statim sibi debet proponere, nec exspectare tempestatem.

34 Existimate vos singulos modò constitutos à Deo iudices & arbitros vitæ propriæ propriorumque criminum, atque hæc ipsa, quæ à IONA alij, vos à vobis ipsis exquirite; vos reos arguite ad tribunal proprium, priusquã ad diuinum protracti, ibidem, sine spe commutandæ aliquando sententiæ, æternùm damnemini. Neque cunctari vos velim, donec acrior tempestas nauiculam concusserit mentis; atque ita concusserit, vt ei imminere videatur naufragium. Ad primum statim insurgentis tentationis ventum, intus curâ & cogitatione conuersi, dicite vobismetipsis singuli: *Quod est opus tuum?* videte, inquam, quid cogitetis, quid moliamini; & si quidem veri iudices vestri facti, non blandi palpones, notetis hoc vos agere, vt curatâ bellè cuticulâ, corporis & fortunę bonis, etiam cum neglectu, ne dicam contemptu Numinis, gaudeatis, de ceteris parum solliciti; non est quòd exortam in animo tempestatem miremini; quoniam hanc ipsa vestra viuendi ratio in vos, vt olim in IONAM fuga ipsius, suscitauit.

Causa tẽpestatis in anima sæpè cura corporis nimia, & opum.

35 Est verò tãtò periculosior, quãtò minùs agnita. Sicuti is qui

Horat. lib.2. Car. ode 1.

—— *Incedit per ignes*
Suppositos cineri doloso;

licet nihil timeat, quia latentẽ ignem ignorat; non tamen idcirco minùs patietur, minúsve cruciabitur, vbi ignis qui latebat eruperit. Certè non ideò, quòd quis tempestatem, aut non prospexerit, aut exortam nequaquam metuerit, minùs vno impetu, vbi hæc inualuerit, in interitum rapitur.

Pœnitentiâ auertenda Dei vindicta.

Quisquis ergo sapit, sibi prouideat, & diuinæ vindictæ tela, seu aquis, seu ignibus, seu terræ antris, seu ferarum spelæis educta emissaque iustâ metanœâ tam diu à se auertat, donec nihil habeat vltrà quod metuat, & omne opus suum vt rectum, teste conscientiâ, quantum iudicare pro nostra infirmitate homines possumus, ipse arbiter comprobarit.

Hominum hospitium non domicilium, est mundus.

36 Tum verò *de terra sua*, locoque natali percunctari quemque oportet, & dicere sibi; atque etiam ne obrepat aliquando obliuio, per dies singulos sæpius, *Quæ est terra tua?* respondere etiam quod res est syncerè, ne quis in maximam fraudem, & perniciem propriam sit fortassis fraudibus locus. Terra tua, solum patrium, in quo natus, & educatus es, in quo viuis, & viues

viues: quamdiu Conditori tuo (à quo sicut esse, & viuere, ita istud quod incolis obtinuisti domicilium, veriùs hospitium) placuerit; hic quem cernis & inhabitas immundus mundus est, corporis patria, animi exilium, afflictionis locus, merum ergastulum, miseriarum oceanus, in quo continuus dolor & lacrymæ; imò, quod de Orci vestibulo dixit Publius Maro,

Mundus animo exilium est.

6. Æneid.

Luctus, & vltrices posuêre cubilia curæ.

nisi hunc suauiorem & iucundiorem paululùm faciat spes secuturæ felicitatis & gloriæ.

37 Interea, quantumcumque miser sit locus, videndum ne nimium adametur, curandum cuique ne adhæreat illi plus satis; adeoque cùm iussus fuerit demigrare in orbem alterum, tentaturus quoque sit, si daretur fugæ locus, fugere, vt IONAS, à facie Domini. Verùm cùm valuæ illæ mortis adamantinæ omnem occludant fugere cupientibus viam, & per has cōpellendi simus omnes, omnes egredi ex hac terra horroris & vastæ solitudinis in locum alterum: præfigite vobis terminum profectionis vestræ, & illum oculis vestris locum, illas sedes obiicite, quas intenditis; siue perpetuò felices, siue infelices, miseras, & omnibus calamitatibus cumulatissimas.

Libenter ex mundo vitaq; hac velut ex ergastulo, migrandū.

38 Erit autem hæc tertia quæstio, quam sibi quisque cum fructu proponat, *Quò vadis?* vt videat quantoperè aberret à via, & quantò adhuc ampliùs à termino. Vereor enim profectò, & vereor vehementer, ne cùm vitæ nostræ ac peregrinationis cursus sit dirigendus in patriam, illam inquam patriam, quæ sola patriæ nomen meretur, id est, beatam cæli regionem, Regis regum aulam amplissimā; nonnulli potiùs illum dirigant in exilium, imò in squalentem horrentemq; carcerem, igneos globos flammasq; eructantem, in quo catenis vincti & compedibus, torti torquendique ignibus deinde perpetuis, hæreant.

Iter nostrū an in cælū an in infernum ducat vidēdum.

39 Quonam singulorum vestrûm gressus moueantur, docebūt viarum, quas decurritis, notæ. Obseruate quęnam in iis maximè obuia, videte quibus animus potissimùm adhærescat; & facilè assequemini, quis tandem, futurus vestræ profectionis sit terminus. Si namque vos oblectent arbores, quæ fucatos & adulterinos fructus ferunt; si aues Sirenum more cantantes; si socij mente & moribus discoli, immersi deliciis & diuitiis, aberratis à patria. Nam

Id colligitur ex signis itineris.

Non est ad astra mollis è terris via.

Seneca in Hercule Fur. Actus 2. Scen. 3.

Verùm si vos coniunxeritis, lege, vitâ, consuetudine, moribus, iis hominibus, qui non capiuntur quantumuis blandè emodulatis auium cantibus; sic adulatorum, quotidie ineptè, etiam in rebus pessimis, alios laudātium, iisque abblandientium ac applaudentium voces appello: non rubicundis, & instar Sodomæorum fructuum ad speciem ridentibus, frondosarum arborū pomis; superborum hæc vanitas & inanis gloria est: non præterlabētis aquæ lenibus susurris; fallax ista & citò præteriens voluptuariorum, vt ipsi sibi fingunt, felicitas est: viam inceditis regiam, quæ rectà ad patriam ducit, ad eam mox etiam nullo negotio peruenturi.

Similiter ex socys itineris.

40 Non sic qui ad luxum & libitum viuunt: hos namque similes existimo illi, qui vt ait Bellarminus Cardinalis, oblitus quò vadat, cùm ad patibulum ducitur, si quis terrarū vspiam tam est insanus, magno sibi honori vertit tantum hominum comitatum, & prætorem quidem aulæ suæ præfectū cogitat, prætoris satellites corporis sui fidos custodes, reliquam multitudinem, quæ præcedit & sequitur, famulos suos, & feralem illum campanæ sonitum, honoris gratiâ sibi quasi triumphanti editum putat; nec meminit post breuissimi temporis spatium, summùm horulam vnam, redeuntibus ad propria singulis, se hærentem patibulo mansurum coruis, & cornicibus pabulum: cuius quis non miretur dementiam. Sed non minor, neque minus miranda insania, illorum est, qui opibus, honoribus, voluptatibus, amicis &

Bellarm. Con. in Dom. 4. post Pascha

Dementia hominum iter sed non finem considerantium.

cis & sociis, velut satellitibus ad patibulum vsque deducentibus stipati, *Ducunt in bonis dies suos*: & peius aliquid supplicio temporali hominis illius, de quo Bellarminus, habent quod metuant: nam deinde *in puncto ad inferna descendunt*: multum per omne tempus de via, parum de termino cogitantes. Exclamabo hîc iterum cum Moyse: *Vtinam saperent, & intelligerent, ac nouissima prouiderent.*

Iob c.21. v.13.

Deuter. c.32.v.29.

Christianis Christi exemplo rectè viuendum.

41 Sed neque omittendum, quin percunctemini etiam singuli ipsos vos, *Ex quo populo es tu?* quod erat extremum propositarum IONÆ quæstionum caput. Sat scio, facilè & verè ad hoc respondere quisque statim sibi posse videbitur: Christianus sum. At paullò accuratiùs examinandum, & ad incudem reuocandum est responsum istud. Christianus es? vbi in te nunc mores Christi? vbi vita, quæ vitæ eius respondeat? legisti aliquando violasse, aut temerasse, mente, verbo, opere, virginitatem virginum sanctissimum Christum? audiuisti profluxisse ex sacro eius ore litterulam, quæ vel tantillum fastus redoleret, aut arrogantiæ? Estne vestrûm aliquis qui meminit eum auri, argenti, aut alterius rei cupiditate accensum, hæc postulasse, aut oblata vltra necessitatem acceptasse, habuisseque in pretio? An aliquando profusiorem fuisse in ea quæ corporis necessitatibus subseruiunt, an commodis suis deditum, cibo & potui addictum vllæ sacræ litteræ loquuntur? gloriaris de Christo, quòd eius nomen geras exultas Christiane, non damno; dummodo & de virtutum non secus quàm de nominis imitatione glorieris, & meritò glorieris.

Quæ maximè in Christo imitanda à Christiano.

42 Age ergo imitare in Christo illam cibi potusque parsimoniam, illas esuriales epulas, illam voluntariam inediam, illam vilem in oculis nostris, in se verò splendidam paupertatem, illum opum contemptum, illam despicientiam rerum omnium, illam animi, & quidem in tanta sublimitate & gloria, demissionem, illam plus quàm angelicam puritatem, illam vitæ integritatem morumque innocentiam. Quod vt facias meliùs, librum tam illustribus plenum documentis, tot arcanis refertum mysteriis vitæ ac mortis magistri tui, volue, lege, recole, & menti tenaciter imprime; vt vel sic in imitationem eius exardescas, & discas latere malle sub modestiæ pallio, quàm apparere in gloriæ & vanitatis paludamento. Tum demum hoc imperatore miles, hoc magistro discipulus, illiusque dignus nuncupatione censebere; alioquin auditurus, sicut ab eo audierunt Iudæi: *Si filij Abrahæ estis, opera Abrahæ facite.* Si Christianus es, Christi opera facito; præeuntem re & verbo Christũ sequere; & sic sequere, vt appareat, te illum induisse, illumque à te exprimi vitâ & exemplo, vsque eò, vt quicumque te viderit, vel ex solis moribus Christianum te esse intelligat. Alioqui, vt rectè D. Leo Magnus, *Frustrà appellamur Christiani, si imitatores non sumus Christi, qui ideo se viam dixit esse, vt conuersatio Magistri forma esset discipuli, & illam humilitatem eligeret seruus, quam sectatus est Dominus.*

Illi sæpè liber vitæ & mortis Christi legendus & inde documenta promenda.

Ioan.c.8. v.37.

Non meretur nomen Christiani qui opera Christi non imitatur.

D. Leo ser. 5. de Nat. Domini.

43 Certè quid nobis vtilitatis adferet vel ipse regalis status, si vitam & mores habeamus seruiles? quid progenitorum stemmata, si illorum præclara gesta non sequamur? quid antiquorum puritas, si eam non imitemur? quid Christi Domini tam sublimis sanctitas, si ab ea quàm longissimè recedamus? An prophanus Esau sanctitate Isaac patris sui Deo satisfecit? an impius Absalon fidelitate Dauidis? an crudelis Manasses Ezechiæ pietate? nullo modo. Imo isti sunt detestabiliores effecti, qui à patrum suorum bonitate desciuerunt, & iniquis operibus illorum gesta fœdarunt. Sic tantò iniquiores sunt Christiani, quãtò à Christi moribus, vita, exemplo, magis recedunt & longiùs. Benè dixit Chrysostomus: *Quid profuit Cham, quòd filius fuit Noë? nonne separatus de medio filiorum, qui secundùm carnem frater natus fuerat, secundũ animam factus est seruus.*

Chrysost. in imperfecto super Matt. c.3.

Sic

Sic ergo: quid proderit per Christum assertos nos in libertatem filiorum Dei quando per peccatum iterum propriâ voluntate serui efficimur?

44 Ad vos nunc propiùs accedo, & singulos vestrûm, qui in hanc tam illustrem præstantium virorum coronam conuenistis, interrogo, *Ex quo populo es tu?* Respondetis mihi, (quod modestia, probitas, pietas, vniuscuiusque loqui velle videtur) *Sodalis sum*, illius Congregationis, cui gloriosissima hominum Angelorumque Regina pręsidet, Magnæ Virginis, Magnæ Matris filius sum. Multum est quod dicis: supremæ orbis totius Imperatrici seruis; at quàm nauiter? quoties postpositis familiæ curis, & seculi negotiis hoc agis? quoties venis in Congregationem hanc Virgini sacram? quoties auribus atque animo in eius laudem deprædicationemque virtutum intendis? quoties ex sanctarum præscripto legum, quas amor in Virginem & Virginis filium toto orbe per cœtus illius condidit & vulgauit, te criminum sordibus liberas? quoties mentem discutis? cogitata, dicta, factaque ad trutinam reuocas, & in lance recti synceri que iudicij appendis? quoties per precarios globulos, tuæ Matris venerando vertici sacram corollam adaptas, & eidem supplex imponis? si vix vnquam, aut nunquam omnino, degener filius es: ostendis enim, quàm non pro illius tam bonæ Matris honore zeles; quàm parum tibi curæ eius sit gloria; proindeque nullum tibi ab illa singulare patrocinium spondeas, quæ hoc tali filio non promittit, quando nec eum ampliùs filiorum numero censet, qui non magis se, Matrem optimam & amantissimam, veneratur.

Quid sit B. V. Sodalem esse, & quomodo Sodalibus viuendum dignè hoc titulo.

45 Vultis igitur inire à Virgine gratiam, vultis Matris opem & affectum in filios; sic viuite, sic agite, sic prodite in eius conspectum discussis actionibus vestris singulis, vt nunquam id fiat cum aliqua eius iniuria, aut vestrâ, ob minus dignos animos, verecundiâ. Vno verbo, omni loco, omni tempore, ostendite vos tantæ Matris filios; atque sic viuite vt semper conditionis vestræ dignitatisque memineritis.

B. V. Sodalis viuere debet vt filius tantæ matris.

46 Sunt in hac nobilissima Congregatione vestra, qui rogati, *Ex quo populo es tu?* præter id, quod omnibus & singulis vestrûm conuenit, *Deiparæ Virginis* filius sum, dicere vlteriùs possunt, Dei Sacerdos sum. Magna sanè, summa dico dignitas Sacerdotum: *In quorum*, vt ait D. Augustinus, *manibus, velut in vtero Virginis, filius Dei incarnatur*. Quare etiam stupens, atque ad rei nouitatem attonitus, exclamat. *O venerabilis sanctitudo manuum! ô felix exercitium! ô verè mundi gaudium! Christus tractat Christum, id est, Sacerdos Dei filium, cuius sunt deliciæ esse cum filiis hominum: & quod datum non est Angelis, concessum est homini. Sacerdos enim hoc ineffabile conficit mysterium, & Angeli conficienti sibi quasi famuli assistunt. Super hoc tam insigni priuilegio, stupet cælum, miratur terra, veretur homo, horret infernus, contremiscit diabolus, & veneratur quàm plurimùm Angelica celsitudo.* Quæ causa cur nos moneat B. Chrysostomus, & dicat: *Quòd Sacerdotes meritò non modò plus vereri debemus, quàm vel Principes, vel Reges; verùm etiam maiori honore quàm parentes proprios honestare. Parentes enim nos in præsentem, Sacerdotes in æternam vitam generant.*

Sacerdotũ dignitas quanta. Auguſt. ſuper Pſal.

Chrysost. lib. 3. de Sacerdotio. *Quantoperè sacerdotes honorandi.*

47 Fateor igitur, si Sacerdos es, magnus es. Interim quid iuuat magnum esse munere, titulo, nomine; si non simul opere & sanctitate? nihil tibi conferet sacerdotij dignitas nisi ei vita respondeat. Sacerdos es, sed quoties dicis ad aras? quoties Deo litas? sæpiùs inquis, atque propè diebus singulis. Benè quidem hactenus, nunc vlteriùs: num pietatis ardore, an lucri desiderio? Si tibi in quæstu est sacerdotium, satis ostendis, quâ Deo mente seruias, in quem sic agens, insigniter es iniurius. Nam, vt ait Bernardus, *Qui gradus Ecclesiasticos eo quærit, aut tenet animo, eoq; intuitu, vt huius vitæ habeat necessaria; euangelizat*

Quæ ratio agendi & viuẽdi esse debeat sacerdotum.

Bernard. declam. super, Ecce nos reliquimus omnia

vt manducet, &, peruerso nimis ordine, cælestibus terrena mercatur.

Sacerdotibus, bonis Ecclesiasticis quomodo, & quousque vtendum sit. Ibidem.

48 Quid diceret, si videret esse qui sacerdotia, qui gradus Ecclesiasticos quærunt, non tantùm vt necessaria; sed etiam superflua habeant. Sanè illud quod aliquando etiam suo tempore declamauit: *Qui altario seruit, de altario viuat, viuat inquam de altario, vt, iuxta Apostolum, alimenta, & quibus tegatur habens, his contentus sit. De altario viuat, non superbiat, non luxurietur, denique non ditetur, non sibi de bonis Ecclesiæ ampla palatia fabricet, mutans quadrata rotundis, nec loculos inde congreget, nec in vanitate, aut superfluitate dispergat. Non extollat de facultatibus Ecclesiæ consanguineos suos.* Addit alia, quæ paullò crassiora, nec opus commemorare. Dico tantùm cum D. Hieronymo. *Clericus, qui Christi seruit Ecclesiæ, interpretetur primò vocabulum suum, & nominis definitione prolatâ, nitatur esse quod dicitur. Si enim Cleros Græcè, sors Latinè appellatur: propterea vocantur Clerici, vel quia de sorte sunt Domini, vel quia ipse Dominus sors, id est, pars Clericorum est. Qui autem vel ipse pars Domini est, vel Dominum partem habet, talem se exhibere debet, vt & ipse possideat Dominum, & possideatur à Domino. Qui Dominum possidet, & cum* Propheta *dicit, pars mea Dominus, nihil extra Dominum habere potest. Quod si quidpiam aliud habuerit præter Dominum, pars eius non erit Dominus.* Non auderem hæc nisi ore D. Hieronymi proloqui: ipsum ergo, non me, locutum arbitremini.

Hiero. ad Nepotia. de vita Clericor. epist. 2. tom. 1.

Quæ vitia abesse à sacerdotibus debeant. Malachiæ c. 2. v. 7.

49 Rursum te modò compello *Sodalis;* & quæro, si, vt dicis, *Sacerdos* es, *cuius labia custodiunt*, aut certè custodire debent, *scientiam:* quid in ore tuo, quod totum Deo sacrum, profana? quid nugæ? quid mendacia? quid contentiones & iurgia? quid turpitudo & stultiloquium, & cetera quæ ad rem non pertinent? In manibus, quæ augustissima illa tractant mysteria, quid chartæ lusoriæ? quid aleæ? quid pocula? grauiora taceo, quæ habet Bernardus: nolim enim castas aures offendere, & sperare volo, talia modò hîc locum non habere. Quæ Dei est gratia, meliora nunc tempora sunt, moresque meliores: sed nec locum vllo vnquam tempore habitura sunt, aut quisquam facilè aberrabit à via, si certè meminerit, quid initiatus sacris Deo spoponderit, & sponsionem veterem sæpè nouo propositorum vinculo ligarit & confirmarit; dixeritque in corde suo: *Iuraui, & statui custodire iudicia iustitiæ tuæ.* Psal. 118. v. 106.

50 Cùm, vt dixit aliquando Bernardus, *Nugæ, in ore quidem secularium nugæ; sed in ore Sacerdotum sint blasphemiæ.* Dolendum esset, quempiam ordinis Ecclesiastici, maximè verò sacerdotalis, tam esse immemorem conditionis dignitatisque suæ; vt verificari de eo possit aliquando illud Ieremiæ lamentum: *Qui nutriebantur in croceis, amplexati sunt stercora.* Et illud Pauli ad Galatas. *Sic stulti estis, vt cum spiritu cœperitis, nunc carne consummemini.* Igitur Sacerdos offer teipsum Deo, pro quo sacerdotio fungeris, in hostiam viuam & sanctam, vt ei per omnia gratus acceptusque, tantò sanctiùs, tantò puriùs lites quotidie.

Bern. lib. 2. de Considerat. ad Eugeniũ Papam.

Ieremi. Threno. c. 4. v. 5. Ad Galat. c. 3. v. 3.

51 Proposui vobis easdem, quas IONÆ Prophetæ ipsius socij proposuêre quæstiones. Id vnicum mihi in votis nunc est; vt aptè, non verbo, sed vitâ, iis non modò tantùm, sed quod potissimum, in extremo magni iudicij die respondere possitis: quando Christus omnium, tam viuorum quàm mortuorum arbiter, ad eas quas audistis, alias adiiciet quæstiones, prioribus non minùs difficiles: *Tunc*, inquit Hugo Cardinalis, *quæretur à quolibet Prælato triplex quæstio. Amice quomodo huc intrasti, scilicet in Prælationem.* Audiant Prælati, & videant quo modò suo tempore respondeant. *Quis te introduxit, nummus an Christus? Ad quid venisti? ad honores vel ad onus? per quam portam intrasti? caritatis, aut cupiditatis? Secunda erit;* & hæc est quæstio verè mirabilis, satis crasso modo ab Hugone proposita: *Quomodo*, inquit, *vixisti sicut Episcopus, aut sicut rusticus, sicut*

Quæstiones tres Prælatis proponendæ in iudicio secundùm Hugonem Card.

Hugo Card. super c. 17. Lucæ.

sicut homo aut sicut equus, sicut pastor aut sicut pecus? Tertia quæstio erit. Quomodo rexisti? in quibus pascuis gregem meum pauisti? quomodo à lupis & latronibus custodiuisti? quantas vigilias & labores pro grege meo sustinuisti? Hæc Hugo Cardinalis: quæ egregiè monent eos, quibus est animarum cura demandata, vt solliciti sint, & tam actionibus propriis, quàm totius gregis sibi concrediti inuigilent diligenter, simul etiam quid sibi languenti, quid ouibus aberrantibus medelæ sit adhibendum, prospiciant.

52 Gentium Doctor scripsit aliquando Corinthiis: *Quod si nosmetipsos diiudicaremus, non vtique iudicaremur.* Agant igitur hoc omnes, non tantùm qui Prælati sunt, aut Pastores, sed omnes omnino actiones suas singulas ad trutinam æquitatis librent atque examinent; ac si in aliquo se deliquisse animaduerterint, receptui canant, & studiis melioribus errores præteritos emendare satagant.

1. Corint. c. 11. v. 31.

53 Dum in hac mortalitate viuimus, aliud aliquod quæstionum genus nobis subinde instinctu proprio proponendarum cum sancta & laudabili curiositate suggerit D. Bernardus cùm ait: *Diligenter pensate rationem aduentus Domini* (habet hoc in vtroque eius aduentu æqualiter locum, siue *cùm venit in carne & infirmitate*, siue *cùm veniet in gloria & maiestate*, vt idem Sanctus loquitur) *quærentes nimirum, quis sit qui veniat, vnde, quò, ad quid, quando, & quà.* Huic quæstionum generi ille nos vellet insistere. Vellem & ego: sed quoniam non ita opportunæ circa primum præsertim aduentum omni tempore quæstiones illę videntur; vellem ampliùs laudabilem quandam nec minùs salubrem à vobis exerceri curiositatem circa ipsa illa puncta, quoties sacro Christi Corpori communicatis & sanguini; cuius, id desideranti, & diuino amore flagranti animæ, nunquam deesse potest occasio; tum inquam vellem, pro eo quod fortè subinde altiora & sublimiora quædam sectari consueuistis, quibus feruorem, & concepta melioris ac sanctioris vitæ studia magis minuitis quā augetis; hoc vos agere, vt venientis dignitatem, sub tenuibus speciebus panis & vini vobis proponentes, simulque vilitatem propriam, in sancto Dei timore simul & amore crescatis.

Quæstiones de Aduentu Domini sibi quisque vtiliter proponat variis modis.

Bernard. serm. 1. de Aduentu.

Quatuor pręclaris Discursibus, siue Concionibus, & satis quidem copiosis, Christo Domino quæstiones easdem, quas IONÆ propositas diximus, proponit Gregorius Mastrillus. Sed quia professionem non facio, sicut ille, Allegoriam fusè lateque prosequēdi: nihil de illis, prout Christo conuenire possunt, vltrà attexo: insinuasse mihi sufficiat, quid pia, quid sancta meditatio hominis religiosi hîc tentare, quid assequi cogitatione & cognitione possit.

54 Conuertor denuò post aliquanto longiores ambages ad IONAM ac socios. Numquid videntur hi vobis errare, quòd facta illius, tam inuestigent sedulò, tam scrutentur curiosè; sua verò nequaquam considerent. Sed quidquid sit de IONÆ sociis, in hoc erratur nunc sæpiùs à pluribus, satis trito & communi horum temporum malo, quod plurima, vt satis notum est, secula tenuit, atque in ipsum falsè aliquando lusit Poëta, sic canens:

Plerique aliena vident & iudicant non verò sua.

Cùm tua peruideas oculis mala lippus inunctis,
Cur in amicorum vitiis tam cernis acutum?
Quam aut aquila, aut serpens Epidaurius: —

Horatius lib. 1. serm. Satyra 3.

Videlicet lynces in alienis sumus, talpæ in propriis. Dicebat ille,

Tecum habita; & noris quàm sit tibi curta supellex.

Persius Satyra 5.

Hoc ipsum est, quod Christus Dominus Magister veritatis ait, *Quid vides festucam in oculo fratris tui: & trabem in oculo tuo non vides?*

Matth. c. 7. v. 3.

55 Expressum id aliquando ab Ethnico Philosopho, atque etiam à nugaci fabulatore ferunt, cuius Æsopus meminit, qui prodire solebat in publicum cum mantica duplici; vnâ hinc, & altera inde dependente ex humeris;

Veterum de hoc sententia, & documenta ex fabulis.

P 2 cuius

cuius posteriori quidquid malè ageret ipse, ne quid suorum cerneret vitiorum; anteriori quidquid agerent alij, vt ea semper versarentur ob oculos, ingerebat. Quò respicit illud Persij,

Persius Satyra 4.

Sed præcedenti spectatur mantica tergo.

Vbi pectus vocat tergum præcedens. Terentius fabellæ pleniùs meminit, dicens:

Terentius in Phædro.

Peras imposuit Iupiter nobis duas,
Propriis repletam vitiis post tergum dedit;
Alienis ante pectus suspendit grauem.

Ad eam quæ ante pectus est vt plurimum conuersi sunt oculi nostri. Verè, provt est hoc seculum, plurimùm habemus homines factorum alienorum rigidos censores, suorum verò laudatores. Tolerabilius id foret, si quàm sunt in alios seueri, tàm essent priùs in se rigidi; nimium verò ridiculum est, & ineptum, in aliis virgulâ notare censoriâ etiam leuissima quæque, eademque damnare; in se verò nihil, tametsi grauissimum, castigare ac plectere, sed nec agnoscere.

Socij Ionæ eum non iudicant nisi antè à se iudicatum.

56 Non sic tamen IONÆ socij, qui cùm hîc in eum inquirunt, dictante sorte, Deoque inspirante hoc faciunt: neque nisi à se ipso antè iudicatū iudicant, non nisi à se damnatum damnant: atque ita damnant, vt tamen idcirco sibi de bonis suis actionibus moribusque nequaquam blandiantur, seque IONA in rebus aliis existiment meliores.

Feuardentij sententia de sociis Ionæ eum ad publicā confessionē cogentibus.

57 Feuardentius aliud crimen nautis ac nauigationis huius sociis imponit; si tamen est crimen, & non potiùs zelus aliquis pro iustitia & veritate; nimirum quod IONAM cogant ad facti sui hactenus occulti, nisi quod per sortem paullò antè aliquousque fuerit propalatum, publicam confessionem; atque ita addant afflictionem afflicto. Verùm hoc sibi IONAS imputet, qui à Domini sui mandatis recedens, in eas se coniecit angustias. Ego sanè non video, tametsi pro illis texere apologiam nequaquam statuerim, in quo sint magnoperè damnandi; quando esse ipsis licet iure meritoque de propria salute sollicitis. Demus ergo egisse licentiùs paululùm; fuerunt nihilominus in perscrutanda atque inquirenda improbitate alterius legitimè curiosi.

Confessarij culpandi qui in desperationem adigunt pœnitentes.

58 Damnauero potiùs quosdam arcanorum mentis iudices, siue conscientiæ arbitros; qui ad afflictorum querelas horrent, atque ita quos solari debebant magis affligunt, conturbant, & quodammodo in desperationis abyssum tetricâ suâ & morosâ agendi ratione præcipitant.

At illi pro sua defensione, peccarunt grauiter, inquient. Repono; fortasse vos qui sic cum pœnitentibus agitis etiam grauius; aut saltem, si id non feceritis hactenus, quæ Dei est gratia, peccare æquè ac illi, aut etiam grauius, potestis. Paulus dicit: *Qui se existimat stare, videat ne cadat.* Atque in eundem sensum S. Augustinus: *Non est peccatum, quantumuis graue, quod fecit homo, quod facere non possit alter homo, si careat Dei gratia, per quam consistit homo.* Benignum ergo in peccatores esse eum oportet, qui illis mederi cupit; & ante omnia propriæ conditionis probè meminisse. Hoc est præclarum Thomæ Kempensis piissimi laudatissimique viri consilium: *Cum tentato*, inquit, atque idem est de lapso sentiendum, *noli duriter agere, sed consolationem ingere, sicuti tibi optares fieri.* Quid verò tum? hominem emollies, & ad bonum flectes. Dixit Poëta Elegus:

1. Cor. c. 10. v. 12.

Thom. à Kemp. lib. 1. de Imit. Christi c. 13. §. 4.

Quid magis est durum saxo? quid mollius vndâ?
Dura tamen molli saxa cauantur aquâ.

Ouid. lib. 1. de Arte.

Cum peccatoribus amanter agendum & cū commiseratione.

Dico ego. Quid magis durum animo peccatoris peruicaci? quid suauibus ac placidis verbis mollius? hæc tamen, ita durum, peruicacem, & obstinatum animum peccatoris faciunt velut colliquescere, vt eundem nullo negotio ad virtutem inflectant.

59 Certum omnino est, curandis cordis

cordis vulneribus, nullam medicinam esse commiseratione, benignitate, clementiâ potiorem. Hac vsi Moyses, Iosue, Dauid, Salomon; hac Christus æterna sapientia; hac omnes Christi discipuli; hac nostro æuo etiam ad curandos hæreticos, prorsus sui cerebri homines, proindeque ob animi duritiem curatu difficillimos, vtendum arbitrabatur primus S. Ignatij Societatis Iesv Fundatoris socius Petrus Faber. Ita testatur eius ad Iacobum Laynium, qui fuit alter à morte Ignatij eiusdem Societatis Præpositus Generalis, elegantissima de hoc argumento conscripta epistola, in quâ sub initium hæc habet inter cetera. *Primùm iis, qui prodesse velint huius ætatis hæreticis, videndum est, vt magnâ aduersus eos caritate præstent, eosq. verè diligant, pulsis ex animo cogitationibus illis, quæ quoquo modo illorum apud nos existimationem minuant. Proximum est vt eorum nobis animos voluntatesq. captemus, sic vt ij vicissim nos ament, & de nobis optimè sentiant. Id facilè consequemur, si eos comiter alloquamur, & in familiari sermone de iis rebus dumtaxat agamus, de quibus inter vtrosque conueniat, omni altercatione sublatâ; vbi pars videlicet altera, alteram videatur abiicere, vel deprimere.* In quam sententiam plura etiam subiicit.

Etiam cum hæreticis.

Historiæ Societat. Iesv tom. 1. lib. 4. n. 92. & sequent.

60 Hac ipsâ arte atque industriâ optandum vtantur quotquot aliorum mentes excolere, virtutibus exornare, polire, formare ad maiorem Dei gloriam student: illi inquam qui laborare cum fructu cupiunt, & quærere syncerè salutem perfectionemque proximorum. Hoc si fecerint, & sustinuerint aliorum imperfectum cum caritate & patientia, optatissimos, ita spondeo, successus consequentur: & *cum exultatione portantes manipulos suos*, tandem in domum æternam intrabunt.

Psal. 125. v. 6.



LECTIO DECIMA-QVINTA.

ET DIXIT AD EOS: HEBRÆVS EGO SVM ET DOMINVM DEVM CÆLI EGO TIMEO QVI FECIT MARE ET ARIDAM. *Verſ. 9.*

A R G V M E N T V M.

Declaratur IONÆ *confeſſio, & ad iudicum poſtulata reſponſio. Similiter nominum Hebræus, Iudæus, Iſraëlita, origo & interpretatio. Hæc etiam quo pacto conuenire Chriſtianis poſſint oſtenditur; atque de timore Domini cunctis vtili copioſè diſſeritur.*

Ionas rogatus inridicè reſpondet.

1 ROPOSITAS Prophetæ fugitiuo diſcuſſimus quæſtiones: audiamus modò eius reſponſa; & quàm hæc vera, quàm appoſita perluſtremus. Negare alicui, cuicumque demum, quidpiam ſciſcitanti, reſponſionem, arrogantiæ eſſe cenſetur: legitimo iudici, alicuius etiam iniquitatis. Prius cum IONÆ ſimplicitate; poſterius cum eiuſdem æquè candore, atque amore iuſtitiæ pugnare ex diametro videbatur. Ergo, ſiue rogaretur à ſociis & contubernalibus ſuis tanquam amicis; ſiue ab iiſdem tanquam delectis à Deo in hoc caſu iudicibus; nihil diſſimulandum ratus, rem totam planè confeſſus, ſatis quâ teneretur culpâ expoſuit. Nimirum, quemadmodum Benedictus Arias Montanus interpretatur, non ſe vllius vel loci, vel gentis, vel hominis ſcelere angi aut cruciari; non accuſari de illatis alicui iniuriis; ſed pietatis officiique deſerti crimine accerſiri, idque non à cælo, non à mari, non terra; ſed à Deo rerum omnium opifice & gubernatore, quem ſibi iratum vehementer formidet.

An hic ſe commẽdet Ionas quæritur.

2 DIXIT ergo AD EOS. HEBRÆVS EGO SVM. Videbitur fortaſſe vobis apta vtcumque ad quæſtionem de gente & patria reſponſio: ſed breuis admodum, ac nimium obſcura confeſſio: cùm nullâ hîc factâ peccati mentione, IONAS commendare ſeipſum potiùs, à generis nobilitate & ſanctitate, ac veri Dei cultu, quàm accuſare videatur: ferè vti nunc confitentur imperiti, verbis paucis, obſcuris, ambiguis, plura ad propriam commendationem & gloriam, quàm ad enuntiationem deteſtationemque delictorum ſuorum dicentes.

Modus cõfitendi imperitorum Chriſtianorum exprimitur.

3 Verùm penitiùs Prophetæ ſeſe accuſantis verba perpendite; inuenietis prorſus in ſua confeſſione candidum, & ſyncerum: ait enim *Hebræum*, id eſt, prætereuntem, ſeu prætergreſſorem ſe eſſe, vt qui diuinam voluntatem & legem tranſgreſſus, facere prætererit quod debebat, ire nempe, quò mittebatur, & Niniuitis interitum nuntiare. Itaque *Hebræum* ſe vocans, eo nomine non tam genus ſuum, quàm culpam indicare volens, diuinum mandatum à ſe ſtudioſè prætęritum confitetur.

Declaratur confeſſio Ionæ, & explicatur iuxta illud quod dixit Hebræus ego ſum.

4 Pro *Hebræus*, vt habet lectio noſtra vulgata; 70. Interpretes, quos ſecuti ſunt Theophylactus, Theodoretus, Cyrillus Alexandrinus hoc loco, Clemens quoque Alexandrinus in fine libri quinti Stromatum, & alij verterunt

Quá fuerit infidelis seruus Dei ipse agnoscit. terunt *Seruus Domini.* Si seruus, dicito IONA, an etiam fidelis? imò vel maximè infidelis, perfidus, perduellis, inquit, qui, ne Domini mei imperata facerem, eius iugum excussi, & fugi: atque hinc illa rerum perturbatio, siue mea omnis vestraque mei causâ calamitas.

5 Vulgata nihilominus lectio retinenda secundùm D. Hieronymum, & alios. Confirmat hoc Franciscus Ribera ex Paraphraste Chaldæo, qui pro *Hebræus*, ambiguitatis vitandæ causâ, ex Hebraicis litteris natâ, vertit *Iudæus ego.* Appositè ad propositam interrogationem: quippe de gente, & patria rogatus aliud respondere non potuit, aut debuit, quàm *Hebræus sum.*

Nomen Hebræus cōmunius est & notius quàm Iudæus. 6 Sed cur non secundùm Chaldaicam interpretationem dixit, ad quæsita respondens, æquè Iudæus ac Hebræus? Causam bonam & iustam dant sanctus Hieronymus, Remigius, Haymo, Ribera; quòd Hebræus sit nomen communius, vulgarius, notius; tali autem, apud externas potissimùm nationes, homines patriam suam indicaturi, vti potissimùm consueuerunt. Quemadmodum etiamnum peregrinus quispiam, se nomine alibi magis vsitato, noto, & celebri, Germanum, Lusitanum, Italum, Gallum, Hispanum, Anglum, Polonum, potiùs quàm alio aliquo eiusdem, à qua ipse oriundus, gentis nomine minùs vsitato nuncupat.

Adde nomen Hebræus, non solùm quia notius, sed etiam quia antiquius quàm Iudæus, videri præ hoc vsurpandum; ideoque à IONA vsurpatum fuisse.

Tertiam rationem tradit in Lectionibus suis Ioannes Drusius; quòd cùm diu ante IONÆ tempora Regnum Hebræorum in duas diuisum fuisset partes, vnam quæ Iuda dicta, sub qua Tribus illa & Tribus Beniamin; alteram quæ Israël, sub qua decem Tribus reliquæ; si se Iudæum dixisset, cùm esset Zabulonita, falsum dixisset: si verò Israëlitam, in eorum visus fuisset religionem consentire, qui falsos deos in Dan & Bethel venerabundi colebant. Verè ergo, & appositè dixit, *Hebræus sum.* Ex quo conuictos erroris in lectione procemiali secunda diximus eos, qui IONAM fuisse viduæ Sareptanæ filium ab Elia suscitatum opinantur; hic enim, non Hebræus, sed gentilis fuit, vt ibi ostendimus. *Lect. Procemiali 2. n. 8.*

7 Antiquitas sanè huius sancti nominis etiam tum in veneratione fuit; cùm enim Iudæi dumtaxat post decem Tribuum à duabus separationem dici cœperint: Hebræi dicti sunt iam olim; non quidem à Sem filio Noë, vti Arias Montanus; vel ab Heber filio Sale, patre Phalech, vti Iosephus, Lyranus, & plerique recentiores Hebræi; sed ab Abrahamo, qui primus dictus Hebræus, id nominis in suos posteros deriuauit. *Hebræi dicti ab Abrahamo.* *Iosephus lib. 1. Antiquit. c. 7.*

Porrò Abraham dictus est Hebræus, id est, traiector, seu transitor, vti obseruauit Benedictus Iustinianus ad caput vltimum posterioris Corinthiorum, Franciscus Ribera, & Cornelius à Lapide hîc; eò quòd è Chaldæa, in qua priùs, sicut & omnes Patres eius, habitarat, transito Euphrate in Chananæam, commigrarit; vbi alienigena, peregrinus, & ignotus ab incolis vocari cœpit Hebræus, quasi transfluuialis, inquit Ribera, quòd è regione trans fluuium sita venisset, sicut modò transmarinos, transmontanos, & in Belgio nostro transmosanos dicimus eos qui ex altera Mosæ fluminis parte habitant. *Abraham vnde dictus Hebræus.*

8 Ab Abraham ergo, de quo in Genesi dicitur, cùm cæsi essent Sodomitæ & Gomorrhæi, *Vnus qui euaserat nuntiauit Abram Hebræo*, omnes eius posteri dicti Hebræi, habitumque ex inde vsque ad Christi Domini tempora nomen hoc, non tantùm propter antiquitatem; sed etiam ob dignitatem & nobilitatem illustre & sanctum; vt meritò, quisquis hoc vsurpare poterat, quasi de stirpe Abrahæ gloriaretur. *Nomen illud vsque ad Christi tempora, fuit valde in honore & pretio.* *Gen. c. 14. v. 13.*

P 4 Certè

Certè ipſemet Chriſtus Dominus, Virgo Deipara, Apoſtoli, atque omnes primi Chriſtiani Hebræi fuerunt. Gentium quoque Doctor Paulus, cū ſua recenſet, hunc dignitatis & gloriæ titulum non omittit. Scribens namq; Corinthiis, *Hebræi*, inquit, *ſunt; & ego.* Et enucleatiùs Philippenſibus. *Ego ex genere Iſraël, de tribu Beniamin, Hebræus ex Hebræis.* Etiam multis antè ſeculis Ioſephus Patriarcha coram Pharaone Ægypti Rege, non ſine gloria quadam, ſe Hebræum aſſeruit. *Furto*, inquit, *ſublatus ſum de terra Hebræorum.* Similiter Iudith virgo ſanctiſſima ab Aſſyriorum exploratoribus quænam eſſet rogata, reſpondit: *Filia ſum Hebræorum.*

Gloriati ſunt de hoc nomine multi, inter cæteros Paulus. 2. c. 11. v. 22.

Gen. c. 40. v. 15.

Iudith. c. 10. v. 12.

9 Glorioſum igitur olim fuit hoc nomen, & plurimùm ad generis faciens gentiſque ſplendorem ac commendationem. Sed quantò tunc glorioſius, tantò nunc magis inglorium, probroſum, inuiſum; vt ferè, qui ex Hebræis ducunt originem, non tantùm inconſtantes cenſeantur & leues; verùm etiam innatæ improbitatis, fraudis, ac perfidiæ infamiâ notentur; adeoque locis pluribus, non Eccleſiaſticâ tantùm, ſed ciuili quoque Magiſtratuum dignitate habeantur indigni, ſic vt nullus eis pateat ad honores gradus; quibuſdam etiam prouinciis & regnis ne conſiſtere quidem, aliis non niſi precariò poſſint. Quod iure commeriti, improbâ vociferatione Chriſtum coram Pilato ad necem poſtulantes, & inſanis clamoribus innoxium ſanguinem, hac imprecatione: *Sanguis eius ſuper nos, & ſuper filios noſtros,* in ſe prouocantes; qui vſque modò clamare non ceſſat, & de tam impia gente vindictam poſcere.

Nomen Hebræus nunc prorſus inuiſum & infame.

Hebræi multis locis ſunt incapaces vllius dignitatis.

Multis non poſſunt conſiſtere.

Matth. c. 27. v. 25.

10 Ad IONAM noſtrum vt reuertamur; videbitur is forſitan nonnullis veſtrûm, cùm fateri culpam, agnoſcere crimen deberet, adhuc nimium ſe commendare, dicendo, *Hebræus ego ſum*: & recenſito tam honorifico ſuæ gentis nomine, de ſtirpe & progenitoribus ſuis gloriari arrogantiùs, nec vti ſeriò pœnitens loqui, & quâ par eſt animi demiſſione id quod patrauerat confiteri. Meliùs ego de Propheta cenſeo: arbitror enim totâ mente conuerſum ad Deum, magnos tuliſſe pœnitentiæ fructus; imò in opprobrium ſuum, hoc vnum quòd ex Hebræis oriundus eſſet, tam ſolenniter, prætermiſſis cæteris, retuliſſe.

Ionas cùm ſe dicit Hebræum, non ſeipſum commendat.

11 Potuiſſet quidem de proſapia ſua ex gente tam religioſa & ſancta gloriari legitimè, ceſſiſſetque id illi in commendationis partem aliquam non exiguam (ſolet enim parentum nobilitas, propaginis antiquitas, virtus, ſanctitas, gloria, laudari in poſteris) niſi à ſuæ gentis moribus & virtute, tantâ ſuâ rebellione & inobedientiâ receſſiſſet; quâ vnâ talibus ſe indignum maioribus oſtendit. Hos ergo recēſens, & illis diſpares cogitationes ſuas, & diſſimilia facta; ſe ipſum inſigniter arguit, ſe ipſum damnat, non ignarus, quod

Maiores habuiſſe bonos homini malo non eſt commendatio, ſed maius dedecus.

Dedecorant benè nata culpæ.

Horat. lib. 4. Car. ode 3.

12 Pleniùs modò vobis illam paucorum verborum IONÆ confeſſionem aperiam. *Hebræus*, inquit, *Ego ſum*: ac ſi dicat: Sum ex hominum omnium antiquiſſima, illuſtriſſima, ſanctiſſima familia; ex Abrahami, Iſaaci, Iacobi, progenie; non ex Philiſtæis, Ammonitis, Chananæis oriundus; neque gentilis, vt vos, ſed fidelis: ex populo electo, caroque Deo, cuius gratiâ tot percuſſit plagis Ægyptum; cui aliquando coturnices in cibum depluit; cui annis omnino quadraginta, in annonam quotidianam, manna de cælo omni ſaporis ſuauitate cumulatiſſimum miniſtrauit; cui in potum de petra aquas eduxit; cui mare rubrum, vt ſicco veſtigio ei tranſire liceret, aperuit; hoſtem Pharaonem inſequentem vnà cum exercitu ſuo ſic vndis operiens, vt nec interitus omnium nuntius ſupereſſet; cui denique terram Chanaam, lacte & melle manātem, hæreditatem opulentiſſimam, partim occiſis, partim fugatis, qui obſiſterent, Palæſtinæ Regibus,

Explicatio Reſponſi, & Confeſſionis Ionæ.

Beneficia Dei in Hebræos enarrat Ionas.

Regibus, & populis, tradidit possidendam. Ex hoc, inquam, populo, tot ac tantis à Deo beneficiis cumulato ego sum, ex Hebræis Hebræus.

13 Sed, eheu! peccatum meum, istud nequaquam minuit, sed auget. Quid iuuat ab ineunte ætate in hanc vsque horam in vnius Dei cultu fuisse enutritum? quid iuuat veræ religionis syncerum fuisse amatorem, asseclam, & præconem? quando nunc Philistæo, Chananæo, ac quouis gentili sum repertus deterior. Væ misero mihi, qui patrum meorum, dicto citius diuinis mandatis obtemperantium, obedientiam non secutus, *dedi maculam in gloria mea*; & nunc, vt cernitis, trepidus hæreo, Deo non minus quàm vobis inuisus, commeritum præstolans supplicium.

Eccle. c. 47. v. 22.

14 Sic est omnino, nil iuuat parentum virtus & gloria, quando filiorum dispar est vita, quando mores à moribus dissident. Dixit verissimè Iuuenalis:

Iuuenalis Satyra 8.

Tota licet veteres exornent vndique cera
Atria, nobilitas sola est, atque vnica virtus.

Maiorem pœnā merentur degeneres à bonis parentibus, quàm alij.

Certè exempla parentum, calcar ad virtutem futura posteris, si non ducant in bonum, magis obsunt quàm prosunt, & pœnam in delinquentibus filiis, sicut & culpam, non minuunt, sed augent. D. Chrysostomi super hoc sententiam audiamus: *Iudæi*, inquit, *quondam filiorum Dei honore gaudebant.* Quænam esse maior gloria & nobilitas poterat? *Sed decoloratos vitiis, nihil iuuit tanta nobilitas. Si igitur quis Dei filius factus, nisi huic generis splendori meritum virtutis addiderit, maius profectò habebit supplicium.* Id ipsum nouerat Ionas: quare, quod in amplissimam commendationem futurum erat, sibi ipsemet in ignominiam vertit.

Chrysost. hom. 9. in Matth.

15 Audiuimus hactenus confessionem illā tuam mi Iona. Nunc interpellabo te paullulùm, forsitan intempestiuus & importunus monitor futurus. Audi, si placet, & benignè admitte interpellātem, hoc te supplex rogo. *Hebræus*, inquis, *ego sum*: id est, transitor seu transiens; quid igitur tam facilè nominis tui oblitus, ad eos ad quos missus fueras, ad Niniuitas inquam, non transisti? vti patres tui, de quibus scriptum est: *Transierunt de gente in gentem, & de regno ad populum alterum*; & sicut Moyses, qui transiens dicebat: *Ibo, & videbo visionem hanc magnam.* Cur etiam tu non iuisti, & vidisti magnam illam ciuitatem Niniue, ad quam tuus te Deus & Dominus destinarat? Obmutescit meus Ionas, & suo silentio culpam agnoscit.

Exponitur, & exprobratur Ionæ, ex propria confessione, sui facti turpitudo.

1. Paral. c. 16. v. 20.

Exod. 3. v. 2.

16 Ab ipso ad vos nunc venio *Sodales*, & moneo, *Hebræos* vos memineritis; transeuntes nimirum per hanc vitam præsentem ad mortem, & per mortem ad immortalitatem. Itaque existimate dum viuitis inter mundi delicias, & fallacia gaudia, non habere vos istic manentem ciuitatem, sed futuram inquirendam. Nouerat hoc quantumuis Ethnicus Marcus Tullius; quare in libro de Senectute, quem Catonem Maiorem inscripsit, sic philosophatur: *Ex vita ista discedo tanquam ex hospitio, non tanquam ex domo; commorādi enim natura diuersorium nobis, non habitandi dedit.* Et alibi: *Quis est, quamuis sit adolescens, cui sit exploratum, se ad vesperam esse victurum?* O quam benè, non iam Ethnico more, sed verè Christiano.

Homines omnes spiritales Hebræos se esse meminerint.

Mundus hic hospitium est.

17 Itaque memores pronuntiati illius sapientissimi, dum hîc in terris peregrinationem vestram decurritis, si quid fortè occurrerit pulchrum oculis, aspectuque delectabile, si quid ad sensum voluptatemque affluens; id nequaquam beatum in cælos iter vestrum remoretur. Recordemini hîc nullo modo hærendum, sed transeundum: & quò celeriùs transieritis, eò feliciùs, eò beatiùs vobiscum agetur; nam sic fiet, vt neque diuitiæ, neque honores, neque vitæ præsentis gaudia, conditum æternitati animum vincant; quando infausta nimium foret breuis-

Vt peregrini nusquā hærere, nullis mundi rebus immorari debemus.

breuissimi temporis & fallacis gaudij cum æterna felicitate commutatio. Breue vitæ spatium, aut longum, nil interest, quantum quantum fuerit, totum peregrinatio, totum transitus est. Dixit apposite Lyricus,

Horat. lib. 4. Car. ode 7.

Immortalia ne speres, monet annus, & almum
Quæ rapit hora diem.

Vita breuitas peregrinationis nomine à Iacobo declaratur.

Meministis credo, quòd rogatus in Ægypto à rege Pharaone de ætate sua Iacobus Patriarcha, postquam à filio suo Iosepho ad eum esset deductus, responderit: *Dies peregrinationis meæ centum triginta annorum, parui & mali:* Insinuans, quod diximus, etiam longiorem multorum annorum vitam, non esse nisi peregrinationem, eamq; breuem & miseram. Similiter mementote, vobis peregrinorum & transeuntium more, nusquam hærendum; sed, secundùm publica Ecclesiæ vota ac preces, *Sic transeundum per bona temporalia, vt non amittantur æterna.*

Gen. c. 47. v. 9.

Ora. Eccl. Dom. 3. post Pentecost.

Sicuti alij peregrini transierũt, & mortui sunt; ita & nos moriemur.

18 Nolite vos ipsos spe inani fallere & deludere, nolite multa magnaque hîc vobis spondere: vita tota, quanta quanta est, tantùm mera peregrinatio est. Vidistis nunc aliquot annis peregrinationis vitæ vestræ, tot alios peregrinos aberrantes à via, aberrasse etiam à termino. Sed, quocumque demum modo, omnes, & quidem breui, consummarunt peregrinationis suæ cursum: siue illi magni gloriâ, vt olim Pompei, Cæsares, Alexandri: siue diuitiis copiosi, vt Mydæ, Crœsi, Crassi: siue formâ præstantes, vt Parides, Helenæ, Commodi: siue excellentes ingenio, vt Platones, Tullij, Hortensij. Sic & putate spatium vitæ vestræ, hanc inquam peregrinationem, breuibus angustisque limitibus circumscriptam, proindeque, sicut hortatur Paulus, cùm *Tempus breue sit, reliquum est, vt qui habent vxores tanquam non habentes sint, & qui flent, tanquam non flentes, & qui gaudent tanquam non gaudentes, & qui emunt tanquam non possidentes, & qui vtuntur hoc mundo, tanquam non vtantur:* atque eandem, quam nos, causam attexens, subdit: *Præterit enim figura huius mundi.*

Vita hæc cum breuis sit non est amanda.

19 Vos itaque spiritales Hebræi, Christianam religionem professi, ad exemplum Magistri vestri; *Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt:* sed Sanctorum more, etiam existentes in hoc seculo, supernam Ierusalem, ciuitatem illam cælestem, patriam vestram inquirite; vt ex nunc conuersatio vestra in cælis sit, ibique iam habiteris cogitatione & mente, vbi speratis futuros vos paullò pòst etiam corpore.

Augusti Cæsaris præclarum in morte dictum.

Legistis aliquando, vel certè audistis, vti opinor, Augustum Cæsarem cùm ad vitæ limitem, peregrinationis huius statutum à Deo terminum peruenisset, iamque animam ageret, decursis feliciter quinquaginta sex Imperij annis, astantibus dixisse: *Satisne bellè, amici personam nostram egimus?* illisque respondentibus, *Bellè*, subiecisse: *Valete ergo, & plaudite:* atque ita reductâ cortinâ reddidisse spiritum. Quid hoc postremo tam solemni vitæ suæ actu aliud indicatum Ethnicus Imperator voluit, quàm homines omnes velut conductitios hîc esse & peregrinos; singulos verò in mundo hoc, velut in publico eoque amplissimo theatro, personam agere, eandemque in morte ponere. Prorsus, vt Epictetus monebat, *Memento actorem te esse fabulæ, qualem doctor voluerit, si breuem breuis, si longum longa.* Addo, memento quoque, quod est extremum, & propter quod vita hæc agitur, debere te vel illius actæ laudabiliter præmium, honorem, & gloriam; vel perperàm gestæ pœnam, dedecus, & infamiam præstolari.

Mundus theatrum est in quo singuli personam agunt.

Epictetus Enchrid. c. 13.

Nouimus Christiani, transire nos per mortem ex mundi huius theatro ad aliud, vbi de actione omnium, pronuntiatione, gestu, quin & de cogitationibus singulis singulorum, feret certum & syncerum summus Imperator iudicium; quod æternum seu præmium consequetur, seu pœna. Igitur pro illa scientia & cognitione viuamus, memores breuî

nos

nos vnà cum obambulatione breui per theatrum vitæ huius, semel dumtaxat velut mundo exhibitos, personam nostram posituros; ne fallentes nos ipsos, prolixiores nobis terminos, & in actione hac partem prolixiorem spondeamus.

Christiani debent esse spirituales Iudæi. 21 Hactenus ostendi, & monui copiosè, *Hebræos* vos esse; sed & *Iudæi* sitis oportet, *in spiritu non litterâ*, vt Apostolus loquitur. Tales eritis, si teste Bernardo, *Omnia opera vestra confiteantur Domino* (idem enim est Iudæus quod confitens) *confiteantur duplici confessione, & peccatorum vestrorum, & confessione laudis diuinæ.* Ad Rom. c.2.v.29. Bern. ser. 2. de vigil. Natiuit. Dom. Ioan. c.1. v.47.

Etiam Israëlitæ. Ad hæc etiam *Israëlitas* vos esse percuperem: tales omnino qualis fuit Nathanael, in quo testante Christo Domino dolus non erat. Imitabatur quippe candorem, simplicitatem, sanctitatem Israëlis, id est, Iacobi Patriarchæ ac patris sui; de quo illud in libro Geneseos elogium est: *Iacob vir simplex habitabat in tabernaculis.* Ita & vos imitatores estote Israëlis; nimirum, quemadmodum optabat S. Petrus, *Deponentes omnem malitiam & omnem dolum, & simulationes & inuidias, & omnes detractiones:* viuite tanquam veri Israëlitæ, simplices, synceri, & candidi, sine fuco & dolo: simul, vti Israëlem interpretatur D. Hieronymus, *præualentes Deo*; id est, precibus contra eum fortes, manumque illius tenentes, quâ mundum tot suppliciis ob hominum iniquitates castigat, flagellat, & ferit. Genes. c. 25. v. 27. 1. Petri c. 2. v. 1.

22 Hæc tria quæ recensui nomina, illa sunt, quibus olim celebratus populus Dei electus. Dicti namque Hebræi, vt suprà retulimus, ab Abrahamo, cui omnium primo hoc nomen impositum. Israëlitæ à Iacob, qui binomius fuit, atque Israël dictus est. Iudæi à Iuda Iacobi filio, vno è Patriarchis duodecim, è cuius familia ortus est Christus mundi Seruator, secundùm quod Iudæ, parens eius Iacobus moriturus prædixerat: *Non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de femore eius*, sic notans Christum ducem ex Iudæ femore nasciturum, *donec veniat qui mittendus est.* *Alia ratione ostenditur quomodo Hebræi, Israëlitæ, Iudæi esse possimus.* Genes. c. 49. v. 10.

Eadem vobis conuenient; si, quemadmodum esse vos planè confido, manseritis *Genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis*, & à sancta Christi familia, ad quam magno fauore & gratia delecti estis, non deficiatis: sed facti iam spiritales reges & sacerdotes, illam quam sic consecuti estis dignitatem, habeatis in pretio, atque acquisiti ac coëmpti Deo per pretiosum sanguinem filij eius vnigeniti, in possessionem illius & hæreditatem toti transeatis. 1. Petri c. 2. v. 9.

Eritis *Hebræi*, id est, vera Dei familia; in qua Hebræa lingua, nimirum Patriarcharum & Prophetarum, & quod præcipuum est, ipsa Christi Domini & Apostolorum eius doctrina, permanet incorrupta. Eritis *Iudæi*, & vt aliquid ampliùs dicam, veri filij Abrahæ, si sitis in fide constantes; filij Iacob, qui supplantauit fratrem suum Esau, si rerum humanarum cõtemptores; filij Iudæ, si Deum confessi, eundem quoque constanter laudetis: atque ita participabitis de benedictionibus sanctorum patrum illorum, & hîc, & in æternum, benedictione perpetuâ.

23 Audiamus quidnam vlteriùs ad quæsita sociorum miser IONAS respondeat. DOMINVM, inquit, DEVM CÆLI EGO TIMEO. In Hebraico ponitur nomen ineffabile יהוה Iehoua, quod significat verum Deum, quasi sciscitantibus, verbo hoc indicatum velit: Non sicut vos idola fictósve deos, sed Deum verum Hebræorum etiam ego Hebræus timeo, id est, colo & veneror. Timor enim hîc cultum significat, vt aliàs sæpè. Certè de Juditha scriptum eo sensu, & non alio legimus: *Timebat Dominum*, de Rege Persarum Dario, quòd constituerit decretum, *vt in vniuerso imperio, & regno suo, tremiscant & paueant Deum Danielis*; id est Deo Danielis honorem debitum cultumque exhibeant. De S. Simeone, qui Christum Dominum accepit in vlnas suas, quòd fuerit *iustus & timoratus.* *Ionas se veri Dei cultorem profitetur.* *Timor pro cultu vsurpatur.* Iudith. c. 8. v. 8. Daniel. c. 6. v. 26. Lucæ c. 2. v. 25.

tus. Sed & profani auctores classici hac significatione verbum illud frequenter vsurpant. Ouidius,

Ouid. lib. 5. Fastorũ.

Ille memor ritus veteris, timidusq́; deorum
Surgit. ———

id est, seruus & cultor deorum. Et Persius.

Persius Sat. 2.

Ecce auia, aut metuens Diuûm matertera, cunis
Exemit puerum.

Vbi metuens Diuûm, idem est quod cultrix Diuorum. Neque incongruè timore Domini eiusdem cultus exprimitur. Nam qui Deum timet, eius verbo credit, & mandata custodit, eademque custodiens, ipsum, vt par est, veneratur & colit.

Ionas dum se dicit Prophetam se magis accusat.

24 IONAS, si Iosepho Hebræo fides habenda est, præterquam quòd se Deum timere dixerit, esse se quoque Prophetam τοῦ μεγίστου θεοῦ professus est. Vnde mihi imaginor sociis in hunc ferè modum locutum: Multa mihi arcana Deus aperuit, eius vates sum, & sanctissimæ apud homines voluntatis interpres, ab ipsis incunabulis in eius cognitione, timore, cultuque educatus, de admirandis eius operibus factis in cælo, terra, mari, glorior: longè à me spes inanes, quas vos in præstigijs dæmonum constituitis. Nam fiduciam omnem in vno Deo, qui seruare hos potest & perdere, ita constitui; vt præter illũ nihil aut sperem, aut metuam. Fateor, quidem me ipsum illũ, quem olim veneratus sum & amaui, nunc quidem venerari adhuc, sed ampliùs timere: quippe cùm eius mandatum de aliis ad obedientiam legisque ac mandatorum sanctorum obseruationem reducẽdis accepissem, illud flocci pendens abij, ad huius nauis interiora confugi, latui, obdormiui, & tantæ huius, quam cernitis, tempestatis, & discriminum quæ incurrimus, causa sum.

Ionas rerũ à se gestarum seriem candidè narrat & crimen suum confitetur.

25 Quamquam pauca illa IONÆ verba, *Hebræus ego sum, & Dominum Deum cæli ego timeo, qui fecit mare & aridam*, satis fuerint luculenta confessio, ex qua plura colligi poterant; arbitror nihilominus cum Paulo Palatio, sociis huic perbreui responso nequaquam acquiescentibus, Prophetam nostrum post enarratam professionem suam, vt vitæ conditionem, illo vel simili modo quem paullo antè recensui, narrasse quoque iisdem, plura sciscitantibus, totius rei gestæ seriem: quomodo nimirùm Dei sui mandato repugnans fugerit, ire iussus in Niniuen aliò contenderit, & ne quid fugam suam præpediret, hanc primo quoque tempore, quò etiam esset velocior & remotior, nauem conscenderit. Colligi id euidenter satis videtur, ex eo quod paullò post sequitur. *Cognouerunt enim viri quod à facie Domini fugeret quia indicauerat eis.* Ionæ c. 1. v. 10.

26 Habemus ergo hîc apertam & candidam IONÆ confessionem, atque ab eo detectas omnes suæ conscientiæ latebras. Si in agnitione culpæ dixisset solummodò verbulo vno: Deo inobediens fui, fortasse cuipiam, hoc tum temporis audienti, atque nunc etiam legenti, minùs peccasse videri posset; dedisse etiam pœnas suis demeritis grauiores. Nunc cùm vitæ suæ conditionem, cùm diuina in se beneficia, cùm Dei mandatum, cùm suscepti itineris rationes exponit, reumque se, vti reuera erat, coram vniuersa agnoscit multitudine, iustitiam quidem ostendit diuinam, magis tamen clementiam suâ confessione commendat.

Humilitas Ionæ in cõfessione delicti sui manifestatur.

27 Sed vel maximè animi sui demissionem prodit; quando tam graue delictum, ita seuerè punitum à Deo, nemini nisi ex coniecturis sortium notum, istic palam omnibus facere non pertimescit. Hoc enim secundùm B. Prosperum differunt superbi & humiles, quod *Superbi vitia sua à se alienando, peruersitatem suæ voluntatis excusant; & bona sua suis viribus deputando, semetipsos turpiter iactant: humiles, si qua peccata commiserint, voluntariè confitendo, semetipsos accusant; & omnia bona sua diuino muneri deputando, Deum iugiter laudant.*

Lib. 3. de vita contemplatiua cap. 3.

Differentia inter superbum & humilem.

Humilitas Ionæ propria.

28 Porrò hæc demissio, ac peccati pia

pia humilisque confessio, non parum IONÆ profuit. Quippe quem antea socij talem virum ac tantum ignorabant; hunc mox vt Dei seruum suspexerunt, imò vsque eò adamarunt, vt intellecto etiam obtinendæ securitatis modo, ac periculi euadendi certissimo remedio; cum in mare mittere præ amore ac reuerentia noluerint: donec tandem plenissimè cognitâ Dei voluntate, magno dolore, simul & timore, id fecêre coacti, additis, quę verè erant supplicantium, factumque suum deprecantium, hisce votis ac precibus: *Quæsumus Domine, ne pereamus in anima viri istius, & ne des super nos sanguinem innocentem.* Dominus quoque placatus hac eius animi demissione *Dixit pisci*, quemadmodum suo loco dicturi sumus, vt eum inter vndas luctantem subitò exciperet; quod & fecit, atque post triduum *euomuit Ionam in aridam.* Qui quamuis non statim primo piscis obsequio mortis discrimen euaserit; triduo namque cum morte luctatus in ventre ceti hæsit miser; tamen hoc modo excussâ peccatorum sarcinâ meliùs animo habere cœpit, esseque serenior, atque in loco incommodo inquietoque quietior.

Primò quia apud socios exinde maiori in pretio fuit.

c. 1. Ionæ v. 14.

Secundò quia Deus illi idcirco miro modo succurrit.

Ionæ c. 2. v. 11.

Ibid.

29 Verùm aliquid adhuc occurrit, quo te magis vrgeam IONA: etenim quò magis considero, eò etiam magis admiror hos sermones tuos: dicis, *Dominum Deum cæli ego timeo.* Nosti ipsas gentes diis suis, id est, dæmoniis obsequi: tu verò Propheta Dei veri, qui talem eum & agnoscis, & prædicas, ei non tantùm non obsequeris; sed quàm potes longissimè fugis ab eo, ne iusta præcipienti operam tuam impendas. Hoccine Deum timere est? si eum timeres, timeres & vindicem, timeres vltorem. Sed inquies, talem & timeo, & fugio. Quorsum hoc? quid adeò incassum niteris? cum Poëta loquor,

Accusatur Ionas quòd Deum non visus timere.

An nescis longas regibus esse manus?

Ouid. epist. Helenæ ad Paridem.

Deo verò adhuc multò longiores? hic ergo qui *Dominatur à mari vsque ad mare, & à flumine vsque ad terminos orbis terrarum*, fugientem etiam ad

Psal. 7. v. 8.

—— vltima Thules Virg. 1. Georg.

sequetur, atque vbicumque fueris, quamuis apud ipsos antipodas commoratus,

— dabis improbe pœnas Virg. 4. Æn.

(ô IONA) *audacis facti.* —

nec, quocumque fugeris, vnquam vllo loco effugies.

Respondet pro eo Carthusianus Dionysius. Deum timuit, quia de peccato pœnituit, ac tum demum pœnitens timere Deum, quod vsque eò non fecerat, cœpit. Coluerat eum antè vt patrem, nunc timet vt iudicem, vt illatarum sibi iniuriarum vindicem reformidat.

A Dionys. Carthusiano defenditur, & quomodo Deum timuerit, exponitur.

30 Causam sui timoris Propheta addens Dei allegat potentiam. FECIT, inquit, MARE ET ARIDAM. Itaque verè & meritò à me timendus. *Mare fecit*, vt ait D. Hieronymus, Remigius, Haymo, in quo fugio; *aridam*, de qua fugio: quasi dicat: Scitote socij nihil vobis à cælo, mari, terra metuendum; sed ab eo cuius voluntati cælum, mare, terra obediunt; neque ego timeo cetera, hunc solum formido.

Causa cur Deus ei timendus ab ipso Iona traditur.

Notat Arias Montanus, obseruatum à Propheta nostro naturæ ordinem, cùm priùs maris quàm aridæ meminit; quippe conditi orbis initio, terra non priùs exstitisse dicitur; quàm, congregatis in vnum locum aquis, cis Deus terminos posuit, iussitque ne transirent fines suos. Quare de mari loquens per Iob ait: *Circumdedi illud terminis meis, & posui vectem & ostia, & dixi, vsque huc venies, & non procedes ampliùs, & hîc confringes tumentes fluctus tuos.* Similiter conditarum à Deo aquarum memor Dauid, ait: *Terminum posuisti, quem non transgredientur, neque conuertentur operire terram.*

c. 38. v. 10. *Mare ante terram conditum.*

Psal. 103. v. 10.

31 Ostendit ergo hîc IONAS se egregiè in sacris Scripturis versatum, simulque Deum denuntiat vniuersorum creatorem ac conditorem coram maxima sociorum multitudine; cæli quoque, maris, & terræ dominum, æternum, immortalem, omnipotẽtem; cũ quo conferri non possint vlli Gentium dij, vtpote, in quorum manu nec

Deus conditor vniuersorum à Iona ostenditur.

 potestas,

potestas, nec imperium; cùm nec ipsi aliud sint quàm muta improborum hominum simulacra, dij non dij.

Fit Ionas Concionator in naui. 32 Hanc extemporaneam, nihilo tamen minùs eruditam atque efficacem, ad Ethnicos, quos nauis vehebat, quique IONAM circumstabant attenti auditores, concionem; simulque concionatorem Theodoretus commendans; *In 1. cap. Ionæ.* *Mirus*, inquit, *Propheta, dignusqui omnibus laudibus exornetur, capitis condemnatus, præco fit potestatis Dei omnipotentis, omnium rerum fabricatorem & Dominum appellans: quoniam quidem illâ ætate, quàm plurimi mortales idola obseruabant, vniuersorumque factorem nesciebant.* Et quid ni dicamus, fructum *Fructus Concionis Ionæ.* Concionis IONÆ ex parte fuisse, quòd visis deinde signis sedati pacatique maris, vt paullò pòst refertur, *Timuerunt viri timore magno Dominum, & immolauerunt hostias Domino, & vouerunt vota.* *c. 1. v. 16.*

33 Adhuc magis IONAM nostrum D. Basilius Seleuciæ hîc vt præclarum *D. Basil. Seleuc. ora. 13.* Ecclesiasten commendat cùm ait: *Profuga respondens, euasit Dei cognoscendi præco, & religionis scholam nauem fecit.* *Ionas concionatur vbi non debet, & vbi debet concionari nō vult.* In hoc tamen deliquit, quòd concionatorem egerit, vbi non debuit, & vbi debebat, neglexerit. Quare benè idem Basilius: *Has si Niniuitis ô Propheta voces misisses, fuga tibi minimè necessaria sit; neque, si suaderi potuisses, vt hæc damnatis nuntiares, cantes effugia. Nautas priùs ab errore conseruasti, quàm Niniuitas docueris. Sunt Gentium pars, qui tecum nauigant, in iis Niniuitarum fidem condisce. Tuæ fugæ indices veram religionem docuisti.*

Ionæ exemplo peccator ad Deū reuertatur. 34 Iustè hîc à D. Basilio accusaris mi IONA, neque ego omnino excusare te possum: laudo tamen, quòd Dei percutientis manum sentiens, continuò quæras tuo vulneri medicinam; quòd ad eum, à quo fugere volueras, reuertaris; quòd salutarem timorem concipias; quòd nouum derepente religionis zelum ac fidei induas. Te velim nunc imitentur, atque sapere tecum incipiant, qui egestate, vitæ præsentis ærumnis, morborum molestiis, aliisve hîc afflicti incommodis, eas improbitatis suæ pœnas ferunt, quibus ad æternùm secuturas calamitates, ac tormenta perpetua præluditur; velim, inquam, cognoscant ferientis Dei manum, ac dicant cum Dauide: *Bonum mihi quia humiliasti me, vt discam iustificationes tuas.* *Psal. 118. v. 7.*

Timere Deum omnes, etiam mali debēt. 35 Si quis est vestrûm, qui necdum perfectè amare Deum, spero quòd saltem vsque eò timere didicerit, vt dicere cum IONA non minùs re & opere, quàm verbis possit, *Dominum Deum cæli ego timeo:* id est, veneror, metuo, si non vt par est colo. Vnde erit illi hoc boni, vt eundem offendere non mediocriter pertimescat; agnoscens præsertim non minùs potentem quàm iustum, apud quem non offendat impunè, quicumque offendit.

Certè homines quantumuis mali, Deum licet non ament, ferè formidãt & metuunt; & vel sic crimen horrent. Dixit Poëta.

Oderunt peccare boni virtutis amore. *Horat. lib. 1. Epistolar. Epist. 17. ad Quintium.*
Et verè: ego paucis mutatis non minùs verè.
Oderunt peccare mali formidine pœnæ.
Qui Dei timorem non habet, Dauidis exemplo hunc postulet. At si quem necdum vulnerauit aut amor, aut Domini timor, ille vota sua Dauidis votis, fortè tum adhuc non vsque adeò in amore feruidi, iungat, rogetque quotidie Dominum, neque nisi exauditus rogare desistat: *Confige timore tuo carnes meas.* *Psal. 118. v. 12.* Non tantùm timere Deum vult Dauid, sed eius timore configi penitus. Causam subiungit: *à Iudiciis enim tuis timui:* ac si dicat, quemadmodum Cardinalis Bellarminus interpretatur, quia à iudiciis tuis pœnas horribiles comminantibus timere cœpi; ideò sic stabiliri cupio in hoc sancto timore, vt is nunquam me deserat.

Timor Domini ducit ad vitam. 36 Efficax sanè ratio, & via quæ ducit ad vitam timor Domini. Vnde bene monet Hugo Victorinus: *Hugo de S. Victor. lib. 3. de Anima.* *Si amor Dei te tenere non potest* (quòd magis optandum) *saltem teneat, & terreat timor iudicij, metus gehennæ, laquei mortis, dolores inferni, ignis vrens, vermis corrodens, sulphur fœtens, flamma tartarea, & omnia*

omnia mala. Ab hoc tam ſalubri timore tandem etiam ad amorem venietur, dicente B. Gregorio, *Qui timet Deum, nihil negligit, & illud verè timere Deum eſt, nulla quæ facienda ſunt bona præterire.* Quod dum fit, amor in Deum, & quidem eximius naſcatur oportet; ſed qui à timore incœperit, ſecundùm illud Salomonis: *Principium ſapientiæ*, id eſt, caritatis inquit venerabilis Beda, *timor Domini.* Certè ſicut homo ſucceſſione temporum & ætatum adoleſcit, & formatur in virum: ſic timor, quaſi per ætates quaſdam pergit, & primò in fidem, & ex fide deinde in perfectam dilectionem excreſcit.

Timor Domini via eſt ad amorem. In Moralibus. Prou. c. 9.

39 Neque verò, niſi tanta vis eſſet timoris Domini, ad eum tam ſollicitè nos inuitaret, & tam inſtanter diceret Rex Dauid: *Venite filij, audite me:* vel potiùs per me ſpiritum Domini; ſic enim loquitur in libris Regum: *Spiritus Domini locutus eſt per me, & ſermo eius per linguam meam.* Sed quid per te audiemus, quid nos docturus es rex ſanctiſſime? *Timorem,* inquit, *Domini docebo vos.* Docebo quid timor ille ſit, ad quem tanquam ad eximium aliquod bonum, vos tam ſæpè, tam vehementer exhortor. Docebo quoque quæ ſit illius timoris vtilitas; quaſi dicat, hic ſolus ad caritatem, quæ vinculum eſt perfectionis, aut ſequendam; aut, quod magis eſt, aſſequendam, ducit & dirigit.

Timoris Domini vis & vtilitas maxima. Pſal. 33. v. 12. Regum lib. 2. c. 23. v. 2.

40 Timor ergò hic neceſſarius eſt incipientibus, vt proficiant; proficientibus, vt perfecti fiant. Optãdum proinde vt regnet in Chriſtianorum mentibus longè ampliùs quàm humanus ille, qui ad nihil vtilis, & tamen in pluribus ita dominatur, vt eos totos occupet. Multi nihil non metuunt, etiam ipſas vmbras ac frondium motus: quidquid euenire quomodolibet in humanis poſſet, id tanquam ex nũc eorum impenderet ceruicibus comminiſcuntur, & pertimeſcunt. Miſeri aliorum hominum verentur dignitatem & potentiam, Dei manum tam fortem, penetrantem omnia, diiudicantem omnia, punientem omnia, ex iuſtitia & veritate nequaquam formidant.

Timoris Domini neceſſitas. *Timor humanus ad nihil vtilis eſt.*

41 Optimus eſt Chriſti Domini ad Apoſtolos ſuos & ſapientiſſimus ſermo: *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere; ſed potiùs timete eum, qui poteſt & animam, & corpus perdere in gehennam.* Hunc retinete ſermonem, hunc ſequimini: ſic dicere aliquando Domino, ſanctâ eius inſtitutione eruditi, poteritis: *A facie tua,* neque tantùm à facie, ſed etiam à timore tuo, *Domine concepimus, & quaſi parturiuimus ſpiritum ſalutis;* ſpiritum caritatis & amoris, quo creſcere poſſimus de virtute in virtutem, & ſic aucti bonis animi peruenire ad locum illum Beatorum, vbi te ſine fine videbimus, ſine fine amabimus; vbi non ampliùs amor ille noſter, vt hic, flabellis tentationum aut extinguetur, aut intepeſcet; ſed tenore ſtabili perſeuerabit conſtans & immutatus, in infinita ſeculorum ſecula, totamque æternitatem, nullis annorum, nullis temporum terminis, ampliùs circumſcriptus.

Matth c. 10. v. 28. *Timendus Deus, non homines.* Iſaiæ c. 26. v. 18.

LECTIO DECIMA-SEXTA.

ET TIMVERVNT VIRI TIMORE MAGNO, ET DIXERVNT AD EVM: QVID HOC FECISTI? (COGNOVERVNT ENIM VIRI QVOD A FACIE DEI FVGERET QVIA INDICAVERAT EIS.) *Vers.* 10. ET DIXERVNT AD EVM: QVID FACIEMVS TIBI, ET CESSABIT MARE A NOBIS? QVIA MARE IBAT, ET INTVMESCEBAT. *Vers.* 11.

ARGVMENTVM.

Causæ timoris sociorum IONÆ *pertractantur. Ipse accusationem, & monitionem benignè admittens, laude dignus ostenditur: socij quoque ob clementiam, maturitatem, prudentiam in iudicio adhibitis. Non differendam pœnitentiam inculcatur.*

1 DE IONÆ sancto timore paullò antè multis egimus: nunc de timore in timorem iterum voluimur: de IONÆ timore in timorem nautarum, omniumque vnà nauigantium: neque enim quisquam timoris expers in naui fuisse videtur: & quidem timor, qui eos denuò inuasit, magnus fuit. Timuerant priùs turbato mari, & concitatis fluctibus; nunc verò audito nomine Domini, de quo IONAS, longè ampliùs: quod innuunt Prophetæ verba dicentis manifestè, TIMVERVNT VIRI TIMORE MAGNO.

Causæ timoris sociorum ad Confessionem Ionæ, variæ adferuntur.

2 Noui huius timoris causas disquiramus. Prima mihi esse videtur, ipsius IONÆ metus, quem consternatum & pauidum paullò antè dicentem audierant, *Dominum Deum cæli ego timeo:* solliciti igitur, quid sibi impuris, & impiis, & Deum Hebræorum hactenus nescientibus futurum esset; quando ita cum familiaribus eius agebatur, & tantus Dei illius cultor timebat, meritò se ampliùs timere debere arbitrabantur.

3 Altera timoris causa est proprij capitis periculum, cui ob vnum IONAM cuncti se esse credebant obnoxios. Videbant namque tam potentem Deum vehementer offensum insequi fugientem, eundemque in sua naui comprehendere, vincire quodammodo, & ad supplicium rapere. Itaque verebantur, ne quasi receptatores illius, & patrati ab eo facinoris defensores, cum eodem pariter caperentur, coniicerentur in vincula, plecterentur. Prorsus sicut timere vnà cum patrefamilias domestici solent, vbi ob concessum latronibus perfugium, totam domum hunc inde educturus prætor inuadit; ne videlicet complices & socij sceleris habiti, cum illo quoque capiantur, & publicis mancipati carceribus, puniantur.

Vera timoris causa, Dei magna potentia, quam vident socij.

4 Ioannes Drusius timuisse ait, non tam periculi vt antea, quàm ipsius Dei adeò potentis, quem ipsis IONAS prædicauerat, metu. Timent igitur

Ventorum tempestatumque potentem. (Virgil. 1. Georg.)

non Neptunum aliquem, aut Æolum, sed Deum vtrorumque conditorem; & meritò quando, vt ait D. Hieronymus (Hieron. in Ionam.), *Magnus est qui fugit, sed maior ille qui quærit, non audent tradere, celare non possunt.*

O Christiani, horum exemplo nautarum nobis Deus, Deus & ille solus, meritò timendus, qui tempestates immittit & sedat, mare concitat & tranquillat, occidit & viuere facit, sanat

sanat & vulnerat. Deus timendus qui vitæ & necis solus est Dominus, prospera & aduersa solus immittit, solus dæmonem & infernum frænat. Solus *dominatur à mari vsque ad mare, & à flumine vsque ad terminos orbis terrarum in æternum & vltrà.* Deus timendus, à quo omne præmium & pœna.

Psalm. 71. v. 8. Exod. c. 15. v. 18.

5 Grauis sanè causa cur tantus timor nautarum animos incesserit; videre potentiam persequentis & proteruiam fugientis; videre se pœnas soluere recepti fugitiui, & eum inter tot æstus concitati pelagi secum adhuc manere in naui. Quid hîc nunc in re tam perplexa & ardua consilij capiant? Cùm nihil sibi læti, nihil fausti, polliceri auderent, nisi Domino seruum suum reddidissent; admirabundi DIXERVNT AD EVM: QVID HOC FECISTI? vnde tanta tibi fiducia, vt tentare præsumas, quod nemo mente sanus cogitare audeat? si, vti dixisti, Dominus est cæli & terræ quẽ times, quem colis, cur tanto Deo non paruisti? quomodo tam latè imperantis imperium putasti effugere? cur vir religiosus, ac diuinorum conscius arcanorum, Niniuen adire timuisti, mare non horruisti? cur seruus à Domino, à patre filius, homo à Deo recessisti? quod tantum mysterium, vt terra deseratur, maria expetantur, relinquatur patria, loca appetantur aliena?

Ionas de audacia sua à sociis commonetur.

6 Tacet IONAS, idque secundùm Gasparem Sanctium, me etiam assentiente, siue quia eum pudebat, cùm propheticũ accepisset spiritum, ignominiam suam aut ingratum ac pauidum ad mandata Domini animum confiteri; siue quia verebatur, ne de Deo gentiles minùs honestè sentirẽt, qui homini ingrato ac parum fideli illum spiritum indulsisset.

Ionas monitus tacet; causæ silentij dantur.

7 Pergo nunc ego silenti iustam quoque querelam meam obtrudere, & non minùs quàm illi admirabundus dico. *Quid hoc fecisti Iona?* obsequuntur gentes diis suis, simulacris mutis, quæ finxit artificis manus, quæ poliuit dolabra, malleus, & ascia, vel solâ diuinitatis opinione: tu ne quidem Domino Deo viuo & vero, imò illi ne obedias fugis. Siccine magis ambitioni tuæ, quàm diuinæ gloriæ, & Niniuæ conuersioni consulendum putas? ô pudor! ô probrum! Ad has meas æquè ac aliorum querelas tacet, neque habet quod respondeat, nisi fortè mœstus quid simile illi Horatiano.

Accusatur de inobedientia Ionas.

Cur me querelis exanimas tuis?

Horat. lib. 2. Car. ode 17.

8 Quando ergo non habet quam prætexat vllam iustam fugæ suæ tam turpis causam; meritò omnium secum nauigantium censurâ damnatur; meritò omnium voluntati subiicitur, qui vnius Dei subiici noluit. En primum inobedientiæ fructum, insignis illa & publica verecundia, quæ IONÆ non minùs mentem, quàm vultum decolorauit; quando, pro eo qui erat, publicè est agnitus, videlicet profugus, rebellis, & quia rebellis, inuisus Deo. Sed hæc ei placuit verecundia qui se reum quoque libens agnouit, & iustam reprehensionem non inuitus excepit; cùm præsertim suæ inobedientiæ memor, ei pœnam deberi non dubitauit. Nam, vt ait Theodoretus: *Eo vsque turpe est non obedire Deo, vt Propheta aliorum præceptor, non se ab insipientibus reprehendi recuset.* Enimverò quid mirum, si qui esse debuerat optimus, inuentus sit deterrimus, & qui primus postremus mox etiam fiat ex magistro discipulus.

Inobedientia Ionæ castigatur pudore, & verecundiâ.

Ionas libenter monetur.

9 Existimate modò, non tantùm admirando, sed etiam increpando IONÆ dictum, *quid fecisti?* cùm, vti immediatè sequitur, cognito QVOD A FACIE DOMINI FVGERET, ex eius nimirum relatione, QVIA INDICAVERAT EIS. satis insignem increpationem mereretur, licet etiam suam mererentur nautæ magis alienæ culpæ intenti, quàm propriæ.

Vos, si lubet, in his, seposito paulisper IONA, mores vestros inspicite. Nihil curant quod ipsi peccatis pleni, quod idololatræ, quod sine lege viuãt; tantùm aliena intuentur, alium arguunt. Ita & vos alienis intenti, & propria negligẽtes, hoc titulo vel maximè dignos

Alienis neglectis propria curãda præ omnibus.

dignos vos reprehẽsione arbitremini. Diximus quidem dignum argui IONAM etiam ab iis quos debebat instruere, non tamen excusauimus arguentes. Nam ipsa illa, quâ eum impetunt, accusatio, propria ipsorum accusatorum damnatio est. Certè si arguunt vel semel inobedientem, se maximè condemnant perpetuò rebelles. Vti tum, ita modò, neglectis ceteris in eos ferè agere homines videntur, velut maximè criminosos, quos à Deo peti cædique aduersitatum flagellis vidẽt, quasi nesciãt, multos maioribus inuolutos culpis, arctiori iudicio ac grauioribus suppliciis reseruari. Interim, vt dico, illis acclamatur vndique, *Quid hoc fecisti?* de his verò conticescitur. Neque idcirco diffiteor, simili illi, quâ IONAS olim affectus est, pœnâ dignos; damnari videlicet calculis omnium, qui suâ proteruiâ non parum in Deum iniurij, sensum voluntatemque propriam eius sanctissimis placitis anteponunt.

In graues peccatores occultos agendum magis, quã in calamitosos.

10 Ego hactenus nautas æquè ac IONAM accusaui; sunt qui excusent, sunt etiam qui non modò excusent, verùm etiam vehementer deprædicent; vtpote qui fecerint temporis spatio perexiguo maiores in Dei cognitione & timore progressus, quàm hodie multi plurium annorum tempore Catholicę fidei pręceptis diu multumque instructi; permoti videlicet vnicâ paucorum verborum concione, breui inquam IONÆ alloquio ampliùs, quàm nostro seculo plurimi eruditâ nobilissimorum Ecclesiæ Oratorum & quotidianâ quidem facundiâ. Aiunt namque peccati alieni consideratione non parum territos, ad cogitanda propria animum adiecisse, de iis pœnituisse, atque omnem inanem metum in Dei timorem conuertisse.

11 Id si verum, arguunt insigniter nos, securè omni metu posito in vtrãque dormientes aurem, qui neque veteribus, neque recentioribus diuinæ vindictæ exemplis percellimur, neque impendentibus suppliciis permouemur, ad omnia impauidi: ac ne quid terreat, hæc quasi depromptam ex Poëtarum commentis fabellam vnâ aure excipimus, & vix excipimus, ore exsibilamus, ridemus. Quisquis talem se nouerit, putet sibi à Paulo dictum, quod aliquando dixit Romanis, *Secundùm duritiam tuam, & impænitens cor, thesaurizas tibi iram, in die iræ, & reuelationis iusti iudicij Dei.*

Hominum durities qui diuinæ vindictæ exemplis non mouentur describta.

Ad Rom. c. 2. v. 5.

12 Bone Deus! quanta hominum multitudo, quod non sine lacrymis recolo, flante prosperitatis fauonio, sine cura, sine metu, præsentibus inhærẽs, de futuris ne cogitat quidem, quò ducit fortunæ prosperitas, eò plenis velis rapiuntur, vsque in scopulos ipsos, in quos deinde impacti, soluere se, & renauigare non possunt. Tum quidem dum istic hærere se vident, sapere vellent, & tutius littus legere, atque ad portum securiorem aliquando appellere; sed vetat immanis tempestas, quę prædominans ipsos victimam quærit, neque sedatur, donec mittantur in mare, mare inquam non aquarum, sed flammarum exundans fluctibus, non vno corporum, sed tantùm corporum simul & animorum pabulo satiandum.

Felicitas metũ tollit, & ad interitum ducit sine sensu.

13 Interim quod in IONA, quod in sociis obtinuit, id locum in se habere non patiuntur, moneri nolunt, reprehendi nolunt, vrgeri ad virtutem nolunt, damnari vitia sua non patiuntur, in iis, & cum iis perire malunt, quàm illorum gratiâ verecundari vel tantillum: *Lætantur cùm male fecerint, & exultant in rebus pessimis:* atque ab illis gloriam expetunt. Quia id locum in vobis non habere confido, dico nudam ac simplicem liberiùs veritatem, nullis verborum pigmẽtis coloratam, quam per se gratam fore Deum timentibus atque amantibus mihi audeo polliceri. Dico quod per Isaiam improbis Ierosolymæ ciuibus dixit aliquando Dominus: *Popule meus, qui te beatum dicunt, illi te decipiunt, & viam gressuum tuorum dissipant.* Sic, si quos in desideriis animæ suæ lætantes, fraudulentus impostor, adulator nefarius, beatos dixerit, is eorum manifestum se osten-

Admoneri nolunt peccatores magni.

Prou. 2. v. 14.

Isaiæ c. 3. v. 12.

Admonitio signum amicitiæ est, adulatio inimicitiæ.

se ostendit hostem, amicum simulans. Non iam mihi, sed mortalium omnium sapientissimo credite, dicenti:

Pro. c.27. v. 6. *Meliora sunt vulnera diligentis, quàm fraudulenta oscula odientis.*

S. Bernar. epist. 1. 14 In quam sententiam benè Bernardus ad Robertum Nepotem suum, vtens & ipse verbis Sapientis, *Filiole si te lactauerint peccatores, ne acquiescas eis. Noli credere omni spiritui. Sint tibi multi necessarij, vnus autem sit tibi consiliarius de mille. Tolle occasiones, respue blandimenta, adulationibus claude aures, te interroga de te; quia tu te melius nosti quàm alius. Attende cor tuum, discute intentionem, consule veritatem, tua tibi conscientia respondeat.*

Certè ipse Dominus per Ioannem in Apocalypsi Angelo Laodiciæ nun- c.3.v.19. tiari iubet, *Ego quos amo, arguo & castigo*; quis ergo dilectionis signum non arbitrabitur corripi, reprehendi, castigari, cùm opus fuerit.

15 Si nunc ego quoque aliquanto calidius monens, vulnerare videor, amoris sunt vulnera quæ non sauciant; ab amore profecta sanabunt fatiscentem animum, non lædent. Eia igitur in vos conuersi singuli, vobis dicite, si quid tempestatis exortæ turbarit animum, *Quid hoc fecisti?* ætatis, conditionis, vocationis, vitæ, consiliorumque susceptorum memineritis; an, & quantum aberraueritis videte, atque in viam, antequam adhuc aberretis longiùs, redite, cogitate mox vobis vt Hebræis, à mortali ad immortalem vitam transeundum. Quare si grauet peccati pondus, & iter agentibus molestiam pariat, agite, instate, vrgete precibus Fratrem vestrum vt gementes sub onere, ac succumbentes vos exonerare dignetur, & deprimentem ad ima peccati sarcinam tollere: clamate dico ad Ionam Hebræum, quē velim nostis, Christum Iesum intelligo, qui in hunc mundum venit, vt ait post D. Hieronymum Rupertus, tanquam viator non habens hîc manentem ciuitatem, *Vt pertransiens sanaret omnes oppressos à diabolo:* & statim imperabit ventis & mari, pec-

Deus inuocandus vt tollat peccati sarcinam ad mentis trāquillitatē obtinendam.

Acto. c. 10.v.38.

cata quæ illam excitant tempestatem tollet, fietque in mente singulorum vestrûm tranquillitas magna.

16 Ad sollicitos nautas, de se, de Iona, de naui aliquando reuertamur. Iam certò sibi persuaserant à Deo turbatum esse mare, & ab illo Deo cuius cultor Ionas; cumque illius sacra, & formam expiandi apud illum sceleris ignorarent, illum consulendum, vt qui Dei sui mores & ingenium optimè nouerat, arbitrati sunt; tantoque potius, quò suscipiendum in præsenti negotio consilium magis ipsum, cognitum iam auctorem mali, quàm quemuis alium concernebat. Itaque anxij in seria illa deliberatione, tam multorum vitam & salutem spectante, antequam in communia eant suffragia, ipsum reum primò pro se, sua incolumitate, Deique sui honore & gloria, dicere iubent sententiam. In quo ostendunt quàm non affectionibus prauis & motionibus animi peruersis indulgeant, magis parati Ionæ, quātumuis rei, quàm suum, licet causæ ipsius sint legitimi arbitri, iudicium sequi.

17 Hinc illa petitio, Quid faciemus tibi, et cessabit? id est, vt cesset? siue, vt in Hebræis habetur, *vt sileat* mare a nobis. Da remedij aliquid, consilium suggere vt tranquillum tādem & silens sit mare, quod tantùm intendimus, non tuam perniciem. *Ionas reus dicere pro se causam iubetur.*

Maris summa tranquillitas nulla re meliùs, quàm verbo silentij exprimitur. Sic Dauid ait memor sedatæ à Deo maritimæ tempestatis: *Statuit procellam eius in auram, & siluerunt fluctus eius.* Et princeps Poëtarum, Psal.106. v.29.

Omne tibi stratum silet æquor — Virgil. Eclo.10.

D. Marcus similiter de Christo Domino tempestatem sedante loquens ait: *Comminatus est vento, & dixit mari, tace, obmutesce.* Marci c. 4.v.39.

18 Sapienter prudenterque dictū est à nautis, quod benè obseruandum, *Quid faciemus tibi?* non quid faciemus in genere: sed tibi quid faciemus; sciebant quippe aliquid circa ipsum tan-

Silentio benè maris tranquillitas exprimitur.

quam totius auctorem mali esse faciendum; ac si dicant apertiùs, nouimus aliquid in te Deum tuum offendere, neque tu idipsum diffiteris. *Propter te*, inquit S. Hieronymus, *dicis ventos, fluctus, mare, gurgites concitatos: exposuisti causam morbi, indica sanitatis?* faciendum circa te aliquid, quidnam illud nos nescimus, tu dicito. An interficiemus te? at cultorem Domini. seruabimus? at Dei rebellem, proindeque non nisi in perniciem nostram. Si tu es in culpa, vide ne nos, qui extra culpam in hac parte sumus, tecum & propter te pereamus. Quid in re tam tua, opis nobis suggeris & consilij? *Nostrum est*, ait iterũ D. Hieronymus, *præbere manus quid fieri iubeas, tuum est imperare: quo facto quiescat mare, quod nunc creatoris iram suo tumore testatur.*

Hieron. in hunc locum.

Necessitas est ingeniosa.

19 Videtis quod omni ratione seruare miserum cupiant: neque aliò spectat, quod primò & ante omnia, ex ipso, & sorte, & confessione propriâ iam reo agnito, solertius, vt credebãt, pro se excogitaturo quidlibet (ingeniosa quippe necessitas est) aliquid futurum subsidio flagitent. Tu te, inquiunt, ortæ tempestatis causam profiteris, omnia quoque in nos sæuire elementa ipse aspicis; ad hæc Propheta cùm sis, quid agendum doce, & reuela nobis quâ arte, quáve industriâ, malum tantum possimus euadere; viam nobis ostende ad salutem, qui parasti hanc quam vides ad interitum: neque enim nisi vno alteróve digito à morte abesse nos ipse aspicis.

Relinquitur Ionas suo iudicio, vt de se statuat.

20 Ex eorum mente ratiocinatur Theophylactus in hunc modum. Perspicuum nobis videtur, quòd minimè ignores tanti mali medicinam, qui aliis ad incidenda peccati vulnera medicus esse cõsueueras: vel si eam ignores, reus cùm sis (& hic est Dionysij Carthusiani discursus) quamcumque volueris in te sententiam dicito, de te ipso statue. Virum te videmus magnũ, sapientem, & vti opinamur sanctum, cum quo Deus agere, & qui vicissim cum Deo, cui sua ipse arcana pandere, quem legatum & beneplaciti sui interpretem ad populum Iudaicum, ad gentes exteras, sæpiùs mittere pro sui nominis gloria soleat. Quare nihil audemus in te committere, timemus aliquid in negotio magis tuo quàm nostro decernere, malumus tui sint ista iudicij. Esto igitur qui reus, idem & iudex: nos Dei summi cultorem, nostro damnare iudicio, ne forte Maiestatis eius grauiùs in nos ira desæuiat, pertimescimus. Peccasti fugiens; sed veremur ne nos ampliùs in sumendo de te supplicio, aut expiando scelere, quàm tu fugiendo, peccemus. Suade igitur nobis, quod optimum, quod consultissimum videtur. *Quid faciemus tibi?*

Humanitas nautarum & sociorum Iona in verbis & factu elucet.

21 Mira in nautarum verbis ac tota agendi ratione benignitas, humanitas, caritas. *Orant*, inquit Cyrillus Alexandrinus, *vt aperiat quid ipsos ad sedandam tempestatem, ad fluctus componendos, atque ad extremum exitium effugiendum facere oporteat.* Satis credo obseruatis, quàm non barbaro quodam impetu insurgant in IONAM; non clamitent, non tumultuentur, nón hominem diris deuoueant, non maledictis lacessant, non mortaliũm scelestissimum, vtpote tot periculorum ac discriminum, tam grauium quæ patiuntur incommodorum, & impendentis sibi, vti apparebat, interitus causam, appellent. Nulla hîc videtis impatientis, nulla improbi aut maleuoli animi argumenta; nulla insulsæ libertatis, nulla leuioris mentis, aut oris indicia; nihil hîc crudele aut barbarum, denique nihil, quod meritò miremini, in nautis nauticum. Orant, vt ex sancto Cyrillo dixi, atque hoc tantũ agunt, & prudenter agunt, & in tantâ rerum omnium perturbatione, quod maximè mirum, proindeque maximè commendabile, sine vllâ inquietudine agunt; ne maius crimen & periculum cunctando; aut maximum non rectè expiando admissum scelus, incurrant.

Nulla in iis perturbatio, aut passio.

Afflictis condolendum.

22 Habetis hîc quòd discatis, quàm sint ad nautarum exemplum iuuandi afflicti; quàm eorum incommodis, periculis,

riculis, certo vitæ discrimini, atque omnibus aduersis casibus condolendum: quàm cuiuis etiam miserrimo, & nullis non suppliciis ac pœnis de iure obnoxio, in ipsis quoque tormentis ac morte compatiendum potiùs, quàm insultandùm. Est is nobis sensus humanitatis à natura quidem ipsa ingenitus, dicente Marco Tullio, cùm ad Atticũ scriberet, de quonam non ita nũc memini, *O te ferreum qui illius periculis non moueris*: quasi illum hominem, non hominẽ censeat, qui nullâ calamitatum alienarum commiseratione ducitur: sed ampliùs à Christo in nobis nouis caritatis legibus stabilitus, qui vel maximè *Sodali Parthenio* filio *Matris Misericordiæ* proprius esse debet; quò reipsâ ostendat, qua in schola educatus, quibus legibus viuere assueuerit: iis nimirũ, quas ab eo accepit qui dixit: *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde*. Atque alibi: Misericordiam volo, & non sacrificium; simul ab illa quæ est omnium miserorum perfugium & afflictorum solatium: verè *Mater pulchræ dilectionis*, cuius *spiritus super mel dulcis*: non verò legibus illis quas ferinæ crudelitatis aliquis immanis tyrannus Tiberius, Nero, Decius, Diocletianus aut similis condiderint.

Misericordia in miseros B.V. Sodalibus propria. Matth. c. 11. v. 29. Matth. c. 12. v. 7. Ecclesiastici c. 24. v. 24. & 27.

23 Tamerlanem ex bubulco Scytharum regem, qui nihil habebat iucundius, quàm animi sui feritatem humano cruore oblectare, & populi ploratu ac lacrymis oculos atque aures pascere, ipsum illum, qui Baiazethem Turcarum Dominum acie victum & captum, clausum in cauea per totam Asiam circumduxit, anno salutis millesimo trecẽtesimo nonagesimo octauo, memini legere me, aliquando cuidam roganti, cur in omnes adeò sæuiret; toruo aspectu, retortis oculis, fronte superbâ, magnoque respondisse supercilio ac fastu: An tu me hominem putas, & non Dei iram potiùs, ad hominum perniciem in terris agentem? scilicet optabat, vt aliquando Totila Gothorum Rex Italiam inuadens, *Dei flagellum* & nominari, & esse.

Crudelitas Tamerlanis. *Totila Dei flagellum.*

Potuissent veriùs nautæ, si quam fortè in IONAM crudelitatem exercere voluissent, illi dicere: Nos homines putas? an non potiùs Dei flagellum, submissos in hanc tecum nauim diuinâ voluntate ac prouidentiâ, vt de te sumamus supplicium? an non agnoscis in nobis iræ diuinæ adiutrices manus? Verùm moderatiùs agẽdum rati, non pro IONÆ meritis, sed pro sua benignitate, maluerunt, ita prouidente ac disponente Deo, qui parum fidelis, improbi, ac fugitiui serui inobedientiam lapsumque tantisper sustinuit, clementes videri potiùs, quàm rigidi, ne dicam crudeles; & eum, quem tandem daret Deus, cum metu ac patientia exitum præstolari. Atque hic fuit ex parte illorum actus verè illustris, qui sicut nobis valet ad virtutis exemplum, ita & ad documentum, abiturum in memoriam seculorũ omnium.

Clementia sociorum in Ionam.

24 Quid sibi vult tanta hæc nautarum de suo contubernali cura, quid sollicitudo tam anxia? quid tam sedula inquisitio? cur tantoperè indagant, *Quid faciemus tibi?* Numquid locus erat quæstioni illi inter vndas & fluctus prementes? Silent, vt dicit Marcus Tullius, *Leges inter arma*. Bellante cõtra se Deo quid cogitant nautæ de legibus, quibus cum IONA agendum? quid de quæstionibus, quibus exprimenda veritas? nihil magnoperè cunctandum erat, neque vllis opus ambagibus; tantùm industriâ & consilio, & quidem maturo, atque expedito, quãdoquidem videbatur magnum esse, etiam in tantilla mora, periculum.

Maturitas Consilij eorumdem. Cicero in Ora. pro Milone.

25 QVIA MARE IBAT ET INTVMESCEBAT. Interpretatur Emanuel Sà, detumescebat interdum, aliàs verò iterùm intumescebat ampliùs: sic vt secundùm illum pelagi æstus, feruor, tumor, & furor, nequaquam esset continuus: sed remittentibus se, coëuntibusque iterum fluctibus, subinde subsideret. Verùm meliùs Remigius, Glossa interlinearis, Ribera, & alij: *Ibat*, id est, crescebat semper: *& intumescebat*, in altiores concitatioresque fluctus mouebatur continuò, magis semper pauendo spectaculo. Nam modus

Tempestas Ionâ in naui existente semper augetur.

modus ille loquendi Hebræis vsitatus continuationem operis, siue in remissione, siue in intensione significat. Sic ad declarandam diluuij tempore imminutionem aquarum in Genesi dicitur: *Aquæ ibant, & decrescebant*; id est, decrescebant semper magis & magis. de Isaaco: *Ibat proficiens, atque succrescens*, opibus & copiis scilicet, id est, semper magis & magis opulentus ac copiosus fiebat.

Explicantur loca Scripturæ varia quibus id hic dici ostenditur. c.8.v.5. c.26.v.13.

Quod hîc non ita clarè noster habet interpres, clariùs aliquantulum apud Petrum à Figueiro versum reperio. *Mare ibat, & tempestas eius fortior fiebat.* Vatablus, *& tumultuabatur.* Beatus Hieronymus: *Mare ibat*, inquit, *vt iussum fuerat, ibat in vindictam Domini sui, ibat persequens fugitiuum Prophetam; intumescebat autem per singula momenta temporum, & quasi nautis morantibus in fluctus maiores suscitabatur, vt ostenderet vltionem creatoris se vlteriùs differre non posse.*

Iratũ mare Dei iracundiam exprimit. Habac. c.3.v.8.

26 Poterant nautæ id timidè spectantes, cum Habacuc Propheta rogare ac dicere: *Numquid in fluminibus iratus es Domine, aut in fluminibus furor tuus, vel in mari indignatio tua?* nam non cessante irâ Dei, non erat cessatura tempestas, nec nisi placato Domino placandum mare; quando ipsum, instar famuli, heri sui iram indignationemque præ se ferre & mandatum vltionis exequi debebat. Morantur nautæ placare iratum Deum; quid mirum igitur, si eius crescat ira & indignatio, si efferuescat mare?

Iactâ sorte crescit tẽpestas.

27 Vult Theophylactus aquas pelagi, post sortitionem potissimùm, in fluctus maiores erectas maiorem tempestatem concitasse: in hac mente est etiam Theodoretus, cuius verba sunt: *Infestior tempestas post sortem fuit.* Id factum Theophylactus arbitratur, vt magis innotesceret, per quem tandem illa tam grauis, tam diuturna, tam molesta toti nauigantium multitudini esset orta afflictio.

Pœnitentia nõ differenda.

28 In IONA nobis ostendere hîc voluit Deus, quanti terrores, quanta pericula eos maneant, qui procrastinant & differunt post peccata pœnitentiam de die in diem. Simul quàm anceps & incerta sit pœnitentia, impendentis mortis terrore quodammodo extorta: vt benè dixerit sanctus Augustinus, qui hoc habuisse videtur à sancto Ambrosio, totidem penè verbis idem dicente in exhortatione ad pœnitentiam; aut, quod verius existimo, Homilia illa malè Augustino tribuitur, cùm sit sermo Ambrosij; adiecto breui exordio, & pauculis hinc inde, partim additis, partim commutatis verbis, Augustino tributa, cùm alioquin in omnibus penè, etiam quoad verba, cum illa D. Ambrosij exhortatione consentiat: *Si quis positus in vltima necessitate ægritudinis suæ, pœnitentiam accipit, & hinc vadit, fateor vobis non illi negamus quod petit, sed non præsumimus quia benè hinc exit.* Ampliùs D. Ambrosius quàm non fidem suam interponat pro eiusmodi homine inculcans loco citato, *Non præsumo*, inquit, *non polliceor, non dico, non vos fallo, non vos decipio, non vobis promitto.* Et pergit: *An securus hinc exeat ego non sum securus, pœnitentiam dare possum, securitatem dare non possum. Numquid dico damnabitur? non dico, sed nec dico, liberabitur.* Vnde concludo cum eodem sancto Ambrosio: *Vis à dubio liberari, vis quod incertum est euadere? age pœnitentiam dum sanus es. Si enim agis veram pœnitentiam dum sanus es, & inuenerit te nouissimus dies, securus es. Ergo curre & reconcilieris. Si sic agis, securus es. Quare securus? vis dicam tibi? quia egisti pœnitentiam eo tempore, quo & peccare potuisti. Ecce dixi quare securus es. Si autem tunc agere vis ipsam pœnitentiam, quando peccare iam non potes, peccata te demiserunt, non tu illa.*

August. lib. 50. Homiliarum hom. 41. Ambros. in fine lib. 2. de Pœnitentia tom. 4.

29 Sed inquies, quid de non profutura mihi pœnitentia cogitem? scio, pro dolor! scio, quo apud Deum modò sim loco; & multitudo peccatorum, & grauitas, de hac seriò cogitare volentem, ah nimium auocant! tempestatem eheu in animo sentio, illâ periclitantis IONÆ periculosiorem, quis hanc sopiat? quid facturus sum miser,

Peccatoris de peccatis suis querela.

miser, vt mens, plus quàm decumanis fluctibus annis pluribus agitata, tandem in tranquillitatis portu, & securitatis conquiescat.

Maria Refugium peccatorũ.

30 Audi ad hoc non me, sed Bernardum, cumque tibi Magnæ Virginis, Magnæ Matris clienti & filio, vt olim suis, optimè consulentem, suadentemque accessum ad benignissimam Dominam, promptus & alacer sequere. *O quisquis*, inquit, *te intelligis in huius seculi profluuio magis inter procellas & tempestates fluctuare, quàm per terras ambulare* (omnino appositè ad tempestates & procellas à IONA ac nautis subeundas, de quibus hîc agimus, verbo tempestatis vtitur, licet in dispari argumento) *ne auertas oculos à fulgore huius sideris, si non vis obrui procellis; si insurgant venti tentationum, si incurras scopulos tribulationum; respice stellam, voca Mariam. Si iactaris superbiæ vndis, si ambitionis, si detractionis, si æmulationis; respice stellam, voca Mariam. Si iracundia, aut auaritia, aut carnis illecebra, nauiculam concusserit mentis, respice ad Mariam. Si criminum immanitate turbatus, conscientiæ fœditate confusus, iudicij horrore perterritus, barathro incipias absorberi tristitiæ, desperationis abysso: cogita* MARIAM *in periculis, in angustiis, in rebus dubiis, Mariam cogita, Mariam inuoca, non recedat ab ore, non recedat à corde. Ipsam namq; rogans non desperas, ipsam cogitans non erras, ipsâ tenente non corruis, ipsâ protegente non metuis, ipsâ duce non fatigaris, ipsâ propitiâ peruenis*: vtique ad portum perpetuò duraturæ & nunquam desituræ felicitatis & gloriæ, sic vt eius patrocinio defensus, non vltrà formidare debeas, quantumuis asperas tempestates.

Bernard. hom. 2. super Missus.

31 Vnum adhuc habeo, quod de IONÆ sociis, ex quorumdam sententia, proponam. Ego illorum humanitatem caritatemque anteà quàm amplissimè commendaui: non desunt tamen qui putent, optaturos fortasse fuisse, vti nunc facerent multi in eiusmodi casibus, minùs ardentes caritate, atque de proximo parum solliciti, vt vel in imo maris opertus fluctibus IONAS iaceret ac lateret, dummodò ipsis sic esse liceat securis in naui; imò etiam propriis manibus non cunctanter eum deturbaturos in fluctus, nisi maius periculum veriti, legem sibi, nequaquam in Dei cultorem & Prophetam sæuiendi, statuissent. Quid si ergo idcirco eum nunc consulant? & exspectantes, quò magis culpâ vacent, ipsius damnationem propriam, quam assecuti mox exequantur, eum interrogent, *Quid faciemus tibi?* iram Dei iam diu vidimus, & etiamnum videmus, quia te suscepimus; si hanc culpam eiusmodi pœna sequitur, quid facturi tibi sumus, vt tu à culpa & pœna, nos à pœna immunes simus. Dicito, quæsumus, & prome, si quid habes vlterioris in scrinio pectoris tui consilij, quid agendum, vel à te, vel à nobis, vel certè ab vtrisque, vt irasci Dominus, ac sæuire in nos tandem desinat? vis interficiamus te, ac morte tuâ impendens malum à nostris capitibus propulsemus? Ego hîc excusare potiùs, quàm accusare humanissimos nautas malim; & dicere, ipsum IONAM, cuius magnus infixus erat animo dolor, agnitâ culpâ, vbi nullum vidit effugium, post tentata incassum omnia, se in pœnam vltrò obtulisse maris fluctibus hauriendum. Id proximè videbimus, & à longè magnanimitatem illius in re cùm primis dura & ardua spectabimus.

Ionæ socios quæsiisse ex responso eius occasionem illum occidendi nonnulli putant.

LECTIO

LECTIO DECIMA-SEPTIMA.

TOLLITE ME ET MITTITE IN MARE, ET CESSABIT MARE A VOBIS. SCIO ENIM EGO QVONIAM PROPTER ME TEMPESTAS HÆC GRANDIS VENIT SVPER VOS. *Verſ.* 12.

ARGVMENTVM.

IONÆ magnanimitas ſeipſum condemnantis, caritas quærentis ſalutem aliorum, dolor peccatum ſuum deteſtantis, humilitas idem confitentis multæque virtutes aliæ commendantur. Similia à peccatoribus omnibus exiguntur. Proponuntur veræ pænitentiæ ſigna & pænitentium exempla. Notatur grauiſſimum deſperationis malum & damna. Chriſtus Dominus ſe pro nobis ad mortem offerens velut in ſchemate exhibetur.

1 QVANDOQVIDEM in ea, qua pro tempore viuebat, Republica, omnium ſuffragiis Cõſiliarius delectus ſit IONAS; operæ pretium eſt in cauſa maximi momenti, in qua de vita & nece, & quidem propriâ agitur, quid det conſilij, quid de ſe faciendum cenſeat, audiatis. TOLLITE ME, inquit, ET MITTITE IN MARE. Quis ita acturum contra ſe credat ſapientem virum? quis in ſe laturum mortis ſententiam? quem vnquam vidimus, vel ad ſolam mortis memoriam non palleſcentem? non iam dico ſeipſum ſine timore, capitis condemnantem? Quid agis IONA? cur ita te ipſum condemnas, & in exitium voluntarium ruere properas? quid adeò in te durus es, & immiſericors? cur mitti cupis in mare?

Ionas ſeipſum condemnat.

Reſpondet in Niniuitas in primis parum miſericors & clemens, tam inclementem ſententiam merui. Vt periclitarentur de animi ſimul & corporis ſalute Niniuitę, ego auctor fui, quid ni ergo pro illorum periculo debitor, illud ſeu periculo meo, ſeu morte perſoluam? Deinde nihilo in vos clementior, periculorum omnium & diſcriminum, in quibus iactatâ iam tam diu crebris fluctibus nauiverſati eſtis, ſimiliter auctor exſtiti. PROPTER ME TEMPESTAS HÆC GRANDIS VENIT SVPER VOS: hanc in me à vobis vindicari oportet. Agite igitur, agite, *tollite me, & mittite in mare.*

Cauſam condemnationis propriæ aſſignat.

3 Non ſic IONA, non ſic; dic potiùs, reducite me in terram; vt tu, & nauis tecum ſeruetur. Certè non licuit illi eſſe tam beato, portum vt cerneret, cũ ingens, ad littora properantes nautas, ventus atque aduerſa aura depelleret, cogeretque eos vellent nollent cum vndis ac tempeſtate luctari; quæ cauſa cur vlterius dixiſſe exiſtimem: Cernitis quàm non ceſſet mare, quàm in nauim inſurgat, quàm nos, quot fluctibus tot velut dentibus mordeat? ſcio quid ſcit, me ſibi depoſcit victimam, me rapite, me mergite, ET CESSABIT MARE A VOBIS. Hoc ex me ſcitote, breuî vobiſcum hoc turbulẽtiſſimum pelagus pacem inibit, non vobis offenſum eſt, non vobis iratum ſed mihi; me quærit, me illi tradite, meâ nece placabitur. Equidem video, quocumque demum modo agatur, hîc mihi moriendum, vel ſoli, vel vobiſcum, nullam pro me cerno euadendi viam, ſum reus, & quia ſolus ſum reus, ſolus vt plectar iuſtius eſt, ac veſtrûm omnium,

Augmentum tempeſtatis eſt cauſa cur Ionas citius in ſe ferat ſententiam.

nium, qui mecum estis, innocens sanguis seruetur. Itaque *Tollite me, & mittite in mare.*

Non vult mitti Ionas in mare, vt obduratus in malo, sed magis vt pœnitens.

4 Benedictus Arias Mõtanus hîc de Iona nostro non optimè sentit: putat namque obduratum in scelere, tot periculis & vindictæ diuinæ tam euidẽtibus, tam constantibus indiciis, nequaquam ab instituto suo ac pristina mente deterritum, perire potiùs, quã suâ ad Niniuitas, quos & auersatus fuerat, & auersabatur, legatione fungi maluisse, & firmiter statuisse, proindeque viæ ac peregrinationis socios, vt se in mare deiicerent, constanter hortatum; quasi præ gentis suæ studio, nihil aut optandum, aut formidandum, deliberato ad mortem animo, duxisset.

5 Ego aliam longè de eo opinionem habeo: neque tam peruicacem ac ferreum fuisse existimo, qui si non Dei bonitate, tantis saltem periculis moueretur, sibique vel idcirco cõsultum meliùs vellet. Arbitror igitur, quod ante me Rochus Mamerotius, factum hîc egregiè Deo supplicem, & ex animo pœnitentem; iustâ morte piare iniustum facinus voluisse: vt qui ad curandam aliorum salutem missus fuerat, idque fugiendo neglexerat, nouam aliis suâ præsentiâ perniciem non crearet.

Ionæ magnanimitas volentis mori, vt alij periculo liberentur, ostenditur.

6 Quia igitur Deum studet placare iratum, illique per omnia satisfacere, quemadmodum S. Cyrillus Alexandrinus loquitur, crimen suum confitetur, se offendisse erubescit, consilium suum sinistrum condemnat; &, quia norat fluctus, quodammodò facto sibi sacrificio, placatum iri, mare quoque ab oppugnatione desiturum, si reum excepisset, audacter & intrepidè dicit, *Tollite me, & mittite in mare:* sic nempe ardebat vitæ suæ periculo ceteris terrorem ac metum omnem eximere; quasi eis paucùlis istis verbis hæc pleniùs dicat: Contra me tempestas, quam videtis, detonat; me quærit, naufragium vobis minatur, vt me capiat. Agite igitur, me patimini absorbeat, vt vos saltem, si me mori oportet, meâ morte viuatis: vnum præ multis interire expedit, & quis minori incommodo quàm ego? qui sum communi luce indignus, dum mundi lucem offendi; indignus vitâ, dum in vitam ipsam peccaui.

Einsdem de peccato suo dolor, eiusdẽ humilis agnitio, & Confessio.

Hieron. in Ionæ c. 1.

7 Quis Ionæ incredibilem illam magnitudinem animi satis laudet ac prædicet? quis fortitudinem eius atque constantiam? *Non tergiuersatur,* inquit S. Hieronymus, *non dissimulat, non negat; sed qui confessus fuerat de fuga, pœnam libenter assumit, se cupiens perire, ne propter se & ceteri pereant, & ad peccatum fuga, aliena quoque delictum addatur necis.* Iuncta fuit huic eius animi magnitudini ingens de commissis dolor, agnitio culpæ humillima, ac demum publica, vt iam sæpius dixi, cum sensu & dolore confessio. Quid enim nisi verè pœnitentis, ac culpam suam, vt decet, ingenuè agnoscentis illæ voces sunt, *Scio quod propter me tempestas hæc grandis venit super vos.*

Caritas Ionæ in proximos.

8 Præclarè quidem apud Ethnicum Poëtam Nisus pro Eurialo periclitante:

Virg. 9. Æneid.

Me, me, adsum qui feci, in me conuertite ferrum

O Rutuli, mea fraus omnis —

Sed non minùs præclarè ac generosè apud Tertullianum, magnum inter Christianos Philosophum, pro itineris sui sociis nautisque extremâ fortunâ periclitantibus, aut veriùs à Deo impetitis, Ionas noster.

Tertull. tom. 8. Biblio. SS. Patrum et editione Parisiensi an. 1589.

En ego tẽpestas; ego tota insania mundi,
In me, inquit, vobis æther ruit, & mare surgit;
In me terra procul, mors proxima, nulla Dei spes:
Quin date præcipitem causam, nauemq́ leuantes,
Vnum onus hoc magnum pelago iactate volentem.

9 Quid ita loqueris Iona? an tibi tam vilis est vita tua? Ad hoc dicere mihi videtur, vultis aliter loquar, aliter sentiam? Hæc vita mea iam diu Deo ac vobis debetur, meâ vnius causâ omnis hic luctus, & lamentum omne, meâ culpâ totum quod videtis

agitur. Nullius vestrûm hac tempestate aut officium requiritur, aut accusatur improbitas, aut vita impetitur: hac vnâ re, & mihi, & vobis consuli, & Deo meo satisfieri posse intelligo, si vestris manibus in mare præcipiter. Non enim ignoro in meam pœnam elementa turbari, hęc in me ferre sententiam. Igitur *Si*, loquitur ex mente eius D. Hieronymus, *sensero tempestatem, vos sentietis tranquillitatem.*

In 1. cap. Ionæ.

Caritas S. Gregorij Nazianz. zelus, animiq; magnitudo.

10 IONAM imitatus est aliquando S. Gregorius Nazianzenus; ortâ enim inter Ægyptios & Orientales Episcopos in Synodo Constantinopolitana graui dissensione, illis Gregorij electionem in Constantinopoleos Patriarcham impugnantibus, his defendentibus, ingressus Synodum Gregorius, omnes ad pacem hortatus, dixit: *Quòd si vobis vllo modo dissidij causa sum; Ionam Prophetam vitæ integritate non supero; proiicite me in mare, & tumultuum tempestate agitari desinetis. Quidquid vobis visum fuerit, tametsi à culpa immunis, libenter perpetiar, si quidem hac ratione concordia vestra resarciri possit. Throno exturbate, vrbe eiicite, tantùm veritatem & pacem, vt cum Zacharia loquar, amate.* Neque hoc generosiùs dixit, quàm ex sua parte fecit quod potuit, vt pristina rediret tranquillitas: nam relictâ Constantinopoli, Nazianzum se contulit, & à cura Ecclesiæ illius ad diuinarum rerum contemplationem scriptionemque se transtulit, vt perturbationis contentionumque occasionem præcideret.

Surius in vita S. Greg. Nazianzen. translata per Billiũ n. 3.

Hoc quia de magnanimitate, siue animo IONÆ generoso egimus, vt imitatorem habuisse videatis. O si forent modò illius animi multi, non haberemus toties, tam multas, & varias, cum multorum offensione, etiam subinde pro re nihili, pugnas, altercationes, & iurgia.

Ionas humilis non se excusat.

11 Nunc aliquid etiam de IONÆ confessione dicamus: in qua præter miram demissionem, veram contriti & pœnitentis animi notam, laudabilis est insignis viri candor, quo suam culpam nequaquam excusat, neque factum extenuat; sed crimen agnoscit, atque, vti illud publicè profitetur, ita publicè damnat, publicam etiam pœnam sustinere paratus, ad quam vltrò, vt audistis, se offert.

Sunt quidem hodie multi mentis bonæ, vti videtur, qui interiora sua aliquousque; sed non omnes, vereor, qui cuncta penitissimè aperiunt: satis esse, nescio quâ falsâ persuasione, arbitrantes, si insusurrarint in Sacerdotis aures, non quod necessarium, sed quod illis visum fuerit; vt nimirum quæ dicenda & scienda per speciem & vmbram quandam scire videatur, re verò ipsa nesciat. Dicam apertiùs: sunt qui propè pecudum ritu cibo farti oppletique, pleni poculis, velut emotæ mentis homines insanierunt inter suos, meri Bacchi sacrificuli; nec aliud confitentur quàm fuisse se aliquantò hilariores. Quod accidisse sibi alicubi in partibus Septemtrionalibus; ibidem confitentibus aures danti olim, narratum Romæ scio à Roberto Cardinali Bellarmino, qui cùm ab vno fortè quæreret de istac hilaritate; nimirum, an etiam in tantum hilaris fuisset, vt candela vna duplex videretur, ipseque assereret; satis de ebrietatis peccato, quod subticuerat, hac ratione iam accusatum rectè commonuit, quòd nimium hilaris fuisset.

In Christianorum confessionibus requiritur humilitas & candor.

Cardinalis Bellarmini circa confessiones industria.

12 Sic nullum est pratũ per quod non transierit quorumdam luxuria, vbique fœdissimarum libidinum cœno sordidi, reliquerunt nominis sui odorem non bonum; sat illis dicere est, fuisse se in leuiculis cogitationibus, vel etiam inhonestis, si addiderint, in motu sensuque venereo, hoc multum videtur, pellendis segniores.

Sunt alij, qui amicis, inimicis; vicinis, remotis, certè obuio propè cuique iniuriam intulerunt calumniis, maledictis, conuitiis; atque in tantum eorum honori, famæ, nomini derogarũt & gloriæ; vt qui optimè audierant antea, deinceps nullo apud quemquam ferè habeantur loco; iudicentur, vnius tantùm detractoris serpentinâ linguâ, omnium vocibus, ad munia publica

aliàs

aliàs aptissimi, prorsus inidonei & inepti: & illi ad Sacerdotis prouoluti pedes, hæc & his similia subinde palliantes, dicunt se non optimè sensisse de proximo, nō eos admodū laudasse, non commendasse, protulisse otiosa verba; scilicet ita nocuisse proximo suo, tantùm otiosa verba, & non, vti frequenter euenit, perniciosa mendacia sunt? nec desunt, qui cùm sic imposuerint, quasi de re præclarè gesta apud socios suos eiusdem farinæ homines glorientur, eosque ad eandem formam instituant.

Quid de eiusmodi pœnitentibus censetis? quid illis sperandum est gratiæ? quid veniæ? quando ad eam sola culpæ agnitio, atque humilis & aperta confessio viam sternunt. Nemo sanè remitti sibi debitum postulat, quin primò debere se, deinde quid, & quantum debeat, fateatur.

Manasses in ora. sua cùm teneretur in Babylone captiuus. *Manasses se humiliat & peccatū confitetur.*

13 Ipse Manasses quantumuis impius, *Peccaui*, inquiebat, *Domine, peccaui super numerum arenæ maris, & non sum dignus intueri & aspicere altitudinem cæli, & nunc flecto genu cordis mei precans à te bonitatem.* Quisquis sapit similiter faciat, pectus tundat, riget lacrymis genas, clamet non tantùm voce, sed etiam, & longè ampliùs, mente: *Peccaui Domine, peccaui. Ascende*, dicebat ille, *tribunal mentis tuæ ô homo & statue te contra te. Ratio sit iudex, memoria testis, conscientia accusatrix, timor tortor.* Quisquis benè saluti suæ consultum cupit, penitiora animi sui ingrediatur, discutiat singula, de singulis doleat, se accuset de singulis; quæque patrare non puduit, non pudeat confiteri; se hîc damnare ore proprio non erubescat, ne deinde grauiùs ore Domini, id est, æterni Iudicis, nunquam reuocandâ sententiâ condemnetur.

Peccator dolere debet, & se accusare de peccatis suis.

14 Damnabat seipsum IONAS cùm diceret, *Tollite me & mittite in mare*; atq; idcircò inuenit gratiam in oculis Domini, cui tantoperè ob fugam antea displicuerat, acceptâ, post triduanam in belluino carcere pœnitētiam, absolutionis benigniore sententiâ.

Sic facit bonis consiliis prædita anima, inquit Theophylactus, *cognito peccato suo, rubore suffunditur.* Addo ego, & post salutarem illum ruborem, quem auget propria delicti manifestatio, niueâ diuinæ gratiæ veste induitur, atque ab omni sorde contagioneque mundatur.

Theoph. in hunc locum.

15 Vtinam iis consiliis & nos præditi, vtinam eo rubore suffusi, iustas nos pœnas commeritos arbitremur; & non potiùs sentientes in actu ipso supplicij, inflicta à Domino verbera, nos innoxios arbitrantes, aut, vt fit subinde, etiam clamantes, nequiter nimis, velut de minus benefico queramur: quod non est agnoscere culpam, & verè ex animo pœnitere, sed potiùs se reddere grauioribus dignum suppliciis, se maioribus culpis inuoluere, ampliùs & ampliùs puniendum.

Debet etiam peccator supplicia sibi iustè à Deo immissa agnoscere.

Verissimè iuxtà ac sapientissimè dixit S. Bernardus: *Quisquis ardenter non desiderat pœnitentiam, videtur operibus dicere, non indigere se pœnitentiâ, & ita suam non confitetur culpam; aut non posse prodesse ei pœnitentiam, & sic diuinam non confitetur bonitatem.* Nunc seipsum ex hoc D. Bernardi dicto quisque consideret, & quo flagret amore pœnitentiæ obseruans, quo apud Deum sit loco, facilè intelliget. Profectò is quem verè scelerum suorum pœnitet, quidquid supplicij decreuerit in eum Deus, sustinebit, & admittet benignè; atque totum se ad sanctissimū eius beneplacitum formabit ac finget; siue puniat, siue parcat, siue occidat, siue viuere iubeat, siue quid aliud statuat; susque deque illi erit, dummodò non sic abiiciat, vt in perpetuum perdat.

Bern. ser. 2. de vig. Natiuit. Dom. *Pœnitētia optanda peccatori, & pœna admittenda.*

16 Sic totum se patris sui voluntati dicabat Euangelicus prodigus, quando dissipatis omnibus, factus pœnitens illique supplex dicebat: *Fac me sicut vnum de mercenariis tuis:* filius esse ampliùs non mereor; gratia erit, & magna gratia, si inter mercenarios nunc censeri valeam, qui fui filius. En quàm demissè de se sentiat & loquatur. Saulus similiter, olim *Spirās minarū, & cædis*

Pœnitētia filij prodigi & humilitas. Lucæ c. 15. v. 19. Act. c. 9. v. 1.

dis in discipulos Domini, agnitâ aliquando veritate, vbi vox illa omni gladio ancipiti penetrabilior, cor eius æquè ac aures penetrauit: *Saule, Saule, quid me persequeris?* statim conuersus ad Dominum, vsque eò supplex eidem est factus, vt noluerit ampliùs vel ad latum vnguem ab illius voluntate recedere. Hinc illæ eiusdem voces: *Domine, quid me vis facere?*

Ibid v. 4. *Pauli conuersi humilitas.*

v. 6.

Neque sufficit planè pœnitenti, vt paratus omnino sit ad diuinæ voluntati obsequendum, ac sanctissimis eius legibus parendum imposterùm, illudque satagat; sed ita debet commissa damnare præterita, ita ea in se plectere; vt si quis hæc illi olim placuisse nouerit, is eidem hæc ipsa nunc vel maximè displicere imposterùm, & displicitura intelligat.

Pœnitētiæ signum, vitæ emendatio & morū mutatio.

17 Hoc vobis paullò clariùs modò proponam. Quispiam, de eorum genere, qui præ potus desiderio aliquando sibi collum gruis optare visi, nunquam satur, nunquam pro lubentia sua genio indulserit satis; licet

— *Morantem sæpè diem mero*
Fregit, coronatus nitentes
Malobathro Syrio capillos.

Horat. lib. 2. Car. ode 7.

Is nunc memor, quòd

Viuitur paruo benè, cui paternum
Splendet in mensa tenui salinum.

Item ode 16. lib. 2.

familiæ honestè & ex decoro instituendæ atque alendæ attendat; sua in poculis & symposiis, cum vxoris & prolium dispendio, nequaquam dilapidet; sed vt iacturam resarciat, & sese de seipso vindicet, parciùs viuat. Si verò talis est, cui ratione conditionis ac muneris, maior cum Deo coniunctio & quædam quasi familiaritas intercedere deberet, is se corrigat ampliùs, atque corpus suum domans ieiuniis, aliquousque etiam à licitis abstineat, & certas sibi arctioris temperantiæ leges statuat: insuper traduxisse precibus diem nequaquam satis existimans, frangat quoque profundis gemitibus noctem, & cum Dauide sancto lacrymis stratum riget.

Est qui piceâ manu aliena attigit; is nunc benè vnctâ dexterâ etiam sua egentibus largiatur: memor quòd, sicut ceteri homines omnes, nihil intulit in hunc mundum, nihil etiam auferre possit, proindeque insipiens fuerit, atque etiam sit, quod

Breui ..... iaculetur æuo
Multa ——

Horat. lib. 2. Car. ode 16.

Est qui, vt loquitur Apostolus, *exhibuit membra sua seruire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem:* is *nunc* similiter *exhibeat membra sua seruire iustitiæ in sanctificationem.*

Ad Rom. 6. v. 19.

18 Sic fecit nobilis illa peccatrix, cuius laus est in Euangelio: hæc enim totum in Christi obsequium impēdit, quod priùs in peccatum expenderat. *Per ea,* inquit Titus Bostrenus Episcopus, *aucupabatur sanctitatem, per quæ iuuentutem pellexerat ad noxam.* Copiosiùs id nobis exponit B. Gregorius, & hunc audiamus: *Vnguentum sibi fœmina,* ait ille, *pro odore carnis suæ adhibuit, quod sibi turpiter exhibuerat, Deo laudabiliter offert.* Et alibi: *Quot in se habuit oblectamenta, tot de se inuenit holocausta, conuertit ad virtutum numerum, numerum criminum, vt totum Deo seruiret in pœnitentia, quidquid ex se Deum contempserat in culpa.*

Pœnitens Magdalena Christo impendit, quod antè peccato impenderat.

Titus Bostrenus Commēt. in Lucam. Gregor. hom. 33. in Euangelia.

19 Pararat forsitan aliquando, quæ suis suorumque amasiorum seruirent deliciis epulas; quam deinde mensam, ad Christum conuersa, illi dilecto suo pararit, cuiusmodi eam ferculis instruxerit, non dapis ad luxum & ad incontinentiam prouocantis; sed in amorem virtutis & continentiæ trahentis, optimè salsis lacrymis conditæ, ex Petro Chrysologo accipite; & imitamini conuiuia hæc epulationesque Sanctorū. Habebat opportunè hospitem Christum, quē vel maximè optabat, amabat: illum ergo cùm inuitasset, ad has epulas quas nunquam fastidit, eundem exceptura pro merito, & voto, *Pœnitentiæ ponit mensam, fercula compunctionis apponit, panem doloris infert, potum lacrymis temperat in mensura, & ad delicias Deitatis totas, totam pulsat cordis sui & corporis symphoniam; organi planctus dat clamorem, citharam per suspiria longa modulatur, gemitus aptat ad fistu-*

Magdalena pœnitens quale Christo cōuiuium pararit.

Petrus Chrysol. ser. 93. super Euāg.

fistulam, & dum pectus, ipsam conscientiam arguens, sæpè percutit, facit placitura Deo cymbala personare: dumq; taliter apportat diuinis oculis cibos, totas misericordia copias sic reportat. O quàm felix est his epulis Magdalena! par vobis felicitas, par gratia, par gaudium erit, si sic aliquando exceperitis Christum.

Restitutio facienda de damno alteri illato confessione peractâ, Ionæ exemplo.

20 Ad hæc tertium est, quod verũ probat pœnitentem, si nimirum plenâ noxarum confessione peractâ, acceptaq; per sacræ impositionem manus remissione, illatum proximo damnũ, siue in re familiari, siue in honore ac fama, siue in corpore & vita confestim alacri animo, benignâ voluntate, atque opere prompto resarciat. Quemadmodum IONAS, qui cùm ait, *Tollite me, & mittite in mare; scio enim ego quoniam propter me tempestas hæc grandis venit super vos*, mœstus, quòd tam multos secum nauigantes in tot aduersa, in tot tantaque adduxisset discrimina, cupit eos restitutos securitati pristinæ, atque prioribus malis ereptos pacatiùs viuere, & inchoatam nauigationem feliciter prosequi. Quoniam verò id, non nisi si ipse moreretur, videbatur futurum, ad mortem, & quidem ne quid esset in mora, ipsorum illorum quibus obfuerat manibus obeundam, quamprimùm sese offert promptè, constanter, alacriter. Ac si dicat eis: Dignus sum, vt solus damnũ sentiam, cùm solus in hæc vos damna induxerim; vt solus moriar, cùm solus vobis causa periculorum mortis fuerim. Agite igitur, ac de me statuite, vt placuerit, mortis sum reus, solâ morte meâ crimen hoc expiandum agnosco.

Ionæ c. 1. v. 12.

Zachæi exemplo.

21 Sic fecit circa bonorum quæ occupabat possessionem non iustam Zachæus, quod suum non erat fideliter, & quidem cum fœnore reddidit. Audite quid dicat apud D. Lucam: *Si quid aliquem defraudaui reddo quadruplum.*

Lucæ c. 19. v. 8.

Pauli exemplo.

Sic in re spiritus Paulus: quando ille qui antè propugnator falsitatis, persecutor Ecclesiæ, Christianorum hostis acerrimus; postmodùm non amicus modò, sed seruus (ita enim se sæpissimè nominat) sed vindex veritatis fortissimus, sed Gentium Doctor, sed Ecclesiæ propugnator, vsque ad vincula & carceres, vsque ad sanguinem, imò mortem ipsam palam effectus, fideliter ei quod abstulerat etiam cum vsura restituit.

Patientia Ionæ commendatur.

22 Præter omnes superiores veri pœnitentis actus; notate etiam aliud magnæ virtutis opus in IONA, eximiam, inquam, eius patientiam. Tantis in periculis constitutus atque angustiis, ab hominibus redargutus, punitus à Deo, intus à propria tortus conscientia, nihil effutit contumeliosum in socios, nihil in Deum impium & blasphemum; ita moderatur linguæ suæ, vt nihil excidat, quod eius personam dedeceat; quin imò, ostendens nequaquam se de Domini benignitate & clementia diffidere, post dignos pœnitentiæ fructus, corporis ac vitæ curâ prorsus neglectâ, morti sese libenter addicit, quantum in se est diuinæ iustitiæ facturum satis. Quo ex affectu sunt illæ voces, *Tollite me, & mittite in mare*: scio peccaui, mortem merui, is, cui famulari debebam, Dominus meus est, & *Iustus Dominus*, qui, vt Dauid ait, *concidit ceruices peccatorũ.* Cùm ergo sit *Dominus, quod bonum est in oculis suis faciat*; cùm iustus, nocentem me pro meritis puniat, perdat, interimat. Quoniam verò hanc eius esse voluntatem scio & video, sponte me offero, neque quidquam, quod verè sum meritus, recuso pœnarum.

Modestia etiam eius.

Amor iustitia.

Psal. 128. v. 4.

1. Reg. c. 3. v. 18.

Modestia & patientia in aduersis est necessaria.

23 Sic eius exẽplo mortales omnes de Deo, sic de se sentiant & loquantur: tum verò siue in aduersis percutientem, siue in prosperis arridentem viderint, senserint, æquè semper bonum ac verum Patrem agnoscent, æquè semper iustum iudicem formidabunt; tum sanè per propriam, per amicorum ac familiarium ægritudinem, per fortunarum direptiones infaustas, per magnarum rerum euentus parum prosperos moniti, per subitam & inopinam nonnullorum mortem perculsi discent resipiscere aliquando; & non fieri eiusmodi casibus, nouâ quadam

impiæ linguæ licentiâ, insolentiores, deteriores, nequiores.

Monitio admittenda, audiendus monitor.

24 Verùm prô nefas! longè nunc aliter agitur: pungit nos Dominus, equorum instar rebellium ferocientes, aduersitatis calcaribus; continuò in eum insurgimus, recalcitramus: à recto itinere aberrantes virgulâ ferit cesoriâ, & monemur; quis fructus? nec monitionem, nec monitorem patimur, quæ esse nobis medicina debuerant, in toxicum conuertimus, & quæ, si rectè iis vsi fuissemus, datura erant sanitatem, mortem accelerant.

Prouerbium est *Piscator ictus sapit:* Non sapiet peccator, post tam multa, tam grauia, tam periculosa animi vulnera? & adeò erit insipiens, tamque parum sui amans, vt aliquot lethiferis ictibus, totidemque vulneribus saucius, cor etiam ipsum propriis manibus vulnerare velit plagâ immedicabili, quò perire faciliùs, non tantùm possit, sed debeat. O insaniam!

Desperare & seipsum occidere, malum est grauissimum.

25 Vnum vos hîc adhuc volo: spectetis videlicet paulisper attentiori mentis oculo, quàm præ IONA desipiant, qui cùm euadere se non posse è cogitationum suarum fluctibus arbitrantur, vndique impetiti molestiis, aquis inquam tribulationum circumdati, quas sat commodè velis remisq; piorum desideriorum sulcare nequeunt, neque sat firmiter in Deum spei anchoram iacere, in ipsum mare desiliunt, id est, illatis sibi violentis manibus, illâ, quâ adhuc beati erant, communi lucis vsurâ se spoliant, facti socij Iudæ proditoris & crimine & pœna. Quid huic hominum generi tam in se iniquo exspectandum? aliud prorsus nihil, quàm certa in ipso infelicis animæ egressu tormentorum ac pœnarum leuium, quæ hîc subeunt, in grauissima, breuium in æterna, paucorum in plurima commutatio. Porrò quid stultius, vt rem exemplis illustrē, quàm vbi extremam digiti partem ad flammam adusseris, impatientiâ quadam ac cæco furore, in medios ignes toto corpore prosilire? Quid ineptius, quàm vnum hostem vt fugias, in integram armatorum cohortem tibi inimicam impetu vno incurrere? Quid magis imprudens, quid incautum, atque improuidum magis; quàm ne per pontem molestiore semitâ transeas, in aquam præterlabentis fluminis te dare præcipitem?

Pœna talem mortē consequentes.

Miseria sic non tolluntur, sed augentur.

26 Peiùs longè agunt longeque insipientiùs, sibi etiam deteriùs, qui, vt ipsi interpretantur, finem malis suis daturi, sed veriùs maioribus & æternùm duraturis facturi initium, & malè auspicatum, vel ferro, vel laqueo, vel epoto veneno, vel arte aliâ, quam pro Æsculapio aliquo dæmon edocuerit, voluntariam sibi consciscunt necem. In quos, vt hominum omnium scelestissimos, multa ciuiles leges, multa Ecclesiasticæ statuunt, voluntque priuatos sepulchri honore, vt à tam nefario scelere, pœnæ grauitate, etiam improbissimus quisque arceatur. Plura non addo, spectat enim negotium hoc eos dumtaxat, qui venales animas habent, & perire consilio suo (si in his consilium, ratio aut sensus) malunt, quàm alieno viuere.

Quomodo sui occidēdi Ionas potestatem faciat aliis, quæritur.

27 Verùm quando de consciscentibus sibi necem agimus; occurrit ad rem nostram opportunè sciscitandum, cùm perimere, vti certissimum est, etiam magistrâ naturâ, seipsum non liceat, quî IONAS sui occidendi potestatem, velut propriæ necis vitæque dominus; aliis tam promptè liberaliterque impertiat. Certè vita iuxta ac mors nostrûm omnium, secundùm Sapientem, in vnius Dei est manu, & illius solius arbitrio stat quisque, & cadit; hic leges vitæ & terminos posuit, quos nemo potest infringere. Quomodo ergo se aliorum quoad hæc iuri subdidit IONAS?

Caritas Ionæ in socios eius morte cōmendatur.

28 Respondet hoc loco S. Hieronymus; non licere quidem mortem arripere; sed *licere illatam ab aliis libenter excipere.* Et addit: *In persecutionibus non licet propriâ perire manu; sed percutienti colla submittere:* quod ex Theologorum sententia est verissimum. Ampliùs ad rem nostram Paulus Palatius id IONAM non tantùm potuisse,

sed

ſed ex virtute & cum merito feciſſe opinatur: quippe qui tantâ arſerit caritate, vt vellet etiam pro amicis animam ponere. Quare cenſet cum omni laude commendationeque digniſſimum, atque cum Curtio facti nobilitate non comparandum modò, ſed illi magnoperè præponendum. Si, inquit, tantoperè laudatur Curtius Romanus iuuenis, quia in peſtilentem lacum pro amore patriæ ſe coniecit, quod facere non poterat; quantò potiùs laudetur Ionas, qui non vt ille, ſe coniecit in mare, quod nec hic poterat; ſed, quod potuit, pro ſociorum ſuorum incolumitate ſe aliorum manibus coniiciendum expoſuit.

Curtij Romani factũ ſe occidentis pro Patria. Valer. Max. lib. 5. c. 7.

29 Plerique alij, veterum æquè ac recentiorum, inter quos Cornelius à Lapide, & Menochius, non proprio inſtinctu, ſed diuinâ prorſus inſpiratione dixiſſe Ionam ſociis ferunt: *Tollite me, & mittite in mare.* Nouerat nempe Propheta velle Deum, vt in pœnam iniquitatis ſuæ qualemqualem, deiectus in mare exciperetur à ceto, atque in eius ventre; duro, tenebroſo, feruente & vrente, nouoque modo reum cruciante carcere; mœſtus deliteſceret, ibidem ſaniora conſilia caperet, ad mentem rediret, priuſquã littori redderetur. De cuius voluntate ſi minimùm dubitaſſet, nequaquam illi licuiſſet, vti nec modò hominum vlli, facere ſociis ſui occidendi poteſtatem.

Mortem ſibi inferri Ionas ſinit instinctu diuino.

30 Non hîc diſputo, liceatne propriâ perire manu, cùm caſtitas periclitatur, quod affirmare videtur D.[a] Hieronymus,[b] Ambroſius,[c] Euſebius Cæſarienſis, neque enim huius eſt loci; hoc tamen cum Leonardo[d] Leſſio D.[e] Auguſtinum ſecuto affirmare audeo, eorum neminem, quos Sanctorum Faſtis adſcriptos colit Eccleſia, id vmquã feciſſe, niſi aut inſpiratione diuinâ, aut inculpatâ ignorantiâ, meliùs exiſtimantem, vitam quàm virginitatem amittere. Per diuinam inſpirationem Auguſtinus quoque Sampſonis factũ, ſeipſum cum hoſtibus ruinâ domus opprimẽtis, excuſat: *Quia*, inquit, *Spiritus latenter hoc iuſſit, qui per ipſum miracula faciebat.* Tractat hoc Argumentum fuſiùs Sixtus Senenſis ex Patribus nominatis.

[a] In 1. c. Ionæ. [b] Lib. 3. de Virginitate. [c] Li. 8. hiſt. Eccleſ. [d] Lib. 2. de Iuſt. c. 9. dub. 6. [e] Lib. 1. de Ciuit. c. 21.

Nemo Sanctorum ſe occidit niſi inſtinctu diuino vel ex inculpata ignorãtia.

Lib. 5. Bibliothecæ ſanctæ Annot. 254.

31 Iuſtum, & maximè aptum plectendo crimini quod Ionas patrarat decretum à Deo ſupplicium marinos fluctus, rectè obſeruauit Cornelius à Lapide: Deum enim fugiens ad mare confugerat: itaque dum eum ibidem pro meritis fluctus excipiunt, tantumdem eſt, ac ſi voce tacitâ arbitrum cauſæ ſuæ audiat Deum, in quem peccauerat, dicentem ſibi: Mare tibi in votis fuit mi Iona, tortor quoque tibi ſit mare, vt in quo peccaſti, in eo ſimiliter puniaris.

Pœna peccato reſpondet.

32 Cognitâ hac Dei voluntate, ſi potuit Ionas in ſe proferre ſententiam, & dicere: *Tollite me, & mittite in mare*: non dubium eſt, quin & ſocij exequi, eumque vndis committere, tametſi certò moriturum, potuerint.

At inquies, nec erant illi ſtatuti in Ionæ cauſa iudices, nec Ionam reum credebant, quem dicebant innoxium. Hæc enim ſunt ipſorum precantium verba: *Ne des ſuper nos ſanguinem innocentem*: ſi ſanguis illius innocens, quorſum fundetur? quo iure in eum feretur mortis ſententia, damnabitur, mittetur in mare? æquiſſimo planè. Poterant enim, atque etiam quantumuis priuati, diuino debebant inſtinctui credere, quo agi hæc omnia certiſſimis indiciis innotuerat; neque dubitare fas videbatur ampliùs, quin ex illius vnius morte omnium vita penderet, quando tam immanis & atrox præter morem tempeſtas, ſortis indicium, & ſpontanea ipſius Ionæ confeſſio, fidem huic rei non dubiam faciebant. Confeſſio Ionæ, cuius agebatur cauſa, potiſſimùm; qui diuinæ voluntatis interpres, & Propheta iam agnitus, diuino etiam oraculo in eam contra ſe ſententiam paullò antè non inuitus deſcenderat.

Ionæ c. 1. v. 14.

Potuerunt ſocij Ionam condemnare & in mare mittere ſine crimine.

Quomodo autem inter hæc ſocij innocentem eum dixerint, mox dicturi ſumus ſuo loco.

33 Nunc quando ſatis ſuperque ſpe-

Christus se promptius offert ad mortem quàm Ionas. spectastis in sociorū obsequium sponte se morte offerentis IONÆ Prophetæ animos generosos; conuertite oculos in mysticum IONAM CHRISTVM IESVM, & in prompta illius ad rem tam arduam voluntate, huius agnoscite promptitudinem; quâ se & in mortem obtulit, & ad eam suscipiendam properauit, secundùm quod dixit discipulis suis: *Desiderio desideraui hoc pascha manducare vobiscū antequam patiar.* (Lucæ c. 22. v. 15.) De hac Christi ad patiendum promptitudine loquens Bernardus in persona filij Dei, & rem paullò altiùs repetens: *Duas*, ait, *tantùm fecerat nobiles creaturas rationis participes, capaces beatitudinis* (Pater æternus nimirùm, cui creatio tribuitur) *Angelum videlicet atque hominem; sed ecce propter me Angelos perdidit multos, homines vniuersos.* (Bernard. ser. 1. super Missus.) zelans videlicet, vt antè dixerat, pro mea filij sui gloria. *Ergo vt sciant, quia & ego diligo Patrem, per me recipiat, quos quodammodò per me amisisse videtur. Si propter me tempestas hæc orta est ait Ionas, tollite me & mittite in mare.* Hactenus Bernardus. Quibus verbis quā proptè se mysticus IONAS Dei filius in mortem obtulerit æterno Patri, vt diuinæ fieret iustitiæ satis, euidenter ostendit.

Christus se ad mortem offert, & moritur, vt nos viuamus. 34 Ex ipsa illa promptitudine & moriendi non voluntate tantùm, sed ingenti, quo flagrabat, desiderio factum est, vt perfidis Iudæis, ductore Iudâ, magnâ sollicitudine metuque cum *laternis & facibus, & armis*, eum quærentibus, & morti destinantibus, dicentibusque cùm rogarentur, quem quærerent, IESVM se quærere Nazarenum, tam intrepidè dixerit, *Ego sum:* (Ioannis c. 18. v. 3. v. 5.) videlicet paratus erat longè magis quàm noster IONAS, morte suâ mortem omnium nostrûm destruere, & vnus mori, vt omnes viueremus. *Occupant* igitur (vt D. Leo loquitur) *paratum teneri, & trahunt volentem trahi, qui si vellet obniti, nihil quidem in iniuriam eius impiæ manus possent, sed mūdi redemptio differretur, & nullum saluaret illæsus, qui pro omnium salute erat moriturus.* (Leo ser. 8. de Passione.)

35 Beatum Petrum Chrysologum disertissimâ oratione hoc IONÆ factū Christo applicantem, quæso diligenter aure vtraque attendite & percipite. (Chrysol. ser. 37. in Euang.) *Quod Ionas*, inquit, *auctor suæ demersionis existit, cùm dicit, tollite me & mittite in mare, voluntariam Domini indicat passionem.* (*Iona voluntaria morte Christi voluntariam indicat passionem.*) *Nam quare sibi illi sustinent hæc iuberi, qui sibi in periculo tali sponte poterant subuenire? quando enim multorum salus petit vnius mortem, mors in intereuntis arbitrio collocatur. Quin & moriturum, retardare potest ad mortem voluntas, & periclitantis mora periculum præuenire: Sic hic, vbi totum Domini geritur in figuram, exspectatur morientis auctoritas, vt mori non sit necessitas, sed potestas. Audi Dominum dicentem, potestatem habeo ponendi animam meam, & potestatē habeo iterum sumendi eam, nemo tollit eam à me.* Hactenus Chrysologus. Ex quo apparet quā IONAS hic Christum mundi Seruatorem expresserit.

36 Stupeo quidem in te oculos coniiciens mi bone IESV bonitatē tuam, quam sum inde ab ipso primo vitæ meæ limine expertus, & adhuc indies experior magis & magis, neque laudare satis possum. Sed nimiam tuam & superabundantem caritatem, tam parum à me hactenus agnitam, doleo vehementer. (*Christi eximia in nos caritas cōmendatur.*) Hæc illa est, quæ me ex seruo filium, ex mortuo viuum fecit, hæc me inferno damnatum, cælo, si tantùm voluero, inserit. Loquebaris, memini, cum tribus tuis amantissimis discipulis, & cum duobus eximiis prophetis in monte Thabor, cùm manifestares illis gloriam tuam, & illi dicebant *Excessum tuum, quem completurus eras in Ierusalem*: (Lucæ c. 9. v. 31.) erat autem excessus ille diuini tui amoris, qui se in tua morte amarissima simul & amantissima vel maximè prodidit; quo apud nos ingratos natus videtur nouus quidam obliuionis excessus. Quis enim tanti amoris ac tam inæstimabilis caritatis nunc meminit vt oportet?

Quis pro tanta caritate,
Quærit te in veritate,
Dans sanguinem pro sanguine?

(*Ingratitudo hominū pro tanto Christi in eos amore deplorāda.*)

37 Si pro tui nominis honore & gloria

gloria tantùm molestiarum aliquid subeundum; declinamus, humeros subducimus, onus detrectamus; si immineant difficultates, eas diffugimus; si adeunda pericula, continuò pedem retrahimus, incommoda, etiam minima, non nisi cum tædio subimus; vt meritò irasci nobis possis & debeas. Sed aliter nunc statuimus, & cum Petro singuli dicimus, *Tecum paratus sum, & in carcerem & in mortem ire:* tantùm *tolle me, & mitte in mare* sanguinis tui pretiosi, tam copiosè effusi pro omnibus nobis; effice vt ibidem, quotquot hîc sumus, seruati à deuorante dracone, vitam inueniamus, & canamus, non cum Iona canticum mœroris & luctus; sed cum viginti quatuor senioribus, illud cæleste melos: *Redemisti nos Deo in sanguine tuo, & fecisti nos Deo nostro regnum, & sacerdotes: & regnabimus super terram.* Amen.

Lucæ 22. v. 33.

Apoc. c. 5. v. 9.

LECTIO DECIMA-OCTAVA.

ET REMIGABANT VIRI VT REVERTERENTVR AD ARIDAM, ET NON VALEBANT: QVIA MARE IBAT, ET INTVMESCEBAT SVPER EOS. *Vers.* 13.

ARGVMENTVM.

Exemplo sociorum Ionæ *quàm sit deferendum Ecclesiasticis hominibus, quàm remittendæ iniuriæ, ostenditur.* Christvs *cum* Iona *collatus, hoc in passione sua infelicior comprobatur. Christianorum duella damnantur. Toleranda conuitia, in malè meritos exercendam caritatem, peccata fugienda vt causas malorum omnium, docetur.*

1 Ionam constitutum Reipublicæ illius naualis Consiliarium, iudicem suum factum, atque in se ferentem mortis sententiam, paullò ante exhibui. Nunc reum dabo, & quid executores sententiæ socij eius agant, paucis edisseram. Primò lenti in consiliis, & cunctabūdi; nunc etiam lentiores in executione & opere tergiuersantur, & violentas manus iniicere in cultorem Domini non audent. Nam (vt Theodoretus ait) *Non statim his verbis auditis, tollite me, & mittite in mare, nautæ imperata fecerunt: quin aliquamdiu restiterunt, malorum cessationem quandam futuram exspectantes.* Forsitan & hoc ampliùs eorum animos ad misericordiam inflexit, quòd Ionam tam æquo promptoque animo eam quam sibi indixerat pœnam paratum subire conspicerent. Vnde sic secum ratiocinari potuerint; certet Ionæ magnanimitas cum caritate nostra, profectò non vincet: velit ille mitti in mare, nos, quoadvsque aliter poterimus, non mittemus, seruabimus, tuebimur eum. Agamus igitur, quoniam auctâ tempestate, mare velis decurrere non possumus, conemur iis positis ad continentem celeri remigio appellere, & hominem viuum in terram exponere, atque ita illum morte, & nos mortis metu ac periculo liberare: qui fugâ suâ in naui Numen persensit iratum, quis nouit an terræ redditus non continuò placatum inueniet?

Iudices Ionæ, socij illius, lenti in consiliis, lentiores sunt in executione.

In 1. cap. Ionæ.

Magnanimitas Ionæ, & sociorū eius caritas, inter se dimicant.

2 Hoc igitur arrepto saniore, vt videbatur, consilio, Remigabant viri, vt reverterentvr ad aridam. 70. *pro Remigabant* habent παρεβιάζοντο, id est, conabantur; vel, vt D. Hieronymus interpretatur, vim facere cupiebant. Quidam Rabbinorum, inter quos Rabbi Aben-Ezra, Iarchy, & Kymchi pro *Remigabant*, ex Hebræo vertūt, *fodiebant*, quod magni laboris

Fossores & remiges in labore conueniunt.

laboris est. Certè non minùs quàm fossores in terra, hi nautæ laborabant in mari. Illud verò similitudinis est fossores inter & remiges; quòd sicut illi ligonibus terram, ita hi remis aquam subigere satagant. Quod ergo noster interpres planè, Hebræus per metaphoram exprimit, etiam apud Poëtas Latinos vsitatam; sic namque Virgilius,

Virgil. lib. 2. Æneid. *— Vastum maris æquor arandum.*

Alij quoque sulcorum æquoris non secus quàm terræ meminerunt.

3 Verùm quò tendit hic remigum labor? quorsum tantus eorum conatus tantaque contentio? vellent omnino *reuerti ad aridam*, vellent quacumque demum ratione & via appellere ad littoris partem aliquam ibique, fugitiuum exponere, illum seruare incolumem, se metu & periculo liberare.

Ecclesiastici status à secularibus deferendum. 4 Videte hîc duo verè magna in nautis: alterum religionis reuerētiam, quâ IONAM delicti, & quidem grauioris, reum, eo non permittente modò; sed & iubente, se mitti in mare, Deo placationis victimam, nihilominus, quia Propheta, quia Dei cultor est, tangere reformidant. Bone Deus! quid nunc metuunt nonnulli Magistratus Ciuiles? ah nimium benè sciūt, *quòd gladium portent*, sed fortasse non ita, quibus ille seruire vsibus debeat: videlicet non ad terrorem bonorum, sed ad vindictam malorum. Dicam apertiùs; sunt variis in orbis angulis non pauci, qui æqualiter in omnes ius exercere se posse putant, & reipsâ etiam exercent, neque christos Domini tangere pertimescunt; in Sacerdotes altioris longè quàm ipsi sint gradus ac ordinis, æquè atque in alios violentas manus iniiciunt. Istos velim ab hisce nautis, Ethnicis, rudibus, & incultis, discere quàm agere debeant reuerenter, religiosè, ac sanctè cum hominibus Deo sacris, ac meminisse, si hos inermes non metuant, esse quod pro iis armatum in vindictam Deum, etiam cùm minimè suspicati fuerint, reformident.

Ad Rom. 13. v. 4.

Sigonius de Imperio Occidentis lib. 3.

5 Certè Constantinus Augustus, cognomento Magnus, regibus, principibus, iudicibus exemplum dedit, atque eos, quomodò cum Ecclesiasticis viris agendū, probè edocuit; quando in Nyssæna Synodo, oblatos ab Episcopis libellos, quibus se inuicem criminabantur, in sinum primò, deinde in flammam conіiciens, dixit: *Sacerdotum iudicium Deo reseruo, qui velut Numina ad homines regendos ab ipso hîc in terris sunt constituti. Et ideò nos rectè iudicamur à vobis, vos autem nefas est ab hominibus iudicari.* Sed & eumdē Constantinum dixisse aliquando accepimus: *Ego ipse, si Episcopum aliquem delinquentem viderem, purpurâ meâ*, vel vt habet Theodoretus, *paludamento meo obtegerem.*

Constantini Imperatoris de Ecclesiasticis existimatio.

Zonaras Theodoretus lib. 1. c. 11.

Quis hominum modò sic loquitur? quis magnatum, principum, regum sic iudicat? eò nunc propè deuentum est, vt etiam apud gregarios nobiles, Sacerdotes velut famuli mensæ illorum ministrent, neque ab illis pluris fiant quàm fungi, vel vappa, vtpote quibus ad omnia, etiam vilissima, tanquam pedissequis & agasonibus vtuntur. Non omnino excuso Sacerdotes illos, qui se longè infra statum & conditionem suam ad tam vilia abiiciunt, & dignitatis suæ intantum obliuiscuntur, vt adhiberi se ad quiduis sinant: verùm magis videant illi qui adhibēt, & quodammodò ad eiusmodi adigunt ac compellunt. Hi fortè sese excusabunt, & dicent: quo pacto apud nos in pretio, quomodò in honore erunt, qui nihilo apparent aliis meliores, quibusdam etiam deteriores. Respondebit ad hoc pro me S. Gregorius: *Multi,* inquit ille, *dum plus vitam sacerdotum quàm suam discutiunt, in erroris foueam delabuntur, minùs considerantes quòd non eos vita sacerdotum læderet, si ipsi humiliter bonis sacerdotum admonitionibus aurem accommodarent. Sed hypocritarum more magnâ trabe vulneratos habentes oculos, eamq; negligentes, festucam tenuem in aliorum oculis conspiciunt.* Ad hæc non tam vita Sacerdotum, quàm status sacerdotalis dignitas intuenda: in Sacerdotibus enim vt Dei ministris ipse

Sacerdotes apud multos viluerunt nimis.

Gregor. super Ezechielem.

ipse honorandus est Deus, qui suos Sacerdotes sic etiam honorari iussit. Porrò non est illos honorare, operâ illorũ vti famulorum vti, illos ad tribunal omnibus ciuibus cõmune, velut conciues illorum ac socios euocare, ibidem iudicare, condemnare, magis auctoritate & potentiâ, quàm vllâ legitimâ potestate; existimare demum ac dicere, nihil minus sibi in illos, quàm in quosuis alios iuris competere, proindeque lege communi cum illis, vti cum ceteris, agere, atque ita libertatem Ecclesiasticam non modò violare, sed etiam conuellere, atque proterere. Certè liceat hîc verba Christi Domini, ad Pharisæos prolata, licet in dispari argumento, vsurpare, & dicere, *Ab initio non fuit sic*.

Matth. c.19.v.8.

Esse homicida metuunt Ionæ socij.

6 Alterum hîc, quod in nautis magnum, obseruate: eorum videlicet summam & incredibilem clementiam simul & beneficẽtiam, multis quidem actibus prioribus nobilitatam, nunc verò auctam iterũ vehementer, quando ita à IONÆ abhorrent nece, vt ferre malint periculum proprium, & quidem ab illo, quem iure plecterent, & solâ gratiâ quoad possunt seruare student, illatum, quàm damnum, se aut adiutoribus, aut auctoribus, videre alienum. Nam vt loquitur S. Hieronymus; *magis volunt perire quàm perdere.*

Mansuetudo Lycurgi in adolescentie sibi inimici probâ institutione ostensa.

7 Memorabile est, quod recenset Plutarchus, Lycurgum magnum olim Lacedæmoniorum legislatorem, cùm ab Alcandro, adolescente dissolutis moribus, oculo orbatus esset, eumque ob illatam hanc sibi iniuriam, agente populo, ita haberet suum; vt tanquam de nocente posset decernere, ac suffragiis totius multitudinis reum, suo arbitratu plectere; eundem non aliter puniuisse quàm probâ institutione, decorisque moribus ad omnem honestatem formando. Porrò hoc ita sedulò fecit, tantaque felicitate, vt mox compositum planè, & velut ad virtutem factum, cum ampla commendatione in theatrum produxerit, illis à se decoratum encomiis. En iuuenem, quem accepi à vobis violentum, nunc factũ frugi restituo: quod verè est vincere, Christiano more loquendo, in bono malum. O rem vti in Ethnico magistro mirabilem; ita in eiusmodi discipulo raram! etenim citò tanta illius magistri benignitas & iniuriarum remissio discipulum incultum excoluit, ignarum docuit, improbitati assuetũ, ad virtutem & mores bonos erudiuit.

8 Æquè perpetuâ dignum memoriâ est, quod à veteribus accepimus, Agesilaum Lacedæmoniorum regem occultos hostes, nihilque aliud quàm sibi perniciem molientes, ac tales à se agnitos, honoribus condecorasse amplissimis, succurrisse periclitantibus, egentibus subuenisse. Videlicet gloriosum sibi putabat rex ille tam magnus & potens licet, non irâ aut odio, sed beneficentiâ vincere, & hostiles animos non ferro, sed amore flectere, sibique muneribus deuincire. Ad hæc ei stimulus erat, quòd nosset, sicut horum beneficiorum memoria maior est; ita cum amore obseruantiam per hæc beneficia comparatam, esse solitam diuturniorem.

Agesilai in occultos hostes suos liberalitas & benignitas.

9 Similiter Vespasianus Romanorum Imperator, cùm monitus caueret ab insidiis Metij, cum nihilominus Consulem creasset; non minus quàm Agesilaus vincendum maleuoli animum beneficiis ratus; monentibus respondit: *Erit memor aliquando tanti beneficij.* Imposterum gratitudinem exspectabat ab eo, non iniurias, non subdolas machinationes, non insidias iam à se munificentiâ superatas, & victas.

Vespasiani Imperatoris in insidiatorem suum beneficentia.

10 Illustria hæc in Ethnicis: audite nunc illustriora in Christianis. Et quidem primò in ipso summo sacrorum Antistite Sixto III. Romano Pontifice; is accusatus aliquando, cùm coactâ quinquaginta septem Episcoporum Synodo, omnium esset absolutus sententiis, & accusator damnatus, ac iussu Valẽtini III. Augusti & Placidiæ matris, addictis fisco facultatibus eius, in exilium missus, vbi tertio mense exstinctus est; satis ostendit in defuncti

Sixti III. Pontificis in calumniatorem & hostem suum caritas.

Platina in vitis Pontificum.

functi funere quid Christianum principem sacrorum Primatem cumprimis deceret, quando accusatoris cadauer vnguentis delibutū, aromatibus condiuit, sindone inuoluit, & propriis manibus in monumentis parentum suorum ad Sancti Petri deposuit.

Alexandri Patriarchæ Ierosolymorum in tabellionem suum caritas.

11 Nec minus caritatis in remissione obliuioneq; iniuriarum; minorum licet, ostendit Alexander Ierosolymorum Patriarcha; quando eum, qui sibi esse solebat ab Actis, proindeque peculiari fidelitatis sacramento obstrictus, direpto auro in Thebaïdem fugientem quidem, sed in fuga latronum manibus comprehensum, vinctum, & ad extrema Ægypti captiuum abductum, illum inquam expilatorē suum octoginta numismatibus redemit, & patriæ redditum pristino muneri & honori ita restituit, vt quidam ciuium dixerit, *nihil videri vtilius quàm in Alexandrum peccare.*

Hist. Societ. lib. 1. n. 68. *S. Ignatij de Loyola in socium suum caritas.*

12 Recentius habemus nec minus illustre in sancto Ignatio Societatis IESV institutore, neq; in materia dissimili. Erat huic Lutetiæ Parisiorum, cùm isthic daret operam studiis, contubernalis; cui suum omne peculium seruandum crediderat: verùm is parum socio suo fidus, eo sublato Rotomagum fugerat, non tamen è Dei manu, à qua ibidem tactus morbo graui, Ignatianæ caritatis memor, hanc, licet tam malè de amico meritus, implorandam censuit. Itaque cùm necessitatem suam datis ad Ignatium litteris indicasset, Ignatius omnis acceptæ iniuriæ immemor, protinus tridui itinere Parisijs Rotomagum contendit; ita cibo omni & potu abstinens, vt ne aquam quidem gustaret, Deum obsecrans vt hisce suis laboribus, & quas iungebat precibus, fraudatori rediret salus & sanitas: & stetit sua caritati merces.

Sociorum in Ionam caritas maxima, & iniuriarum obliuio.

13 Magna hæc: sed non minor, & quia sine exemplo, vtpote ceteris antiquior; fortè etiam maior fuit caritas nautarum in IONAM; si de morali virtute, non Theologica, cuius illi vt Ethnici necdum erant capaces, agamus. Potuissent meritò de vlciscenda quam ab eo acceperant iniuria cogitare; quando nullo suo demerito, propter illum solum aliquo tempore tantis in angustiis atque etiam periculis fuerant versati; quando propter illum merces omnes, & quidquid habebant, sine vlla spe, ea vllo vnquam tempore recuperandi, deturbarant in mare; quando tanto studio, tantoque labore, in remigando propter illum se fatigarant. Sanè si fortè indignum se putabant, occasionem vltionis quærere studiosiùs, saltem oblatam arripere auidiùs potuissent; nisi eos plus quàm fraternus in IONAM amor ad alia omnia permouisset. Quo vno effectum, nihil vt intentatum relinquerent, quod valere ad conseruandam vitam, salutemque socij posset.

Damnatur, quòd nunc iniuriarum nimium memores sint Christiani.

14 Non sic hodie inter Christianos multos, non sic agitur: plerique, ô rem lugendam! licere sibi putant; imò ex honore suo esse, quasuis iniurias, tenues licet, etiam grauiùs persequi, & si aliter non possint fuso eas inferentis sanguine vindicare. Quasi abolitum sit illud Christi præceptum: *Ego dico vobis: diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos; & orate pro persequentibus & calumniantibus vos; vt sitis filij Patris vestri, qui in cælis est.* Quàm paucos nunc reperire est Stephanos, qui pro se lapidantibus orent, & dicant, *Domine ne statuas illis hoc peccatū!* quàm paucos Paulos quibus illud cōueniat: *Maledicimur & benedicimus; persecutionem patimur & sustinemus; blasphemamur & obsecramus.* Interim nullum est nobilius vindictæ genus, nullum generosius factum, quàm vlcisci cùm possis ignoscere. Igitur

Matth. c. 5. v. 44.

Act. 7. v. 59.

1. Cor. c. 4. v. 12.

Vince animos iramq; tuam qui cetera vincis.

Ouid. epist. 3. Heroidum.

Sed non vsque eò progreditur virtus multorum, qui putant, benè sibi esse non posse, nisi sit hostibus suis malè. Insuper ne iam de hostibus tantùm agamus, etiam inter amicos plerique necessitatis propriæ, & commodi sui, probè memores, ne quid sibi desit solliciti, rectè seipsos curant: sed extra hos

Quòd tam exigua sit in proximos caritas.

hos amoris proprij terminos eorum caritas non extenditur, fraternus amor vix ipsis notus videtur; vel, si notus, nomine tantùm non re: nam premantur egestate alij, quicumque demum, periculis grauibus subiaceant, in euidentis mortis discrimine metuq; perpetuò versentur, quidquid denique circa illos agatur, ipsis susque deque est: quo nullum signum euidentius emortuæ caritatis, quæ si *diffusa in cordibus nostris per Spiritum sanctum* adhuc viueret, aliquid etiam operaretur, & cùm esse nequeat otiosa, magnos motus faceret animorum, ac nouos quotidie ad succurrendum opitulandumque proximo, quantumuis hosti, igniculos excitaret.

Ad Rom. c. 5. v. 5.

Prouidentia Dei admirabilis in conseruatione Ionæ.

15 Ad actum hunc tam mirabilem nautarum, eâ benignitate cum Iona agentium, quò magis oculos reflecto, eò magis stupeo, & exclamandum mihi cum Dauide censeo: *Magnus Dominus, & laudabilis nimis, & magnitudinis eius non est finis!* Certè cùm in omnibus, tum in cura & prouidentia de singulis magnus. Hanc magnitudinē in peculiari conseruatione Prophetæ sui à populo, qui eum in naui scelestū agnitum facilè inuaderet, ostendit hîc copiosè. Etenim cùm illi hominem non nossent, fortè nec vnquam vidissent antea, certè nullum ab eo beneficium accepissent; haberent insuper indignationis & odij causas multas & magnas, perstitêre in vera amicitiâ, quæ opitulari amico egenti solet, tot inter aduersa fideles.

Psal. 144. v. 3.

Amicus certus in re incerta cernitur.

16 Benè dixit Poëta:

Donec eris felix, multos numerabis amicos:
Tempora si fuerint nubila, solus eris.

Ouid. lib. 1. de Trist. Eleg. 8.

Et perrarò, hoc saltem æuo, aliter accidit. Sed Ionas etiam infelix, tot inter nubila, tot inter tempestates & turbines, tot inter luctus, tot inter pericula, tot inter imminentia sibi supplicia, amicos inuenit, & plures numerat, à quibus nec in tam præsenti morte deseritur. Quis auctor? amicorum optimus maximeq; necessarius Deus. Hic, vti Ionæ adfuit semper, numquam eum suo præsidio destituens; sed tempore suo sicut vulnerans, ita suo etiam sanans: sic nobis humanis destitutis auxiliis, subinde nil minùs cogitantibus, adest sæpè, eosque amicos suppeditat, eos facit familiares, quos antè nec vultu noueramus, nec nomine. Quare quicumque demum negligatur amicus, hic semper amicorum maximus & optimus, maximè venerandus, habendus in pretio; &, vt ait Christianus Cato,

Amicus optimus numquam hominem deserens Deus est.

Deus amādus super omnia.

Hic tibi præcipuè sit purâ mēte colendus.

Quoniam verò diues est, etiam est precibus sollicitandus opportunè importunè, vt egestatem nostram subleuet, miserias quibus obuoluimur à nobis amoueat, ac pro suâ benignitate ostendere dignetur, cùm patrem nostrum se constituerit, quàm ei sit cura de nobis.

Christus Ionâ infelicior ab omnibus amicis desertus fuit.

17 Infeliciùs sanè, cum hoc summo nostro & syncerissimo amico Christo Domino, orbis totius redemptore, assertore, & vindice salutis ac libertatis nostræ, à Iudæis est actū, quàm à nautis cum Iona. Quare, si quis cōditionem Ionæ miseram, longè potiùs Christi miserrimam deploret. Ionæ quot socij, tot amici: Christo amicus nullus: Nam *omnes*, velut amicitiæ renuntiantes, *relicto eo fugerunt:* & quàm dispar interea vtriusque conditio. Ionas Propheta, Christus Prophetarum Princeps, imò Dei filius: quid maius? cum Iona Iudęo agebāt Gentiles, cū Christo Iudæorum rege, Prophetarum principe Iudæi, quos sibi populum sanctū fecerat: quare spectatâ rei indignitate, & in tam dispari casu magis dispares successus Hieronymus intuens, exclamat hoc loco, prorsus admirabundus: *O rerum quanta mutatio! populus, qui seruierat Deo, dicit crucifige, crucifige talem: istis imperatur vt occidant: mare furit, tempestas iubet; & proprium periculum negligentes de aliena salute solliciti sunt.*

Matth. c. 26. v. 56.

Duella non instituenda à Christianis.

18 Nolo vos hîc Iudæos, sed nautas imitari, esseque de aliorum quidem, sed imprimis de propria vita sollicitos.

Nemo ergo tam ſit temerarius, vt alteri certamen de vita ac morte indicat; nemo, quemcumque demum, in duellum prouocet, aut ad id à quocumque prouocatus, deſcẽdat: ſic luctari eſt hominum, tantùm belluarum more cruorem ſitientium, qui ſatiare malè ſibi indulgentem & furori ſeruientem animum non poſſunt, niſi victum viderint quem oderunt; & de fuſo à ſe hoſtis ſui ſanguine potuerint improbè gloriari.

19 Tales eſſe, & fuiſſe olim Ethnicos ne miremini, cùm plerique in huius ſeculi felicitate, & qui ceteris inter eos prudentiores, in humana gloria (neque enim illam æternæ vitæ nouerant) ſummum bonum collocarint. Quare vbi de hac detractum aliquid fuerat, non mirum ſi efferuerẽt in iras, ſi continuò vindictam ſpirarent & hoſtilem ſanguinem læſi, neque abſiſterent niſi iniurias iniuriis redemiſſent.

Vulgus obliuiſcitur beneficia, maleficia retinet.

20 Vir ſapiens Thomas Morus regni Angliæ quondam Cancellarius idemque Martyr, de vulgo loquens quod ſecundùm Naſonem

Ouid. lib. 2. de Ponto Eleg. 3.

——*amicitias vtilitate probat*,

ait, ferè ſolitũ beneficia pulueri, maleficia marmori inſcribere. Vos, qui ſupra vulgus ſapitis, non ſic *Sodales*; ſed magis ſtudium veſtrum ſit, quidquid à quocumque malorũ obuenerit, ſempiternâ obliuione delere, quidquid bonorũ, perennaturis faſtis inſcribere.

At reclamantem quempiam audire mihi videor: tam grauem, tam atrocem iniuriam, qui ferre æquo animo poſſim? hoſtis quem amicum credebam, mihi famam & honorẽ eripuit. Monet Cato non Ethnicus, ſed Chriſtianus:

Iniuriam acceptam contemnere glorioſum eſt.

Omnia cùm perdas, famam ſeruare memento.

Neque ignoro illud Sapientis: *Melius eſt nomen bonum, quàm diuitiæ multæ.*

Prouerb. c. 22. v. 1.

Ergóne hæc faciet impunè? & me cõſtituet mũdi ludibrium? Eſto, famam perdidiſſe videaris, contemne iniuriam, & plus acquiſieris quàm perdidiſſe te putas: ſi neſcis contemnere, fortè præter nomen & famam, iam etiam vitam & ſalutem feſtinas deperdere.

21 Secutus igitur Pauli conſilium: *Noli vinci à malo, ſed vince in bono malum.* Etiam Poëta Ethnicus hîc virtutem agnouit, dum ait:

Ad Rom. c. 12. v. 21.

Cede repugnanti, cedendo victor abibis.

Ouidius de Arte.

Vult Paulus; *Vult Chriſtus*, vt D. Chryſologus loquitur, *nos vitia non repenſare vitiis, ſed ſuperare virtutibus, & in ipſis ſcintillis adhuc exſtinguere iram, quæ ſi peruenerit ad totum furoris incendium, ſine ſanguine non ſedatur.* Concludit verò in hunc modum: *Qui vult vitia vincere, pietatis arma teneat, non furoris.* Itaque ante omnia ne effrenis iracundia vindictam imperet, atque ita rationis vſum præuertat, ac ſubruat, maximoperè cauendum eſt. Neque verò quiſpiam magnum quid & viro dignũ præſtitiſſe ſe putet, vbi par pari reddiderit: quaſi tunc animos verè generoſos oſtenderit: *Vindicare*, teſte S. Ambroſio; *non eſt actus fortitudinis, ſed abiectionis & timiditatis. Vincitur ab inimico, non vincit, qui ſe vindicat.*

Chryſol. ſer. 36. in Euang.

Vitia non vitiis, ſed virtutibus ſuperanda.

S. Ambro. lib. 1. de offic. c. 6.

Fortitudo maxima eſt ſeipſum vincere, & malum acceptum nõ vindicare.

In ſimilem ſenſum dixit aliquando Demoſthenes princeps Oratorum Græciæ, cùm à quodam probris inceſſeretur; *Committor in certamen, in quo qui ſuperior euaſerit inferior eſt, & qui vicerit victus eſt.* Sequere igitur conſilium Pauli, *& vince in bono malum*; atque ita iniuriarum damnique tibi illati libens volenſque obliuiſcere: puta, tibi ipſi imperando, eſſe te omnibus hoſtibus tuis longè ſuperiorem. Nam, vt ait ille,

Fortior eſt qui ſe, quàm qui fortiſſima vincit
Mœnia; nec virtus altiùs ire poteſt.

22 Præmium huius fortitudinis proponit Seneca Tragicus vitam diuturnam ac felicem, & cælum: quid optetis ampliùs?

Præmium victoriæ ſui ipſius.

—*Quiſquis*, inquit, *eſt placidè potens,*
Dominuſq́; vitæ ſeruat innocuas manus
Animaq́; parcit; longa permenſus diu
Felicis æui ſpatia, vel cælum petit.

Seneca in Herc. Furente Actu 3.

Dixit,

Cicero in orat. pro M. Marcello.

Imperatores Romani immemores iniuriarum laudantur.

Dixit aliquando de maximo illo Imperatore Romano Caio Iulio Cæsare, siue laudem hanc commerito, siue potiùs illi adulando, Marcus Tullius, *Cæsar nihil obliuisci solet nisi iniurias.* At longè veriùs quàm illatas sibi iniurias, æternâ vellēt obliuione sepultas ostenderunt Theodosius, Arcadius, & Honorius Imperatores, quando Ruffino Præfecto Prætorio scripserunt: *Nolle se quemquam de populo qui procaci linguâ aut maledicto in ipsos peccasset pœnâ multari.* Causam addebant: *Quoniam si probrum ex leuitate processerit, negligendum; si ex furore aut insania condolēdum; si denique ab incuria remittendum.* O præclarum dictum, & factum longè præclarius! Quotquot Christianæ Reipublicæ ciues censentur, omnes tales esse oporteret; longè autem potiùs quotquot Virginis Matris clientes ac filij; vt de eorum singulis verè dici possit, *Nihil obliuisci solet nisi iniurias.*

Sodalium B.V. est obliuisci iniurias.

Hoc vt discatis, nisi iam antè didiceritis, non vos ad Iulium Cæsarem aut Ethnicum aliquem; non ad Christianos Imperatores remitto; sed neque ad quemquam de communi Catholicorum grege: ad commilitones vestros, ad consodales, ad socios vos ablego; in illis quęso spectate insignem caritatem atque modestiam, quâ vicerunt iniurias.

Lechnerus in Sod. Parthen. lib. 2. c. 11.

Id exemplis ostenditur.

23 Fuit Cracouiæ in Polonia anno superioris seculi sexto supra nonagesimum quidam è Deiparæ Sodalibus pręstans integritate vitæque innocentiâ, qui ab ignoto milite cū quo numquam ei intercesserat verbulum, graui in ipsa platea accepto vulnere, iacebat exanimis: intellexerat casum germanus frater, atque accersitis sociis, quæsitum homicidam vinctum catenis abduxerat in custodiam, alterâ die morte plectendum. Verùm opportunè intercessit qui iniuriam acceperat: is memor quòd esse deberet *Matris Misericordiæ* misericors filius, fratrem in vindictam inflammatum rogauit obnixè vt veniâ datâ percussorem dimitteret, nihil sibi morituro prodesse alterius mortem posse, imitaturum se Christi inimicis suis ignoscentis exemplum, si iam mori vicinus huic quoque inimico suo ignouerit. Non videbatur à fratre frater exorari posse; donec, cùm ille flagitandi finē non faceret, hic vereretur, ne qui erat grauiter ex corporis vulnere saucius, accipiens à se etiam animi vulnus, faciliùs interiret, si postulatis refragari pergeret. Quare illius precibus inductus reo libertatem, sed magis ad speciem quàm ex animo spopondit. Huic sponsioni cùm indicaret læsus se nequaquam acquiescere, nisi is qui læserat in conspectum suum venire posset, etiam illud importunis precibus extorsit à fratre. Venit igitur, & læsus lædentem, moribundus captiuum excepit perhumaniter, ei culpam remisit, indulsit veniam, eum eximi vinculis iussit, libertate donauit, hoc tantùm effatus: *Deus tibi ignoscat, ora pro me Deum & Beatissimam Virginem.* Superuixit deinde qui vulnus acceperat, vno tantùm die ac nocte, quo tempore salutationem Angelicam assiduè recitans se ad mortem disposuit, & mox placidè hisce corporis vinculis expeditus, vt fas est credere, ad libertatem gloriæ filiorum Dei feliciter euolauit.

24 Fuit & alius Posnaniæ, quod alterum in Polonia oppidum est, anno huius seculi nono, qui multo tempore potentis & factiosi ciuis passus conuicia, numquam tamen reposuerat. Ipsus ille, eodem auctore magnam quoque in mercibus suis iacturam fecerat, paratus tamen ad maiorem subeundam, tolerandasque iniurias grauiores. Sed aliter Deo visum, quo vindice deflagrauit inimici domus, magnaque pars supellectilis ac rei familiaris illi in incendio perijt. Quid actum? cùm pauci illius calamitate mouerentur, solius consodalis vestri tantoperè ab illo læsi eluxit benignitas: hic ærumnosum domum suam inuitauit, vxori eius proximæ partui cubiculum instruxit, omnibusque officiis miserum est sibi demeritus. Numquid hoc est obliuisci iniurias? Porrò ad ærumnosi huius calamitates om-

omnium ferè pręterquam huius vnius auxilio destituti, non dubium quin etiam magnus dolor accesserit, ex eo quòd tali ac tanto amico vllam vnquam iniuriam intulisset, eundemque vel verbo vel facto læsisset. Verissimũ enim est illud Apostoli Pauli: *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum: sitit, potum da illi. Hoc enim faciens carbones ignis congeres super caput eius.*

Ad Rom. c.12. v.20.

25 Hos è multis paucos accipite in exemplum, eorũ imitationi studete; hinc statuite quid muneris vestri sit: nimirùm si quando, vti fieri subinde solet, audieritis aliquid in vos ac vestra dictum liberius, morosius, asperius; non statim excandescere, non succẽdi in iras grauiores, non euibrare protinus mordacis linguæ venenata iacula, alterius quasi medullas petitura; at curam magis habere, per vos ne stet, quò minùs indissolutum maneat caritatis illud vinculum, quod inter homines omnes, arctum; inter Christianos, vti eidem Domino militantes, arctius; inter Beatissimæ Virginis clientes, vti sub iisdem centuriatos manipulis, arctissimum. Inhæreat quæso vestrũm singulis illud Ouidianum,

Conuicia, calumniæ, maledicta, audienda patienter; nec idcirco caritas violanda.

Ouid. lib. 1. Trist. Eleg. 1.

Tu caue defensas, quamuis mordebere dictis.

& longè magis cauebitis vltrò aliis inferre iniurias.

26 De inferendis alteri iniuriis facilè mihi cauero inquies, sed pro illatis nihil reponere, inferentem amare, diligere inimicũ hoc verè durum est. Benè Drexelius in suo Zodiaco, & longè quàm ego dicere possim meliùs, dicam ergo verbis illius. Durum sit licet; *erit longè durius inter innumeros inimicos apud inferos ardere: difficile eum diligere, quem vix odio dignum censeas; sed difficilius audire ab iride clamantem: Ite maledicti in ignem æternum. Nimis arduum illæsum eum sinere, qui toties læsit. Montem non scandet qui vitat ardua: cælum fugit, quisquis inimicum odit.* Subdit in eumdem sensum non minùs eleganter quàm verè: *Peregrinabundi huc illuc sæpè currimus, subinde deteriores redimus: Templorum aras cerâ cumulamus, nos interim saxea pectora gerimus: impetrando Iubilæo satagimus, nec tamen vindictam vrgere desinimus. Iubilæum Deus in ædium nostrarum vestibulo statuit, illud nostrum facimus si tantùm dicamus ignosco. Dimittite ait Dominus & dimittetur vobis.* Hæc & plura in hanc mentem Drexelius. Ego quod addam non habeo; iniuriam, vt mihi quidem videtur, facturus B. Virginis filiis bonis Sodalibus, quasi de eorum virtute diffidam, si hoc ampliùs vrsero.

Inimicitiarũ damna.

Drexelius Zodiaci signo IX.

27 Aliud nunc moneo, dum spectandæ huic nauigationi, cui interest IONAS, vacatis; vnà obseruetis, quanta, ad eorum exemplum qui cum eo nauigant, esse cura debeat de malis hominibus qui in eadem Republica versantur, vt quoniam valdè noxij sunt, ab ea remoueantur quamprimùm. Nullum est dubium quin gubernator suos remigare iubens, vt sistatur littori IONAS, intenderit arcere noxam & noxium. Id ipsum qui præsunt in suis efficiant; sed ita efficiant, vt dum arcent nocentes, & sic innocentes tuentur, ipsi quoque nocentes intelligant, non se diutiùs arceri, quàm nocentes esse perrexerint; vt sic ponant aliquando improbitati suæ modum, atque id ita fieri omnino debuisse cognoscant: sicut IONAM nautæ non antè dimiserunt in mare, quàm tentatis omnibus, quæ occurrebant, præsidiis nullam aliam consequendæ salutis spem reliquam censuerunt.

Arcendi à communitatibus mali.

Mali vbi se emendauerint recipiendi in gratiam.

28 Tertium, quod etiam aliàs monui, obseruare vos velim, quàm benignè cum improbis, vbi culpam agnouerint ac resipuerint, agendum, quomodo erigendi in spem meliorem, quo pacto, si vnquam aliàs, aperienda tũc eis caritatis viscera, ne deserti ab omnibus in interitum ruant. Sic fecit magnus ille Gentium Doctor Paulus: Corinthium quemdam, hominem improbum ac fornicarium, vitandum ab omnibus iusserat, eum Ecclesiæ communibus suffragiis priuarat, tradẽdum satanæ præceperat vt resipisceret. Audite eum loquentem: *Iudicaui tradere huius-*

Caritas iisdem exhibenda.

Pauli Caritas in fornicarium hominem.

1. Corint. c. 5. v. 5.

huiuſmodi ſatanæ in interitum carnis, vt ſpiritus ſaluus ſit in die Domini noſtri Iesv *Chriſti*. Sed vbi reſipuit quid tum Paulus? matrem ei ſe denuò exhibens, ſecundùm quod dixit aliquando, *Filioli mei quos iterum parturio donec formetur Chriſtus in vobis*, plenâ & perfectâ populi caritate iterum confoueri hominem iuſſit. *Obſecro*, inquit, *vos vt confirmetis in illum caritatem*.

Ad Galat. c. 4. v. 19.

2 Corint. c. 2. v. 8.

Certè ipſemet Chriſtus Dominus à reſurrectione ſua primò Mariæ Magdalenæ, è qua ſeptem eiecerat dæmonia, id eſt, peccata plurima, glorioſus apparuit: vel ſic oſtendens, non obſtare diuinis fauoribus culpas præteritas, quando hæ nouis obſequiis, nouis caritatis ardoribus cõpenſantur.

29 Eſt hæc caritas atque benignitas omnibus quidem neceſſaria; ſed nullis magis quàm maioribus, ſpiritualibus Patribus, & Prælatis. Conuertit ad hos ſermonem ſuum in ea, quam Galatis ſcripſit, Epiſtola Paulus cùm ait: *Fratres ſi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui ſpirituales eſtis, huiuſmodi inſtruite in ſpiritu lenitatis, conſiderans teipſum, ne & tu tenteris*. Quòd ſi verò etiam ex tunc tentationibus afflictum ſe ſenſerit is ad quem auxilij gratiâ alius recurrerat, non idcirco illum minùs alterius miſereat; ſed ſperet tantò ſe quoque faciliùs liberandum, quò citiùs ſuâ benignitate alterum à moleſtiis, quibuſcum luctatur, expeditum dimiſerit. Nam, vt ait ille eximius orbis totius Paſtor, in libro quem de hac cura conſcripſit: *Tantò quis faciliùs à ſua eripitur; quantò miſericordius ex aliena tentatione fatigatur*. Ecce quomodo hic Ionas cõmuni multorum conſodalium benignitate fouetur; & pœnitens in ſpem meliorem, vt credibile eſt, ſecuturæ felicitatis erigitur: neque enim dubito quin quiſque, pro ſuo in virum afflictiſſimum commiſerationis affectu, ei optima quæque ſpoponderit.

Caritas maximè neceſſaria Prælatis.

Ad Galat. c. 6. v. 1.

Caritatiuus in alios facilè à malis ſuis liberatur.

Gregor. Paſtoral. parte c. 5.

30 At ſucceſſum videamus. Inſtructi remis æquè ac velis, ſicut omnes olim naues inſtrui ſolitas Arias Montanus affirmat, remos expedierant, operi inſudarant Ionæ ſocij; verùm improbo iſtoc labore, nihil fuerant conſecuti, nihil planè promouerant. Nam, cùm vellent redire ad aridam, non valebant: imò maioribus, vt credibile eſt, ſemper fluctibus iactati, minùs obniti poterant, minùs conſequi quod optabant, fractis animi æquè ac corporis viribus: vnde grauiori maris ac fluctuum à terra, ne quo modo poſſent appellere, inſurgentium impetu, pulſos à littore longiùs, faciliimè credo; vt magis illis cõſtaret prorſus contrariam eſſe ſuis conſiliis Dei Optimi Maximi voluntatem, quando nec velis altum petere, nec remis terram radere tanto conatu licebat.

Nauis Ionæ quò magis nitebatur in terram, eò magis propellebatur in mare.

31 Ceterùm luctatos aliquamdiu cum ventis, tempeſtate, fluctibus, num quid contrà poſſent; & ſi quid euincerent, ampliùs conaturos fuiſſe non ambigo. Hanc eorum contentionem, breui, ſi non eleganti, appoſito ſaltem carmine, expreſſit Tertullianus, ſic canens:

Nautarũ labor in portu ſectando irritus.

Tom. 8. Bibl. SS. PP. ex Edit. Pariſienſi anno 1589.

Aſt illi fruſtrà nituntur vertere curſum
In reditu, nec clauus enim torquere ſinebat,
Dura nec antennæ mutari libra volebat.

Vnde ſatis apparuit quòd incaſſum omnia, quando vndarum ventorumq; impetus artem omnem, induſtriam, ac vires nautarum ſuperabat.

32 Colligo hinc ad meam veſtramque inſtitutionem, quàm ſit omni modo, loco, tempore conandum, & ſeriò conandum, vt propitius nobis ſit Dominus, à quo pendent & loca, & tempora, & ſtudia ſingulorum; ſi quid vel improbo noſtro labore effectum velimus. Neque enim iuuare nos poteſt, aut induſtria propria, aut labor aſſiduus, aut impenſa cura ſollicitudoq; perpetua, aut diurnis laboribus iunctæ noctis vigiliæ, nihil denique conferent omnia, ſi non venerit in noſtri partem operis Deus. Secundùm quod dixit Dauid: *Niſi Dominus cuſtodierit ciuitatem, fruſtrà vigilat qui cuſtodit eam*.

Sunt nobis Dei gratia, & auxilium, in omnibus neceſſaria.

Pſal. 126. v. 1.

S 3 Enim

Victoria in praliis à Deo pendet.

Enim verò quî fit tam multos viros fortes & strenuos, probè necessariis omnibus instructos ad prælium, animatos velut leones, ductos à prudente peritoque Imperatore, & benè militiæ gnaro, quibus penè in manu erat victoria, interdum miserrimè succumbere, & ab iis vinci, quos putauerant suis armis prælioque indignos. Profectò nulla sæpè alia de causa hoc accidit, quàm quòd viribus suis, & non Dei auxilio fisi, nimiùm in fortitudine sua gloriantes, illius non implorarint auxilium, qui solus seruare potest & perdere. Quare non mirum si victi succumbant, quando Dei fortissimi bellatoris, quem non sunt reueriti, manu feriuntur. Canit Dauid: *Nisi Dominus custodierit ciuitatem, frustrà vigilat qui custodit eam.*

Psal. 126. v. 1.

33 Exempla præclara hoc in genere habemus in sacris voluminibus non pauca, quorum non magno labore hîc benè longus attexi catalogus posset. Verùm vt nihil aliunde accersamus, quo probemus opis diuinæ in rebus nostris necessitatem, vel hic, quē modò videmus, maris ipsius in IONA persequendo feruor, sat indicat, non esse nec vim, nec artem, nec prudentiam, nec consilium cōtra Dominum, cuius stat firma sententia, nullis conatibus infringenda, secundùm quod ait: *Ego occidam, & ego viuere faciam; percutiam, & ego sanabo, & non est qui de manu mea possit eruere.* Itaque agant hîc vt voluerint nautæ, sudore diffluant, sese labore conficiant, vela obuoluant, euoluant, attollant, deprimant, remis incumbant, per foros cursitent, malum scandant, vnà omnes operi incumbant, sese mutuò animent: nullâ remigum assiduitate, labore, industriâ, nullâ sociorum solertiâ, nullâ argonautæ ac gubernatoris seu peritiâ, seu prudentiâ, littus legent, ac portum tenebunt cum IONA. Decreuit quippe pœnam sceleri Deus; vult omnino IONAS mittatur in mare. Quare quidquid contrà agitur, frustrà agitur: luat necesse est, & eluat aquis immersus admissum crimen; vt discat ipse imprimis, deinde nos, & quotquot omnibus retrò seculis fuerunt, ac futuri sunt, quàm imperanti Deo, per omnia, atque in omnibus obsequendum.

Dei voluntati repugnando frustraneus est omnis conatus.

Deutero. c. 32. v. 39.

Ionam in pœnā sceleris sui mitti in mare vult Deus.

34 Insuper vt nouerimus quàm ei sit facile, quod ait S. Augustinus, *de malis benè agere.* Proponit nobis æternus Pater, tot antè seculis, in IONA velut in imagine, voluntariam sui dilectissimi filij necem, triduanam sepulturam, resurrectionem gloriosam, conuersionem Gentium, nouamque ad sanctæ Ecclesiæ gremium copiosæ prolis accessionem. Quo sensu per laborantes nautas, *vt reuertantur ad aridam*, ne pereat IONAS, Apostoli significantur nimium quantum solliciti, ne se det Christus illorum Magister optimus ignominiæ crucis, quod, vt putabant, impedituri, illi in Bethaniam abituro, sat magnâ libertate se opponunt, & dicunt: *Nunc quærebant te Iudæi lapidare, & iterum vadis illuc.* Petrus verò ceteris maiori, & nimiâ quadam præfidentiâ, vbi de morte sua dicētem Christum audisset, eum velut increpans audet subiicere: *Absit à te Domine, non erit tibi hoc.* Sed dicat Petrus, dicant Apostoli quod voluerint, mittēdus erat in mare Christus, Christus moriturus, Christus erat resurrecturus; sicut illum nunc mortuum esse, & resurrexisse toto orbe credimus, toto orbe Niniue totâ prædicamus, profitemur.

In Iona figuratur voluntaria mors, sepultura, resurrectio Christi, &c.

Apostoli Christi mortem, vt socij Ionæ, impedire cupiunt:

Ioannis c. 11. v. 8.

Matth. 16. v. 22. sed vtrique frustra.

35 Vt rursum insistamus historiæ; satis ni fallor intellexistis, quàm irrito conatu actum, quàm incassum ab hominibus & fortibus, & industriis, ad sedandam tempestatem, vel potiùs declinandam, cauendumque periculum, tentata omnia. Et ne tentare plura pergerent, quis esset sperandus successus abundè illis innotuisse satis indicat ipse noster Propheta, cùm ait: NON VALEBANT. QVIA MARE IBAT ET INTVMESCEBAT SVPER EOS. Tantum abest vt aliquid lucrarentur istoc tanto suo labore tantoque conatu; quin potiùs semper deperdere aliquid videbantur, & morâ temporis fieri

Tempestas & pericula propter Ionam cōtinuò augentur in mari.

fieri tempestas acerbior, ipsique remotiores à littore, cùm mare omni momento temporis illis minari ampliùs, & ampliùs, videretur.

36 Paullò antè tempestatis ortæ magnitudinem iisdem verbis Propheta expresserat; nunc tempestate increbescente & quodammodo geminatâ, eadem verba geminat, atque vt sciamus apertiùs quid sibi hæc velit, quos petat, adiungit, SVPER EOS, quod antè non posuit: quasi nunc demum remigantibus, illisque qui erant in naui, mare tumidum certum exitium minaretur, si se vlteriùs conatu irrito fatigarent. Rectè igitur censet Benedictus Arias Montanus, iis diuinam voluntatem nouo quodam maris fremitu atque impetu penitiùs indicatam; & ego ab iis pro tali agnitam, existimo iisdē causam dedisse, cur aliò demum sua consilia verterint.

Peccata in anima retinens nūquam à tempestate immunis est.

37 Obseruet nunc se vnusquisque vestrûm & videat, an non sit ex iis, qui obortâ tempestate *remigant vt reuertantur ad aridam, & non valent.* Horum numero censentur, quotquot ab animi perturbationibus se reddere immunes, & ad spiritales delicias supernæ dulcedinis degustandas transire percupiunt; in iis velut in perpetua malacia ac iucundissima quiete constanter nauigaturi: sed quia IONAM retinent, habent inquam occulta quędam in imis conscientiæ fibris venena peccatorum, semper hærent, velut inter inquietos conscientiæ fluctus inquieti, semper anxij, securi nunquam; quia ad aridam, veram dico ac perfectam mentis tranquillitatem peruenire non possunt. Nam etiam secundùm Iuuenalem:

Sine virtute nusquam requies.

Satyra 8. in fine.

——— Semita certè
Tranquillæ per virtutem patet vnica vitæ.

Ergo vbi exulante vitio virtus non est, ibi nec esse quies, nec tranquillitas potest. Dicente eleganter, vt omnia, B. Leone Pontifice Maximo: *Mens dura & ingrata*, qualis est hominum nequam, *sibi ipsa supplicium est, & in conscientia sua patitur, quidquid Dei bonitate differtur.*

D. Leo ser. 5. de Epiphan.

38 Porrò illi quid sibi agendum à nautis hisce condiscant, qui vbi vidêre frustraneum omnem suum fuisse conatum, vnius periculo & diuinæ voluntati parendum, & prospiciendum saluti omnium putauêre. Quod vt maiori agerent securitate, maioriq; prudentiâ, atque exitu non infelici, orsi sunt à recursu ad Deum pro facti sui deprecatione. Prorsus sic agere eos qui deliquerunt oportet, sibi vt rectiùs consulant, & excitatam in se Dei iram, grauem profectò tempestatem, & quâ grauiorem nullo in pelago vidit orbis, euadant securi; *Clamare* debent *ad Dominum*, detestari crimina, malè probata damnare, profusis lacrymis culpam agnoscere, precari veniam. Sola namque tempestatis causa peccatum est, vnum hoc anxios facit & timidos, hoc replet ægritudinibus ac molestiis, quæ non antè recessuræ, quàm quisque fugæ suæ, peccati dico (est enim peccatum infamis quædam à Deo fuga) cum detestatione auersioneque meminerit.

Peccator à deprecatione culpæ suæ ordiri debet, vt salutem & quietem inueniat.

Peccatum tempestatū omnium causa.

39 Nec meminisse sufficit; sed & *Clamare*, quemadmodum dixi, oportet *ad Dominum*, insuper meliora sanioraque inire consilia, neque IONAM vlteà retinere, peccatum dico, in animæ latebris vt delitescat permittere: sed confestim, suum tanto onere animum expedire. Tunc *Stabit mare à feruore suo*: mens omnino tranquilla erit ac placida, nec vllis quantacūque tempestas ingruat periculis obnoxia, adeoq; huius mortalitatis cursum inter turbines, inter procellas, inter aduersa quęuis, decurret secura. Nam ita docente B. Bernardo: *Nulla ei nocebit aduersitas, si nulla dominetur iniquitas.*

Peccatum pellendum ex anima.

Ionæ c. 1. v. 15.

Bernard. ser. 2. super Psal. Qui habitat.

LECTIO DECIMA-NONA.

ET CLAMAVERVNT AD DOMINVM, ET DIXERVNT: QVÆSVMVS DOMINE, NE PEREAMVS IN ANIMA VIRI ISTIVS, ET NE DES SVPER NOS SANGVINEM INNOCENTEM: QVIA TV DOMINE, SICVT VOLVISTI, FECISTI. *Vers.* 14.

ARGVMENTVM.

Pro vita IONÆ *licet nocentis conseruanda sociorum cura indicatur. Sinistræ suspiciones, detractiones, temeraria iudicia, quàm sint vitanda, ostenditur. Grauitas peccati homicidij, debitaque eidem ex legibus pœna, proponitur. Obedientia commendatur.*

1 ACTVM est, conclamatum est, frustrà humana subsidia omnia. Vident, & agnoscunt tandem nautæ, nihil de tempestate, nihil omni conatu suo & sollicito labore de periculo remitti; paullò antè missâ sorte reum designatum IONAM, nec viuum littori posse restitui; nec, hoc manente incolumi, irato pelago tranquillitatem reddi; ac eò deueniendum, vt quam in se tulerat mortis sententiam, ipsi quantocyùs exequantur. Supererat vnicum & extremum remedium, afflictorum omnium perfugium Deus. Hunc ergo instanti prece pulsandum censent, vt nihil humanæ, nihil diuinæ opis neglexisse videantur: atq; hoc est quod hîc dicitur, CLAMAVERVNT AD DOMINVM.

2 Clamor ille vehementem animorum motum, atque admirabile, quo flagrabant, desiderium, si socio consulere ampliùs non possent, sibi saltem consulendi, prodidit. Clamantes tanto affectu nautas audiamus, & videamus an illorum clamore moueri etiam nos, vel ad commiserationem, vel ad preces, possimus.

Oratio nautarum & socio-

3 QVÆSVMVS, inquiunt, DOMINE NE PEREAMVS IN ANIMA, id est propter animã, seu vitã VIRI ISTIVS: quia illum pelago mergimus, fluctibus hauriendum. Clariùs Chaldæus Paraphrastes: *Suscipe precationem nostram ô Domine, ne nunc pereamus in peccato animæ viri istius.* Ac si breuissimâ illâ oratione, sic, paucis multa complexi, fusiùs precentur, & dicant.

rum Ionæ, antequam eum mari mergant, fusius explicatur.

O Deus magne & potens, terribilis super omnes deos, qui dominaris potestati maris, & motum fluctuum eius, cùm placet, mitigas; te supplices obsecramus, ne illam nobis, quam coacti molimur, IONÆ impures necẽ. Quod aggredimur, nosti quàm illud voluntate tuâ non nostro desiderio, aut cupiditate aggrediamur: tuum igitur non nostrum illud opus, tu iudex, nos tuæ ministri iustitiæ, tu imperas, nos tua dumtaxat imperata exequimur. Ecce quàm tibi cum timore & tremore obtemperemus. Nolumus, nolumus vllo modo, vt piratæ, vt sicarij, vt latrones & perfidi alterius vitæ insidiari; tuo tantùm obsequi beneplacito, tuo obsecundare imperio, tuæ voluntati obtemperare studemus. Tu ventum emisisti, tu tempestatem concitasti, mare turbasti, tu ad littus redire non sinis remigantes; atque ita quid sit voluntatis tuæ satis superque ostendis: videlicet mitti IONAM in mare, siue

siue eum perire istic, siue seruari, quod nescimus, desideres. Hanc tuam voluntatem, tam multis, atque adeò euidentibus signis edocti, non libidinem nostram exequimur. Quare sicut speramus esse nos istac exercitatione simplicis obedientiæ immunes omnino à culpa; ita quæsumus, liceat similiter per te, nobis esse immunes à pœna.

Sociorum pro Iona salute sollicitudo.

4 *Rogant*, inquit Theodoretus, *ne pænas dent dum Dei iudicio subseruiunt.* D. Hieronymus nautas hîc admodùm censet fuisse intelligentes, & viros supra modum spiritui intentos; quippe de animæ Ionæ, quàm de corporis propria salute sollicitiores. Ipsum audite: *Grandis*, inquit, *vectorum fides, periclitantur ipsi, & pro alterius anima deprecantur. Sciunt enim peiorem mortem peccati esse, quàm vitæ.*

Arias Mõtanus orationem sociorũ Ionæ explicat per dilemma.

5 Hanc nautarum orationem perscrutans, & penitiùs inspiciens Benedictus Arias Mõtanus, duplex dilemma, rhetoricis flosculis ad persuadendum exornatu facile, in ea licet perbreui se detegere arbitratur. Quorum hoc primum: Homo hic cuius causâ tantoperè cruciamur, supplicium vel meruit, vel non meruit: si meruit; pereat, sed solus, neque cum illo ij, qui id nullo modo meruerunt; eorum enim parcendum videtur innocẽtiæ: si non meruit; cur manu nostrâ innocens pereat, tantum à nobis bone Deus, sic petimus, nefas auerte. Alterum: Quidquid sit de hominis illius scelere, vel innocentia; deque supplicio quod vel meruit, vel non meruit; nos saltem nullâ nostrâ culpâ perire in hac tempestate meruimus, qui nihil cum illo habemus commune; quàm quòd eadem vecti naui, eodem vsi fuerimus contubernio; ceterùm consiliorum eius omnium, actionumque sumus prorsus ignari. Ergo si eum vt sceleratum perdere decreuisti, ne simul perdamur & nos: si seruare vt innocentem, per nos seruetur, maneant manus nostræ innoxiæ; ne sine vt auctores necis, & tantæ iniquitatis ministri audiamus.

6 Hæc summa votorum nostrorum est, NE DES SVPER NOS SANGVINEM INNOCENTEM.

Ionam non esse reipsâ innocẽtem ostenditur.

Quid *sanguinem innocentem?* nescire socij videmini quid dicatis orantes. Ergóne vestris suffragiis, iudiciisque innocens Ionas? mandata Dei excussit, eius imperium violauit, à facie Domini fugit, læsæ Maiestatis diuinæ reus audiit, quid est nocentem esse si hoc non est? Vobis ita loquentibus & sentientibus non assentior, nisi clariùs & meliùs mentem vestram exprimatis. Erat Ionas, quomodocumque rem benè discussam palliare voluerimus, nocens quàm maximè; &, vt talis, secundùm diuinæ iustitiæ leges, nullis non dignus suppliciis. Hæc Patrum, hæc Doctorum sententia est: etiam Feuardentij, qui nautas excusat Ionam innocentiæ titulo decorantes; quasi antea nocens, nunc delicti pœnitudine, confessione publicâ, satisfactione etiam qualicumque restitutus in integrum, ad priorem integritatem innocentiamque redierit.

Ionas nocẽs dignus supplicio declaratur.

Socij Ionæ conuersionem & pœnitudinem ignorant.

7 Verũ quî constare de syncera illius pœnitentia, de reditu cum Deo in gratiam, adeoque de restituta illi innocentia poterat hominibus, qui vt prorsus credibile, Deum verum non nouerant, & multò magis potentiam ac vim contriti cordis & pœnitentis animi ignorabant; vt proinde nemo nobis facilè probauerit scire eos continuò potuisse, quòd Deo reconciliatus redisset cum eo in gratiam, quando hîc de ipsius innocentia loquebantur.

8 Franciscus Ribera & alij, sic has nautarum voces, quibus innocens ab iis Ionas censeri videtur, exponunt: vt sit, censeaturque innocens, illorum ipsorum qui hæc dicũt intuitu, vtpote quibus neque fraude, neque dolo malo, neque illatâ aliquando iniuriâ aliquâ nocuerit. Nam tametsi, quemadmodum à Iacobo Saliano rectè est annotatum, causa fuerit iacturæ ipsorum, id tamen præter eius contigit voluntatem. Loquuntur ergo de Ionæ innocentia, sui potiùs quàm Dei intuitu: quasi prece hac testatum omnibus velint,

velint, hominibus æquè ac Deo, nihil inueniſſe ſe ab inita cum eo conſuetudine in naui, quod fuerit noxium, quodve damnandum.

Stephanus Menochius hanc ſociorum IONÆ precationem eò dirigi putat, hoc per eam ab ipſis intendi ne quaſi innocentis interfectores homicidarum pœnis ſubiaceant, quod vehementer videntur metuiſſe.

9 Quid ſi ego IONAM innocentem dixero, collatum cum iis quibuſcum nauigabat? vitam inquam eius ac mores cum ſociorum vita ac moribus componendo? Nam licet, quod negare nõn poſſumus, nocens fuerit; ſanè non ſicut Ethnici illi quibus ignotus erat Deus, quibus nullum vmquam luxerat lumen veritatis, quibus errorum tenebræ liberam ſternebant ad ſcelus viam, qui idolis immolabant, cultui dæmoniorum vacabant. Vnum ergo inobedientiæ crimen in IONA, præ tam multis, quæ erant in Ethnicis illis, quædam dici poſſe innocentia videbatur: dolendum tantùm, quòd, qui ſecundùm religionem veriq; Dei cultum innocens fuit, illam ſuam innocentiam tam turpi fugâ ad ludibrium Gentium macularit.

Quomodo Ionas verè nocens, cõparatione ſociorum ſuorum innocens videri poſſit.

10 Quid hîc ad noſtram inſtitutionem? Diſcimus quàm ſit de omnibus rectè & ſentiendum & loquendum. Sic ſentiunt, ſic loquuntur, de IONA nautæ; quem vocant innocentem licet non parum eis noxium, & ſuâ fugâ nocentem. Verba eorum ſunt, *Ne des ſuper nos ſanguinem innocentem.* Hæc noſtrûm plurimos damnant, quando paſſim alienorum non operum modò & verborum; ſed cogitationum quoque atque intimi ſenſus ac pectoris ſatis temerè arbitri quauis occaſione eſſe percupimus: illorum quoque arcanorum nimiùm ſeduli indagatores aut coniectores potiùs, quorum ſolus cognitor, ſolus iudex eſt Deus.

Opinio de omnibus bona habenda; bene de omnibus loquẽdum.

Ionæ c. 1. v. 14.

Iudicium temerarium vitandum.

11 Reprehendit liberiorem illam, &nimiùm profectò temerariam agendi, carpendi inquam, rationem olim in Romanis Paulus: non video quomodo nunc non æquè in nobis, quando vbique eadem, fortè etiam maior, quàm olim libertas atque audacia. Illum ergo Romanis loquentem, vobis etiam loqui arbitremini, ac dicere ſingulis veſtrûm: *Tu quis es, qui iudicas alienum ſeruum? Domino ſuo ſtat, aut cadit.* Quaſi dicat, an Deum te facis? ad cuius tribunal cauſæ omnes & perſonæ reducuntur? non vides te ſolum tuaque facta tuo iudicio ſubiacere nõ aliena. Seruus alienus, ſi *ſtet*, & agat rectè, videat is cuius ſeruus eſt, abſoluat innoxium, laudet innocentem: ſi *cadat* & agat perperã, is videat ſimiliter nocẽtem vt arguat, damnet, & puniat. Tu verò qui nec illius es dominus, ſicut nec ille tuus eſt ſeruus, quid habes quòd te rebus alterius ingeras, intrices, immiſceas? quid tuum iudicium aliorũ actionibus interponis? tua cõſidera, quis te aliorũ cõſtituit iudicem?

Ad Rom. c. 14. v. 4.

Tecum habita, & noris quàm ſit tibi curta ſupellex.

Perſius Satyr. 4.

12 Multi, qui ſibi ſapere hodie plurimùm videntur, nimiùm rigidi cenſores, aliena ad imas vſque medullas rimantur, & tanquam ſi ad eas iam penetrarint ſingula cẽſent, cumque proprij pectoris vix extimam ſuperficiem attigerint, ſic loquuntur & agunt, velut qui alieni iam anatomiam fecerint; nihil non interioris hominis nouerint, & quâ libertate omnia ſiniſtra de aliis ſuſpicantur, eâdẽ quæcumque ſuſpicati fuerint, velut certa & indubitata, proloquuntur. Video antiquum eſſe hoc malum, quod ita iam tum à temporibus S. Chryſoſtomi inualuerat vt dixerit: *Omnes homines vt thronum non conſcendant, vt carnifices, vt fidiculas ac compedes minimè habeant; attamen & ipſi quoque eos, quos peccare intelligunt, iudicant in colloquijs, in communibus cœtibus, in conſcientia calculo.*

Siniſtra ſuſpiciones, & ex iis orta iudicia cauenda.

Chryſoſt. hom. 5. in cap. 2. ad Rom.

13 Taceo nunc quòd quidquid eſt vitij ſugillent & carpant, & carpendo liberaliùs, publicum faciant; etiam, quod damnabilius eſt, vt ſit quod carpant, virtutem vitium interpretãtur, ſiue quod virtutis eſt, vitiorum ſchemate decolorant, tantùm vt noceant: tantus eſt ardor inuidiæ! neſcit enim

Inuidia calumniarum & mendaciorum multorum origo.

Inuidus

Inuidus aliter decoquere venenum pectoris sui, qui

Horatius in epistolis. *Alterius rebus marcescit opimis.*

Minus est, quo iam nihil magis vulgatum & tritum, spargi & circumferri subdolâ quadam machinatione hominis alicuius non boni, & volitare per ora multorum, nonnulla excogitata in alios, tamquam si sint in oculis gesta multorum non sine arbitris, non sine testibus, quæ vix, imò ne vix quidem, cogitata ab eo, qui inauditus iam reus agitur noxæ non leuis; tantum apud insolentes illos iudices potest fallax vmbra, suspicio vana, coniectura temeraria, accusatoris vox audacior atque liberior, citra omnem speciem veritatis. In his verò deplorandum quàm maximè, quòd vbi sua somnia, deliramenta sua, confictas inquam calumnias effutierint, aliorum existimationem famamque aut læserint, aut de toto sustulerint, iniquorum iudicum personam egerint, de intimis amicorum iuxtà ac inimicorum liberrimè statuerint deblaterones illi, nequaquam deliquisse se putent, quasi non dixerit Dominus: *Nolite iudicare*; multò minùs carpere & damnare: omnium verò minimè damnanda confingere. Matth. c.7.v.1.

Exemplo verum ostenditur illud: Nolite iudicare, & non iudicabimini.

14 Sapientiùs sanè religiosus quidam, de quo Anastasius Sinaita, cui quàm benè cesserit hoc Domini præceptum seruasse, non damnasse, non iudicasse, non improbasse alterius facta, vos ex eodem quæso attendite. Hic licet moribus minùs probatus, vt qui vitæ plurimum per otium & torporem exegerat, tamen cùm ad extrema venisset, nihil ostendit formidinis; sed summâ voluntate, magnaque cum gratiarum actione imperterritus excedere his corporis vinculis videbatur. Quod cùm mirarentur qui aderant, assidetium Patrum vnus, ei communem omnium sensum exponens: Persuasum, inquit, tibi habeto mi Frater, & putasse nos, & vidisse, summâ negligentiâ animique remissione vixisse te ad hoc vsque tempus: vnde igitur tibi nunc tāta securitas? ad hæc moribundus: Est ita omnino Patres, vitam per summam negligentiam duxi; sed Dei Angeli eadem hac ipsâ horâ peccatorum meorum ad me chirographum attulerunt; cumque ea quæ feceram, postquam seculo renuntiassem, peccata legissent; numquid ea agnoscerem rogauerunt: ego verò agnosco inquam, sed postquam renuntiaui seculo vitam professus monasticam, neque iudicaui quemquam, neque factam mihi ab vllo iniuriam aut vindicaui, aut illius meâ memini voluntate. Itaque Domini verba dicentis: *Nolite iudicare, & non iudicabimini; dimittite & dimittetur vobis*, ad me quoque pertinere existimo. Luc. c. 6. v. 37. Quod postquam dixi mihi præsentibus Angelis, illi subitò chirographum peccatorum meorum consciderunt; & exinde summâ nunc fruor lætitiâ, nec minori securitate proficiscor ad Dominum. Vix dum effatus hæc fuerat; cùm subitò placidissimè Deo spiritum reddidit, magnâ adstantium admiratione, emolumento, & gaudio. Ita refert rem gestam is quem dixi Anastasius, apud Cæsarem Cardinalem Baronium, verbis aliquantulum aliis, at sensu prorsus eodem.

15 Velim religiosus ille, huius quoque apud nos vtilitatis auctor existat, vt neminem imposterum iudicemus, multò minùs damnemus: neminem dico, prorsus neminem, quantumuis in eo obseruauerimus aliquid, aut aliunde acceperimus minùs commendabile, minusve laudabile, nisi de hoc statuere muneris nostri sit: verū cuncta semper in benigniorem partem interpretemur, intentionem saltem excusemus, si opus non possumus, occasionem, causas, modos, quæ rem extenuent producamus. Si, eò quòd delicta per se sint manifesta, nullus supersit excusationi aut tergiuersationibus locus, ingemiscentes tādem dicamus, secundùm doctrinam Dorothei, *Heu mihi quia ille hodie, ego forte cras.* Stare mihi nunc videor, fortassis paullò pòst grauiùs lapsurus: & illū quidem nunc facti sui pœnituisse potuit, quod mihi polliceri de me non possum.

Excusanda sunt quoad fieri potest aliena delicta.

Doroth. ser. 6.

Hæc

Bernard. ser. 40. in Cantica. Hæc ipsa est D. Bernardi doctrina: *Caue*, inquit, *alienæ conuersationis, esse aut curiosus explorator, aut temerarius iudex: etiamsi perperam actum quid deprehendas, ne sic iudices proximum, magis autem excusa. Excusa intentionem, si opus non potes, puta ignorantiam, puta subreptionem, puta casum. Quòd si omnem omnino dissimulationem rei certitudo recusat, suade nihilominus ipse tibi, & dicito apud temetipsum, vehemens fuit nimis tentatio; quid de me illa fecisset, si accepisset in me similiter potestatem.*

Alia sunt iudicia Dei, alia hominum. 16 Profectò multis in rebus, etiam iis quæ videntur clarissima, variis erroribus exposita sunt nostra iudicia; & vbi humanus oculus discrimen non inuenit, diuinus facillimè deprehendit. Quis non diceret vbi verba similia sunt similem quoque esse mentem, similemque sententiam? sæpè tamen longè secus accidit. Nam, vt ait S. Gregorius, Gregor. in Moral. *Sæpè contingit vt iusti & iniusti habeant verba similia, sed tamen cor longè dissimile: & ex quibus dictis Dominus ab iniustis offenditur, in iisdem quoque à iustis placatur.* Quod ipsum in Pharisæi & Ezechiæ verbis statim ostendit: quorum iste, quia ex humilitate se laudauit, vt misericordiam acciperet placuit; & ille, quia se ex superbia prędicauit, valdè displicuit.

Verùm non opus est ab ea quam hîc tractandam suscepimus historia recedamus vt hoc palam fiat omnibus. Notum est & Ionam & Moysem excusasse se apud Dominum ne idololatris prædicarent: quis non crederet in pari facto, parem esse animum ac mentem? Interea Deus, qui solus vtriusque consilia, cogitationes actionesq; perspexit, solus vtrasque discreuit: Ionam corripuit, Moysi pepercit; huius enim humilitatem probauit, illius vanitatem damnauit, censuit castigandam. Vtrumque benè & sapienter, quod nos fortè insipienter factum iudicassemus voluntatis atque intentionis vtriusque ignari. Si in rebus, vt videtur, clarissimis erramus sæpiùs, quid in dubiis, quid in maximè obscuris? Quod in alia materia dixit aliquando Augustinus, *Noli iudicare si non cupis errare*; id hîc quoque quàm maximè locum habere arbitremini.

17 Quàm ergo nequiter errant, *Scelera aliis imputanda cōminisci scelestissimum est.* qui, quæ aliis imputent, scelera de composito fingunt. Contra hos agit in suis Moralibus Gregorius, & quàm Gregor. li. 12. Moral. c. 15. sint illi damnabiles, paucis eleganter ostendit. Ego hîc nolim aut ipsius, aut aliorum Patrum recensendis sententiis, ne sim prolixitate fastidio, immorari, cùm præsertim res ipsa per se loquatur.

Lego quosdam scelestissimos Tyrannos, homines non homines, ad excrucianda mortalium corpora nouam quandam torturam excogitasse: adhibebant illi famelicos mures, suppositos lebeti, ne dilaberentur, crudelitate quadã immani & prorsus barbarâ, nudo pectori ventrique, vt fame rabidi miserorum carnes roderent, & lento dente viscera laniarent. Tormentum ingens & longum, sed nescio an *Detractoris dente nulliũ maius tormẽtum.* non ei par, aut etiam maius sustineat, qui venenatæ linguæ improbi detractoris morsibus expositus, ab eodem non tantùm canino, sed etiam lupino dente impetitur; & quot hominum propter ipsum iudiciis subiacet, tot velut muribus in viscera penetrantibus, pabulum miser porrigitur.

18 Durum profectò, & durum valdè, virum probum, à vitæ morumque *Damna ex detractione orta fusè enarrãtur.* integritate pridem commendabilem, neque cuiquam aliter notũ, maleuoli alicuius commentis per ora passim omnium vt scelestum volitare, proscindi contumeliis, obrui maledictis, adeoque multis virtutum actibus acquisitum bonum nomen, deperdere subitò, quod annorum sequentium longa series non restituat. Quid hinc aliud; nisi, vt qui iacturam hanc fecit omnibus bonis maiorem, mœrore cōtabescat, & viuus mundum hunc velut sepulcrum inhabitet.

19 Hoc est quod ait Ecclesiasticus, copiosiùs mortis huiusmodi acerbitatem nobis proponens, *Flagelli plaga liuorem facit: plaga autem linguæ comminuet ossa.* c. 28. v. 21. Quasi dicat, en quantum linguæ

guæ plaga omnes flagellorum plagas superet. Pergit. *Multi ceciderunt in ore gladij; sed non sic quasi qui interierunt per linguam.* Ex quo apparet quàm sit verum quod subiicit: *Beatus qui tectus est à lingua nequam, qui in iracundiam illius non transiuit, & qui non attraxit iugum illius, & in vinculis eius non est ligatus: iugum enim illius iugum ferreum est, & vinculum illius vinculum æreum est.* Atque ad extremum consequenter adiungit: *Mors illius mors nequissima, & vtilis potius infernus quàm illa.* Quid grauius dici possit? vnde nemo non videt, quàm crudelis sit & barbarus, qui hâc in alios maledicæ linguæ tam immanem carnificinam, tam ferocem lanienam exercet. Si ne tum quidem, cùm proprio nomini consulendum est, alieno derogare, cùm aliter possis, Christianum censetur; quid censendum de eo qui alteri nocere studiosè satagit? certè is omnium minimè Christi se legibus viuere ostendit.

Hæc occasione illius quòd nautas non temerè de Iona tulisse iudicium, sed potiùs quàm diu potuerunt eius tutatos innocentiam, recteque de socio sensisse, ostendimus.

Occidendū neminem, lex naturæ docet.

20 Discamus insuper ab illis ipsis nautis, ceterisque Ionæ contubernalibus, reum diuino licet iudicio, & quidem multiplici, designatum, adhæc proprio damnatum suffragio, pelago mergere metuentibus; quàm nobis ab omni violentia, maximè verò à cædibus abstinendum. Quod in primis docet lex illa, quam non didicimus, accepimus, legimus; sed ex natura ipsa arripuimus, hausimus, expressimus: ad quam non docti, sed facti; non instituti, sed imbuti sumus; quæ non stylo plumbeo ferreove, aut Dei digito in tabulis tantùm lapideis; sed scripta in cordibus nostris, quoad erunt qui viuant, opus est inuiolata permaneat.

21 In hanc qui peccat, in multos iniurius vapulabit multis; ferè addiderim, &

Ouid. Epist. 2.

——*In pœnas non satis vnus erit.*

Homicida legem naturæ violat.

Homicida, quicumque is fuerit, præterquam quòd naturæ, quæ nos communi necessitudinis vinculo ad mutuam beneuolétiam coniunctionemque obstrinxit, leges violet; etiam in auctorem naturæ Deum, cuius imaginem gerimus, quam ipse diffringit, iniurius, ipsum quodammodo lædere censetur.

In Deum iniurius est.

Contra Rempublicā peccat.

Adhæc præter priuatos, quibus adimit quod dare iis non potest, vniuersam conturbat Rempublicam; cùm grassantibus in mutuas cædes & vulnera ciuibus, nec priuata singulorum, nec communis omnium pax possit tranquillitasque consistere.

In eum lex talionis lata ab initio est. Genes. c. 9. v. 6.

22 Vnde meritò contra homicidas, in ipsa statim orbis instauratione cessante diluuio, agendum lege talionis à Deo statuitur. *Quicumque*, inquit, *effuderit humanam sanguinem, fundetur sanguis illius.* Habemus ibidem quoque legis huius causam: *ad imaginem quippe Dei factus est homo.* Neque à lege hac quisquam, quātumuis magnus & potens, exemptus est, omnes omnino illa complectitur.

Rex Poloniæ homicida à muribus deuoratur: Cromerus lib. 2. Rerum Polonicarum.

Patuit hoc sæpius; nominatim anno salutis humanæ trecentesimo quadragesimo sexto in rege quodam Poloniæ, quem nonnulli vocant Pompilium, alij Popellum, Lycosthenes Popielum: de quo narrat Cromerus, & alij, qui res Poloniæ complectuntur, quòd cùm duos patruos suos, à quibus salubriter monebatur, monitionis impatiens necauisset, tam habuerit mures infestos, velut vltores sceleris ex interfectorum tumulis erumpentes, vt nec ferro exscindi, nec aquis suffocari, nec structis circumquaque ignibus arceri potuerint, donec miserum desertum à suis mirâ edacitate vsque ad ossa ipsa corrosissent.

Trithemius in Chro. Genebrard. ad annum 970. *Similiter Hatto Archiepiscopus Moguntinus.*

23 Simili modo punitum ferunt Trithemius & Genebrardus in Chronico Hattum siue Hattonem Moguntinensem Antistitem ordine trigesimum secundum, quem aiunt cùm annonæ caritate istic patria laboraret, congregatos in prædium vnum pauperes cuidam caueæ inclusisse, admotisque facibus combussisse omnes, causa-

causatum eos murium instar frumentum corrodere & inducere caritatem: sed non impunè; adfuisse enim mox ingens murium agmen in ipsum insiliens, quod etiam fugientem in arcem quandam lacu circumfluo inaccessam, insecutum sit, & assecutum, nec antè deseruerit donec ad ipsa ossa viuum arrosisset, & consumpsisset. Quod hi veram historiam, fabulam putat Ioannes Busæus. Quidquid hac de re sit, hoc certum est, nihil esse iustius, quàm, vt qui alteri, quod ei datum à Deo, eripuit; hic etiam, quod sibi pari benignitate ab eodem fuerat concessum, amittat.

Ioannes Busæus in vindiciis pro Hattone.

24 Consideranti nunc mihi penitiùs multorũ penè in obuios quosque sæuientium rabiem, quæ in dies accipere videtur incrementa maiora, exclamare libet, ô seculum nequam! ô perditos mores! quid dicemus spectantes alios auribus, oculis, manibus, pedibus, naribus, truncos ex lucta; quando sibi mutuò vitam eripere lusus propè censetur & iocus; quando hominis iugulum petere, pectus ferro transuerberare, non pluris fit quàm mactare bouem, aut laniare arietem; quando post hæc, imò post vitam ademptam innocuo, non maior est sensus quàm si nihil actum foret, nullave alteri illata iniuria.

25 Prodiderunt de salamandra auctores grauissimi, Plinius, Isidorus, & alij, esse eius omne studium, hominis vitæ insidiari, illamque eidem si possit adimere; eo spectare illa quæ vbique rependo eructat venena, id his eam agere, vt facilius aut contactu, aut gustu, homo improuidus pereat. Quare & in arboribus poma, & in cisternis, stagnis, fossis, lacubus aquas sic inficit, vt quidquid ex iis promptũ, quidquid coquendis condiendisque cibis adhibitum fuerit, lethiferum faciat. Hæc tamen tam tetra bestia & adeo crudelis in hominem, si Plinio credimus, perire, percusso homine, conscientia facti dicitur.

Plin. lib. 29. c. 4. Isidorus lib. 12. c. 3.

26 Ferunt de lupo alij, vbi hominẽ vorarit, efferari in rabiem, atque seu à seipso, seu ab aliis lacerari, laniari: apem cùm amisso aculeo hominem ferierit, emori certius est; crocodilum similiter, cùm eum interemerit, flere. Quid hæc aliud sunt quàm certa diuinæ vindictæ argumenta, quibus testari Conditori omnium Domino placuit, nec ipsis belluis esse impunè vbi humanum sanguinem fuderint: quippe cùm de his mox ipse auctor naturæ, & communis omnium parens, supplicium sumat. Qui ergo hominibus hoc sit impunè, quod non est brutis animantibus?

In lupis & apibus.

27 Horrent belluarum multæ hominis necem, & hanc ipsemet homo non horreat! violentâ vnius manu alteri mortem accelerari leue existimabimus! inferri ab homine homini tantum malum nihil arbitrabimur! ab homine inquam, iuncto sibi naturæ communione trucidari hominem, tot tamque illustribus prærogatiuis donatum, tam singularibus à Deo cumulatum gratiis donisque cælestibus, orbis dominum, cæli hæredem, pretioso Christi filij Dei redemptum sanguine. Detestandos profectò & Deo, & hominibus, qui tantum crimen, tam enorme scelus, non mẽte, non verbo, non facto, non modis omnibus detestantur. Deberent, si non ingenitæ humanitatis instinctu, nec Dei timore mouerentur, pudore saltem affici, quòd à feris ipsis rationis expertibus hoc in genere vincantur: neque enim illæ se mutuò perimunt. Verum quippe est illud Iuuenalis,

enormitas homicidij declaratur.

—serpentum maior concordia: parcit
Cognatis maculis similis fera. quando leoni
Fortior eripuit vitam leo? quo nemore vmquam
Exspirauit aper maioris dentibus apri?
Indica tigris agit rabida cum tigride pacem
Perpetuam: sæuis inter se conuenit vrsis.
Aspicimus populos, quorum non sufficit ira,
Occidisse aliquem, sed pectora, brachia, vultum,
Crediderint genus esse cibi —

Iuuena. Satyra 15.

En

En quã etiam sint homines animãtibus maximè efferis truculentiores, quãdo tantâ immanitate inter eos agitur.

Omnium primus ausu nefario alteri necem intentauit Cain, tantò nequior, quò magis in tam propinquum sanguinem sæuiit. At quâ pœnâ? ipsum audite. *Ecce*, ad Dominum loquitur fraterno iam madens cruore, *eiicis me hodie à facie terra*, exulem me facis ac profugum, ignotas terras locaque deserta perambulaturũ, omnes fugientem, velut odium commune mortalium, quem ipsi intueri non velint, & ego vicissim multò minùs audeam. Quid igitur despectus & desertus ab omnibus facturus es Cain? *A facie*, inquit, *tua abscondar, & ero vagus & profugus in terra.* Abstulisti à me Domine gratiam & tutelam tuam, permittis me mihi, pro venia te conuenire non audeo, abscondar à te, subterfugiam vt potero iudicium tuum, & reus declinabo iudicis præsentiam; quæ potero quæram latibula, vt nemo me videat, nemo agnoscat latentem.

Gen. c. 4. v. 14.

Cain primus homicida punitur à Deo.

Ibidem.

28 Quid si verò inueniaris Cain, & fugitiuus in aliorum incidas manus? scio quid tum de me futurum: quod alteri feci, hoc & mihi accidet. *Omnis*, inquit, *qui inuenerit me occidet me:* inuentus latere non potero, quin protinus agnoscar, & primus orbis homicida, quodque peius fratricida detegar. Quid ita? ex totius corporis tremore & furiatæ mentis œstro me quiuis agnoscet, quiuis statim me esse intelliget eum qui interfici mereatur. En fert primus homicida ipsemet in se mortis sentẽtiam; ac si dicat: O Deus dignus sum qui tui amoris & tutelæ beneficiis caream; quare cùm te mihi infensum, omnibus in me armatis & conspirantibus reddiderim, ac modo quo me vertam nesciam, id vnicum superest, vt ab obuio quouis occidar, & peream. Verùm non vti putas, neque enim tam eris felix ô Cain vt interficiàre tàm citò: nemo tam audax qui te, tametsi commeritum, vitâ spoliet. Nam, ita imperante me, ait Dominus, *Omnis qui occiderit Cain, septuplum punietur:* habebis itaque vitam voto tuo diuturniorem; sed erit hæc tibi pro supplicio, mors pro solatio. Quod & factum: vixit enim deinceps infelix Cain vitam inuisam & miserã, tremore corporis perdurante; vixit in exilio perpetuo & fuga, vixit cum pauore & animi consternatione continua, vixit, vt scribit Procopius Gazæus, cum ingentibus spectrorum terriculamentis. Hac videlicet, & si dari in terris maior poterat, maiori pœnâ dignus erat, qui tantum nefas excogitare, ac patrare non horruit.

Ibidem.

c. 4. v. 15.

29 Porrò sicut ab hoc homine sceleratissimo tanta improbitas in exemplum ad posteros transiit, ita & pœna; quam sibi ipsi, non exspectatâ iudicis sententiâ, quidam carnificinam conscientiæ propriæ diutiùs non ferẽtes, nouâ improbitate intulêre, non minùs in se, quàm in alios crudeles & barbari.

Homicidæ multi conscientiâ facti seipsos necarunt.

30 Alexandrum Macedonem, talem virum ac tantum, cui aliquando vnus non suffecit orbis, narrat Seneca, cùm Clytum sibi carissimum temulentus occidisset, furentem sceleris horrore, mortem sibi inferre voluisse, nec nisi impeditum à suis, intentatum facinus reliquisse. Similiter Dio, Neronem ait referre solitum, se trucidatâ matre, verberibus furiarum maternâ specie apparentium exagitari, tædiísq; ardentibus, neque vllo loco tutum posse consistere. Et hæc ferè pœna est hominum eiusmodi improborũ, quòd nullo loco, quantumuis tuto, tutos se arbitrentur, vbique metuant, & pœnam semper esse sibi præsentem putent.

31 Refert similiter Eutropius notus ac celebris historicus, cùm post pugnam Pharsalicam confusa corpora ad sepulturam discernerentur, Pompeianum militẽ fratris sui, quem ipse nesciens obtruncauerat, corpus inter spoliandum agnoscentem, idem rapuisse, sub Pompeianis castris rogo imposuisse, atque illicò pectus proprium gladio transuerberantẽ, simul lacrymas fundentem & sanguinem,

ſeſe ſuper fraternum cadauer igni adieciſſe. Ferre videlicet non poterat fratrem ſuum à ſe interfectum, cui proinde eſſe nolebat ſuperſtes; ſed neque aliâ perire cupiebat manu, quã illâ, quæ fuerat optatiſſimi fratris fœdata cruore, id eſt propriâ; illâ nimirum quâ facinus perpetrarat: quamquam hoc erat vetus ſcelus nouo ſcelere, & maiore quidem, cumulare.

Mirabilis tragœdia ex putato homicidio enata.

32 Antiqua hæc: ſed nouum & omnino recens atque prorſus luctuoſum, quod accidiſſe huius ſeculi anno quarto ſupra vigeſimum Iulio menſe circa Huum patriæ atque etiam diœceſis Leodienſis oppidum, à viro non ſolùm fide digno, ſed omni exceptione maiore priuatis litteris, illo ipſo quo acciderat tempore, accepi. Erat iſtic villicus, qui cùm agros, & in iis oues ſuas luſtraret paſcentes, earum paſtorem humi procumbentem offendens vocat primò, inclamat, increpat, nihil verò ad clamores reſpõdentem lapide petit; ſed nec tum ſe mouentem conuenire propiùs ſtatuit: accedit igitur, ampliùs clamorem intendit, manu ferit, in partem alterã verſat, iacentem atque exſtinctum videt. Quid agat? domum mœſtus regreditur, flet, gemit, eiulat, ſe lapide ouium ſuarum cuſtodem paſtorẽ gregis peremiſſe (ita arbitrabatur miſer) exclamat, atque facturus, vt credebat, dolori ſuo & periculo medicinam, conſcenſâ ſuperiore domus ſuæ contignatione, iſtic ſibi laqueo mortem conſciſcit. Plura audite, non hic malorum finis: percipit mariti iam è fune penduli ſtrepitum vxor infelix, aſcendit ad triſte & funeſtum ſpectaculum, dumque pendentem è trabe maritum iam mortuum, in ſuperiore domus parte ſpectat attonita, audit in inferiore vociferantem eiulantemque ad ignem infantulum, quem deſcendens in prunis ſemiuſtulatum offendit. Ergo, vt nihil deſit ad calamitatem, ipſa quoque tot tantiſque caſibus velut amens, domo relictâ ſe dat in vicinas aquas præcipitẽ, ſe mergit, & perimit.

Quænam tot tamque grauium malorum cauſa? putatum, & putatũ tantùm homicidium; atque non iam, ſi quod fuiſſet, ſpontaneum, ſed fortuitum, cuius ſe reum quia paterfamilias credebat, vrgente facti conſcientiâ, id in ſe vindicare tentauit, ah nimium crudeli nece; vnde illa deinde tam longa malorum ſeries.

Felicius euenit, quod accidiſſe ferunt Lublinij in Polonia anno 1540. neque in re minùs luctuoſa, Bzouius, Cartagena, & alij. Erat ibi lanio quidã Martinus nomine, illiq; duo filij, vnus bimus, alter quadrimus. Cùm abeſſet ipſe à domo, abeſſet & vxor, maior natu, prout patrem mactantẽ pecora viderat, fratrem in cunis iacẽtem cultro iugulauit, ac virgarũ metu ſe in furnũ coniecit, & poſt ligna in ſtruem compoſita ſe occuluit. Mater domum reuerſa nil de prolibus cogitans ignem lignis ſuppoſuit, & ignara latentem in furno filium ſuffocauit. Extraxit mox ſuffocatũ, & ad cunas conuerſa, videt alterum iugulatum ſanguini innatare. Itaque ad lacrymas & lamẽta conuerſa, incidit in ſuperuenientem maritũ, qui arbitratus ab ea commiſſum facinus, tam diu innoxiam cæcidit verberibus, donec vxoris nouo funere filiorum funera cumularet. Triſti poſtmodùm ſpectaculo, & metu ſupplicij perculſus, cadaueribus in currum iniectis, votoque cõcepto ad Deiparam apud Clarum montem Poloniæ (abeſt Lublinio milliaribus plus minùs centũ quinquaginta) rectâ contendit, atque ante eius Baſilicam putentia corpora de curru deponens orauit, obſecrauit, atque à Matre Viuentium omnibus vitã obtinuit, nouo & prodigioſo miraculo: ad quod obtinendum multùm priorum factorum innocentiam contuliſſe, & iuſtam, quam ſe habere credebat tantæ indignationis materiam maritus, exiſtimo; alioqui nec illi fortè hoc erat futurum impunè. Nunc ad rem noſtram.

Bzoui. in Mon. Gẽmeo, Cartagena ex eodem, Balingem in Kalen. Mariano ad 7. Martij.

Hiſtoria mirabilis aliquot occiſorũ per B. Virg. ad vitam reuocatorũ.

33 Grauiſſimum, quod accidere agentibus inter homines ſolet, paſſim cenſemus, violenter communi lucis vſurâ priuari. Naturæ debitum, vbi præfixus

præfixus à Domino vitæ terminus aduenerit, soluamus omnes oportet. Nam, vt eleganter Bernardinus Stephonius, celebris nuper in Alma vrbe & Orator, & Poëta, *In hac verba legis antiquissima, nulloq; vmquam tempore antiquanda, quoad erunt qui mori possunt, necessitas humana iurauit; ortum vt occidat, vt aucta consenescant. Nascimur, viuimus, morimur, hæc humanarum rerum elementa sunt. Necessitati parendum.* Sed cùm vi legum de vita decernitur, & quis alienâ manu ad mortem rapitur; atque ita flosculus ille pro longiori tempore in mundi horto consitus, in suo virore vigoreque decerpitur: aduertendum probè, ne decerpatur iniustè: neque enim illius est qui hunc decerpit, aut secat; sed Domini, qui olim velut hortulanus Mariæ Magdalenæ statim à sua resurrectione apparuit, quique homines omnes, vt flosculos, in amœno hoc orbis viridario collocauit, mox ad aliud longè adhuc amœnius, longè augustius translaturus, vbi in perpetuum non marcescant, si velint.

Orat. in funere Flaminis Delphini. Romæ habita anno 1606. impressa ibidem.

Omnibus moriendũ sed nemo occidẽdus, nemo condemnãdus iniustè.

Iudices iusti sint.

34 Videant ergo qui ad clauum sedent Reipublicæ, non nisi damnandos damnent, nec mortis ferant sententiam, nisi in eos, quos omnino dignos morte cognouerint: quotquot verò toto orbe sunt iudices dictũ sibi imprimis à Dauide arbitretur: *Seruite Domino in timore.* Quare oculos sæpè nõ inutiliter cõuertent in hos arbitros IONÆ, qui nõ tãtùm cũ timore ac tremore; sed cum vehementi etiam commiseratione, Dei implent sanctissimã voluntatem, atque de eo, post longas demum ambages, extrema decernũt; hoc maximè tuti, quòd dum IONAM in mare mitti iubent, Deo idipsum iubenti obtemperent.

Psalm. 2. v. 11.

Iudices potestatem suam à Deo se accepisse meminerint.

35 Porrò nouerint quotquot orbe toto sunt iudices, se quoque non aliud in nefariorum hominum vitam ac necem ius habere, quàm quod dante ac mandante Domino acceperunt. Etenim *non est potestas* in re quidem vlla, in hac verò omnium minimè, *nisi à Deo.* Verum est puniri transgressores; lex præcipit, exigit publicum bonum, necessitas cogit: sed hæc omnia Dei sequuntur iussionem, sic statuuntur, ita fiunt, quia ita vult Dominus.

Ad Rom. 13. v. 1.

Iudices nõ nimiũ clementes, neque nimis seueri esse debent, sed iusti.

36 Nolite iam existimare, quòd, quia timidè in istis decretoriis de morte sententiis agendum iudices monui; vsque eò timidos illos esse debere, vt propterea minùs quàm oporteat liberè fungi munere suo audeant, quasi semper clementiæ, nunquam iustitiæ debeant meminisse. Sapienter omnino, qui omnia sapientissimè, regum omnium sapientissimus, Salomon in Prouerbiis: *Qui iustificat impium, & qui condemnat iustum, abominabilis est vterque apud Deum.* Quod esse verissimum apparet, quando nõ minùs Deo displicuit quorumdam, vt Achabi & Saülis præpostera clementia, quàm aliorum truculenta seueritas. Absint interim semper priuatæ inimicitiæ, ne dum zelo quodam vindicari videntur crimina, vindicetur potiùs accepta iniuria, quam morte luere, & quidem infami, nimis esset acerbum.

Prouerb. c. 17. v. 15.

Socij Ionæ, Deo simpliciter obediunt.

37 Tertium hîc occurrit in IONÆ comitibus, simul laude commendationeque, simul imitatione dignissimum: videlicet simplex illa ac cœca obedientia; quâ Deo sic obsequuntur imperanti, vt ne quidem cur, aut quomodo imperet percunctetur. SICVT, inquiunt, VOLVISTI FECISTI. Benè D. Hieronymus: *Quòd turbo consurgit, quòd venti sæuiunt, quòd mare concitatur in fluctus, quòd proditur sorte fugitiuus, quòd indicat quid fieri debeat, tuæ est Domine voluntatis: tu enim, sicut voluisti, fecisti.* Nobis quòd ita volueris scire sufficiat, percunctari cur volueris nostrum non est. Hæc certissima religiosorum in omnibus actionibus regula non fallit, obsequi vbi peccatum non cernitur superiori imperãti; cur, quomodo, qualiter imperet non sciscitari: sufficit ipsis illud Pythagoricum, quo falli non possunt αὐτὸς ἔφα *ipse dixit.* Hæc eadem Catholicorum est norma in fidei negotio, audire Matrem Ecclesiam, & eius legibus obsecundare, nihil ingenio suo metiri velle, sed

Hiero. in 1. c. Ionæ.

Obedientia cœca religiosis propria est.

Catholicis quoque in rebus fidei.

simpliciter credere, illius sequi imperia. *Sciendum enim nobis est*, vt ait S. Gregorius Magnus, *quòd diuina operatio si ratione comprehenditur non est admirabilis, nec fides habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum.*

S. Grego. hom. 26. in Euangelia.

38 Decepit multos anxia sollicitudo, & in ea latẽs superbia, perquirẽdæ suopte ingenio abditæ in fidei mysteriis veritatis; qui pro lumine quod scrutabantur oculis noctuæ, cæcitatem retulêre. Si qui sint adhuc modò in hoc genere præfidentiores, caueant sibi, neque frustrà dictum existiment à Sapiente: *Qui scrutator est maiestatis, opprimetur à gloria.* Sic fit omnino. Numquid vidistis, fortè etiam experti estis, solis meridiani splendorem fixis oculis volentes intueri, temeritatis suæ pœnas caliginẽ atque cæcitatem quandam temporaneam retulisse? Quod in sole, magno huius mundi oculo, vidistis, id longè magis in sole æterno, nunquam occidente, & hoc & prioribus seculis vidimus, & heu nimiùm sæpè vidimus, audiuimus. Vidimus, inquam, nonnullos fastu tumidos, elatos superbiâ, in immensum illud Diuinitatis iubar coniicere oculos mentis suæ liberiùs volentes, & sublimia quæque, atque maximè abdita augustissimæ Trinitatis, Incarnati Verbi, S. Eucharistiæ aliaque mysteria comprehendere; perpetuam mentis cæcitatẽ atque ignorantiam retulisse: quò factũ, vt adinstar Icari ceratis pennis sublimè volitantes, iisque à sole illo æterno liquefactis; primò in stagnũ hæreseon prolapsi sint, damnatique communi Ecclesiæ calculo: deinde portionem hæreditatis suæ sortiti cum eo, qui *solium suum exaltare voluerat super astra Dei, & sedere in monte testamenti, in lateribus Aquilonis, ascendere super altitudines nubium, similis esse Altissimo: verumtamen ad infernum detractus in profundum laci* perpetuas superbiæ pœnas luit, sederint, & æternùm sessuri sint, *in stagno ardenti igne & sulphure.*

Plurimos hæreticos fecit superbia.


Prou. 25. v. 27.

Isa. c. 14. v. 12.

Apocal. c. 21. v. 8.

Habeant ergo singuli vestrûm intimè cordibus suis impressum, efficiantque ne excidat aliquando illud Ecclesiastici monitum: *Altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris; sed, quæ præcepit tibi Deus, illa cogita semper, & in pluribus operibus eius ne fueris curiosus.* Hoc si feceritis viuetis, in pace ac gaudio viuetis, & æternùm viuetis.

Eccles. c. 3. v. 22.



LECTIO

LECTIO VIGESIMA.

ET TVLERVNT IONAM, ET MISERVNT IN MARE ET STETIT MARE A FERVORE SVO. *Vers. 15.*

ARGVMENTVM.

Declaratur quo modo, & quàm iustè IONAS *sit missus in mare, & quæ sit inde orta tranquillitas. Tollendos ab Ecclesia hæreticos, & à quauis Republica malos, ostenditur. Deum esse æquissimum iudicem, pro quo omnes pugnant creaturæ, probatur. Christi morte terminatas mundi tempestates adstruitur.*

1 ONABOR hodie vestris oculis subiicere velut in imagine, licet perobscurâ & rudi, eâ tamẽ accuratione, quã color verborum meorum, & impoliti calami vocisque penicillus sinet, fugæ à IONA tentatæ, & exitum luctuosum, & in eo condignum sceleri eius ac rebellioni supplicium.

Cùm iam ij, quos vna nauis commune miserorum theatrum exceperat, comprecatione solemni, simul omnes à se, vt credebant, culpam atcuissent & pœnam: ad supplicium de reo sumendum accingentes sese, TVLERVNT, interpretantur Arias Montanus & Ioannes Drusius, *sustulerunt*, IONAM, ET MISERVNT IN MARE. En totius tragœdię catastrophen: mox comœdiam spectabitis. Sic Deus ipsa bonitas vertit sæpè, vt aliàs audistis, mala in bonum, & dat pro maledictione benedictionem. Sed priùs plusculum huic actui tragico immoremur.

2 Iam diu viderant socij, & multis atque euidentibus signis viderant, Deum IONAM rebellem ad pœnam deposcere; neque quieturum donec reus agnitus & mersus vndis, videret se non tantùm comprehensum, sed eductum è carcere, raptumque ad locum supplicij, vnicâ Dei sui voluntate viuere, omni momento morti quàm vitæ propiorem.

Ergo dum operi sese accingunt, vt nihil omnino intentatũ relinquant, hominem rursus, si Ariæ Montano credimus, educunt sublimem, & nouum pelago proponunt spectaculum: tum pelagus, quasi quem diu petierat spectaret vorandum, agnitâ quodammodo prædâ, eiq; nequaquam elapsuræ inhians conquiescit tantisper: quasi moneret hac vlteriore diuini consilij significatione, ostensam certiorẽ tempestatis sedandæ fiduciam. Omnem itaque morã deinceps fore suæ saluti noxiam arbitrati, ab onere sese quamprimùm expediunt, & tandem, quem eatenus frustrà fuerant detinere conati, pelago mergunt.

Ionas expetitus quodammodò à mari, in illud mittitur.

3 Non est dubium quin id certâ quadam & solemni verborum formulâ factum sit; fortè illi non absimili quã apud Suidã legimus, verbo περίψημα, quotannis lustralem hostiam sacratam Neptuno, illi post missum in mare quempiam acclamantibus ceteris, *Purgamentum nostrum esto, aut salus, aut redemptio.* Hoc innuere videtur Sulpitius Seuerus cùm ait, *Tanquam piaculum tempestatis in profundum proiectus est.*

velut illi placando victima.

Lib. 1. sacræ historiæ.

4 Feuardẽtius & nautas, & reliquos profectionis huius socios perhumanos facit, nec minùs in IONAM misericordes quàm in Deum pios; ab illo æquè quàm ab hoc sui facti veniam deprecantes, cum omni benignitate, modestia, reuerentia; atque tum demum

Cum omni modestia & reuerẽtia dimittitur in mare, non proiicitur Ionas.

opus, quod se coactos facere testati fuerant, sine vlla sit animi perturbatione aggressos fuisse.

Ea ipsa multis antè seculis fuit D. Hieronymi sententia, id obseruantis in verbo *Tulerunt*, quasi cum obsequio & honore, vti post illum ait Haymo Halberstadensis Episcopus. Quare nō ait arripuerunt, inuaserunt, deturbarunt violenter pertractū, quæ agendi ratio motus mētis non satis cōpositos præ se ferret: sed *tulerunt, & miserunt in mare* præbentem voluntati sociorum manus, secundùm Hugonem Cardinalem, Glossam, Carthusianum, & alios: sic vt nonnulli ceruicem, alij brachia, alij corpus medium complexi, in vndas velut tumulum vnà omnes quàm possent suauissimè placidissimeq; hominem dimitterent.

Multorū manibus in mari, velut in tumulo ponitur.

5 Ex Rabbi Elcazaro vetustissimo Hebræo, qui circa Christi Domini ætatem scripsit, in hac tempestate quinque ad IONÆ subsidium tentata notat Gregorius Mastrillus. Primò diis supplicatum esse. Secundò vasa omnemque supellectilem in mare deiecta. Tertiò missas sortes. Quartò factam ad Deum cōprecationem solemnem verbis illis, *Quæsumus Domine, &c.* Quintò denique periculi sumendi causā collo tenus mersum mari IONAM quinquies, ipso mari totidem vicibus velut momento conquiescente, eundem quinquies iterum eductum, totidem vicibus mari denuò concitato, quasi suorum collisione fluctuum, tanquam voce articulatā, diuinam voluntatem ediceret. Priora satis ipsæ sacræ Litteræ innuunt: posterius præter Rabbinum illum Arias Montanus, Franciscus Feuardentius, Gregorius Mastrillus, Cornelius à Lapide, qui tantum nautarum sollicitudini tribuendum putat, nō improbabile opinantur. Verùm an hoc etiam non sapiat Iudaicas nænias, vti nonnulla alia quæ suprà tanquam fabulosa reiecimus, liberum sit cuique suo arbitratu statuere.

In subsidium Ionæ quid socij tentarint.

Nonnullorum opinio Ionam quinquies mari mersum collo tenus, & totidē vicibus mare quieuisse.

6 Certè argumento hoc nil opus erat, vt plenius securiusque de Dei voluntate socij statuerent, quæ tot modis innotuerat, & potissimum ratiocinatione illâ, quam ex eorum mēte sic format Petrus à Figuiero, non ineruditus interpres, hoc loco. Domini voluntate, vti videmus, tempestas sæuit, causa est quòd nostra in naui sit IONAS, quid consilij? vel exponendus in littus nobis erit, vel mittendus in mare. Alterum tentauimus; sed nauem ad terrā promouere vi fluctuum ventorumque præpediti nequaquam potuimus; quod nobis argumento, hoc Deum noluisse, cui facile fuerat conatus nostros secundare, & prosperos largiri successus. Superest igitur alterum, vt mittatur in mare: quod nobis faciendum, nisi decretum sit vnà interire omnibus. Hoc verò quid opus, neque enim iuuare miserum miseriæ nostræ poterunt: ergo satius est solus pereat, vnum perire præ pluribus expedit, illius periculo nostrū omnium incolumitati consulamus. Ergo mittatur in mare. Dictum factum. *Tulerunt Ionam, & miserunt in mare.*

Argumētum quo socij concluserunt Ionam in mare mittendum.

7 Quærit Treminius num vestitum, an nudum? D. Augustinus ridēs quorumdam sollicitudinem de vestibus IONÆ, quibus ἀπίθανον & incredibile videbatur, voratum à ceto cum veste hominem fuisse, ait: *Scriptura neque nudum, neque vestitum in illud antrum deiectum esse dixit vt possit intelligi illuc etiam nudus irruisse si fortè opus erat, tanquam ouo corium, ita illi vestem detrahi, quo faciliùs sorberetur.* Vlteriùs verò quid factum sit non asserit Augustinus. Arbitratur Treminius missum in mare vestitum, tunicâ nimirum calceisque indutum, vt erat in naui: quomodo etiam fuerit exceptus à ceto. Causas dat: tum, quòd non ampliùs eius salutem, vt antea, socij quærerent; cùm clarè viderent eum ad mortem deposci, proindeque nil opus esse, vt ad vitæ seruandæ subsidium vestibus nudaretur: tum, vt magis appareret diuinæ clementiæ magnitudo, quando nullum non modò in corpore, sed ne quidem in veste detrimentum ceto inclusus acciperet: tum denique,

August. Epist. 49. q. 6.

Ionas vestitus in mare deiicitur.

deniquc, vt eiectus ad littus, vbi nulla vestis parandæ copia, impedimentum non haberet, quò minùs ex decoro & honestate, vtpote conuenienter vestitus, in Niniuen properaret.

Quomodo sit hanc pœnam cōmeritus ostenditur. 8 Merebatur hanc pœnam, deiici nempe in mare adconspectū omnium, qui in omnes peccauerat. In Niniuitas, apud quos esse noluerat diuinæ voluntatis interpres, ne saniora captantes consilia, suâ pœnitudine Iudæos gentis suæ homines confunderent. In socios suos, nautas & reliquos contubernales, quos suâ rebellione, quam persequebatur Deus, in euidentissimum vitæ discrimen adduxerat. Denique in ipsum Deum, cuius ne *Ionas publico supplicio afficitur.* iussa cogeretur implere, quæsierat latebras, & tam stolidam fugam adornârat. Quo iubente, nunc prolatâ sententiâ, publicè non clāculùm plectitur, ad institutionem & exemplū nostrum aliorumque, vt eius calamitatibus & angustiis reddamur meliores; neque, vt ipse, aliquando Deo pertinaciter reluctemur.

Publici peccati pœna sit publica. 9 Certè præcepit olim Moysi Deus vt publicè delinquentes etiam plecteret publicè: *Tolle*, inquit, *cunctos Principes populi, & suspende eos contra solem in patibulis.* Num. c. 25. v. 4. Ad quem locum Lyranus: *Suspendi*, inquit, *iubentur contra solem, vt pœna sit publica, sicut & peccatum, ad terrorem aliorum.* Sed & publica Saülis peccata, sicut & Dauidis, & aliorum, publica similiter pœna excepit.

Ionas de se non sumit suppliciū, sed sibi ab alijs illatum fert patienter. 10 Notandum benè quòd licet IONAS cōmeritam afflictionem sustineat, atque animo æquo sustineat; illam tamen sibi nequaquam infligat, de se mortis supplicium non sumat. Sciat licet se mittendum in mare, non idcircò ipse se mittit; sed aliorum mitti manibus, vt aliàs diximus, sustinet; insigni prorsus magnanimitate atque constantiâ.

Christus mortem sibi illatam, generosè sustinet, sed non infert. 11 Sic mysticus noster IONAS IESVS Christus, non nocens, vt ille, sed ipsa innocētia, nullâ suâ culpâ immeritam crucis pœnam aliorum confixus manibus sustinet; & licet moriatur generosè, non tamen mortem sibi consciscit; sed oblatam acceptat clamantibus contra eum cum Pontifice Caipha Iudæis: *Expedit vobis, vt vnus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat.* Ioannis c. 11. v. 50.

Ionâ in mari misso, tempestas sedatur. 12 Non vos modò morabor diutiùs; sed sitim vestram expleturus, quâ ardetis, scio, cognoscere quid à sumpto supplicio acciderit; id verbo vno ipsius ore Prophetæ edisseram. Iactato in aquas IONA, STETIT MARE A FERVORE SVO. Verbum *stetit* nominatim vsurpat, vt correspōdeat illi quòd antè dixerat, *Mare ibat, & intumescebat. Stetit mare*, inquit D. Hieronymus, *quia inuenerat quem quærebat. Velut si quis persequatur fugitiuum, & concito pergat gradu: postquam fuerit consecutus, desistit currere, & stat ac tenet quem apprehendit: ita & mare, quod absente Iona irascebatur, in visceribus suis desideratum tenens gaudet, & confouet, & ex gaudio tranquillitas redit.* D. Hiero. in hunc locum.

Stetit ergo *mare à feruore suo:* Hebræus textus habet, *ab ira sua:* cui conformius nonnulli in editione vulgata, pro eo quod legimus à *feruore*, legendum censent à *furore suo*; vti habet in notis suis Biblicis Mariana, estque id aliquantò significantius. Chaldæus vertit *à Tempestate sua.* 70. ἐκ τῆ σάλε αὐτῆς, id est, *à Commotione sua.* Ioannes Drusius interpretatur *ab æstu suo*; vt sit, quemadmodùm ipse ait, à rebus animatis ad inanima metaphora, siue translatio: cùm homines propriè, non mare, æstu feruere dicantur iracūdiæ, & ab homine irato dicatur iratum mare, quando fluctibus velut minatur & sæuit. *Homines propriè, nō mare, æstu feruent iracundia.* Quomodocumque legamus, secundùm versiones varias, mutatis tantummodo vocibus, res prorsus est eadem.

13 Sed quo pacto tandem, remisso æstu ac feruore suo, conquieuerit mare, à recepto IONA non vltrà sæuiens, audite concinentem eleganti carmine eruditissimum Tertullianum.

Sternitur æquoris vnda, resoluitur ætheris vmbra,

Hinc.

Hinc fluctus, illinc flatus redduntur amici,
Securamq́ viam, placidâ signante carinâ,
Candida cæruleo florent vestigia sulco.

Causa subitæ malacia assignatur. Sic ille. O mutatio dexteræ Excelsi! Causam quæritis? dat eam Basilius Seleuciæ Episcopus, cùm ait: *Neque vltrà opus erat procellâ comprehenso fugiente, non vltra opus erat quæstione, detento profugo.* Basil. Orat.12.

Si visa est omnibus mira, noua, inaudita; tam subita, tam sæua, tam immanis tempestas: non minùs profectò mira & stupenda videri debet in media tempestate quies tam placida; tam subita, tam serena tranquillitas. Fluctus, vti nequaquam momento tolluntur in altum; sed paulatim concitãtur, & altiùs altiusque assurgunt: ita nec momento deprimuntur ac cadunt; sed paulatim iterum subsidunt. Hîc verò cùm omnino secus fiat, & vno velut puncto flet ventus & cesset, exurgat tempestas & cadat, mare ferueat & quiescat; illorum auctorem esse nõ alium quàm ipsum naturæ Conditorem & Dominum opera ipsa loquuntur & clamant. Porrò tam repentina mutatio à dimisso IONA, nullâ anteà arte parabilis, argumẽto perquàm euidenti esse sociis ejus omnibus poterat, tot malorum, incommodorum, discriminum, vnicum ipsum tanto tempore caussam exstitisse, cuius societate liberati, etiam liberati à periculis, mox certâ quiete securitateque gaudeant.

In momẽto tẽpestas quiescit & sedatur mare velut miraculo.

14 En quàm verum illud Dauidis regis pronuntiatum, de Deo ac Domino nostro: *Omnia quæcumque voluit fecit, in cælo, & in terra, in mari, & in omnibus abyssis.* Fecit certè hîc, vt vidistis, tempestatem in mari cùm placuit, tranquillitatem cùm placuit. Quid mirum? ille namque est qui verissimè, quod de Æolo vanè confinxit Virgilius,

Deus cælo, vẽtis, mari dominatur, & imperat. Psal. 134. v. 6.

Luctantes ventos, tempestatesq́ sonoras
Imperio premit, ac vinclis & carcere frænat.

Virgil. 1. Æneid.

Ille est, cuius imperio, ad nutum, quotiescumque libuerit,

Vnà Eurusq́, Notusq́ ruunt, creberq́ procellis
Africus, & vastos voluunt ad littora fluctus. 1. Æneid.

Ille ergo est, quem vbique potentem, imò omnipotentem, meritò etiam vbique metuatis.

15 Obseruate ad hæc quæso, & in documentum vobis seruiat iterum, ac exemplum; collaborantibus nequidquam omnibus, nec sedatam tempestatem, nec imminutam, quàm diu fuit eius auctor IONAS in naui; illum priùs mergi oportuit, quàm tumultuantes vndæ immissæ sceleris vindices cõticescerent. Mihi credite, haud aliter nobiscum futurum est. Audite viri Principes, audite Consiliarij principum, audite Prouinciarũ & vrbium Senatores; saluam vultis Rempublicam vestram? perturbatores pellite: cum his nec vestra, nec vos salui esse potestis: quamdiu cum his dissimulandum censebitis, non cessabit Dominus flagellis vos commonere, vos erudire, etiam ferire; vt dum affectus & ratio non mouent, sensus moueat; quò maioribus animis exterminetis aliquando pestes illas tam exitiales è finibus vestris.

Tempestas tantùm post mersum Ionã sedatur.

Respublica non nisi pulsis malis hominibus benè esse potest.

16 Nobilis illa Christi nauicula S. Ecclesia, tot centenis annis, eheu! fluctuat semper, nec licet illi vel pauxillum conquiescere, continuis esse in periculis videtur, ac parum abesse quin mergatur, & pereat: quid causæ? quòd nunquam sit exhausta hæreticorum sentina. Quid dico exhausta? nulli improborum maiori viuere licet licentiâ quàm illis. Nunquid veritatem loquor? domũculam aut stramineum alicuius tectum exurere, nauem succendere, vel minimum alienorum rapere, cuicumque demum mortalium vim aliquam inferre, nulli licet impunè: Christi nauiculam inuadere, illam linguâ impiâ, maledicâ, blasphemâ, periurâ impetere, lacerare canino dente, cuiuis licet: tam atrox crimen nemo insequitur, nemo vindicat.

Hæretici tempestates in Ecclesia excitant.

Nimium illis licet esse impunè.

17 Sed

Inuestigandi hæretici, & cohibendi.

17 Sed fortè diceris, non mirum si nemo vindicet, quando ignorantur, & latent: & ego, laboretur vt quærantur ne lateant, atque inuenti educantur è latebris, producantur in publicũ: sciant, & videant, contra Deum minùs quàm contra homines peccari impunè. Id si agãt qui debent, & quorum ex officio maximè interest, inuenientur & alij, qui zelo amoris Dei collaborent, & adiuuent: nosse quippe debẽt omnes, quòd *magna est pietas prodere latebras impiorum, & ipsum in eis cui seruiunt diabolum debellare.* Sic de manifestandis Manichæis D. Leo Magnus loquitur: & ego de nostris hæreticis.

Ser. 4. de Collectis.

Etiam aliquamdiu in naui latuerat IONAS, non tamen idcirco illum, & omnes illos, apud quos latebat, minùs persecutus est Dominus: at potiùs longè ampliùs, & quidem tamdiu, donec agnitus, & protractus in publicum, sceleris sui supplicium dimissus in mare legitimè solueret: tunc enim dumtaxat irâ Dei quiescente, maris fluctus pariter conquierunt. Igitur cùm quæ noua tempestas exurgit, in auctores inquiratur, illi vinciantur, plectãtur; & citò redibit malacia pristina, quam antea frustrà, & omnino indebitè præstolamur.

18 Memini me aliquando legisse in sacris Litteris, demum post occisum Achan, sacrilegi furti auctorem, vsos propitio Numine filios Israël: sublatis dumtaxat Saülis, qui tam crudeliter Gabaonitas afflixerat, posteris, immissam diuinitus famem cessasse: non nisi extinctis sacerdotibus Baal ac pseudoprophetis, restitutam sub Elia terræ Israël, quæ tanto tempore siccitate aruerat, benedictionem & pluuiam. Vti priscis illis temporibus, sic est, eritque modò; auferantur de medio ij, ob quos est excitata tempestas, *& stabit mare à feruore suo*: puniantur qui deliquerunt, excludantur bonorum cœtibus, proscribantur, si fieri potest, è Christiana Republica; non ampliùs illa periclitabitur, non ampliùs sentiet ferientem Dei manum simul cum improbis probissimus quisque.

19 Videte hîc quoque quàm nemo peccet impunè. En quomodo Deus supplicio, & quidẽ atrocissimo, IONÆ sibi rebellantis peccatum censuerit castigandum; quando tot priùs perculsum terroribus, in æstuans & fremens procellis mare; multis frustrà pro eo deprecantibus, mitti placuit. Nos, si sapimus, illius edocti malis maturè placemus iudicem iratum, eumque quoad licet nobis conciliemus: dum tempus est, noxam deprecemur; dum veniæ locus, culpam fateamur; memores quòd is, quicum nobis negotium, sit ille, de quo scriptum est, *Diligit iustitiam & odit iniquitatem*: quam quia odit, & perpetuùm odit, nihil amat, sed nec amare potest eâ contaminatum; verùm hanc vbicumque, & semper, sicut odit, ita & insequitur; nec conquiescit, donec hac pulsâ nihil habeat vltrà quod insequatur, nihil quod oderit.

Nemo peccat impunè.

Peccator maturè Deum placare debet.

Psal. 44. v. 8.

20 Sicut ergo IONAS constanter rebellis & perfidus, frustrà hîc pristini sui vaticinij & diuturnorum obsequiorum apud Dominum alleget dignitatem & merita: ita aliquãdo tempus erit quo frustrà Imperator ostẽtet purpuram, sceptrum, diademata; nam Iudex ille personam non aspicit. Frustrà opulentus ostentet aurum, argentum, gemmas, latifundia, substructiones, marmora, & laqueata palatia; non enim accipit munera, illique par est pannosus & diues. Frustrà nobilis prætexat stemmata, imagines, maiorum gloriam, suam suorumque potentiam; non ei de sanguine, sed de virtute cura. vtpote apud quem

Nulla talita, nulla valent apud Deum merita, nisi virtutis.

—*Nobilitas sola est atque vnica virtus.* Iuuenalis Saty. 7.

Frustrà eruditus suam iactet eloquentiam, scientiam, sapientiam; quippe, si improbus fuerit, si his vsus sit non rectè, non ad defensionem sed ad damnationem ampliorem valitura: etenim magnus hic Dominus non de scientia, sapientia, eloquentia, sed de operibus iudicat. Paucis, vt cum Augustino loquar, *Ille iudex nec gratiâ praue-*

August. lib. 3. de symbolo.

Deus iudex aquus & incorruptus est. *præuenitur, nec misericordiâ flectitur, nec pecuniâ corrumpitur, nec satisfactione, vel pœnitētiâ mitigatur:* cum eodem etiam concludens, dico: *Ergo dum tempus est, agat anima pro se quamdiu locus est misericordiæ; quia ibi,* quando videlicet ad iudicandum venerit, *locus erit iustitiæ.* Timeamus igitur, si in peccatis perstemus, nequaquàm de vitæ emendatione saniora admittentes consilia, quoniam *Virgam virtutis suæ emittet Dominus ex Sion, & dominabitur in medio inimicorum suorum:* eósque tanquã vas figuli conteret, & confringet. *Psal. 109. v. 2.*

21 Expertus id olim, etiam ante præfinitum iudicio diem, citò quidem, sed serò adhuc satis, quæ Dei longanimitas est, suis demeritis & culpis, Theodoricus Italiæ rex, sectâ Arianus: nam cùm bello per omne nefas pressisset Orthodoxos, templa profanasset, nullis non sese contaminasset sceleribus; atque ad hæc, homo prorsus improbis moribus, ausu nefario adiecisset, vt Ioannem Romanum Pontificẽ velut alter Herodes in carcere occideret, ac Symmacho patritio Romano caput præsecaret, protinus ostendit Dominus, quòd *non in perpetuum irascetur, neque in æternum comminabitur:* sed quòd intentatas diu minas aliquando vera supplicia & peccantium opinione grauiora excipiant. Itaque securè prandenti inter delicias mensæ vltor adfuit Deus: quippe cũ inter cetera fercula allatus esset lucius piscis, prout regiam mẽsam decebat, conditus opiparè; vbi in eum oculos, simul & manus coniecit in lancem, caput piscis, in ipsius Symmachi, quod ipse præsecuerat, caput deformatum apparuit, exertâ linguâ innuens, *occidisti:* quo portento sibi obuersante noctes ac dies, cruciabatur miser, ac demum actus furiis seipsum fugiebat, nusquam tutus, nusquam securus. Ergo sollicitior de securioribus latebris, si quas vspiam reperire posset, cùm esset hasta, vt Nicephorus memorat, patrio more pro tabernaculo eius collocata sublimis, velletque expeditus equum è terra cõscendere, quòd is è pascuis nuper adductus minùs esset tractabilis, & ferocitatem spiraret, nec rectè ei adhuc insedisset, priores pedes in sublime iactans, solisque insistens posterioribus, diu luctatus, neque ad extremum satis continere eum freno valens, fatalem concussit hastã, quæ lateri obliquè impacta graue vulnus, ex vulnere conuulsionem viscerum, ac deinde mortem peperit infelicem, omnis æternùm secuturæ infelicitatis exordium.

Theodoricus rex Italiæ ob cædes factas punitur à Deo.
Cæs. Card. Baronius tomo 7. ad ann. 526.
Psal. 101. v. 9.

22 Nam exinde pœnæ grauiores: vidit quippe solitarius quidam, vti S. refert Gregorius, in Siciliæ insulis, Deo seruiens, eo ipso tempore, quo è viuis excessit, eumdem Theodoricum vinctum in foucam illam, quæ flammas eructat, à Ioanne Papa & Symmacho, quos ille Catholicam tuentes fidem non multò antè occiderat, dari præcipitem; vt vel hinc appareat manifestum Dei in eum iudicium, certáque damnationis sententia.

23 Exempla huiusmodi, eorum potissimùm qui aliquando aut persecuti sunt aut afflixerunt Ecclesiam, etiam hoc tempore inueniri possent non pauca. Meministis credo quàm infelici morte ante paucos annos perierint qui cõtra Ferdinãdum II. Austriacum Inuictissimum Imperatorem, fidemque Catholicam totam concitarunt Germaniam. Et quidem Christianus Brunsuicẽsis Pseudo-Episcopus Halberstadensis, cognomẽto *furiosus,* qui monetam cuderat, vnâ facie suis signatam insignibus, alterâ brachio ense armato, additâ epigraphe hac, *Dei amicus, Sacerdotum hostis;* primò in prælio brachium perdidit, deinde miserè in pœdore & squalore, quem nec amici quidem ferre poterant, mortuus, esse desiit gloriosus. Sunt qui referant in exstincti deinde cadauere, repertum vermem longum vlnâ, & palmo latum. Id si verum, quod nolo omnino certò asserere, signum planè manifestum, in hominem nimiùm præfidentem sibi, exercere hîc Deum suum etiam iudicium voluisse. *Contra religionem veram legitimosq; Principes pugnantes, puniuntur suo tempore.*

24 Si non deteriùs, certè non multò melius

meliùs euenit Ernesto Mansfeldico, qui post ductas aliquot rebellium turmas, diffluentibus paulatim eius copiis omnibus, partim fugâ, partim à Cæsareanis malè acceptis, ipsemet in Bosnia equino in stabulo, desertus ab omnibus, dysenteriâ miserè, vt tales solent, interiit. De Gustauo Sueciæ Rege Acatholicorū exercituum Imperatore, nil attinet dicere: nam licet multis in præliis superior, suis iam esset elatus victoriis; quòd inter arma occubuerit, neque partâ gloriâ diu illi frui licuerit, satis ostenditur, quàm non faueat Deus iis, qui religioni, sanctis eius legibus, legitimis Principibus, & dilecto sibi populo aduersantur. Nihil nunc addo de iis, quæ circa singulos hanc sunt mortalitatem secuta; quòd de diuinis iudiciis, quamdiu occulta nobis, nequaquam à mortalibus statuendū quidpiam sit aut dicēdum.

25 Hanc interim tragicarum rerum catastrophen malo vos in hoc mundi theatro circa alios spectare, quàm vel nunc, vel postea, in vobis ipsis expertos, vestro damno condiscere. Ergo sedulò virtutē colite, vitium fugite: *Ne quando*, si secus feceritis, *irascatur Dominus, & pereatis de via iusta.* Psalm. 2. v. 12.

Omnes creaturæ milites Dei sunt, & pro eo pugnant.

26 Vnum propè exciderat animaduersione dignissimum; vestris nimirum obiicere mētibus, quot, quàm strenuos, quàm generosos habeat milites Deus, & quibus eos in hostes suos telis armare, cū placuerit, etiam momento temporis possit; quod abūndè videbitis, si hîc spectatores gloriæ potentiæq; ipsius, memineritis nullum esse tam imbelle elementum, quod non instar gloriosissimi athletæ pro ea certet. Hoc nobis maris vndæ testantur, quæ suo more exurgunt in iras; & vti olim aquæ diluuij totum mūdum, ita nunc Ionam petunt; nec antè quiescunt, quàm eum, contra quem pugnaturæ mittuntur, debellauerint, vicerint; deque eodem iam captiuo quodammodò triumpharint.

Pro Deo contra peccatores

27 Neque aliter futurū est sub extrema cadentis orbis tēpora; veniente namque in nubibus cæli Domino *cum potestate magna & maiestate*, non cessabunt pugnare cum eo elementa, quæ deinde victricia, satellitum more, impios ad inferorum sedes miserrima animorum ergastula rapiant.

omnia in fine mundi pugnabūt. Lucæ c. 21. v. 27.

Hoc est quod ait Sapiens: *Armabit creaturam ad vltionem inimicorum, acuet diram iram in lanceam; & pugnabit cum eo orbis terrarū contra insensatos:* qui vbi victi fuerint (quare videte ne & vos vincamini, sed & ne has hostes vnquā habeatis) iustam exprobrationē, tametsi grauem & molestam, ab his victoribus audient. Sapient. c. 5. v. 18.

Indigniùs cum Christo à Iudæis; quā cum Iona à sociis actum.

28 Veniamus tandem aliquando ad mysticum *Ionam* Iesvm *Christum*: O quantò acerbiùs, quantò indigniùs cum eo à Iudæis, quàm cum Propheta nostro à nautis est actum! Hi de Iona liberando prudenter deliberant: illi ad Christvm occidendum impudenter properant.

Hi bonorum omnium iacturam præ Iona nihili faciunt; illi Christvm, propter multa quæ fecit bona, perditum eunt. Numquid illorum hæc vox est: *Quid facimus, quia hic homo multa signa facit?* vt meritò innocens Christus dicere possit: *Retribuebant mihi mala pro bonis.* Ioan. c. 11. v. 47. Psal. 34. v. 12.

Hi Ionam magnâ veneratione *miserunt in mare*: illi Christvm summâ raptarunt ignominiâ extra Ierusalem.

Hi orant, *Ne des super nos sanguinem innocentem:* illi impijs vocibus tumultuantur & clamant, *Sanguis eius super nos & super filios nostros.* Matth. c. 27. v. 25.

Hi remigant, vt reuertentes ad aridam Ionam mortis periculo liberent: illi laborant corde, voce, & opere, vt Christvm mari dolorum & sanguinis sui mersum interimant. Hinc illæ voces eorum, *Tolle, tolle, crucifige eum.* Ioan. c. 19. v. 15.

Hi Ionam citò Dei seruum agnoscunt: illi Christvm neque Dei filium neque Regem credunt, dicentes *non habemus regem nisi Cæsarem* & ingeminantes identidem, quò nihil simile pronuntiatum vnquam in Ionam, *reus est mortis.*

V Hi

Deus iudex æquus & incorruptus est. *præuenitur, nec misericordiâ flectitur, nec pecuniâ corrumpitur, nec satisfactione, vel pænitētiâ mitigatur:* cum eodem etiam concludens, dico: *Ergo dum tempus est, agat anima pro se quamdiu locus est misericordiæ; quia ibi,* quando videlicet ad iudicandum venerit, *locus erit iustitiæ.* Timeamus igitur, si in peccatis perstemus, nequaquàm de vitæ emendatione saniora admittentes consilia, quoniam *Virgam virtutis suæ emittet Dominus ex Sion, & dominabitur in medio inimicorum suorum:* eosque tanquā vas figuli conteret, & confringet.

Psal. 109. v. 2.

Theodoricus rex Italiæ ob cædes factas punitur à Deo. Cæs. Card. Baronius tomo 7. ad ann. 526.

21 Expertus id olim, etiam ante præfinitum iudicio diem, citò quidem, sed serò adhuc satis, quæ Dei longanimitas est, suis demeritis & culpis, Theodoricus Italiæ rex, sectâ Arianus: nam cùm bello per omne nefas pressisset Orthodoxos, templa profanasset, nullis non sese contaminasset sceleribus; atque ad hæc, homo prorsus improbis moribus, ausu nefario adiecisset, vt Ioannem Romanum Pontificē velut alter Herodes in carcere occideret, ac Symmacho patritio Romano caput præsecaret, protinus ostendit Dominus, quòd *non in perpetuum irascetur, neque in æternum comminabitur:* sed quòd intentatas diu minas aliquando vera supplicia & peccantium opinione grauiora excipiant. Itaque securè prandenti inter delicias mensæ vltor adfuit Deus: quippe cū inter cetera fercula allatus esset lucius piscis, prout regiam mēsam decebat, conditus opiparè; vbi in eum oculos, simul & manus coniecit in lancem, caput piscis, in ipsius Symmachi, quod ipse præsecuerat, caput deformatum apparuit, exertâ linguâ innuens, *occidisti:* quo portento sibi obuersante noctes ac dies, cruciabatur miser, ac demum actus furiis seipsum fugiebat, nusquam tutus, nusquam securus. Ergo sollicitior de securioribus latebris, si quas vspiam reperire posset, cùm esset hasta, vt Nicephorus memorat, patrio more pro tabernaculo eius collocata sublimis, velletque expeditus equum è terra cōscendere, quòd is è pascuis nuper adductus minùs esset tractabilis, & ferocitatem spiraret, nec rectè ei adhuc insedisset, priores pedes in sublime iactans, solisque insistens posterioribus, diu luctatus, neque ad extremum satis continere eum freno valens, fatalem concussit hastā, quæ lateri obliquè impacta graue vulnus, ex vulnere conuulsionem viscerum, ac deinde mortem peperit infelicem, omnis æternùm secuturæ infelicitatis exordium.

Psal. 102. v. 9.

22 Nam exinde pœnæ grauiores: vidit quippe solitarius quidam, vti S. refert Gregorius, in Siciliæ insulis, Deo seruiens, eo ipso tempore, quo è viuis excessit, eumdem Theodoricum vinctum in foueam illam, quæ flammas eructat, à Ioanne Papa & Symmacho, quos ille Catholicam tuentes fidem non multò antè occiderat, dari præcipitem; vt vel hinc appareat manifestum Dei in eum iudicium, certaque damnationis sententia.

23 Exempla huiusmodi, eorum potissimùm qui aliquando aut persecuti sunt aut afflixerunt Ecclesiam, etiam hoc tempore inueniri possent non pauca. Meministis credo quàm infelici morte ante paucos annos perierint qui cōtra Ferdinādum II. Austriacum Inuictissimum Imperatorem, fidemque Catholicam totam concitarunt Germaniam. Et quidem Christianus Brunsuicēsis Pseudo-Episcopus Halberstadensis, cognomēto *furiosus,* qui monetam cuderat, vnâ facie suis signatam insignibus, alterâ brachio ense armato, additâ epigraphe hac, *Dei amicus, Sacerdotum hostis;* primò in prælio brachium perdidit, deinde miserè in pœdore & squalore, quem ne amici quidem ferre poterant, mortuus, esse desiit gloriosus. Sunt qui referant in exstincti deinde cadauere, repertum vermem longum vlnâ, & palmo latum. Id si verum, quod nolo omnino certò asserere, signum planè manifestum, in hominem nimium præfidentem sibi, exercere hîc Deum suum etiam iudicium voluisse. *Contra religionem veram legitimosque Principes pugnantes, puniuntur suo tempore.*

24 Si non deteriùs, certè non multò meliùs

meliùs euenit Ernesto Mansfeldico, qui post ductas aliquot rebellium turmas, diffluentibus paulatim eius copiis omnibus, partim fugâ, partim à Cæsareanis malè acceptis, ipsemet in Bosnia equino in stabulo, desertus ab omnibus, dysenteriâ miserè, vt tales solent, interiit. De Gustauo Suetiæ Rege Acatholicorũ exercituum Imperatore, nil attinet dicere: nam licet multis in præliis superior, suis iam esset elatus victoriis; quòd inter arma occubuerit, neque partâ gloriâ diu illi frui licuerit, satis ostenditur, quàm non faueat Deus iis, qui religioni, sanctis eius legibus, legitimis Principibus, & dilecto sibi populo aduersantur. Nihil nunc addo de iis, quæ circa singulos hanc sunt mortalitatem secuta; quòd de diuinis iudiciis, quamdiu occulta nobis, nequaquam à mortalibus statuendũ quidpiam sit aut dicẽdum.

25 Hanc interim tragicarum rerum catastrophen malo vos in hoc mundi theatro circa alios spectare, quàm vel nunc, vel postea, in vobis ipsis expertos, vestro damno condiscere. Ergo sedulò virtutẽ colite, vitium fugite: *Ne quando*, si secus feceritis, *irascatur Dominus, & pereatis de via iusta.* (Psalm. 2. v. 12.)

26 Vnum propè exciderat animaduersione dignissimum; vestris nimirum obiicere mẽtibus, quot, quàm strenuos, quàm generosos habeat milites Deus, & quibus eos in hostes suos telis armare, cũ placuerit, etiam momento temporis possit; quod abũdè videbitis, si hîc spectatores gloriæ potentiæq; ipsius, memineritis nullum esse tam imbelle elementum, quod non instar gloriosissimi athletæ pro ea certet. Hoc nobis maris vndæ testantur, quæ suo more exurgunt in iras; & vti olim aquæ diluuij totum mũdum, ita nunc IONAM petunt; nec antè quiescunt, quàm eum, contra quem pugnaturæ mittuntur, debellauerint, vicerint; deque eodem iam captiuo quodammodò triumpharint. (*Omnes creaturæ milites Dei sunt, & pro eo pugnant.*)

27 Neque aliter futurũ est sub extrema cadentis orbis tẽpora; veniente namque in nubibus cæli Domino *cum potestate magna & maiestate*, non cessabunt pugnare cum eo elementa, quæ deinde victricia, satellitum more, impios ad inferorum sedes miserrima animorum ergastula rapiant. (*Pro Deo contra peccatores*) (*omnia in fine mundi pugnabũt.* Lucæ c. 21. v. 27.)

Hoc est quod ait Sapiens: *Armabit creaturam ad vltionem inimicorum, acuet diram iram in lanceam; & pugnabit cum eo orbis terrarũ contra insensatos:* qui vbi victi fuerint (quare videte ne & vos vincamini, sed & ne has hostes vnquã habeatis) iustam exprobrationẽ, tametsi grauem & molestam, ab his victoribus audient. (Sapient. c. 5. v. 18.)

28 Veniamus tandem aliquando ad mysticum *Ionam* IESVM *Christum*: O quantò acerbiùs, quantò indigniùs cum eo à Iudæis, quàm cum Propheta nostro à nautis est actum! Hi de IONA liberando prudenter deliberant: illi ad CHRISTVM occidendum impudenter properant. (*Indigniùs cum Christo à Iudæis; quã cum Iona à sociis actum.*)

Hi bonorum omnium iacturam præ IONA nihili faciunt; illi CHRISTVM, propter multa quæ fecit bona, perditum eunt. Numquid illorum hæc vox est: *Quid facimus, quia hic homo multa signa facit?* vt meritò innocens Christus dicere possit: *Retribuebant mihi mala pro bonis.* (Ioan. c. 11. v. 47.) (Psal. 34. v. 12.)

Hi IONAM magnâ veneratione *miserunt in mare*: illi CHRISTVM summâ raptarunt ignominiâ extra Ierusalem.

Hi orant, *Ne des super nos sanguinem innocentem:* illi impijs vocibus tumultuantur & clamant, *Sanguis eius super nos & super filios nostros.* (Matth. c. 27. v. 25.)

Hi remigant, vt reuertentes ad aridam IONAM mortis periculo liberent: illi laborant corde, voce, & opere, vt CHRISTVM mari dolorum & sanguinis sui mersum interimant. Hinc illæ voces eorum, *Tolle, tolle, crucifige eum.* (Ioan. c. 19. v. 15.)

Hi IONAM citò Dei seruum agnoscunt: illi CHRISTVM neque Dei filium neque Regem credunt, dicentes *non habemus regem nisi Cæsarem* & ingeminantes identidem, quò nihil simile pronuntiatum vnquam in IONAM, *reus est mortis.*

Hi misso in mare *Ionâ, timuerunt timore magno Dominum, immolauerunt hostias, & vouerunt vota:* illi mortuo CHRISTO magis peruicaces, magis Deo rebelles, magis scelerati effecti, impleuerunt in se suum illud vaticinium: *Erit nouissimus error peior priore.*

Matth.c. 27.v.64.

Hi IONÆ casu spectato, agnitaque à Deo immissâ tempestate, conuertuntur: illi tot signis, portentis, atque prodigiis ob oculos versantibus, magis etiam peruertuntur, & moriuntur in peccatis suis. Quare illis nequaquam *stetit mare à feruore suo: Christus* enim *positus est in ruinam & in resurrectionem multorum.* Hæc ferè Gregorius Mastrillus.

Lucæ c.2. v.24.

A Christi morte mũdo obuenit tranquillitas.

29 Addit idem. Ante *Christi* mortem *Mare*, id est mundus, *ibat*, de peccato in peccatum, & exinde in mortem, longiùs recedens à Deo, *& intumescebat:* accrescente pro peccatorum mensura supplicio: verùm post *Christi* mortem successit tranquillitas; nempe pax fidei, securitas, agnitio veritatis, vnius veri Dei cultus, Euangelij promulgatio toto orbe terrarum: vt appareat non maris vnius; sed mundi totius turbulentissimam ab eo tempestatem sedatam, esseque hũc longè IONA nostro potentiorem, longè maiorem; licet sui similitudinem aliquam per eum tot antè seculis mundo exhiberi placuerit.

Nam sicut IONAS hic non intra nauem, sed extra eam, velut moriturus emittitur: ita CHRISTVS extra Ierosolymam ad crucis patibulum ducitur. Sicut IONAS mirâ quiete in mare deturbari se sinit, atque à contumeliis abstinet: ita CHRISTVS grauissimis, & in vita, & in morte, lacessitus iniuriis, quod IONÆ tamen non accidit, prorsus tacuit, *factus sicut homo non audiens & non habens in ore suo redargutionem.* Sicut ad IONAM missum in mare, ipsum protinus conquieuit: ita ad CHRISTI passionem & mortem, conquieuit orbis.

Psal. 37. v.15.

Id non ex me sed ex D. Hieronymo accipite. *Si consideremus,* inquit, *ante passionem Christi errores mundi & diuersorum dogmatum flatus contrarios, & nauiculam totumq; humanum genus; id est creaturam Domini periclitantem, & post Passionem eius tranquillitatem fidei & orbis pacem, & secura omnia, & conuersionem ad Deum; videbimus quomodo post præcipitationem Ionæ, steterit mare à feruore suo.*

Obseruate similiter, & si lubet, perpendite iustam æterni Patris iram in totum humanum genus, tot tamque grauibus contaminatum sceleribus, eamque feruore maris expressam; subsecutâ deinde filij tam acerbâ morte iterum placatum Patrem, simul videbitis, hîc verè perfecteque adimpletum quod dicitur: *Stetit mare à feruore suo:* quando exinde non ampliùs acres venti flagellorum diuinorum in nos insurgunt, ira æterni Patris sedata est, captus dæmon, & cõpedibus vinctus, infernus spoliatus, mors deuicta, destructum peccatum, omnes asserti in libertatem filiorum Dei, viuimus vitam vitalem. Christus enim in mari dolorum constitutus collocauit nos in terra viuentium.

Peccata in mare sanguinis Christi mittenda, vt cesset tempestas mentis.

30 Restat vt, si etiam mentis nostræ nauicula, circũstrepentibus vndique peccatorum fluctibus, qui ab inquietæ turbidæque cõscientiæ concitato proueniunt pelago, ita prematur, vt propè opprimi videatur & mergi, mittatur in mare IONAS; quæ nos intus premit peccati sarcina, in profundum coniiciatur meritorum Christi pelagus, eius sacro purpuratum nobilitatumque sanguine. *Stabit* tunc quoque *mare à feruore suo:* redibit tranquillitas, viuemus securi, viuemus quieti, viuemus hilares, in *pulchritudine pacis & in requie opulenta,* seruiemusque Deo cum exultatione & gaudio, in sanctitate & iustitia, omnibus diebus vitæ nostræ.

Isa c.32. v.18.

LECTIO

LECTIO VIGESIMA-PRIMA.

TIMVERVNT VIRI TIMORE MAGNO DOMINVM: ET IMMOLAVERVNT HOSTIAS DOMINO ET VOVERVNT VOTA. *Verſ. 16.*

ARGVMENTVM.

Recenſetur ex IONÆ *ſupplicio obueniens ſociis fructus. De gratitudine & ingratitudine agitur. Votorum antiquitas, meritum, præmium, declaratur & contra Sectarios defenditur; eorumque in hoc errores damnantur. Voti implendi neceſſitas oſtenditur.*

1 DIV comprehenſus mariſque tempeſtate, velut vinculis, in nauis concluſus carcere; luit tandem aliquando meritas pœnas profugus IONAS; ſumptumque mediis in vndis de nocente ſupplicium, ſociis ad commune ſpectaculum, vti fieri conſueuit, non confluentibus modò, atque ex eo attonitis; ſed eximium quoque fructum ferentibus. Quippe, qui mox diu petitum, & quidem multo labore contentioneque portum, celeuſma concinentes, feliciter tenuerunt, atque diuini operis ſpectatores, quod primum, ac ceteris omnibus potius, TIMVERVNT protinus, hactenus immoti, TIMORE MAGNO DOMINVM. In Hebraico ponitur nomen ineffabile יהוה Iehoua, id eſt, Deum verum, quem à ſe coli IONAS dixerat, cuius & poteſtatem, excitatâ quidem nuper tempeſtate, nunc verò hac ipsâ vno propè momento ſopitâ, & nouerant, & viderant. Hunc Deum non ſolùm timuerunt; verùm etiam, quem antè non nouerant, reueriti, magnoperè coluerunt: quippe inductâ tranquillitate non tam erat timendum, quàm de accepto beneficio exultandum, agendæque tam munifico largitori gratiæ immortales. Quamquam habere etiam poterat tam acerba ſupplicij ſumpti de perfido transfuga memoria, timoris aliquid, quando occurrebat tam recens factum, Dei IONAM fugientem ad mortem vſque perſequentis, malis omnibus pauendum.

Fructus ſociorum ex Iona ſupplicio.

2 Timuerint ergo hi viri, obſtupuerint inquam, hæſerintque attoniti, ad rei tam nouæ, tam inſuetæ conſpectũ, nil miror: ita fieri ſolet nobiſcum, cùm accidit aliquid oculis atque auribus noſtris peregrinum ac nouum; prodigioſas nempe tempeſtates, nouorum ſyderum minaces ortus, terræ tremores, inſolitos elementorum motus omnes miramur, timemus. Certè vereri etiam hi poterant, cùm ſic impeti IONAM viderent, ſuorũ malè ſibi ſcelerum conſcij, aliquid ampliùs, & arbitrari atrociora capitibus ſuis impendere ſupplicia. Verùm non dubito quin præ timore magis etiam in eius amorem exarſerint, quem tam potentem agnouerant; adeoque ad eundem, vt bonorum omnium fontem, conuerſos, illi totâ mente, ac deſiderio factos ſupplices, eodem vota omnia preceſque conuertiſſe.

Timor & ſtupor in rebus nouis eſſe ſolet.

3 Tradit Rabbi Eliezer, nautas ceteroſque itineris ac peregrinationis IONÆ ſocios, cùm veniſſent in vrbem regiam Niniue (quò eos mox profectos, ſed nullâ fultus ſacrarum Litterarum auctoritate, ipſe ſupponit) atque ibidem, quæ Deus circa contubernalem ſuum, & per illum egiſſet mirabilia magna, accuratiùs indagaſſet, cognouiſſentq; penitiùs; protinus abiectis in mare deorum quos coluerant ſimulacris,

Nautas & ſocios Ionæ factos ſtatim Iudæorum proſelytos Ieroſolymis eſſent Iudæi.

lacris, reuersos in Ioppen, inde verò Ierosolymam abiisse quamprimùm, ibique per circumcisionem, in leges religionemque Iudaicam, ac verum vnius Dei cultum transisse. Sit penes auctorem fides.

Conuersos à cultu deorum ad Deum verum, vbi ad littus appulerūt, certius est.

4 Verius existimo, rei suprà recensitæ nouo atque insolito permotos spectaculo, subitò signa dedisse animi melioris, atque eo ipso momento ad agnitionem diuini nominis cultusque anhelare cœpisse. Insuper timore primùm exorto, paulatim etiam in Dei amorem exarsisse, ac non multò pòst in eundem fuisse quàm vehementissimè inflammatos. Sicut piè factum credimus in iis, qui tristi spectaculo mortis Christi Domini nostri præsentes, eo peracto, ad tam multarum rerum nouarum & mirabilium contemplationem attoniti, recesserunt tundentes pectora sua, atque dicentes: *Verè filius Dei erat iste.*

Matth. c.28.v.54.

Prouidentia diuina admirabilis.

5 Obseruat Theophylactus, quamquam in toto hoc de conuersione Niniuitarum studio, & susceptorum à IONA itinerum negotio, diuina eluxerit prouidentia, quæ in sui dispositione non fallitur: eam tamen hîc magis eluxisse & fuisse singularem; cùm factum, vt dum fugit IONAS ne seruentur Niniuitæ, conuerso rerum ordine ac vice, quod fugitiuo in mentem non venerat, illi ad quos fugerat nautæ seruentur. His ergo præpostera IONÆ fuga, soli noxia fugienti, plurimùm profuit.

Malis quā Deus bene vtatur, exemplis ostenditur.

6 Sic hominum delictis ac sceleribus, grauibus & enormibus licet, Deus Optimus Maximus, quæ eius est bonitas, vtitur, nec infrequenter, in bonum. Etenim nemo vestrûm ignorat, quantoperè nascentis Ecclesiæ pomœria vna S. Stephani protomartyris lapidatio dilatarit? Nemo non audiuit quàm proximè elapso seculo, atque etiamnum hoc nostro æuo, propagarit in nouo Orbe, ad vltimos vsque Orientis fines, etiam inter vel maximè barbaros, religionem veram, synceramque vnius Dei cultum, paucorum Martyrum sanguis?

Non ita nuper, anno nimirum seculi huius decimo tertio, nouimus; cùm Arimæ in Iaponia octo Iaponij nobiles pro fide Catholica exurerentur viui, ardentibus circa illorum sacra corpora adhuc ignibus, & flammis adhuc subsilientibus; ad idem supplicij genus, quantumuis atrox, subeundum, se ibidem, loco patenti & publico, viginti Christianorum millia, qui ad spectaculum confluxerant, magno animo & vultus hilaritate obtulisse, sociorum suorum fortitudine atque constantiâ ad rogum tanquàm ad nuptias properantium animatos: vt omnino etiam hîc verum appareat Tertulliani vetus illud pronuntiatum: *Crudelitas illecebra est secta, plures efficimur quoties metimur à vobis, semen est sanguis Christianorum.* In quam sententiam dixit similiter, disputans contra Gentilem Philosophum, qui ad se venerat, S. Antonius: *Nos famuli Christi, quò plus premimur, eò magis assurgimus, & floremus.*

Per Martyres multiplicātur Christiani.

Tertull. in Apologetico c. 5.

S. Athan. in vita Antonij c. 49.

7 Sed nunquid non assurgerent & florerent Christiani nisi premerétur? certè non eo numero, ardore, constantiâ. Nam *nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet: si verò mortuum fuerit, multum fructum adfert.* Hoc ipsum est quod ait D. Leo Papa. *Non minuitur persecutionibus Ecclesia, sed augetur; & semper Dominicus ager segete ditiore vestitur, dum grana quæ singula cadunt multiplicata nascuntur.* Et alio loco. *Christiani in suppliciis & mortibus beatorum Martyrum, qui putabantur minui numero, multiplicabātur exemplo.* Nunquid non potest seminare sanctæ doctrinæ semen magnus seminator Deus, etiam in agro sterili, quem non irrorarit innocentium illorum pro veritate ac fide occumbentium sanguis? Potest omnino: verùm non semper illi placet malum omne auertere, sed suæ sinens singula libertati, interdum magis agit, vt quod est malum conuertat in bonum, quàm vt malum auertat. Hoc totidem propè verbis ex S. Augustino præclarissimo & eruditissimo Ecclesiæ Doctore

Ioannis c. 12.v.24.

Leo ser. 1. de SS. Petro & Paulo.

Idem ser. 6. de Epiphania.

Doctore accipite: quamuis id etiam aliàs ex eodem verbis paullò immutatis, & aliunde depromptis dixerimus. *Deus (inquit) melius iudicauit de malis benefacere, quàm mala nulla esse permittere.* Sic prorsus ex occasione rebellãtis IONÆ nautæ viam veritatis ac salutis, hîc & cognoscunt, & amplectuntur, eamque ingredientes Deo vero firmiter adhærere proponunt, nũquam ab eo recessuros se statuunt, & seruantur.

August. Encrid. c.27. *Ionæ fuga, sociorum est conuersio & salus.*

8 Hoc ex gratiæ fonte prouenit quòd protinus IMMOLAVERVNT HOSTIAS DOMINO: Deo inquam viuo & vero, à quo solo timenda tempestas, sperandaque tranquillitas; non diis, quos fingebat insana Gentilium turba. At quas & quales sub hoc ipsũ salutis exordium hostias immolarunt? non dubium quin spiritales & mysticas. Ita censent D. Hieronymus, Remigius, Hugo Cardinalis, Haymo; eò quòd alias ab his contriti cordis, animi resipiscentis, seseque ad Deum verum conuertentis, habere mediis in fluctibus non potuerint: & verò, Deo nullæ sunt his hostiis gratiores. Quod & nouerat Dauid; hinc cùm dixisset: *Sacrificium Deo spiritus contribulatus,* immediatè subiungit; *cor contritum & humiliatum Deus non despicies.* Quare alio loco ad hoc ipsum spiritale sacrificium nos exhortans, ait: *Immola Deo sacrificium laudis, & redde Altissimo vota tua.*

Socij Ionæ hostias spiritales in naui immolant.

Hostia Deo gratissima cor contritum. Psal. 50. v.19.

Psal. 49. v. 14.

9 Quæritur, an non etiam alias hostias obtulerint nautæ? Rochus Mamerotius, Paulus Palatius, Franciscus Feuardentius; magni magnorũ Principum concionatores, quibus consentit Doctor Treminius, ad mysticarum oblationem hostiarũ, accessisse quoque reales, nimirum aut incensi grana, aut ad victum seruatas volucres, aut panem farinamve, aut quid aliud generis eiusdem, religiosè opinantur. In qua quidem optima propensissimaque in Deum voluntate, tametsi eos fuisse non dubitem, magis tamen D. Hieronymo, Remigio, ceterisque prioris sententiæ auctoribus assentior (quibus etiam consentiunt Theodoretus, Theophylactus, Ribera, Emanuel Sà, Franciscus à Messana, ac pars potior saniorque interpretum) dicentibus id eos in naui præstare nequaquàm potuisse, omnibus non omninò necessariis, per priorem tempestatem, quâ missa in mare reliqua, destitutos; proindeque istic quidem contentos hostiis, quæ in cordis sacro altari offerentur; at mox naui egressos, ipso in littore, viuas Deo Hebræorum, qualescumque demum, quas nancisci potuerint, immolasse (sicut olim fecerat, in causa non dissimili, liberatus à diluuio Noë) interim addituros se alias longè maiores digniores que in patria, promittentes.

Probabilius in naui nullas alias hostias immolatas.

Etiam hostias reales socij ad littus appulsi immolarunt:

10 Firmum hoc mihi videtur & solidum; tum ex ratione, tum ex communi interpretum sensu atque sententia, cui non parum firmamenti & roboris addit Chaldæus Paraphrastes, pro eo quod nos habemus, *& immolauerunt hostias*, vertens, *& dixerunt se sacrificia sacrificaturos coram Domino:* hæc verò cùm Ierosolymis dumtaxat, vbi templum erat & altare, solerent offerri, nonnulli arbitrati sunt eos littori redditos, quamprimùm relictis omnibus, istuc, sacrificaturos Deo, cõtendisse: quod sicuti affirmare non audeo, ita magis verosimile existimo ab iis factitatum vbi suis se aliquantisper negotiis expedissent, dantes interim ipso in littore, cùm primùm essent exempti malis, ne vel in limine viderentur ingrati, aliquod suæ pietatis argumentum.

deinde alias Ierosolymis.

11 Insigniter horum Ethnicorum exemplo monentur, docenturque Christiani, pro acceptis beneficiis, & plurimis, & maximis, omnium largitori Deo gratias agere, ac quotidie meminisse, quòd, vt D. Iacobus ait: *Omne datum optimum, & omne donum perfectum de sursum est.* Et verò quid potius hominem decet, tot veteribus beneficiis cumulatum, & pluribus nouis adhuc auctum in dies, quàm in eum, à quo ista accepit, gratitudo? non vtilis modò ad acceptorum conseruationem,

Gratitudo maximè Christianos decet.

Iacob. c.1. v. 17.

Hæc vtilis est ad maiora obtinenda.

nem, verùm etiam ad accipiendorum cõquiſitionem neceſſaria. Nihil enim ita largitatis occludit fontem, quàm ingratus animus; vt meritò, omnium cenſeatur ſententiâ, indignus beneficio, qui auctorem beneficij non agnoſcit.

Bern.ſer. 2. de 7. miſericordiis.

Ingratitudinis mala deſcribuntur.

Hoc eſt quod inculcat D. Bernard. cùm ait: *Nihil ita diſplicet Deo, præſertim in filiis gratiæ, in hominibus conuerſionis, quemadmodum ingratitudo. Vias enim obſtruit gratiæ, & vbi fuerit illa, iam gratia acceſſum non inuenit, locum non habet.* Alibi verò de hoc vitio paullò differens copioſiùs: *Ingratitudo*, inquit, *inimica eſt animæ, exinanitio meritorum, virtutum diſperſio, beneficiorum perditio.* Et repetit: *Ingratitudo ventus vrens, ſiccans ſibi fontem pietatis, rorem miſericordiæ, fluenta gratiæ.*

Ser. 51. in Cantica.

12 Quibus ex malis facilè videmus, quàm omnem in Deum ingratitudinem fugere, quàm pro acceptis ab eodem donis & gratiis, vt deinceps pluribus augeamur, gratos nos eſſe oporteat: *Quòd ſi*, inquit idem Bernardus, *copia aquarum ſecretis ſubterraneiſq. recurſibus inceſſanter æquora repetunt, vt inde rurſus ad viſus, vſuſq. noſtros iugi & infatigabili erumpant obſequio; cur non etiam ſpirituales riui, vt arua mentium rigare non deſinant, proprio fonti ſine fraude & intermiſſione reddantur? Ad locum vnde exeunt re[illegible]tantur flumina gratiarum, vt iterum fluant. Qualiter inquis? qualiter dicit Apoſtolus. In omnibus gratias agentes. Quidquid ſapientiæ, quidquid te virtutis habere confidis, Dei virtuti & Dei ſapientiæ deputa Chriſto.* Hactenus Bernardus. Ex quibus apparet; cur, qualem, & quantam ipſe à nobis gratitudinem exigat.

Bern.ſer. 13. in Cãtica.

Quoties, cur, & quanta à nobis exigatur gratitudo.

Maiorem adhuc exigere ab omnibus Rex piiſſimus Dauid videtur, cùm ait: *Immola Deo ſacrificium laudis.* At quando hoc immolari deſiderat? nullo nõ die, & ſæpiùs quidem; hoc enim ſacrificio nullum potius, nullum diuinæ Maieſtati acceptius, proindeque vellet nullum magis in vſu verſari, nullum ampliùs à nobis in deliciis haberi. Quare Dauidi non ſufficit, neque etiam nobis debet ſufficere ſi Deum laudemus: vult laudis ſacrificium immolari, hoc & nos velle debemus, ne cum Scribis & Phariſæis à Chriſto damnemur. Laudabant illi Deum, non tamen hęc illorum placebat laudatio: nam cùm non eſſet ex ſyncero corde profecta, nequaquam erat ſacrificium laudis. Hinc audiunt ex ore illius vetus illud Iſaiæ de ſe improperium: *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè eſt à me.* Solos ergo Deo immolare ſe ſciant ſacrificium laudis ij, qui, vt exponit Bellarminus Cardinalis, in ara cordis, & cum igne caritatis, thus laudis offerunt; id eſt, credunt, & agnoſcunt Deum ſummum bonũ, ac ſic creditum cognitumque toto diligunt corde, & tanquam pulcherrimum, optimum, ſapientiſſimum, admirantur, laudant, deprædicant.

Pſal. 49. v. 14.

Matth. c. 18. v. 8.

13 Contra hæc ſacrificia, imò quæuis alia, contra illud verò præcipuè, quod Catholicorum maximè proprium, Agni immaculati, ab ipſo Chriſto inſtitutum, & in altari offerri, per omnes Orbis Eccleſias iam à primis Chriſtianorum temporibus ſolitum, mirè debacchatur Caluinus; vt vel inde appareat, quo ſpiritu, religionis an rebellionis, pietatis an impietatis potiùs, ipſe, & omnes ipſius Sectarij, eiuſdem prorſus farinæ homines, ducantur.

Caluini cõtra Miſſæ ſacrificium inſania.

14 Vt verò contegendis ſordibus ſuis pallium inueniat; cùm nolit probare hoc nautarum ſacrificium, atque oblationem ab iis Deo factam tanquam bonam ſanctamquę admittere; quam tamen neque improbare ſolus audet: neſcio quas non nugas comminiſcatur; aſſerens non per ſe has Deo hoſtias placuiſſe, ſed quaſi per accidens tantùm, *quòd ſic illuceſcere voluerit gloriam ſuam:* videlicet perſuadere, quantum poteſt, omnibus adlaborat, nec ſacrificium, nec vllum opus bonum, qualecumque demum, à nobis profectum, gratum eſſe Deo poſſe. Idque, vt ſic ſecluſis proborum meritis, demeritiſque impiorum, ſecuriorem paret mortalibus ad interitum viam.

Altera eiuſdẽ inſania, dicentis nullum opus noſtrum bonum, Deo gratum eſſe.

viam. Quod in hac doctrina non est difficile; difficilius, imò prorsus impossibile, quod tamen vult, aut certè velle debet Caluinus, ex eâdem docere iter in cælum.

Falsa doctrina Caluini fidem sine operibus ad salutē sufficere.

15 Decepit hoc modò multos, quibus suasit, & persuasit, susq; deq; esse benè agāt an malè, si tantùm crediderint; laxent licet voluptatibus fræna ac vitiis, in sola fide hæredes futuros æternæ felicitatis ac gloriæ. Eâdem muscipulâ omnes capere voluisset, si potuisset; sed fuêre cautiores alij, ac sapientiores, de quorum genere & vos esse gaudeo. Dicat ergo quod voluerit Caluinus, audiant Caluinicolæ, & credant si velint, vos ne credite: sed eo quantumuis reclamante, dicite liberè: *Reddemus tibi Domine vitulos labiorum nostrorum, immolabimus tibi sacrificium laudis.* & Iacobo Apostolo assentientes, dicenti: *Fides sine operibus mortua est*; hoc agite, vt fidem virtutū magnarum exercitatione viuentem, Deo Domino nostro dicetis, consecretis.

Oseæ 13. v.3. Psal. 49. c.2.v.20. & 26.

Caluini mendaciū; à Catholicis Angelis & hominibus, offerri sacrificia.

16 Non minùs ineptum est, quod hoc ipso loco Catholicis falsò idem impingit hæresiarcha; nimirum eos & Angelis, & hominibus à Deo conditis sacrificia offerre. Profectò hactenus, vti nouimus, qui aliquid nouimus, Orthodoxi, id est Catholici Romani, nunquam eò deuenêre amentiæ, vt diuinos honores vlli rei creatæ tribuerint; & si id facerent, non secus quàm Caluinus ab auita maiorum fide, à Romana Catholica Apostolica Ecclesia recederent; neque ampliùs illius filij aut agnoscerētur, aut essent. Quod igitur ait ille: *Non dubitare eos perinde ad Petrum & Paulum; imò ad suos Sanctos, & factitios, & fictitios* (sic enim loquitur) *confugere, quàm ad vnum Deum*: hoc pro ea auctoritate & gratia, quâ in similibus valent hæretici, insigne commentum, impostura, mendacium est. Neque enim nunc aliter Catholici sentiunt, & dicunt, quàm olim Ecclesia vniuersa: in qua sicut tot antè secula Doctor eximius Augustinus Manichæos profligauit; ita nunc, & quidem eodem telo, Caluinistas nostros perimit.

August. lib. 22. de Ciuit.

Ex S. Augustino, sententia Catholicorum de Sanctorū cultu explicatur.

17 Sic ille ante annos mille ducentos in libris de Ciuitate, ex communi totius Ecclesiæ sensu, & consensu, & nunc ego cum illo: *Nos martyribus nostris*, idem esto de aliis Sanctis, de Angelis, atque etiam de Virgine Deipara iudicium, *non templa, sicut diis; sed memorias, sicut hominibus mortuis, quorum apud Deum viuunt spiritus, fabricamus: nec ibi erigimus altaria, in quibus sacrificemus martyribus; sed vni Deo, & martyrum, & nostro, sacrificium immolamus.* Quid clarius? & ne quis id eum obiter, & quasi per transennam dixisse putet, idem repetit æquè copiosè, imò copiosiùs, magisque enucleatè in libris contra Faustum hæreticum, vbi hæc habet: *Nulli martyrum, sed ipsi Deo martyrum constituimus altaria; quis enim Antistitum in locis sanctorum corporum assistens altari aliquando dixit, offerimus tibi Petre, aut Paule, aut Cypriane? sed quod offertur, offertur Deo, qui martyres coronauit: vt ex ipsorum locorum admonitione, maior affectus exurgat ad accendendā caritatē, & in illos quos imitari possumus, & in illū, quo adiuuante, possumus.*

August. lib. 20. c. 21.

18 Quid vobis videtur, *Sodales*? possetne aliquid ad Caluinum eiusq; asseclas hoc tempore confutandos dici aut euidentius aut efficacius? Ex quo apparet, ad instar meridianæ lucis clarissimè; quàm falsò nobis ipse cum suis idololatriam affingat. Ad quam eorum confutandam calumniam, hoc vnum sufficiat modò, quod non tam nimiùm per se manifestam, sed eorum personas concernit, mirū cuiquam videri non debere, esse eos tantoperè in homines iniurios, qui tam infidi Deo. Quisquis hic æquus est arbiter, facilè eorum animum geniumque agnoscit, malitiâ potiùs, quā veritatis ignoratione obcæcatum. Quare cùm parum argumentis contra obduratos euicturus mihi videar, qui etiam agnitam respuunt veritatem, malo me denuò ad nautas nostros transferre, à quibus adhuc erit aliquid quod discamus.

Vota sociorum Ionæ qualia fuerint, variant sententiæ.

19 Iam sacrificauerant Domino, iam hostias obtulerant; necdum tamen fecerant desiderio suo ac propensissimæ in diuinum obsequium voluntati satis: quid igitur actum est amplius? Etiam VOVERVNT VOTA: quænam incertum. Alij alia coniectant, non dubium quin qualiacumque essent, bona fuerint & sancta; ac talia, quæ Dei cultum gloriamque concernerent. Arbitratur Rabbi Salomon Iarchi vouisse, quòd futuri essent proselyti Iudæorum: Rabbi Dauid Kymchi, quòd largas pauperibus eleëmosynas erogarent: Dionysius Carthusianus, & Franciscus Ribera, quòd præter oblatas hostias plures etiam oblaturi essent in patria: D. Hieronymus, quòd amplius non recederent à Deo vero, quem nunc demum colere cœperant, quemque, vt Theodoretus ait, rerum omnium Dominum esse credebant: alij nonnulli, quòd non tantùm ipsi in timore & agnitione veri Dei ac Domini perstarent; sed insuper vxores, filios, totamque familiam ad eiusdem agnitionem timoremque, prout fuerant per IONAM edocti, adducerent.

Mos olim Ethnicis vsitatus à seruatis in tempestate, diis votiuas tabulas appendendi.

20 Ignorare non potest quisquis in veterum historiis vel mediocriter est versatus, fuisse apud Ethnicos in more, vt maris fluctibus expositi, & vndis iactati, si ab imminente naufragio per vota supplicationesque seruarentur incolumes, depictos fortunæ suæ casus in tabulis, & cum iis vestes, quibus erepti, in deorum ad quos recurrerant, quosque sibi auxiliares depoposcerant, templis suspenderent monumentum perpetuum. Huius ritus meminit Poëtarum princeps, cùm ait:

Virg. l. 12. Æneid.

Seruati ex vndis vbi figere dona solebant
Laurenti diuo, & votas suspendere vestes.

Ad eundem alludit Horatius, cùm imminens animo suo ab amore non casto naufragium, quod euaserat, decantans inquit:

Horat l. 1. Carm. Ode 5.

——— *me tabula sacer*
Votiuâ paries indicat, vuida
Suspendisse potenti
Vestimenta maris Deo.

Id verò fuisse vsitatissimum testatur Marcus Tullius, cùm ait: *Tu qui deos putas humana negligere, nonne animaduertis ex tot tabellis, quàm multi votis vim tempestatis effugerint, in portumq; salui peruenerint?*

Cicero l. 3. de naturâ deorum.

Adhæc tenuioris fortunæ homines, præter votiuam tabulam, deorũ templis aut simulachris appensam, aliam item, naufragium quod passi fuerant referentem; è collo pendulam gestare consueuisse, vt amicos eâ ratione ad commiserationem flecteret, Iuuenalis testatur hoc versu:

Iuuen. Satyra 14.

——— *fractâ rate naufragus assem*
Dum petit, & pictâ se tempestate tuetur.

Tyrius Dissert. 38.

21 Maximus Tyrius non solùm votiuarum tabularum, & vestium, quæ suspẽdi ad Diuorum aras solebãt, meminit: sed & solitos nautas affirmat diis maritimis temones in eminenti aliquo scopulo, quem vndæ alluant, ad memoriam beneficij sempiternam consecratos erigere; prorsus quemadmodum in Corynthiacis Pausanias refert vinctos, cùm liberi fiunt, compedes ad lucorum arbores suspendere solitos.

Mos nautarum temones diis maritimis, cùm erepti sunt naufragio, offerentiũ.

22 Verùm nautæ hi, deorum similium, quibus antè seruierant, quosque inuocauerant frustrà (vt quorum ope tantis eripi malis, atque eluctari è tam immani tempestate nequaquam potuerant) cultu contempto, nihil eis liberatori redditi vltrà offerunt: sed soli Deo IONÆ, in cordibus suis beneficij ab eo accepti perpetuam seruaturi memoriam, VOVENT VOTA, illi honorem dant & gloriam, illi se suaque dedicant, consecrant; atque, vt credibile est, etiam aliquod alibi statuunt, illius tanti quod ab eo acceperant beneficij, perennaturum apud posteros monumentum.

Socios Ionæ, monumentum aliquod suæ liberationis alicubi erexisse credibile est.

23 Videtis hîc sacrorum votorum esse consuetudinem perantiquam, illa nuncupare solemniter fuisse in vsu iam inde à tot annorum millibus, tot inquam ante natum Christum seculis, neque

Votorum vsus antiquissimus.

neque vnquam morem hunc nisi ab hæreticis improbatum. Hîc verò, licet eundem ad IONÆ tempora reuocemus, non inde putetis sumpsisse exordium; iam priùs in vsu fuisse Litteræ sacræ apertè loquuntur. Certè de sancto Iacobo Patriarcha iter parante in Mesopotamiam in Genesi legimus, quòd *Votum vouit, dicens: si fuerit Deus mecum, & custodierit me in via, per quam ego ambulo, & dederit mihi panem ad vescendum, & vestimentum ad induendum, reuersusq́; fuero prosperè ad domum patris mei: erit mihi Dominus in Deum, & lapis iste, quem erexi in titulum, vocabitur Domus Dei: cunctorumq́; quæ dederis mihi, decimas offeram tibi.*

cap. 28. v. 20. *Vouet Iacob Patriarcha.*

Votum Iacobi Patriarchæ discutitur:

24 Duo hîc vouet Iacob: alterum quòd peculiari ratione Deo seruiet, illiusque se cultui addicet, impendet obsequiis, si in itinere tutatrix diuina sibi adfuerit prouidentia; locum vnũ ad eius maiorem venerationem, cultum, & gloriam destinando, & apparando; sicut nos modò Deo templa solemus erigere, dicare, consecrare: alterum quòd decimas omnium, quæ possidet, ei sit largiter oblaturus. Sapiens sanè votum, prudens, ac sanctũ; quo, totus in Deum eiusque honorem intentus Iacob, profitetur; si tantùm à diuina eius Maiestate obtinuerit corpori necessaria, rem magnam non petit, se vulgari Dei cultu nequaquam contentum; vicissim omnia sua sanctè ei impensurum; futurumque, vt quæ sibi contulerit beneficia, non ingrato contulerit.

Laudatur.

Psal. 131. v. 2. *Vouet Dauid.*

25 Sic Dauid Rex, pius iuxtà ac sapiens, *Votum vouit Deo Iacob: si introiero in tabernaculum domus meæ, si ascendero in lectum strati mei: si dedero somnum oculis meis, & palpebris meis dormitationem, & requiem temporibus meis: donec inueniam locum Domino, tabernaculum Deo Iacob.* Scilicet hæc illum coquebat cura potissimùm, vt tantæ Maiestati colendæ aptum & opportunum locum inueniens, in eo templum erigeret, ad quod adoraturus totus terrarum orbis, aut saltem eius nobilior pars, Iudæa vniuersa cõflueret. Quam curam voto firmatam dimissurus non erat, quoad vsque & voto & simul sollicitudini suæ fecisset satis; nisi vtrique terminum posuisset fatalis necessitas, mors; inquam,

—— *vltima linea rerum*: Horat l. 1. Epistol. Epist. ad Quintium.

quæ ostendit aliter Domino placuisse.

Hoc verò consecutum voti beneficio affirmat inter ceteros Emanuel Sà, quòd diuinitus construendi templi locum cognouerit, reseruatâ interim filio eius Salomoni gloriâ eiusdem fabricandi.

26 Post Iacobi Patriarchæ, Dauidis Regis, IONÆ in ceto, sociorum ipsius in naui & aliorum plurium, variis occasionibus & locis, tam publica, tam solemnia vota, mirum nemini videri debet, si mox etiam typico IONA in mare misso multi vota vouerint se antiquæ legi, eiusque ritibus renuntiaturos imposterum; nullam in his, vt iam antiquatis, spem ampliùs posituros, adhæsuros legi, quam filius Dei promulgaturus venerat, quamque in ara crucis suo tam pretioso sanguine consignârat.

Christo crucifixo & mortuo vota à Christianis varia facta sunt.

27 Et verò hæc illa sunt aurea nascentis Ecclesiæ Christianæ secula, quibus passim multi Apostolos imitati, cum illis dicentes: *Ecce nos reliquimus omnia:* Paupertatis, Castitatis, Obedientiæ, vota nuncuparunt. Hæc illa sunt tempora, quibus Christiani multi, magno feruore & constantiâ, se bonorum suorum dominio abdicantes, possessionibus exuentes, omnia ad Apostolorum detulerunt pedes, vt quæ fuerant priuata, fierent exinde cõmunia. Tenuit porrò ad hæc vsque tempora similis inter Catholicos votorum religio: quare vota adhuc apud omnes rectè sentientes in honore sunt & pretio; apud solos Heterodoxos viluerunt, illi soli de his non rectè sentiunt, perperam loquuntur, aduersùs hæc debacchantur, sublata vellent, si possent.

Votorum religiosorum origo. Matth. c. 19. v. 27.

28 Petrus Martyr, non Alexandrinus ille Antistes, quem ad aras ob sanctitatem colimus, sed nequissimus hæreticus Zuinglij assecla pro suo in ea affectu

Petrus Martyr lib. de votis & cœlibatu.

Non Iudaeos tantùm, sed & Christianos, vota vouisse ipso Ecclesiae Christi exordio ostenditur.

affectu multis contendit argumentis, ad Iudæos tantùm, non ad Christianos pertinere. Sed id facili negotio refellit vir doctissimus Martinus Becanus, libello quem *Analogiaĩ veteris ac noui testamenti* inscripsit, vbi B. Virginem, aliosque plures, viros ac feminas, voto se continentiæ obstrinxisse, ipsis Christi Domini atque Apostolorum temporibus, ostendit ex S. Augustino & aliis; atque ita ostendit euidenter & clarè, vt nulli dubium esse possit. Etenim, vt ait Augustinus, quî diceret Angelo Virgo Deipara: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? nisi Deo virginem se antè vouisset.* Sed & apud S. Euangelistam Matthæum mentio fit eunuchorum, *qui seipsos castrauerunt propter regnum cælorum:* per quos, neque Augustinus, neque alius quisquam intelligit, nisi eos, qui, ex desiderio regni cælestis, voto obstricti continentiæ, repudiarunt contrahendi matrimonij libertatem.

Aug. li. de sancta Virgin. c. 4.

B. Virgo votū castitatis emisit.

Matth. c. 19. v. 12.

Etiam id fecisse alios multos ex S. Scriptura ostenditur:

29 Ex quibus, vti & ex variis locis D. Pauli, nominatim illo, vbi de viduis loquitur, *quæ primam fidem*, quam SS. Patres votum continentiæ interpretantur, *irritam fecerunt*; satis apparet, vota moderna Christianorum, primis quoque temporibus fuisse ab Apostolis ipsis & discipulis Domini vsurpata, commendata, laudata.

Ad Timoth. c. 5. v. 12.

similiter ex SS. Patribus.

Non recenseo quæ vetustissimi Patrum de Virginibus iam tum solemni cæremoniâ velari, & in Dei sponsas consecrari solitis, re tum vsitatissimâ, referunt Iustinus Martyr, Clemens Alexandrinus, Ignatius, Cyprianus, Origenes, & alij: vt nemini liceat dubitare, quin vota, virginitatis in primis, tum temporis in vsu & pretio fuerint.

Iustinus Apolo. 2. pro Christianis. Clemens Alex. li. 2. Strom. Ignatius Epist. ad Tarsen. Cyprian. lib. 1. Epist. 11. Origenes Hom. 17. & 19. in Lucam.

30 Quare ridiculum omnino apparet, quod ait ad hunc locum Franciscus Lambertus in suo Commentario, consentiens cum eo, quod ex Petro Martyre suprà diximus, IONÆ temporibus peregrinationem Ierosolymitanam vouere licuisse (putat enim id fecisse IONÆ socios, & idcirco improbare eorum factum ab aliis laudatum non audet) nunc verò minimè licere. Audite quæso ineptientem hominem: *Tunc licuit vouere*, inquit, *se venturos Ierosolymam, nunc verò eiusmodi vota ad eam, vel ad D. Iacobum, vel Romam, vel ad sanctam Mariam de Laureto, vel ad Diuum Nicolaum, vel ad alios Diuos impia sunt.* Quando nam quæso abrogata vetus hæc votorum religio? cur modò impia magis quàm tum? numquid in eiusdem Dei honorem nuncupantur? nisi fortè sit apud Lambertum alius Deus veteris legis, alius nouæ.

Lamberti ineptia, dicentis olim licuisse vouere, nunc non licere, proponitur.

Eadem refellitur.

31 Nihil hîc apparet impium, imò nihil non maximè pium, præter illam Lamberti impietatem, quâ, vt à nobis pietatem tollat, ex piis impios facere conatur; eoque venit impietatis, vt se in causa Dei constituens arbitrum, & contra eum statuens, ferensque sententiam, dicere audeat: *Ierosolymam mendicando proficisci, rapina est.* Verùm hoc ei ignoscendum; quoniam quid sit rapina, non satis ex scientia, aut cognitione per causas assecutus videtur, fortasse meliùs ex praxi. Nam verè rapina est, sacrilegium est quod hîc ipse exercet: videlicet Deo gloriam, quæ votorum nuncupatione illi à tam multis quotidie tribuitur, vno velut impetu, voce scelestâ nefariè adimere. Non potuisset, insignis enimuerò Philosophus, persuadere nobis abrogandas peregrinationes, nisi excogitato erudito aliquo argumento. Itaque sic ille philosophatur: *Quamdiu viuimus peregrinamur à Domino; vt quid ergo quærimus aliam peregrinationem?* ac si dicat, ergo aliò peregrinandum non est. nũquid acutè & solidè? Simili modo philosophabor & ego, & contra Lambertum quiduis euincam, vtendo propè illis ipsis eius verbis. Dicam igitur, quãdiu viuimus, properamus ad mortem, & ad eam imus non lentis passibus: ad mẽsam igitur cibi ac potus sumendi gratiâ eundum non est. Quid tunc superest, nisi vt fame confecti moriamur. Certè nisi iam mortuus esset Lambertus, posset nos suo exemplo

plo docere, quàm id facere expediat.

Idē Lambertus ex voto erecta sacella, vel templa damnat.

32 Qui semel insaniit, nihil miremini si insanire vlteriùs pergat. Iam non vota tantùm, sed exstructa ex voto sacella damnat, & templa; quæ siue ex voto, siue sine voto ex pietate beneuolentiaque ciuium, aut ex munificentia & affectu in Deum Diuosque, Principum ac magnatum opibus & potētiâ erecta, non aspernatur modò, hæreticorum omnium more; sed si valere ad eorum euersionem nuncupatum votum potuisset, id non dubito, quàm citissimè, quàm ardentissimè nuncupasset. Scilicet tanta illi ac sociis de votis cura. Vnicum hoc sollicitos, vti iam pridem vidimus, habet Catholicos omnes, orthodoxam fidē euertere, Deo, religioni veræ & sanctæ, bonis moribus pertinaciter contraire, reliquis, velut ad se non spectantibus, nihil aut parum mouentur.

Vota Catholicorū damnat Caluinus.

33 Sed quid ad hęc Caluinus? Etiam ipse vota impugnat; & licet in speciem mitiùs, re ipsâ non minùs acerbè. Requirit hic in voto, vt ipsum Deo sit gratum; in vouente, vt finem habeat bonum & rectum: hactenus nobiscū, & benè. Interim mox Catholicorum vota damnat, in hæc declamat. Quid causæ? Quoniam, inquit, *Hac omnia repudiantur à Deo:* audacter asserit, sed non probat. Certè si Deo grata quæ vouentur, si recta vouentis intentio, quid habet quod vlteriùs requirat Caluinus? cur sic oblata, sic sibi vota & deuota Deus repudiet? *Etiamsi*, inquit, *nihil voueant nisi quod Deo probatur, tamen fit præposterè.* Cur præposterè? exponit quod dixit: *Quia volunt hoc modo Deum sibi obstringere.* Obstringere siue obligare nobis Deum nec volumus, nec possumus, qui nouimus, quod cùm fecerimus omnia quæ præcepta sunt nobis, tantùm habeamus dicere: *Serui inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus.* Demereri duntaxat Deum hoc religionis actu libero ac voluntario nobis studemus, atque amoris nostri nouo hoc iudicio, eius in nos amorem vicissim prouocare, eumque, qui semper est nobis pater & Dominus, talem sic denuò ampliùs colere, venerari, prædicare; atque quàm maximè nobis propitium reddere. Sic fecisse Iacobum Patriarcham, cùm promitteret, si saluus rediret & incolumis, aram ei se memorem beneficij erecturum, suprà vidimus. Scilicet optabat hac gratitudinis significatione nouum à Deo beneficium impetrare.

Eiusdem circa hæc confictio.

Lucæ c. 17. v. 10.

34 Verùm quid intenderit Caluinus vota impugnans, videlicet simul bonorum operum merita impugnare, satis innuit, cùm subdit: *Et semper illa diabolica* (dico ego angelica) *meriti opinio occupat illorum animos*: prorsus sicut ipsius animum & sociorum eius occupat bonorum operum ac meritorum omnium euersio. Sic est: non negamus hoc nos agere, ad hoc niti, hoc intēdere, cùm vouemus, & vota soluimus, vt mereamur. Nouimus enim ex communi Theologorum doctrina, ita referente Leonardo Lessio, opus aliàs bonum, ex voto duplicem laudem, simul duplex habere meritum, habitu-rum & præmium: tum quia est ex se bonum, tum quia bonum est tanquam ex affectu religionis in Deum, ex eaq; quam illi debemus fide obseruantiaq; profectum. Adde nūc quòd is qui vouet votumque soluit, & opus offerat bonum, & simul boni operis voluntatem, quâ se illius omittendi facultate liberè spoliat. Quod est, vt ait D. Thomas ex B. Anselmo, & fructum, & cum fructu arborē Deo offerre. Non malè dixit, qui dixit:

Bona opera idem impugnat.

Lessius lib. 2. de Iustitia c. 40. dis. 6. n. 53.

Opus ex voto duplex meritum habere ostenditur.

Non benè pro toto libertas venditur auro.

Sed hæc benè, imò optimè pro Deo venditur. Certè quid aliud est votum, quàm suauissimum sacrificium, quo Deo voluntatem, potentiam animæ nostræ nobilissimam, immolamus. Et hoc vocari sacrificium iustitiæ putat Mastrillus, nimirum tanquam sit ex iustitia diuinæ debitum Maiestati, quod iam vouimus secundùm illud Dauidicum: *Sacrificate sacrificium iustitiæ, & sperate in Domino.* Psal. 4. v. 6.

35 Boni operis fructum, merita inquam,

Votum castitatis violauit Caluinus. quam, quia non admittit Caluinus, nec votũ admittit: admisisset vtinam, & sicut hoc etiam aliquando nuncupauit, sic & eiusdem nuncupati memor, quod olim distrinxerant labia eius, seruasset; præsertim cùm initiatus sacris, & inunctus Sacerdos iurauit, in oculis cõspectuque multorũ, castitatem se seruaturum perpetuam: fortasse nec ab auita pietate, nec à maiorum fide religioneque defecisset (primus enim cœcus ductor in infidelitatis & ignorantiæ tenebras, ac mox in peccatorum omnium abyssum, incontinentia esse solet) neque modò, quod deterrimum, dãno irreparabili & æterno, immortalibus incendiis vreretur.

36 Manet igitur, nequidquam reclamante Caluino, Petro Martyre, Ioanne Lamberto, pluribusque Sectariis, Catholicorum vota rem esse sanctissimam; non laqueos, non compedes, non pedicas, nisi quantum se quisque sciens volens iis induerit, ad salutem. *Vota vtilia Christianis multis fuêre.* His singuli mũdi, carnis, diaboli, victores, de iisdem triumphant hostibus. Etenim cùm hi vident vouentis firmissimam & deliberatissimam voluntatem, astrictam tenacissimis nexibus Deo, nullis viribus mobilẽ; ne quidem arietare contra eam audent, aut eandem, vt antè, liberam solutamque impetere. Ceterùm quàm hæc etiam ad alia multis profuerint, omnium tẽporum Annales loquuntur, neque vllus Christiani orbis est angulus, in quo non exempla plurima. Vnum produco, quod recens, neque quod sciam, adhuc litterarum monumentis consignatum, Româ à pauculis annis in Prouincias perlatum; continet hoc Sancti nouelli in clientulam suam beneficium non vulgare: id paucis accipite.

Religiosa Recineti voto B. Borgiæ facto sanata. 37 Recineti (vrbs est à Laureto, vbi celeberrima illa Virginis ædes, tertio distans lapide) religionem professa virgo sub D. Benedicti lege ac disciplina, aliquando Beati Francisci Borgiæ (sic enim nuper nuncupare eum & colere, Vrbano Octauo Pontifice Maximo concedente, licuit) ope adiuta, cùm eiusdem vitam peruolueret, eum vt denuò in subsidium vocaret, instigari se sensit. Premebatur morbo graui, ex eoque toto quinque mensium spatio lecto affixa, etiam de medicorum sententia, cùm in dies peiùs haberet, extrema paullò pôst præstolabatur. Contractâ propè ad palmi latitudinem sinistrâ tibiâ, tumor ad instar pugni ex aduerso popliti respondens vrebat miseram ingenti cruciatu; non conceperat spem vllam nisi in suo *Borgia:* ad hunc ergo recurrit, & Deo in eius honorem votum nuncupat, vtique salutare; quippe inter acerbiores dolores, nocte cõcubiâ, cùm nulla daretur requies, ad Beatum precationes & gemitus iteranti, augeri magis quàm minui videbatur malum; cùm ecce vocem audit dicentis: *Iustina* (erat hoc virgini nomen) *surge, ad Chorum propera, sanitatem accepisti.* Ipsa expergefacta vix credere, donec tibiæ manum adhibens, pristinum tumorem non sensit, hærensque spem inter & metum dubia, iterum audiit, (vox erat Borgiæ opitulantis) *surge, sanitatem accepisti;* atque obsequens imperãti, sola, nullo comite, aliàs quatuor sociarum subsidio vt se vel tantillum moueret egere assueta, in cõmune Oratorium, ceteris Matutinas preces ibidem concinentibus, ingressa, vel sic quid esset voto suo consecuta beneficij ostendit.

38 Magnus erat omnium stupor sociarum, spectrum, aut mortuæ vmbram videre se opinãtium: sed re, prout acciderat, probè ex restitutæ sibi diuinitus relatione cognitâ atque perspectâ, non minor etiam plausus, Deoque in Sancto suo gloria; cui, intermissis tantisper horariis precibus vsitatis, Ambrosianum illud solemne Canticum in actionem gratiarum magno est studio decantatũ; atque mox itum in amplexus mutuos, multis lætitiæ significationibus mistos.

En voti vim maximam: de qua ne sit fortasse qui dubitet, placuit etiam ad Beati gloriam, rem totam publicis con-

consignatam tabulis, firmatam testibus, cognoscente vrbis Antistite, omnium & oculis, & auribus exponere, & vulgare.

In necessitate vota nuncupāda.

39 Nos quoque, si quando humanis destituti præsidiis, de sanitate, vita, salute periclitamur, atque ab omnibus, toti velut immersi calamitatibus & miseriis; adeoque vel vt obruti, vel vt mox obruendi, relinquimur; ad Deum per vota recurramus, apud eum eiusque Sanctos, quos imploramus, haud dubiè valitura. In istis meritò magnam habere possumus, si in vlla re alia, fiduciam; quoniam effectura sunt, vt nostræ sit *statio benè fida carinæ:* voti inquam anchora, spe magnâ emissa in mare hoc ingens periculorũ omnium, animi fluctuantem nauiculam tenebit, tuebitur, fulciet.

In illis multùm fidendum.

Anchorâ hac sunt etiam nonnulli qui vtuntur non rectè: nam eam iaciunt quidem, sed quia iactæ non solidè adhærent, faciliùs pereunt; ab illa namque rapiuntur in præceps: hi sunt qui vouent, sed vota non soluunt.

Deuter. c.23.v.21. *Vota seruanda.*

Præceptum Domini est: *Cùm votum voueris Domino Deo tuo, non tardabis reddere; quia requiret illud Dominus Deus tuus, & si moratiùs fueris, reputabitur tibi in peccatum.* Idem quoque per Salomonem nos monet: *Quodcumque voueris redde; multoq; melius est non vouere, quàm post votum promissa non reddere.*

Eccles. c.5.v.5.

40 Diffiteri non possum, magno mihi mœrori esse, cùm subinde intelligo, ita nunc obtinuisse apud multos, vt cùm nihil non liberaliter quauis occasione voueant, de nulla tamen re sint minùs solliciti, quàm vt, quod vouisse se sciunt, adimpleant; sicuti in votum promissumque proni & faciles, ita in eius solutionem remissi & tardi. Quare meâ quidem sententiâ, nemo his se vinculis quantumuis sanctis inuoluat ac implicet, qui non antè quid agat, acturusue sit, maturè perpenderit; videritque tãtumne habeat animi ac roboris, vt cùm se in hæc lubens volensque induerit, amoliri velit, & possit, quidquid suscepti voti executionem aut impediat, aut retardet.

Vota prudenter & maturè nũcupanda.

41 Bone Deus! quàm quidam subitò, & parum præmeditatè, res etiam magnas vouent! at quàm lentè exequuntur! Nesciunt, aut certè non cogitant, quanto cum Domino sit sibi negotium, quàm ille iuris sui sit tenax, quàm nunquam in eum quis gratis peccet, quàm eum nemo offendat impunè. Multis perpetua castitas, vita religiosa, solitudo, res primò videtur minimè molesta; at mox, vbi ad hæc voti alligati sunt insolubili compede, plaustrum sibi trahere post se videntur difficultatũ plurium, grauium, & magnarum: quærunt modos omnes, vt se expediant: at quocumque se verterint, nihil non eis molestissimum occurrit, in mentis hæret oculis atra nubes, quæ eripit *cælumq;, diemq;.* quid deinde?

— *cadunt altis de montibus vmbræ.* Virgil. Eclog. 1.

Eorum, quæ quia placuerant, promissa votaque Domino fuêre magna cum exultatione & gaudio; nihil placet ampliùs, cuncta in luctum degenerãt; omnia laboriosissima, difficillima, imò factu vix possibilia videntur. Itaque modus subducendi se ab hac voluntaria quæritur seruitute, & hic dum non satis aptus occurrit, rationibus ad tam arcti vinculi solutionem nequaquam sufficientibus, ipsum votum occulitur, ac veluti si nihil Deo promissum sit, aut votum; mente interim & cõscientiâ propriâ satis sibi facti sui dictique consciâ, simulatur. Verùm simulet vt voluerit qui vouit, qui promisit, is cui promissum est non simulat, neque dissimulat, nisi fortasis ad tempus, vt videat num ad cor redeat, qui promisit. Certum enim est, falli diuinam sapientiam non posse, ad intima humani pectoris penetrantem, & quæ maximè istic abdita penitiùs lustrantem: sed neque iustitiam, foreque vt exigat suo tempore occultæ sponsionis rationem; &, si quam in præstando infidelitatem repererit, eandem puniat.

Non quærenda facilè dispẽsationes, aut votum factũ quasi non sit factum dissimulãdum est.

42 Satis hoc ostensum in eo, qui cùm aliquando de instituto D. Francisci complectendo votum nuncupasset; & deinde mutato consilio factus

Voti violatores grauiter puniuntur.

Canonicus (vt narrat ex D. Antonino Matthæus Tympius) paucos post mēses in morbum lethalem incidisset; eo ingrauescente à suis, quantumuis vrgentibus, induci ad instituendam sacram exomologesim non potuit; quòd diceret, nihil sibi, æternis iam ignibus addicto, confessione opus. Iam, inquit, apparens iratus mihi Dominus, ait: *Vocaui, & renuisti*; atque ipso propè momento interiit. O casum acerbum! ô mortem luctuosam! ô infelicem interitum! Huic non est absimilis ille quem narrat Petrus Damiani euenisse Salernitano ciui, qui in tempestate deprehensus, futurum se monachum effectuosâ sponsione deuouerat: sed naufragio erutus, votū soluere vitæ humanæ amore contempserat. Quid igitur factum? Expleto anno, verba sunt ipsius Damiani, ipso die, quo votum Domino suæ conuersionis obtulerat, Kalendis scilicet Ianuarij, dum hinc inde discurreret, cum ludentibus & cachinnantibus pueris choros duceret, & friuola quædam ac scurrilia verba boaret, subitò lapis de tecto super eum cecidit & obtriuit. Sic infelix ille, qui mundum deserere contempsit vltroneus, amisit inuitus, & fallacem carnis dulcedinem perdidit, qui amando carnem mentitus est veritati. Hæc Damianus.

Petrus Damianus lib. 4. Epistolar. Epistola 17.

Plures eiusmodi euentus inueniet, qui eos desiderabit, apud Hieronymum Platum, in libris eius de Bono status religiosi, & apud alios alio in argumento. Neque nobis beatior exspectandus est exitus, si semel datam per vota Deo fidem violemus. Igitur subinde meminisse oportet, quod ait Gregorius Nyssenus, *Omne promissum Christianis debitum est.* Nam si promisisse hominibus, illis debere est; quid erit promisisse Deo?

Cyprian. lib. 3. ad Quirinū. Hiero. in c. 7. 1. ad Corinth. August. ad Pollētium lib. 1. c. 24.

43 Vouerant olim paupertatem, testibus Diuis Cypriano, Hieronymo, Augustino, Ananias & Saphira: sed quia votum violarunt; Diuo Petro Apostolorum Principe, causæ arbitro, acceperunt grauem & acerbam mortis sententiam, non inauditi. Dixit enim Ananiæ Petrus: *Cur tentauit satanas cor tuum, mentiri te Spiritui sancto, & fraudare de pretio agri? Nonne manens tibi manebat, & venundatum in tua erat potestate?* ac si dicat: Nec Christus te coëgit, nec Ecclesia compulit, vt agrum venderes, & pro Christo pauper effectus, cum in vsum pauperum erogares; liber eras, liberè poteras, vel agrum, vel pecunias in vsum proprium sine peccato retinere: sed postquam decreuisti tuis te facultatibus exuere, atque abdicare omnia, Deoque offerre, vt illis tanquam vilioribus pretiosam æternæ vitæ margaritam cælum emeres; id planè tibi præstandum fuit, nec voto violato Deo mentiendum. Dic igitur: *Quare posuisti in corde tuo hanc rem?* Ad quam quæstionem cum respondere non posset, audiuit protinus inexspectatam sententiam. *Non es mentitus hominibus sed Deo:* quâ perterritus, *cecidit, & exspirauit.* Post trium circiter horarum spatium, mariti sui ignara accedens Saphira, cùm similiter à Principe Collegij Apostolici Petro rogata: *Dic mihi mulier si tanti agrum vendidistis*, respondisset, *etiam tanti:* fallacis & mendacis responsi sui similiter quamprimùm supplicium exsoluit: nam & ipsa *confestim cecidit ante pedes eius, & exspirauit*, iuuenum manibus in mariti delata tumulum, & sepulta.

Votū paupertatis violantes Ananias & Saphirā puniuntur morte. Actorum c. 5. v. 3. Vers. 5. Vers. 8. Vers. 10.

Ex quo discant, quàm sedulò votam in religione semel Deo paupertatem, inuiolatam seruare debeant qui vouerunt: nihil videlicet vt proprium vsurpando, cùm se omnibus prorsus, non modò iis, quæ aut habuerunt, aut habent; sed iis etiam, quæ habere vel consequi quouis titulo aliquando possent, iam pridem exuerint; vt eorum censerentur numero, de quibus Paulus: *Nihil habentes, & omnia possidentes.*

Votū paupertatis à religiosis exactè seruandum. 2. Cor. c. 6. v. 12.

44 Vt sic faciant filij, seu religionem non suâ sed suorum voluntate ingressi; seu necdum ingressi; sed claustro iam destinati, sæpè etiam antequam nati, subinde vix quoque concepti, sollicitiores sunt parētes, quàm suo tempore ipsimet liberi, quorum id

Abusus parentum in prolibus ad religionem destinādis ipsis inscijs reprehenditur.

vitæ

vitæ rationes concernit. Quid ita? loquar manifestiùs. Inueniuntur parentes, eò quòd ipsi aut nobili, aut etiam illustri sint prosapiâ oriundi, de honore familiæ eiusque dignitate cõseruanda magis, quàm de re quauis alia anxij, qui curam gerunt filiorum, filiarumque hoc in genere, propè priusquam nascãtur. Quare iam propè à primo eorum conceptu, necdum natos, opulentis monasteriis magis alumnos quàm religiosos destinant, ibi in paupertate victuros, vt alij abundent. Et hæc est ratio cur à curanda ipsis dote iam liberi, putent quoque liberum sibi esse, vel de eorum propensione voluntateque sciscitari, vel secus facere prout placuerit: nimirum cogi ad ingressum monasterij posse, si id vltrò inire noluerint. Quare vel eos propositis alliciunt præmiis, inducunt blanditiis, pollicitationibus trahunt; vel, si hæc minùs successerint, terroribus, minis, atque etiam subinde intentatis grauioribus suppliciis compellũt; acti huc non virtutis amore quæ sæpè illis in minimis est, sed vnius familiæ conseruandæ studio; cui debere subseruire religionem Deique cultum quis non indignissimum esse censeat?

45 En quàm hîc

Virgil. Ecloga. 4. — *latet anguis in herba.*

Honesti & virtutis specie multa eius generis quàm fieri soleant frequẽter, non ignoramus; sed erumpit aliquando simulata honestas, & laruam ponit quando de augẽdis primogenitorum opibus agitur, quibus nunquam sat multum corraditur, nunquam satis diuitiarum relinquitur; cùm nimium sit quidquid aliis, etiam infra conditionem fortunasque impenditur. Videlicet omne parentũ studium est vnum alterumue è natu maioribus ditare, illos locupletes efficere, hæreditatem omnem illorum commodo bonoque sartam tectam seruare, bona indiuisa ad posteros trãsmittere; proinde luant minores oportet, quibus est, velint nolint, parentũ volũtati obsecundãdum, eos opportunè, importunè, Prælatis ante iustã ætatem suscipiendos in religiosum ordinem obtrudentium. Verùm non sine grauissimo incommodo; cùm status illius conditionisque, sicut dignitatem, ita & onus ignorantes, vbi grandiores fuerint effecti, magis gustent quæ seculi sunt, quàm quæ religionis; adeoque retro turpiter aspicere incipiant, & videntes

Incommoda ex coacto in religionem ingressu declarantur.

Horat. in Arte Poët. — *Quid valeant humeri, quid ferre recusent:*

liberè dicere, maiorum se coactos imperio fecisse quod fecerint, velle demum pristinæ restitui libertati; non esse, neque verò fuisse propositi sui, claustri legibus coarctari, magis se de vxore & liberis, quàm de virginali cõtinentia cogitare: vnde non ipsis tantùm, sed & parentibus, quorũ se semper importunitate & illicito imperio tuentur, familiæ suæ toti, insuper & religioni, in quam sic aliquando sunt transcripti, dedecus & opprobrium maximum, vtinam etiam non grauiora, & magis pœnitenda, quæ non attinet recensere, mala Ecclesiæ Dei & scandala, oriuntur.

46 Quare sic filios suos religiosis domibus offerentes, sicut nullo modo laudandi; ita nec Prælati oblatos ad parẽtum amicorumue postulationem in suam adsciscẽtes familiam: nisi ipsos qui offerũtur, maturâ tam ætate quàm voluntate, non ex parentum tantùm, sed magis ex proprio desiderio, id postulare cognouerint, & ardenti quidem desiderio postulare.

Sanè, si quid aliud, libertatem in electione ingressuque requirit religio; & quidem aliis omnibus maiorem: quia res aliis omnibus magis difficilis est & ardua, adeoque ad hanc aspirantem, etiam suâ voluntate & electione liberâ, animos habere oportet generosos.

Electio status religiosi esse debet liberrima.

Modum dabo quo se verè ac syncerè amare filios suos parentes ostendãt; quo nisi vtantur, tametsi amare se putent, non amant, sed perdunt. Dent suam singulis, maioribus æquè ac natu minimis, cùm ad iustam ætatem peruenerint, libertatem; sinant vt dẽt inspirationi diuinæ locũ, deliberent,

 eligant

eligant ipsi, non pro ipsis alij, nihil in vtramuis partem agant præproperè. Si ad religionis institutum aliquod vocari se senserint, non repugnent, non contradicant; nisi fortè vt probent spiritum an ex Deo sit; talem verò probatum & perspectum vbi habuerint, non modò non iis contradicant, sed adiuuent; vt cum eorum bonâ gratiâ, gaudio, ac benedictione eò se conferant quò Deus vocauerit, & sic munus omnium nobilissimum ei seipsos offerant. Hoc demum amare filios est, & quidem vero amore, qui valeat ad salutem.

Probari possunt à parentibus in vocatione filij, sed non impediri.

Filij verò ipsi si à parentibus se iam non tantùm non iuuari, benè in sancto proposito confirmatos, corroboratosque diuinis subsidiis, senserint; sed præpediri potiùs, non eos vltrà audiant, iam diuino beneplacito repugnantes. Sint parentes, parentes; & multa iis hoc nomine liceant, multum habeant iuris in filios, quod est verissimum: nulla tamen paterna lex est, quæ prolem, quamcumque demum, eâ priuat libertate, quâ Deus in deligendis vitæ rationibus singulos ex sua liberalitate impertiit.

Auctor gratias agit Deo pro vocatione sua ad religionem.

47 Multum tibi debeo Bone IESV pro ea libertate, ampliùs quòd feceris per optimos parentes licere quod libuit; plurimum quòd dederis & cognoscere simul & sequi tuam sanctissimam voluntatem. Triginta quatuor anni sunt & quod excurrit, videbam in me insurgentes mundi fluctus, tempestatem sentiebam, & in ea naufragium, à quo fortasse non aberam procul, quid facerem? *Deus cordis mei, Deus meus, & omnia:* portum quæsiui, iuueni optatissimum, desideratissimum, simul & tutissimum, dicatam tibi mi Domine IESV Societatem; ibi, manipulis tuis succenturiatus, nouæ militiæ tyrocinium ponere cœpi in Romano ad B. Andreæ omnis sanctitatis domicilio, arce inquam pietatis; atque in Belgio, magno famulo tuo Francisco Costero vota mea suscipiente, in tui sacramenti verba iuraui, vouique *Castitatem, Paupertatem, Obedientiam* religione perpetuâ: dedisti ad ea constantem huc vsque voluntatem; da, quod nullâ nō luce tot annis efflictim flagito, perpetuò perseuerantem: & concede mihi indignissimo seruulo tuo; vt, qui vitæ meæ portiunculam aliquā tuis obsequiis, heu nimium segnis & desidiosus impendi; quod superest reliquum, quantulumcumque illud sit, ad extremum vsque spiritum, sic iis ipsis obsequiis, honori tuo, & gloriæ consecrem; & tam plenâ tibi omnia mea largiar manu, nihil vt ampliùs in hoc seculo, nec re, nec affectu meum, sed totum, meipsum verò potissimùm, tuum semper esse intelligam & agnoscam; secundùm hoc operer, ac demum tecum æternâ felicitate beatitateque gaudeam, tuus æternùm futurus. Amen.

PRO-

PROPHETIÆ IONÆ CAPVT SECVNDVM.

SYNOPSIS CAPITIS.



IONAS *missus in mare, à pisce excipitur. Eius aluo clauditur triduo; ibidem orat, & clamat ad Deum; miserias suas enarrat, & luget; liberationis, reditus quoque in ciuitatem sanctam Ierusalem, spem concipit; Votis pro salute conceptis facturum se satis pollicetur. Post triduum viuus, sanus, ac integer à pisce euomitus, littori redditur.*

TEXTVS.

1 ET præparauit Dominus piscem grandem vt deglutiret Ionam: & erat Ionas in ventre piscis tribus diebus & tribus noctibus.

2 Et orauit Ionas ad Dominum Deum suum de ventre piscis, & dixit:

3 Clamaui de tribulatione mea ad Dominum, & exaudiuit me: de ventre inferi clamaui, & exaudisti vocem meam.

4 Et proiecisti me in profundum in corde maris, & flumen circumdedit me: omnes gurgites tui, & fluctus tui super me transierũt.

5 Et ego dixi: Abiectus sum à conspectu oculorum tuorum: Verumtamen rursus videbo templum sanctum tuum.

6 Circumdederunt me aquæ vsque ad animam: abyssus vallauit me, pelagus operuit caput meum.

7 Ad extrema montium descendi: terræ vectes concluserunt me in æternum: & subleuabis de corruptione vitam meam Domine Deus meus.

8 Cùm angustiaretur in me anima mea, Domini recordatus sum: Vt veniat ad te oratio mea ad templum sanctum tuum.

9 Qui custodiunt vanitates frustra, misericordiam suam derelinquunt.

10 Ego autem in voce laudis immolabo tibi: quæcumque voui, reddam pro salute mea Domino.

11 Et dixit Dominus pisci: & euomuit Ionam in aridam.

LECTIO PRIMA.

ET PRÆPARAVIT DOMINVS PISCEM GRANDEM VT DEGLVTIRET IONAM. *Vers. 1.*

ARGVMENTVM.

Dei prouidentia, & IONAM, & cetum in illius susceptione seruantis illæsos ostenditur. Cetorum magnitudo recensetur. Quando præparatus sit cetus, qui IONAM absorbuit, & vbi eum absorbuerit quæritur. Christus quo pacto dici quoque possit absorptus à ceto declaratur.

Ionas capitur, & in ceto velut in carcere collocatur.



1 FVIT nobis multus hactenus de nautis, nauibus, fluctibus, sortibus; præcipuè verò de IONA fugitiuo sermo; imposterùm de captiuo, non iam in naui, sed in loco multò angustiore, magis obscuro, fœtente, & misero, in squalido inquam belluini vteri carcere latente; de eiusdem fusis ibi precibus, conceptis melioribus desiderijs, actaque pœnitentia, futurus. *Sodales* si Prophetæ nostri calamitatem vsque modò audistis mœsti; eandem auctam vehementer, accessione ingentis, iusti tamen, supplicij; maiori quadam animi commiseratione percipite.

2 Ipse ille IONAS, quem à Deo deorum ad magna & sublimia valdè adhiberi vidistis, quem cum potestate amplissima ad gentem opibus & imperio potentem destinari, interminaturum illi extrema omnia; iam vt naufragus, tumultuantes inter vndas, ab illius augustissimi Imperatoris, cuius legatus fuerat, & cui parere debuerat, satellitibus, procellis nimirum & fluctibus, comprehenditur, ac Domino sistitur: hoc solo felix, quòd *A ligneo,* vt loquitur S. Zeno Veronēsis Episcopus, *ad nauigium vitale transfertur*; atque (eodem viro sanctissimo referente) *vt est dimissus in altum, ferinaq; voraginis receptus hospitio, vigilat in ceto, qui stertebat in naui.* Accessit mox felicitas maior; quod, quemadmodùm rectè à Rocho Mametotio obseruatum, muneri suo restitutus, etiam Christi Seruatoris typus euadat, qui paullò antè ne Propheta quidem dici merebatur.

Zeno to. 3. Biblio. SS. PP. serm. de Iona.

Mametero. hoc loco. Fit typus Christi.

3 Ioannes Ferus omnem IONÆ salutem & felicitatem fidei tribuit: ait namque à quatuor hostibus, & quidem generosissimis, validissimis, robustissimis; Peccato, Conscientiâ, Irâ Dei, Morte, impetitum, solâ fidè restitisse, & vicisse. Ac mox pro axiomate certaque regula subiungit: *Quàm impossibile est, vt Deus non sit Deus; tam impossibile est, vt qui Deo innititur pereat.* Quod sicuti cautè legendum; quemadmodùm alia quoque nonnulla, in quibus plusculum quàm debeat tribuere fidei videtur (secundùm quod monent ij, qui catalogo librorum prohibitorum conficiendo præfuerunt) ita cautiùs quoque intelligendum. Nam si de fide tanquam bonorū operum fundamento loquatur, rectè quidem; si verò de ea tanquam nullo bonorum operum adminiculo indiga, quæ saluare sola posit, ait quod à Catholica veritate prorsus est alienum. Etenim qui Deo per solam niteretur fidem, de operibus nequaquam sollicitus, falleretur sanè vehementer, si se de salute securum crederet, dicente B. Iacobo Apostolo: *Fides sine operibus mortua est.* Verùm id hîc nequaquam disputandum suscepi.

Ferus in hunc locū Ionæ. Ionæ salus fidei à Ioanne Fero tribuitur.

Explicatur Feri sententia.

Iacob. Epist. c. 2. v. 26.

4 Iuuat rei gestæ historiam fusiore aliquātulum oratione prosequi. Anxij erant de socij salute contubernales, iam-

Dei prouidentia in praeparando pisce ostenditur: Sapient. c.8.v.1. iamq; dimissum in mare mortuo credebāt propiorē quàm viuo: sed is, *Qui attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter*, vtique Dominus omnium, maiorem quàm ipsi de cultore ac Propheta suo curam suscipiens, Præparavit piscem grandem. Quorsum? in Ionæ, vti merebatur, interitum, an in vitam potiùs? Omnino in vitam, in salutem, in gloriam. Quid igitur ait, vt deglvtiret Ionam? Sic est; prorsus vt deglutiret, non tamen perimeret; sed, quemadmodùm scitè D. Hieronymus: *Vt eum præcipitem in suos reciperet sinus, & pro morte præberet habitaculum.* Hieron. hoc loco.

similiter, in Iona intra piscem seruando. 5 O rem nouam & ante illa tempora inauditam! Putant socij Ionam non vltrà viuere, nemo ad superos ampliùs rediturum cogitat; seruatur interea ipso in mari, medias inter vndas & raucum aquarum murmur incolumis. En quomodo *non dormitet, neque dormiat, qui custodit Israël*; atque ne quis opinari vllo modo, aut etiam suspicari possit, dormitasse eum inter hæc tanta serui sui pericula, ipsemet Ionas disertè ait: Præparavit, quod nequaquam dormiturientis est, Dominvs: vtique is, qui custodit & regit Israël, Ionam, homines omnes, imò mundum vniuersum. Quod apertè satis continuata huius historiæ series, tametsi cetera sileant, clamare videtur: quæ similiter docet, hoc loco potissimùm, prout Arias Montanus loquitur, nullum esse adeò certum periculum, quod præsentissimo Dei auxilio perrumpi quamprimùm ac vinci non possit: nullam tantā rerum, aut locorum difficultatem, in quam certa ad diuinum efficiendum consilium via non facilè muniatur. Psal.120. v.4. *Deus etiā in summo discrimine suis adest.*

Etiam hîc notandum, ex doctrina S. Ioannis Chrysostomi, quòd *quando nauigans Ionas in nauigio sedebat, & nauta & gubernatores aderant, & omnia nauis arma, de extremis periclitabatur: postquam autem in mare proiectus, & peccatum per supplicium deponens, in incompositum deductus est nauigium, ceti scilicet ventrem, multâ potiebatur libertate: vt discas, quod sicut in peccatis viuenti, neque nauigium prodest: sic peccato exutum, neque mare perdit, neque bestiæ consumunt.* Hæc ille. Chrysost. Hom. 5. ad Populum tom. 5.

6 Nos propiùs nunc videamus, quodnam, quando, quomodo, pararit Dominus Ionæ in extrema necessitate constituto subsidium. Propheta loquitur Præparavit piscem grandem. En asylum profugo, en periclitanti subsidium. Profectò piscē prægrandem esse oportuit, vt Ionam vno oris hiatu, rictu vno, viuum, illæsum, integrum absorberet: & deinde in tanta, vti vult Theodoretus, ibi degeret laxitate, vt ibidem posset commodè vota precationesque fundere ad Deum. *Ionas illæsus à ceto voratur.*

Sed quis ille piscis tam grandis? 70. hîc, & ipse Christus Dominus apud Matthæum cetum vocat: *Sicut*, inquit, *fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus.* Sic eum etiam vocat Iosephus. Verùm inde nihil habemus quàm antea certius; nam cetorum genus varium est, & multiplex. Vulgus hunc *Piscem grandem* balenam putat: sed non satis inter balenam, physeteres, orcas, lamias, carchariam seu canem marinum, & quoduis aliud maximorum piscium genus distinguit. Matth.c.12.v.40. Ioseph. lib.9. Antiq. c.11.

Reperiri immanes cetos passim historici prodiderunt; & quod magis mirum, etiam serpentes. Audite quæ de his sum dicturus, cùm ex veteribus, tum neotericis, prodigiosa ac propè supra fidem; neque mirabimini à ceto absorberi Ionam totum vno impetu rictuque, & quidem velut intactum, certè omnino illæsum, potuisse.

7 Aiunt Solinus, & Plinius, Gangem fluuium tricenorum pedum longitudine anguillas alere. Solinus c. 66. Plinius lib.9.c.3.

Strabo, & Pomponius Mela referunt, in campo Macra, visum serpentem mortuum iugeris, id est pedum ducentorum quadraginta, longitudine; crassitudine tantâ, vt stātes vtrimque equites contueri se mutuò non possent, eo insuper oris hiatu, vt insidentem equo hominem nullo negotio Strabo lib.16. Mela lib. 2. *Admirādæ magnitudinis serpentes.*

gotio rictu vno exciperet.

Paulus Venetus lib. 3.

Marcus Paulus Venetus affirmat, plures inueniri in prouincia Caraiam, qui leones & vrsos integros deuorent.

Pererius ad Gene. c. 1. v. 21.

Benedictus Pererius tanquam valdè solemne, & passim notum, enarrat vnum aliquem ballistis tormentisque instar oppidi alicuius ad flumen Bragadam à Regulo Imperatore expugnatum, longitudinis pedum centum & viginti.

Zeiglerus anno superioris seculi vigesimo secundo, intercesserint nunc anni circiter octodecim, visum ait serpentem vnum in lacu Hameriæ erectum super aquas longitudine cubitorum quinquaginta.

Ceti illis maiores.

8 Si hæc à grauissimis scriptoribus de serpentibus relata, fidem reperiunt, quid de cetis opinabimur? quãdo hi omnia reliqua aquatilia corporis mole longè excedunt & superant, vti sacra Philosophia nos docet, in quã legimus quod de nullis aliis: *Creauit Deus cete grandia.*

Genes. c. 1. v. 21.

Quales visi sint, in Schaldi flumine Belgico, & alibi, apud nos.

Ipsi nostrâ ætate vidimus in Belgio, iuxta Antuerpiam, emporium toto Orbe celebre, anno huius seculi tertio, piscem, erat is ex cetorum genere, longitudinis pedum triginta trium, altitudinis sex & semis, rictu oris ingenti, deiectum tempestate ad castellum Calbeeck, non procul à vetere D. Bernardi cœnobio, ad alteram fluminis ripam sito, deiectũ in littus, aut saltem non procul à littore hærere in vado, nouum Antuerpiensibus ciuibus, & aliis pluribus eodem turmatim confluentibus, spectaculum. Quod, licet per se magnum non sit, maius tamen id facit loci nouitas. Etenim satis mirum eiuscemodi monstrum marinum repertum esse in flumine, & quidem loco à mari leucis multis dissito; licet nullum sit dubium, quin eò fuerit æstu vehementiori & tempestate deiectum violenter.

Piscem alium anno seculi huius vigesimo tertio, Nouembri mense, priori maiorem pedibus minimùm quindecim, ad vicinum sibi littus intercepit Dunkerca.

Tertium, qui hunc vtrumque lõgè excederet magnitudine, visum similiter hoc ipso seculo, anno primo supra vigesimum, mense Septembri, apud Batauos, inter Hagam-Comitis & Grauesantum, narrat Gothardus Artus Dantiscus in suo Mercurio Gallo-Belgico: habebat is namque, vt hic refert, in longitudine vlnas, non pedes, triginta & octo; fueratque, vt priores duo, fluctibus ac tempestate deuectus ad littus, atque, ibidem à refluentibus aquis destitutus, nautis in prædam obuenerat. Hæc quia nostratia, Belgica inquam, & omnino recẽtia, non omittenda putaui.

Eo ipso anno, quo hæc prælo mandamus, millesimo sexcentesimo trigesimo nono, intelligo certis auctoribus, in Gallia ad littus Armoricum Martio mense eiectum piscem longum pedes octoginta quatuor; instructum dentibus octoginta & octo, quorum singuli ab inuicem palmo distabant, & ternas libras pendebant. Non dubium quin ex cetorum genere is esset, planè sufficiens vt rictu vno hominem absorberet. Verùm alia longè, magisque digna memoriâ de cetorum magnitudine veteres scribunt.

Prodigiosa magnitudinis alibi.

9 Plinius in Oceano Indico quosdam reperiri ait, quatuor iugerum; id est, (iugerum sumendo prout sumit Quintilianus pro mensura pedum ducentorum quadraginta) nongẽtorum sexaginta pedum magnitudine. Vidisse se quoque alicubi asserit balenas longitudinis pedum sexcentorum, latitudinis trecentorum sexaginta. Talem refert ipse ex Iubæ Mauritaniæ Regis, id ipsum ad Caium Cæsarem Augusti filium scribentis, auctoritate, Arabiæ flumen ingressum.

Plinius lib. 9. c. 3. & 4. & li. 32. c. 1.

Plinius lib. 32. c. 1.

Idem penè de cetis maris Indici refert Ælianus quod Plinius: nimirum degere ibi quosdam quadruplâ ad elephantem maximũ magnitudine; quorum nimirum costa vna viginti contineat cubitos.

Ælianus lib. 16. c. 12.

Insuper D. Basilius, atque etiam D. Ambrosius in Hexameron, narrant mare Atlanticum, cetos alere, qui mon-

D. Basil. homil. 7. in Hexa. D. Ambr. lib. 7. in Hexam.

montibus æquentur; & si quando aquis supernatent, insulæ videantur.

S. Aug. Epist. 49. q. 6 cõtra Paganos. Etiam S. Augustinus ait, visam publicè in Africa marinam belluam, costas autem eius Carthagine in publico fixas, notas populo fuisse, (qualis hæc fuerit non satis exprimit, nullum tamen est dubium quin de cetorum genere) cuius os esset instar speluncæ.

Magis prodigiosum est quod narrat Albertus Magnus, visum sibi cetum, qui dissectus in partes trecentos currus iusto onere compleret. De hoc fortasse, aut simili, verum erit quod ait hoc loco Paulus Palatius, ex eodem Alberto, in vnius oculi fouea nõ ægrè quindecim & viginti homines condi ac latere potuisse. Albert. lib. 24. de Animal. c. 1.

10 Cui non est absimile, quod ait Ælianus, tales esse cetos alibi, præsertim circa Cythæra insulam, vt ex eorũ neruis bellica instrumenta (quæ sint illa non explicat) efformentur. Penè fidem superat, quod ex Dionysio Geographo habet Benedictus Pererius in Danielem, visas esse in mari balænas instar sublimium montium, quæ cum vectoribus naues integras absorbuerint. Perer. ad illud Dani. c. 4. in Cantico Puerorum Benedicite cete.

Recentius multò est, nec minus tamen ratum & mirum, quod ex litteris ad Polidorum Virgilium datis Gesnerus narrat; fuisse Augusto mense anni millesimi quingentesimi trigesimi secundi apud Tinnemutum in Angliæ Borealis partibus electam ad littus belluam iam mortuam pedum nonaginta longitudine; latitudine, id est à ventre ad spinam dorsi, triginta; oris rictum habentem vlnarum viginti; mandibulas singulas pedum viginti & vnius; ventres tres, adinstar ingentium specuum; guttura triginta, quorum quinque prægrandia; pinnas duas, quarum singulæ pedum quindecim; linguam pedes viginti longam, latam totidem; cuiusmodi etiam fuerit spatium quod oculum secernebat ab oculo; caudam bifurcatam & serratam, latitudine vlnarum septem; atque in ipso capite duo ingentia foramina, velut fistulas, per quas aquam eructare solita credebatur.

11 Similia in mari monstra qui concipit, facilè etiam cogitatione assequitur, ab eorum aliquo integrum IONAM viuum absorberi potuisse, neque magno molimine aut molestiâ; etiam, vt ait Theodoretus, ab illius dentibus illæsum.

Verùm quis, & qualis piscis hoc præstiterit, diuinare, aut coniecturâ assequi, quoniam de veritate non constat, difficile est: eoque difficilius, quòd ceti nomen à 70. Interpretibus & Christo Domino apud D. Matthæum expressum, fit secundùm veteres, vt Galenum, Varronem, Athenæum, æquè ac recentiores, vt Gyllium, Rondeletium, Gesnerum, Vlyssem Aldrouandum, & alios, piscibus omnibus enormis cuiusdam magnitudinis commune. Quare ex horum sententia non rectè interpretantur, qui piscem grandem IONAM excipientem fuisse balænam affirmant, vt vult cum multis concionatoribus (qui loquuntur vt vulgus, & fortassis ad captum dumtaxat vulgi hoc dicunt, licet aliter sentiant) Franciscus Feuardentius, & hoc ipsum ceti nomine innui arbitratur. Nam id esset, cetum nomen genericum, cum balæna certa quadam ipsius specie confundere. *Quis Ionam piscis exceperit incertum.* Matth. c. 12. v. 40. *Probabile non fuisse balænam.*

12 Errauit ergo Theophylacti interpres, qui ita nostri Prophetæ verba ausu satis temerario reddidit: *Et imperauit Deus balenæ.* Atque si verum est, quod ferunt à nonnullis curiosè obseruatum, balænam adeò angustis esse faucibus vt non nisi paruos pisciculos glutire possit, iam constabit ab hac IONAM nequaquam absorptum.

13 Gulielmus Rondeletius lamiam fuisse opinatur, qui ingens est piscis, &, vt ait Oppianus, *vasti hiatus.* vocat eundem carchariam à dentibus acutissimis, & pectinatim coeuntibus. Est hic auctore Rondeletio carniuorus, voracissimus, & antropophagus; sic vt cadauera mortuorum etiam integra deuoret; quod ex illius dissectione alicubi compertum affirmat. Addit verò Massiliæ & Niseæ aliquando captas lamias; *Rondeletius ait fuisse lamiam.* Rondelc. lib. 13. de Piscibus c. 12.

lamias, in quarum ventriculo homo loricatus inuentus sit. Ad extremum subiungit, visam à se in Santonico littore lamiam, cuius os gulaque tantâ erant vastitate, vt hominem etiam obesum capere posset. Sed & experimento comprobatum idem Rondeletius atque etiam Gyllius scribũt, quòd ore hiante earum ventriculum canes subierint, piscium reliquias voraturi.

Pineda lib. 4. c. 12. n. 3. Absorptum à lamia IONAM censet quoque in suo Salomone præuio Pineda. Verùm, vt dixi, hoc diuinare difficile est.

14 Maneat ergo sub iudice lis; & quia parum interest balæna fuerit, pistrix, orca, lamia, aut quod aliud simile monstrum marinum, quisque pro suo beneplacito concipere, etiam me assentiente, eum piscem è cetorum genere poterit, quem huic ministerio aptissimum iudicauerit.

Piscis illius rictus magnitudo declaratur. August. Epist. 49. q. 6. In hunc locum Ionæ. Ceterùm qualiscumque demum fuerit, patebat eius rictus, vti ex S. Augustino scribunt Cornelius à Lapide, & Iacobus Tirinus, instar apertæ ianuæ, per quam in ventrem, quasi in speluncam, dabatur ingressus.

Ionas non descendit ad fundũ maris, antequàm absorberetur. 15 Porrò non segniter Domini sui ministerio intendit: deiectum quippe in mare IONAM quamprimùm absorbuit. Neque enim Paulo Palatio assentior, dicenti IONAM priùs per aquas proruentem ad extrema montium descendisse, atque abysso vallatum, totiusque pelagi mole contectum, quasi mox periturum hæsisse; & tum demum cetum hanc prædam intuentem, aperto oris rictu hominem deglutisse.

Neque etiam natãdo tam diu processit donec ferè mergeretur. Sed neque Francisco Feuardentio, dicenti eum aliquousque natando progressum; cùm verò mergi cœpisset, protinus à marina hac bellua absorptũ seruatumque. Pugnant enim hæc cum grauissimorum Patrum, D. Hieronymi, Augustini, Theodoreti, Theophylacti, Ruperti, quibus consentiunt plerique interpretes, communi sententia. Quin imò, vt mihi quidem videtur, cum ipsis sacris Litteris, quæ cũ tam disertè præparationis à Domino factæ meminerint, innuere omnino videntur, adfuisse quamprimùm hoc certum Dei suum Prophetam tuentis & protegẽtis in tanta necessitate præsidium; ita vt extremum illud discrimen illi vlteriùs adeundum non fuerit. Quare verissimum censeo, quod ait Pineda, IONAM momento temporis, neque conspecto priùs ceto, ab eo voratum in eodem tutum habuisse securumque domicilium.

Adfuit Iona coniecto in mare cetus quamprimùm.

Pineda lib. 4. de rebus Salomo. c. 12.

Quæ ceto sunt ex natura sua propria, exponit, & rectè ad mores applicat, in suo Reductorio Petrus Berchorius; ea hîc longè lateque deducere, esset cùm à proposita historia, tum etiam ab instituto meo alienum.

16 Itaque transeo ad alterum propositorum capitum: vt nimirùm discutiamus, quandonam hunc piscem, ad glutiendum seruandumque IONAM Dominus præpararit. Id factum ab initio orbis cõditi, die videlicet quinto, quo, vt Moyses ait, *Creauit Deus cete grandia*, dixêre Rabbini.

Cetus hic nõ est præparatus aut conditus die quinto mundi.

Gen. c. 1. v. 21.

Verùm si ex tunc creatus, seruatusque ad Ionæ tempora, longam sanè & felicem decurrit ætatem, trium millium & ducentorum præter propter minimùm annorum, quod vlli contigisse viuentium hactenus est inauditum. Et verò ita factum quinam constare Rabbinis, aut vlli mortalium potuit? quis hanc ætatem animalis illius hominibus reuelauit? aut quis tanto vixit tempore, vt id habere experimento compertum potuerit? Scio, quod natura negat, dabunt diuinæ potentiæ, cui nihil difficile: sed miracula fingere ad noua, quæ quis cõminiscitur ex cerebro suo, stabilienda, non magnæ industriæ est.

Si fors aliter interpretentur, quod dicunt: & velint illam ab orbe condito præparationem, non esse aliud, quã dispositionem diuinam, suis implendam temporibus: quæro cur non potiùs ab æternitate factam dixerint, cùm nihil in rerum creatione mutetur circa diuini rationes consilij.

17 Remigius Antisiodorensis quãquam longam aliquam præ ceteris ætatem huic pisci non tribuat; credit tamen,

Remigij sententia piscẽ tum cùm conditus est, fuisse ad hoc præparatum.

tamen, eo quo est conditus tempore, puta biennio trienniove antè quàm fugeret Ionas, paratum destinatumque, vt diuinæ cùm iustitiæ, tum misericordiæ deseruiret; secundùm quod dixit Dauid: *Draco iste, quem formasti ad illudendum ei.*

Psal. 103. v. 26.

Pineda sententia aduectum è mari rubro,

18 Pineda præparationem vocat, quòd sit è Rubro ad Mediterraneum mare Deo dirigente deductus. Hoc enim putat certissimum, licet vix alio fundamento, quàm quòd maioribus piscibus illud mare prę quouis alio abundare soleat. Sed parū hoc solidum: demus enim sic esse, quis idcircò cetum Ionæ susceptorem è Rubro ad Mediterraneum mare deuehi debuisse putauerit? cùm nec ibi deessent, qui id ei præstare obsequij possent.

non probatur.

19 Sed neque solidius est, quod in huius sententiæ robur adiicitur: orantem in vētre piscis paullò pòst Ionam dicere, *pelagus operuit caput meum*: atque pro eo legi secundùm textum Hebræum, *Suph operuit caput meum*: quasi piscis hic Iona suscepto, ad mare Rubrum demum redierit. Nam, vt rectè Salianus, eiusdem mecum sententiæ, non hîc dicitur *pelagus suph operuit caput meum*: sed tantùm *suph*, id est carectum. Licet verò S. Hieronymus *suph* interpretetur *pelagus*, non tamen vertit *pelagus suph*, quasi certum aliquod mare designans: sed hoc latiùs postmodum pertractabimus. Tantùm nunc meminisse vos velim, ex eo quòd mare Rubrum algâ, iuncis, cetisque abundet; non sequi, similibus Mediterraneum, aliaque destitui: vt proinde, Ionæ causâ hæc inde educi debuerint, aut ipsum Ionam istuc deferri.

Ionæ c. 2. v. 6.

Salianus tom. 4. Annaliū ad A. M. 3216.

20 Rectè ergo meo iudicio sentiūt, qui tum demum paratum fuisse piscē, cùm est missus in mare Ionas, dixêre; Deo nimirum hunc submittente vno propè eodemque momento, idque vel nutu solo; vel, si Dionysio Rikelio credimus subsidio angelico: *Sunt enim Angeli administratorij spiritus, in ministerium missi, propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis.*

Verius fuisse paratum piscem cùm est missus in mare Ionas, Deo tunc eum submittente.

Paulus ad Hebr. c. 1. v. 14.

21 Ex quo discimus, quod tertio loco disquirendum susceperam, modum in pisce præparando seruatum à Deo: qui fuit, ita direxisse, ita cōparasse omnia, vt, nullâ interpositâ morâ, adesset maturè in tempus condictum, adeoque ipsam propè contingeret nauem, ne diu fluctuans Ionas in vndis hæreret; vti etiam censuerunt D. Hieronymus, Seuerus Sulpitius, Theodoretus, Theophylactus, Rupertus: neque tamen ita exciperet è naui demissum, vt aquas non tangeret; quemadmodùm arbitratus est S. Paulinus Nolanus Episcopus, in suis Iambis epistolâ 42. ad Cytherium, sic canens:

Piscis ipsam fortè contigit nauem.

Seuer. Sulp. lib. 1. hist.

—— mersus æquore
Intactis vndis fluctuat:

sed non diu in ipsis hærentem, aperto ore vnà cum vicinis vndis absumeret, in ventris sui conclaui seruandum, prout idem canit Paulinus:

Viuit voratus, quiq; glutiuit, manet
Viuente ieiunus cibo.
Et præda cum sit, esca non est belluæ,
Domoq; ventris vtitur.

22 Pro eo quod nos legimus, *Præparauit Dominus piscem grandem*, vertunt 70. *Præcepit Dominus ceto magno*: qui modus loquendi est Hebræis, omnem Dei dispositionem ac prouidentiam præceptum nuncupantibus, admodùm vsitatus. Sicut igitur elementis, pro diuino præcepto eius est beneplacitum, sic huic etiam pisci: qui cùm, disponēte Deo, ad Ionam excipiendum accedit, id facere illius præcepto dicitur, cuius vnius nutibus, & ipse, & omnia diriguntur, omnia obsecundāt. Præcipere ergo Domini, idem quod velle est; cumque omne quod vult, nutu solo efficiat, vtpote cuius velle idem & perficere est; nouum nequaquam videbitur, ad minimum diuini arbitrij nutum adnatasse piscem, Ionam absorbuisse, seruasse triduo, postmodùm vomuisse. Cecinit hoc eleganter heroico versu idem qui suprà S. Paulinus Nolanus Antistes; siue, cui id Poëma alij tribuunt, Claudianus.

Dei dispositio, Hebræis dicitur, præceptū Domini.

— Profugus (inquit) *Tharsum vates,*
quem sorte pericli

Tom. 1. Biblio. SS. Patrū.

In

In mare deiectum, spatioso bellua rictu
Cepit, & innocuum vasta eructauit ab aluo.
Nonne docet ditione Dei mare & astra moueri?

Diuinâ prouidētiâ accurrit piscis, excepturus Ionam. 23 Habemus hîc igitur, quàm non fortuitò, neque etiam seruato communi rerum cursu ac ordine; sed quadam Dei prouidentiâ singulari, in vndis periclitanti Prophetæ factus obuiam piscis, eundem pauentem, atque, vt fas est credere, ad conspectum illius non parum trepidantem, exceperit.

Habemus etiam insignem, sed tacitam; non verbo, sed opere, illi factam cōmonitionem: quasi dicētem Deum audiat: Vide mi IONA, cui morem non gesseris, cuius mandatum violaueris, iussa contempseris; illius nempe, cuius vocem cetus audiit. Ceti obedientiam cum inobedientia IONÆ Philippus Bonæ Spei Abbas componens, meritò exclamat: *Mira res! homoratione præditus mandatis cælestibus non timet contraire, & marina bellua diligit obedire: cum Propheta fallitur tutum esse existimans remedium fugiendi; piscis vltrò se offerens aures accipit audiendi.* (Philipp. Abbas lib. de silentio Cleric. cap 80.)

Dei clementia, in Ionā maximè periclitantem, maxima. Habemus propositam nobis in hoc opere, Dei immensam benignitatem. IONAS in naui eum iratum senserat; hîc mortis tempore in extremis planè angustiis, omni hominum destitutus fauore, consilio, & auxilio, sentit propitium. En quàm verum est quod ait per Ieremiam: *Ego cogito cogitationes pacis, & non afflictionis.* (Ieremiæ, c. 29. v. 11.) Verè cogitationes pacis sunt, illud tam propitium auxilium tuum Domine: video, & spero, quòd ita quoque nobiscum acturus sis: *& cùm iratus fueris, misericordiæ recordaberis.* (Habacuc c. 3 v. 2.)

Benè D. Chrysostomus: *Ionam vndæ susceperunt, nec suffocauerunt; cetus suscepit, & non interemit: Verùm & animal, & elementum incolume depositum Deo reddiderunt; & per omnia discebat Propheta, esse mansuetus & humanus, & neque stultis nautis, neque feris vndis, neque bestiis crudelior esse.* (Chrysost. Homil. 5. ad Populum to. 5.)

Deo obediant celerrimè omnia. 24 Habemus etiam, quod est ad Dei gloriam eximium, quàm ipsius sacrosanctæ Maiestatis imperio in momento obediant, non ea solùm quę sunt in cælo & in terra; verùm etiam quæ in mari, & in omnibus abyssis, ad ipsas vsque vndas & ventos; quos *producit de thesauris suis* (Psal. 134. v. 7.) cùm placet; cùm placet iterum recondit. Similiter vsque ad tumultuantes fluctus, qui quātumuis sæuiores sint tigribus, in ictu oculi ad eius imperium iras ponunt; & rursus, vbi ita illi placitum fuerit, furorem assumunt, atque vt priùs desæuiunt.

Dei auxiliū omnibus periculis præualet. Habemus hîc denique, quantumuis multa sint, grauia, & varia, quæ hominem circumstant, & velut circumuallant pericula, vt benè dixerit Poëta Lyricus,

Quid quisque vitet, nunquam homini satis
Cautum est in horas —— (Horat. lib. 2. Car. ode 13.)

nulla tamen esse, siue multa, siue magna, siue grauia, quibus non auxiliatrix Dei manus præualeat, quæ non vis Numinis subitò perrūpat & conterat.

25 Quod IONÆ prioribus seculis, & semel tantùm cōcessum; hoc ipsum æuo Christiano & pluribus, & plus millies scimus collatum diuinitus: quando tam multi, omni loco & tempore, duce Christo & auspice, per tot quotidiana discrimina æquè intrepidi atque illæsi gradiuntur, omnibus aduersis casibus, quibus sunt expositi, superiores.

Angelus custos datus singulis in tutelam & defensionem. Adfuit olim IONÆ cetus, diuinæ potestatis satelles vigil & strenuus, qui eum à sociis dimissum è naui exciperet, illucquò Dominus iusserat saluum & incolumem deuehendum: adest etiam nobis pro potētiori præsidio, omni loco & tempore, peruigil Angelus, qui nos custodiat, tueatur, & protegat; gressus quoque nostros moderetur & dirigat, secundùm quod scriptum est: *Angelis suis mandauit de te, vt custodiant te in omnibus viis tuis* (Psal. 90. v. 11.); atque ita custodiant, vt inter noxia plurima innoxij, inter pericula illæsi, inter damna illata hinc indè pluribus, indemnes agamus. Neque verò, aut est, aut erit, quod nobis noceat, *si boni æmulatores fueri-* (1. Petri c. 3. v. 13.)

fuerimus: si diuini honoris & gloriæ vindices, steterimus pro Domino, & domo Domini: sin verò hoc, quod absit, negligamus, ne miremur deinde, si neglecti vicissim ab eo desertique, & velut exules facti, incidamus in eas angustias è quibus eluctari nequaquàm possimus; ac tandem, heu nimium nostro edocti malo, victique ærumnis propriis! cum Iobo fateri cogamur: *Quia manus Domini tetigit me.*

Iob c. 19. v. 21.

Ionas vomitus à ceto est, in mari mediterraneo.

26 Vt ad historiam redeamus, sicut IONAM susceptum à ceto nemo dubitat; ita non videtur dubium esse posse, quin hoc in Mediterraneo mari contigerit, non procul à Ioppe, portu Iudææ, è quo ad penitiora maris abiturus cum suis profugus soluerat: quoniam vrgente eos tempestate nec progredi multùm, nec regredi poterant; adeò vt, secundùm recensita superiùs, istic se liberare molesto rebellis Prophetæ onere cogerentur. Dimissus ergo hoc loco, atque ibidem belluino exceptus vtero, miram in eo habitationem, & valdè prodigiosum inuenit hospitium. Nam, vt ait D. Basilius Seleuciæ Episcopus: *Illicò in viuo sepulchro ferebatur, nantem habitans carcerem impactum lethi turgitibus, sedem habitans commune mortuorum receptaculum, non viuorum, habitans aluum mortis matrem.* Interim tamen, commodiorem multò quàm arbitrabatur, & longè quàm apparebat securiorem ibidem ad triduum sedem, vehiculum etiam itineri non inopportunum, offendit.

Deuectus ab eo aliò quàm voluerat.

Basilius oratione 12.

Piscis Christum absorbens, limbus fuit.

27 A IONA Propheta ad mysticū IONAM nonnihil transeamus. Non inuiti, opinor, audietis *Domini Sodales,* quisnam ille piscis grandis, qui hunc mysticum IONAM, *Dominum* inquam IESVM absorbuit; quod licet verbo vno attigerimus aliàs, nunc paullò fusiùs deducemus, & copiosiùs pertractabimus.

Piscem hunc alij sepulchrum, alij limbum interpretãtur; vtrique benè: verùm hi cum Tertulliano, Diuo Thoma Doctore Angelico, Ribera, & pluribus aliis magis appositè. IONAS namque de ventre piscis ad Deum clamat, orat, exorat; quod sacrum Christi corpus de suo præstare sepulchro minùs commodè dicitur, commodiùs eius anima de limbo, ibi gratias agendo æterno Patri, cuius voluntate citò erat ad corpus reditura, nec ab eo ampliùs separanda.

Tertull. lib. de Anima c. 30. D. Tho. 3. p. q. 52. art. 4. Ribera in hunc locum n. 9.

28 Absorbuit igitur piscis IONAM, cùm Christi anima in limbum descendit. Tunc *Dominus,* Pater, inquam, æternus, *præcepit inferno,* qui teste Remigio draco est immanissimus, vt *Christum* susciperet, quod & fecit, *sed ignorabat,* vt ait cum Remigio Haymo, *latentem in esca carnis hamum diuinitatis, atque ideò quantum exultauit in deuoratione, tantum luxit in vomitu; dicente Oseâ: Ero mors tua ô mors, morsus tuus ero ô inferne.*

Confirmatur Patrū testimonio.

29 Quid de hoc ipso sentiat, aut potiùs quàm non dissentiat à nobis, D. Zeno ex propriis eius verbis accipite. *Cetum,* inquit, *esse non dubitatur infernum. Sicut enim Ionas tribus diebus & tribus noctibus fuit in ventre ceti, euomitusq; Niniue se intulit ciuitati: ita Dominus postridie ab inferno resurgens, se ciuitati Ierusalem intulit antequam cælo.*

Zeno Oratione in Ionam.

Idem paullò copiosiùs, nec minùs eleganter, ita describit Petrus Chrysologus. *Adest bellua, adest imago horrida & crudelis inferni, quæ dum fertur auidis faucibus in Prophetam, vigorem sui sensit & degustauit auctoris. Incurrit namq; ieiunium deuorando, sed domicilium cordis sui tremens ad superni hospitis aptat & præparat mansionem; vt ipsa, quæ fuerat tota causa discriminis, fieret necessariæ nauigationis inaudita vectura, vectorem suum seruans, & post triduum referens ad superna, & hoc daret gentibus, quod abstulerat à Iudæis.*

Chrysol. serm. 37. qui est de Ionæ signo.

30 Mysticè D. Hieronymus, & Bernardus, Piscem hunc mortem interpretantur, absorbentem, & vorantem homines omnes, eosdemque seruantem, in tempus resurrectionis diei nouissimi, quo demum omnes euomet ad vitam transituros immortalem. Verùm hoc tanquam minùs ad rem nostram faciens, indicasse dumtaxat suffecerit.

Piscis hic mysticè mors est. Hieron. ad Heliodor. in Epitaphio Nepotia. Bern. ser. de Humbert. Monacho defuncto.

 31 Vi-

Quinis peccator Ionas est, à Christo absorbendus vt saluetur. 31 Videamus modò num præter duos priores, vnum IONAM pœnitentem, alterum iustum & sanctum, qui vocatur à Daniele *Sanctus sanctorum*, tertium aliquem inuenire possimus. Is, nisi vehementer fallor, omnis peccator est. Hunc, vt vult Lyranus, *Christus* pisce designatus suscipit, ne pœnitens desperationis absorbeatur abysso. Dan. c. 9. v. 24.

Christus quomodo sit piscis ostenditur. 32 Patiamini quæso, nos paullulũ piscis hic, quoniam tam est vtilis nobis, ad sui contemplationem abducat. Magnoperè circa eum deliciatur Gregorius Mastrillus, quomodo captus, decorticatus, assus sit eleganter exponens: quibus omissis, quoniam non ita ad propositum nostrũ faciunt, obseruare vos dumtaxat velim, quantum per eum nobis felicitatis obuenerit. Illud sanè felicitatis summæ, quòd omnes ad se venire cupientes excipiat, gremio suo foueat, à morte, etiam æternâ tueatur. Clausum illi quidem in morte os fuit; sed latus apertum, ingens peccatoribus ostium, excludens neminem, nisi excludi volentem. Eia vos omnes periclitantes, fluctuantes, naufragantes in mari huius seculi, diuinus hic piscis exspectat: eritis in eo, non tantùm à turbinibus, tempestatibus, & procellis securi; sed ibidē commodum diuersandi locum, opportunum ad preces oratorium nanciscemini. Nolite ad huius, licet vulneribus deformati, & verberibus liuidi, horrere conspectum: hæc accepit, vt vos exciperet: vulnera ista, vulnera sunt amoris. Ite igitur, & quocumque modo, per aquas & fluctus, per ventos & turbines,

Saxa per & scopulos, & depressas conualles, Virg. 3. Georg.

cursu concito ad illum properate; ibi salutem, ibi securitatem inuenturi, & requiem.

Peccator instar Ionæ agere debet pœnitentiam. 33 Nemo mihi nunc dicat illius se piscis subsidio, aliunde satis securum, non indigere. Quisquis se peccatorem cum IONA agnoscit, agnoscere autem debent omnes, facilè etiam nosse potest, quàm parũ sibi sine pisce hoc inter vndas sit tutum. Non iam dico, licet in hoc pisce sit summa securitas, nō futurum subinde vt in discrimen vitæ & pericula adducatur peccator, antequam hic eum excipiat, quò in Niniuen redeat, ibique pœnitentiam clamet, reuertatur inquam ad cor suum, sibi bellum indicat, luctetur cum vitiis suis & concupiscentiis. Enimuerò fit hoc, & fieri expedit, vt discat imperare sibi cinerem, saccum, ieiunia, flagella; discat repudiatis inanium honorum insignibus, voluptatum illecebris, malorũ omnium irritamentis, se vincere, & Deum gemitibus, suspiriis, precibus ad misericordiam permouere, eritque ipsum incitamento, vt accedens ad hunc piscem, dum errat & aberrat periculosè in mari, magnam illius ope emergendi fiduciam aliquando accipiat.

Relicto nunc pisce illo, quem speramus fore ducem itineris nostri in portum cælestem; videamus an, præter IONAM, non sit inuenire alios, qui magnum aliquando periculum & vitæ discrimen adierunt. Hic mihi inter plurimos primus occurrit rex Dauid, qui regno pulsus, fugiens filium suum Absalonem, mœstus & plorans, plorantibus cum eo suis omnibus, velut re conclamatâ, torrentem Cedron pedes pertransiit. Occurrit etiam Ezechias, qui ob elationem animi sui insigniter morbo attritus, & tantùm non animam agens, dicebat: *Vadam ad portas inferi. Non videbo Dominum in terra viuentium. Non aspiciam hominem vltrà, & habitatorem quietis.* Sed hos non minùs quàm IONAM tutata diuina benignitas est: cuius non immemor Dauid sæpiùs repetit: *Misericordias Domini in æternum cantabo*; sicuti illas sæpius fuerat expertus: hinc & illud eiusdem fugientis à facie filij: *Tu Domine susceptor meus es, gloria mea, & exaltans caput meum.* Memor similiter eiuscemodi super se velut effusæ benignitatis Ezechias, pœnitudine ductus criminum præteritorum, & in gratiarum actionem meliora spondēs, exclamat: *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.* Sic & nos,

Isaiæ c. 38. v. 10. & 11.
Psal. 88. v. 2.
Psal. 3. v. 4.
Isa. c. 38. v. 15.

nos, qui multùm deliquimus, facere deberemus, neque ampliùs de *Tharsis* cogitare; de mundi gaudiis, de fuga à Domino; sed de *Niniue*, de animæ nostræ ciuitate polienda, exornandaque virtutibus; de hac sic conuertenda, sic dirigenda ad Deum, vt nullis victa tentationibus; ab eo recedat amplius in æternum.

LECTIO SECVNDA.

ET ERAT IONAS IN VENTRE PISCIS TRIBVS DIEBVS, ET TRIBVS NOCTIBVS. *Vers.* 1.

ARGVMENTVM.

Beneficia, quæ à Deo accepit existens in ceto Ionas, *enarrantur. Paralelismus* Ionæ *&* Christi *proponitur. Quomodo sit intelligendum quòd ille in ceto, hic in limbo, fuerit triduo, disputatur. Peccatori quis vsus esse debeat tridui pro sua conuersione ostenditur.*

Duplex mortis genus subit Ionas.

1. Orrendvm sanè, & eò magis horrendum, quò magis subitum, improuisum, inopinatum spectaculum, mediis in vndis Ionæ obiectum oculis, eum meritò ingenti terrore concutiat. Videre cetum aperto ore aduenientem, exspectantem sese, & subitò deglutientem quis non horreat? Hoc videt, hoc experitur Ionas: an impauidus? Profectò non puto. Ad mortem quidem se obtulerat hauriendum fluctibus; sed Deum non vnâ morte contentum, alterum etiam mortis genus minari videt: vastam huius piscis aluum velut sepulchrum, imò velut inferni abyssum inspicit; mox etiam ab hac momento propè temporis absorberi se sentit, spe omni salutis & vitæ, humanis rationibus statum conditionemque suam metiendo, prorsus seclusâ. Quid ei inter hæc animi esse potuerit, quoniam non satis assequi cogitatione, nedum effari possum, ipsum aggrediar, rogaboque; nobis ipsemet ore proprio aliquantum edisserat.

2 Age ergo mi Iona: te sic intuens constitutum, nullum videntem, non iam impendentium tantùm, sed & præsentium tibi malorum finem, omni momento mortem habentem præ oculis, & cum timore ac tremore eam exspectantem intra ipsa belluæ viscera, interrogo cum D. Basilio: *Quid hîc agis? nunquid adhuc fugere vis Propheta? Adhuc gẽtium salute fugam præponderas, spernis pereuntes, gaudes eorum animaduersione conspectâ? non vis minister esse vocationis? Triduum igitur subi sepulchrum, sustine Incarnationis Dominicæ casus, Resurrectionis gere symbola, expedi te ceto tanquam monumento.* Sic faciet.

D. Basil. Seleuciæ ora. 12.

Felicitas Ionæ existentis in ceto.

3 Exspectatis forsitan exitum prorsus infelicem, finem homine fugitiuo dignissimum, rem tragicam, mortem omni luctu & lacrymis plorandam? Longè aliud videbitis. Illud non ex meo, sed ipsius ore, res suas verissimè synceríssimeque enarrantis, si lubet, accipite. Vbi fuerit, quid egerit, nobis edisseret.

Erat Ionas (sic de se ipse) in ventre piscis tribvs diebvs et tribvs noctibvs. Eum istic benignè habitũ, & idcircò exceptum Paulus Palatius arbitratur, quod cùm sciret Deus, non malo animo eum fugisse, præuenire hominem voluerit beneficio; & cetum hunc peropportunè ei in salutem destinare. Fallitur tamen, bonâ ipsius veniâ id dicere liceat, Palatius: excusare, neque opus,

Ionæ fugã excusat Palatius.

Iustitia diuina, hic cum misericordia concurrit, vincit misericordia. neque etiam IONÆ intentionem mihi posse videmur: sed placuit Domino, ita fieri diuinæ suæ iustitiæ satis; vt tamen emineret misericordia: sicuti *miserationes eius super omnia opera eius.*

Psal 144. v. 9.

4 In ventre ceti latebat IONAS, en iustitia: ibidem seruatur ne pereat, en misericordia.

Absorbuerat eum bellua tetra, vasta, immanis, ingenti oris rictu vnà cum pluribus aquis, perque serratos & præacutos dentium ordines atque immundissimas fauces in obscurum ventriculi sui barathrum detruserat: hîc ipse in densis tenebris, & opaca nocte constitutus, neque horas, neque tempus dinumerans, propè ignarus in mundo, an extra mundum esset; nisi quod subinde iecinoris immane pondus sibi fortasse incumbere, subinde pulmonis flatu, & reflatu, se verberari sentiret; modò in profundam abyssum, modò in sublime cum ceto agebatur miser; nunc sese in dextram, nunc in læuam versans, ac velut arctiori carceri auctoritate publicâ mancipatus, singulis horæ momentis propinquissimam mortẽ timidus præstolabatur: En iustitia.

5 Intereà dum sic ægrè spiritum traheret, duceretque, propè exanimis, parum vitalem vitam, mortem commeritus, in ipsis quodammodò mortis faucibus vitam inuenit; eò beatiorem, quò illustriori modo parta, & ob rei nouitatem celebriori quoque ac magis perennaturâ memoriâ ad posteros dimanauit. Quòd igitur non abripiatur fluctibus, quòd in aquis non pereat illicò, quòd tanto concussus horrore, semper sibi præsens, spem seruet infractam, quòd in voracis belluæ rictu dentibus eius improbis non discerpatur, quòd non conteratur, quòd in eius aluo opportunum reperiat domicilium, quòd in tam squalenti carcere non continuò moriatur, quòd in tam enormi fœtore non suffocetur, nec contabescat, quòd tantis pressus malis æger animo, æger & corpore, communi solis, lunæ, ac syderum luce priuatus respiret, quòd absque cibo & potu toto viuat triduo: En misericordia: en immensa caritas eius, qui vti *diues*, ita quoque munificus, *in omnes, qui inuocant illum.*

Beneficia plurima quæ vna conseruatio Ionæ in ceto complectitur, enarrantur.

Ad Rom. c. 10. v. 12.

6 Vultis maiora & ampliora diuinæ signa misericordiæ? Deus vt in seruum suum tam rebellem ac refractarium magis esset misericors, quas posuerat naturæ leges ac terminos, ipse infregit. Dicam apertiùs: belluam, ne IONAM iam absumptum, atque intra viscera sua latentem, stomachi calore naturali in alimentum substantiamque suam, aliorum piscium atque etiam hominum more, conuertere posset, impediuit. Prorsus vti tres inuictissimos heroas, Ananiam, Misaelem, Azariam, integros, illæsos, valentes, in medio ardentissimæ fornacis flammis exundãtis seruauit. Nam vti hos ignis non attigit, Deo eius impetum caloremque suspendente, aut ne exureret, aut ne se ad ipsos vsque diffunderet: ita IONAM cèti venter non læsit, eodem æstum huius cohibente, ne in eum vim suam potentiamque exereret.

Quomodo Ionas miraculosè sit seruatus in ceto, ostenditur.

Vti tres pueri in fornace seruantur Babylonica, ita Ionas in ceto.

7 Certè iustus, *cùm ceciderit, non collidetur; quia Dominus supponit manum suam.* IONAM facti pœnitet, & ecce subitò seruatur, ne pereat. Meministis credo obedientem Isaac morti destinatum, atque iam iam immolandum parentis sui Abrahami manibus, à morte curante Deo ereptum; substitutumque pro illo arietem inter vepres hærentem cornibus, repertum opportuno tum loco, tum tempore: ita & hic mittitur piscis ille grandis, qui IONAM seruet, illæsumque custodiat. *Iunior fui,* dicebat Dauid, *etenim senui: & non vidi iustum derelictum, nec semen eius quærens panem:* ac si diceret: Maturior & iam grauis annis ætas, tanto tempore docere me hic aliquid potuisset & debuisset; non docuit tamen aliud quàm dico. Nullâ enim oculorum, aut aurium experientiâ didici hactenus, fuisse aliquando hominem iustum, fidelemque Dei seruum, ab eo derelictum; sic vt vel ipse, vel suorum aliquis debuerit sibi de victu,

Psal. 36. v. 24.

Pro seruãdo Isaac submissus est aries; pro Iona seruando cetus.

Psal. 36. v. 25.

Dei circa suos cura exemplis probatur.

victu, rebusque necessariis mendicato prospicere. Certè si Deus amicorum suorum aliquem vnâ feriat manu & vulneret, alterâ medetur & sanat. Testis est innocens Ioseph, fuit quidem ille à fratribus venditus; sed mox totâ Ægypti terrâ longè lateque imperium exercuit. Testis IONAS, fuit hic à sociis coniectus in mare; sed statim ibi nauem, non iam ligneam, at vitalem inuenit, quâ feliciter portum attigit. Testis Daniel, qui in lacum leonum fuit coniectus; sed & ibi prodigiosè seruatus, ibi enutritus à Domino, mox etiam inde cum gloria eductus. Adeoque verissimum est quod ait Dauid, me etiam assentiente, dictique illius veritatem comprobante: *Non vidi iustum derelictum.* Mandauit Deus coruo vt Eliam Prophetam suum pasceret, Habacuc vt Danielem; nunc ceto mandat vt IONAM alterum è suis Prophetis excipiat, seruet, foueat; insuper aut nutriat, aut sine vllo nutrimento viuum illæsumque custodiat. En quanta in vnum beneficia! Non minor Deo de quouis amicorum suorum est cura. Itaque nobis hoc primò curandum, vt amici illius simus; atque ita securi erimus, tuti, à periculis omnibus immunes, nobisq; erit de necessariis prospectū. Dicebat idem rex

Psal. 22. v. 2. Dauid: *Dominus regit me, & nihil mihi deerit: in loco pascua ibi me collocauit.*

Bestiæ omnes & feræ Dei amicis seruiunt.

8 Pulchrè obseruauit Chrysostomus feras & belluas, omneque genus animantium, Deo ac Sanctis Dei amicis seruire. Ipsum audiamus: *Quis,*

Chrysost. in Psa. 96. Dominus regnauit, &c.

inquit, *pastor ita agnas suas placauit, vt Daniel efferos leones? quis rex tam pernices Indos habet, vt Elias coruos? quis discipulum absque murmure ita hospitalitatem exercere docuit, vt Ionas cetum in mari? quorum armorum exercitus regem suum ita illæsum seruauit, & alienigenas ab impetu coërcuit; vt Chaldaicus caminus Chaldæos ciues vrbis exussit, & Hebræos seruauit?* Quod Sanctis his factum, omnibus Dei amicis futurum, si quando id esse necessum, quod rarius est, Dominus iudicauerit. Interim illorum singulis dictum putate, simul & vobis: *Habita in adiutorio altissimi, & in protectione Dei cæli commoraberis:* atque non secus ac IONAS, ab aduersis omnibus tutus & securus, addo etiam magis quàm ipse intrepidus, calcabis tumultuantes vndas. Psal. 90. v. 1.

9 Quærit satis opportunè hoc loco Ioannes Treminius: cur Deus, marinæ belluæ ministerio, è tanto discrimine eripere IONAM statuens, eum non dorso illius excipi, & sic in littus deuehi potiùs, quàm absorberi ab eodem voluerit: præsertim cùm hoc videretur ad diuinæ potentiæ suæ magnitudinem nautis declarandam aptissimum; quando in Dei timorem, & veram religionem vehementer iam propensi, viso admirabili illo prodigio, vehementiùs etiam, haud dubiè, fuerint in eiusdem cultum venerationemque & inflammandi, & permouendi. Vel, si hoc minùs Deo placebat, quærit: cur saltem ei non placuerit facere suo Prophetæ mare calcabile, quemadmodùm fecisse multis amicorum suorum non ignoramus.

Causas vtriusque assignat. Primam quidem, eamque præcipuam; vt sic meliùs sacrosancta Passionis, Mortis, Sepulturæ, Descensus ad inferos, Resurrectionis Christi Domini, quorum omnium typum gerebat IONAS, adumbrarentur mysteria.

Alteram; vt sic diuinæ potentiæ & bonitatis appareret vis maior, quæ si vnquam alibi, hîc certè eluxit; quando IONAS constitutus quodammodo ipsis in mortis faucibus, tam prodigiosè inde eductus & liberatus est. Quod longè fuit aliud, quàm si subitò sine discriminum & difficultatū perpessione vlla, saluus atque incolumis, aut ceti, aut Angeli ministerio, littori restitutus fuisset.

Tertiam; vt esset tam IONÆ quàm nautarum vtilitas maior. IONÆ, qui hac afflictione, & continuo trium dierum periculo, conuersus ad Deum, & crimen suum agnoscens, diuinam clementiam precibus & lacrymis exorauit. Nautarum, qui sic diuinæ rigorē iustitiæ penitiùs cognouerunt, eam-

demque, videntes coram se deuoratũ à pisce IONAM, & dantem meritas facinoris sui pœnas, ampliùs timuerunt.

Herculis vorati à pisce, & post triduũ eiecti fabula. Lycophron in Trag. de Hercule.

10 Lycophron Tragœdus ait, Herculem cùm ex Colchide cum argonautis rediret reperto vellere aureo, iactatum tempestate, proiectũ in mare, voratum à pisce, & post triduum euomitum, exustis dumtaxat corporis pilis, illæsum prodiisse; quem proinde Trihesperum vocat, quasi qui tribus noctibus luctando cum pisce hoc, totidemque diebus, fuerit occupatus. Verùm fabula est, quam à veritate sacræ huius historiæ in suas nugas & commenta manium deorum Ethnici, quemadmodùm post alios obseruauit doctissimus Salmeron, transtulerunt. E qua saltem ad faciendam fidem historiæ nostræ, diuinarum Litterarum veritatem propugnaturi, hoc deducere possumus, atque in hunc modum philosophari: Si potuit Hercules in ventre piscis viuere triduo, indè prodire saluus & sanus, ac littori reddi incolumis; & IONAS potuit. Censeo nihilominus cum Theophylacto, nihil opus esse à Græcarum fabularum putredine nostræ veritatis soliditatem commendare; cùm sciamus Deo volente, Deo præcipiente, nihil non effici. Neque enim minùs mirum, illo quod IONÆ semel accidisse accepimus, id quod quotidie agitur circa fœtum humanum materno in vtero; quando hunc naturali innatantem humori, velut absorptum & obrutum prægnantis aluo, viuere nouimus, modo quodam, quem vis humana non capit, quem omnis nostra ignorat industria. Hoc sibi quoque cum ceteris accidisse agnoscens Dauid, ait: *In te confirmatus sum ex vtero: de ventre matris meæ, tu es protector meus.*

Seruatio fœtus in vtero matris tantum miraculum est, quantum Ionam in ceto seruatum fuisse.

Psal. 70. v. 6.

Historia Ionæ in ceto seruati veritas similibus comprobatur.

11 Interim si quis huius historiæ nostræ veritatem impugnare voluerit: is, aut fidelis erit, aut infidelis, & hęc ferè est ratiocinatio D. Hieronymi in hunc locum. Si fidelis, ęquè magna, aut his maiora credat oportet: stetisse nempe immotum mare ad transitum filiorũ Israël, dante tam fluido & mobili elemento peregrinis stabilem atque immobilem viam: abstinuisse leones famelicos à morsu & tactu Danielis, cùm eum inclusum lacus angustiis, atque euadere nescientem, haberent in propositam prædam: ambulasse Christi discipulos gressu stabili super vndas maris, & his similia sexcenta. Si infidelis, iactabit cum Poëtis, & credet; Daphnem in Laurum, Phaëthontis sorores in populos, Iouem in cygnum commutatos. His si fabellis fidem habeat, cur eam deroget tam celebratæ historiæ, cuius post ipsum Prophetam tota posteritas meminit?

12 Sed nullũ nobis est cum infidelibus negotium: Christiani sumus, Dei potentiam nouimus, non ignoramus, quòd *quæcũque voluit, Dominus fecit in cælo, in terra, in mari, & in omnibus abyssis.* Neque tamen idcircò dicimus id fieri suapte naturâ potuisse. Etenim verissimum arbitramur, quod ait ex Auicena Albertus Magnus, quidquid in ventrem animalis descendit, statim digestiuo calore (sic ille loquitur) decoqui, dissolui, exugi, & subtile à grosso in diuersa loca separari; idque sedecim non ampliùs horarum spatio compleri; octo deinde sequentibus horis, nutrimentum iam depuratum per venas in membra diffundi. Verùm qui legem hanc naturæ posuit, eximere ab ea quoscumque, quocumque placuerit tempore, potest; quod hic eum fecisse non dubium est.

Psal. 134. v. 6.

13 Agamus modò; & quid circa IONAM in belluino gestum sit vtero Eusebium Emissenum, siue, vt vult Baronius, Eucherium Lugdunensem, huic enim ipse in Notis ad Romanum Martyrologium eam Homiliam tribuit, plenissimè atque elegantissimè disserentem audiamus. *Ionam*, inquit ille, *cetus piscis excepit immersum, sed non contigit deuoratũ; & quem malitia hominum perdidit, bestia esuriens custodiuit; plenis visceribus famem patitur, & in prædam quam absorbuit nihil sibi licere miratur. Quis est iste, qui intra auidos rictus assumi potest, consumi non potest? Cibus est, corruptio non est; traditur perditionis profundo, & seruatur ipsius mortis obsequio. Quis est ille, qui validissimos sinus periculorum*

Præclara descriptio Ionæ in ceto triduo conseruati ex Emisseno.

Hom. 2. de Pascha. Baron. Martyr. die 16. Nouembris.

lorum tutus ingreditur? & sub altitudine conclusus immensa, atque mortifera, vitali aëre pascitur, & dimissus in alienam rerũ naturam, in vitæ exilio cum vita peregrinatur? In absolutione & conseruatione gentis vnius, & in Deum reconciliatione reparandi seculi gloriam naufragus præfert, & mortis superstes adnuntiat venturam mundi salutem.

Christus à morte absorptus sub figura Ionæ ab Emisseno describitur.

14 Atque statim à IONA Propheta ad mysticum Ionam transiens, à figura inquam ad figuratum: *Puto*, inquit, *quòd hic est Dominus noster Iesus Christus, quem sæua mors, inexplebilis bellua in escam suã rapuit, & prædã suam captiua cõtremuit. Contremuit inquam nam etsi nouerat crucifixũ; tamen quem nõ meminerat reum, non poterat tenere damnatum: quia culpam non facit pœna, sed causa.*

15 Ex qua ratiocinatione Emisseni videtis, id quod in IONA priùs ad metum terroremq; rebellium, ad salutẽ Niniuitici populi, ad illustrius aliquod diuinæ iustitiæ monumentum, perpetuamq; memoriam toti mundo exhibitum valuit; non minùs verè & perfectè in mystico Iona IESV CHRISTO, veniente temporum plenitudine annoq; Iubilęi, ad peccatorum nostrorũ expiationem propositum; non ad corporis, sed animi salutẽ, ad gloriam, inquã, felicitatemq; valere perpetuam.

Christus & Ionas in multis similes.

16 Nam vti IONAS proiectus in mare, à pisce captus, pelago tranquillitatem attulit, tempestate sedatâ: sic CHRISTVS, suâ morte Patrem placauit iratum, mundi rabiem domuit, mortem nostram destruxit.

Vt IONAS suo præcipitio nautis veræ lucis conuersionisq; ad Deum auctor exstitit: sic IESVS CHRISTVS morte suâ, tot signis & prodigiis mirabili, plures, etiam ex ipsis interfectoribus ad veritatis agnitionẽ adduxit. Vt patuit, *cùm alij percutientes pectora sua reuertebantur*: alij verò, vti *Centurio & qui cum eo erant, custodientes Iesum, viso terræ motu, & his quæ fiebant timuerunt valde, dicentes: Verè filius Dei erat iste.*

Lucæ c.23.v.48.

Vt IONAS ex belluæ rictu incolumis quasi maris victor euasit ad littus: sic CHRISTVS mortis, inferni, & hostium suorum victor, vitam recepit non ampliùs moriturus.

Vt IONAS quodammodò rediuiuus è ceto prodiens suâ interminatione Niniuitis causa salutis exstitit: sic post triduũ è sepulchro rediuiuus CHRISTVS, Apostolos mittens per orbem vniuersum, eorum doctrinâ salutari, Gentes cælo & regnis cælestibus intulit triumphator.

17 Hactenus sat vidimus seruatum nouo modo, nouo rerum ordine, in belluino vtero, loco molesto, fœtente, squalore & noxio calore horrido, IONAM; seruatum similiter in sepulchro CHRISTVM: sed necdũ quanto ibidẽ seruati sint tempore satis discussimus. Clarè, neque vllo modo ambiguè loquitur Propheta, cùm ait: *Tribus diebus, & tribus noctibus*; sed an plenis ac integris, nobis coniectandũ relinquit.

An Ionas, an Christus tribus diebus integris, hic in limbo, ille in ceto fuerint, quæritur.

18 Ioannes Pineda in suô Salomone præuio, tres dies integros, totidemque noctes IONAM istic transegisse autumat, ex veterum, vt inquit, sententia, celebrantium ingens miraculũ, tanto tempore coqui hominem & consumi non potuisse immani ventriculi illius calore. Verùm miraculum esse non desinet, si tres dies ibi non omnino complerit: cùm spectatâ actiuitate naturalis caloris belluę tam potentis, pro rerum exigentia, certoque qui in iis esse solet ordine, consumi, etiam horis paucissimis, totus debuerit.

Pinedæ sententia Ionam triduo integro fuisse in ceto. Pineda lib. 4. de rebus Salomonis c.12.n.4.

19 D. Hieronymus, cui adstipulãtur Isidorus Pelusiota, & Franciscus Ribera, tres dies ac noctes cõmorationis IONÆ in ceto ita exponunt; vt secundus quidem dies integer fuerit, posterioris verò & prioris pars tãtùm, synecdochicè illã accipiendo pro toto; quò sit figura figurato, id est IONAS CHRISTO, similior, itaque per omnia typus rei significatæ respondeat. Quæ causa est, cur id ipsum quoque admodùm probabile existiment Gaspar Sãchius, & Emanuel Sà. Sanchius etiam vlteriùs opinetur, eodem tempore esse absorptum à ceto IONAM, quo fuit deinde à morte CHRISTVS: sed & eodem eiectũ in aridam, quo Christus à mortuis resurrexit. Verùm quis hic nobis indubitatam asseret veritatem? Con-

Ionam secundo die integro, primo & tertio non integro fuisse in ceto, varij censent. Hieron. hic. Isidorus lib. 1. Epist. Ep. 114. Ribera hic. *Causa assignatur. Eâdem horâ Ionam absorptum à ceto, quo Christus est mortuus, & euomitum quo Christus resurrexit, censet Sanchius.*

 gruentiam

gruentiam video, sed non habeo vnde certi aliquid affirmem.

Difficultas quomodo Christus dici possit fuisse tribus diebus & noctibus in sepulchro, proponitur.
Matthæi c.12.v.40.
In c.2. Ionæ.
Augustinus lib.3. de Consen. Euangelist. c.24.

20 Maior difficultas est, vt ostendatur, etiam sumptâ parte pro toto, quomodò CHRISTVS Dominus adinstar IONÆ, sicuti futurum apud B. Matthæum prædixerat, *in corde terræ*, in sepulchro, inquam, secundùm corpus, secundùm animam in limbo, fuerit tribus diebus & noctibus tribus; cùm ab eius morte ad gloriosam vsque Resurrectionem; alij, vt Remigius & Haymo hîc, horas tantùm numerent triginta sex; alij, vt Augustinus, horas quadraginta: trium verò dierum & noctium spatium, horas complectatur septuaginta & duas.

Explicationes nonnullorum reticiuntur.
Salmer. in c.12. Matthæi.

21 Difficultatem vt euaderent nonnulli recentiores, teste Alphonso Salmeronio, dixêre, non satis appositè, per hebraismum idem esse diebus tribus ac noctibus, atque tribus diebus.

Paulus Madeb. in 2. par. suæ Paulinæ lib.1. & 2.

22 Paulus Madeburgensis aliquid etiam finxit ineptius: Christum nempe mortuum ad vesperam diei Mercurij, quæ erat Paschæ vigilia, dicta Parasceues; aut si die Veneris obierit, die Lunæ dumtaxat surrexisse: neque aliud dici putat ab Euangelistis, cùm hoc explicaturi, ponunt disertè: *Vna sabbatorũ*, id est, dierũ: non enim opus, inquit ille, vt prima, seu die quẽ Dominicum dicimus. Facilis, sed nõ valdè subtilis euasio; vtpote à veritate alienissima. Nam & per sacras Litteras, & traditionẽ Apostolicam, & totius Ecclesiæ vsum, sensũ, & consensũ, constat Christũ feriâ sextâ seu die Veneris mortuum, Dominico die virtute propriâ prodiisse è tumulo rediuiuũ.

Marci c.16.v.2.
Lucę c.24 v.1.
Ioan.20. v.1.

Ferus in c.2. Ionæ.

23 Æquè parum solidum est, quod habet Ioannes Ferus, Christum in sepulchro fuisse *tribus diebus & tribus noctibus*, non verè & realiter, sed secundùm Apostolorum opinionem existimationemque dumtaxat, qui eum resurrexisse non ante vesperam Dominicæ crediderunt. Vnde autem hoc habeat ignoro; certè nec res de toto vera, nec ratio probabilis.

24 Hallucinati similiter fuerunt in hoc negotio veterum quidam. Euthymius in Matthæum Christum tempus tridui, quo tumulum suum præfinierat, anticipasse affirmat, propter Iudæos, qui triduo iusserant custodiri sepulchrũ; hoc elapso si resurrexisset, calumniari nescio quid, vt ait ille, potuissent, eò quòd deinceps custodiâ caruerat; & dicere à discipulis fuisse sublatum. Sed nil opus erat compleri triduum, quemadmodum mox dicturi sumus completum etiam non fuisse. Deinde quo pacto Christum nescientem, cùm id prædiceret, quid esset futurum, ab ignorantia excusemus?

Tenebras ab hora 6. vsque ad 9. pro vna nocte sumi non probatur.
Theoph. Hilarius in c.28. Matt.
Matt. c. 27.v.45.

25 Theophylactus & S. Hilarius in Matthæum, vt tres dies noctesque reperiant, nouam ineunt supputandi rationem: & pro nocte vna numerant tres illas horas, quibus in Christi morte *à sexta hora*, vt inquit S. Matthæus, *tenebræ factæ sunt super vniuersam terram vsque ad horam nonam*. Sed quis hanc noctem dixerit? esset hoc certè, vt sic dicam, admodum loqui æquiuocè. Adde incertum videri, num ante illas trium horarum tenebras sit mortuus Christus; num verò, quod multo probabilius, aut illis deficientibus, aut fortè etiam post illas.

Nec probatur supputationem tridui mortis Christi, inchoari à vespera diei Iouis.

26 Alij nonnulli, inter ceteros S. Gregorius Nyssenus, & Rupertus Abbas, supputationem hanc trium dierum & noctium, à diei Iouis vespera, quâ mortem suam prædicens, cum discipulis extremam cœnã sumpsit, eos Corpore suo pretioso pascens & Sanguine, ordiuntur. Sed nec illa recẽtioribus interpretãdi ratio placet; & licet difficultates fugiat, nõ soluit. Alia ergo inuestigãda, quę solidior sit & plenior.

Probabiliores quadam sententia de triduo mortis Christi.

27 D. Hieronymus & Augustinus, secuti calculum Iudæorum, qui dies festos à vespera in vesperam celebrabant, pro primo die, noctem diem Veneris præcedentem cum die ipsa; pro secundo, noctem diem Veneris subsequentem cum sabbato; pro tertio, noctem sabbatum consequentem cum illa Dominicę parte valde exigua, quę fluxit ad vsque tempus illud quo surrexit è tumulo, in supputationem trium dierum adducunt.

27 Eru-

27 Eruditè & ingeniosè Gaspar Sanchius, sic hæc trium dierum & noctium spatia dispensat, vt vnus dies à media nocte ad medium vsque diem producatur, & spatio viginti quatuor horarum, vnâ videlicet lustratione solari, duo sint dies, & totidem noctes. Itaque tres dies & tres noctes sic diuidit. Ab hora nona quâ Christus mortuus est ad solis occasum dies vnus synecdochicos, inde ad dimidiam noctem vna nox; à media nocte ad meridiem sabbati altera dies & nox; à meridie sabbati ad mediam noctem, quæ Dominicam diem, in qua eum resurrexisse certum est, antecessit, dies tertia & nox. Putat namque ad mediam noctem, aut non multò pòst, Christum à mortuis surrexisse: quod illam supputationem secutus necessariò dicere debet, ne cogatur similiter dicere, eum quarto die surrexisse, non tertio.

Suarez Tom. 2. in 3. p. q. 53. a. 1. dist. 46. sect. 3.

Optima de triduo mortis Christi explicatio.

28 Mihi maximè placet Francisci Suarij eximij Theologi supputatio qui, Romanorum tum Iudæis imperantium more, triduum illud metitur à media nocte in mediam; sicut & nos modò festa computamus, eaque venerari consueuimus. Itaque cum illo, pro priori die particulam diei Veneris ab hora circiter quinta, nostro modo supputandi, & noctis eiusdem horas sex; pro secūdo noctem sabbati integram cum die; pro tertio noctis Dominicæ horas sex, & diei siue diluculi, neque enim ante auroram surrexisse arbitramur, particulam alteram, sumpturi sumus. Quæ sententia etiam fuisse videtur SS. Patrum D. Leonis Papæ, D. Anselmi, & Isidori Pelusiotæ. Neque huic expositioni, quam claram puto, quidquam magnoperè aduersum occurrit.

D. Leo ser. 1. de Resurr. Anselmus ad Matt. c. 12. Pelusiota lib. 1. Ep. Epist. 114.

Quæritur cur horis 36. non pluribus, non paucioribus, mortuus fuerit Christus.

29 Quærunt vlteriùs Remigius Antisiodorensis & Haymo, cur horarum triginta sex spatio, non pauciorum, non plurium, mortuus & conditus tumulo iacuerit Christus, magnum hic agnoscentes mysterium: ego id vobis illorum verbis reserabo. Triginta sex, inquiunt, ad septuaginta duo, simplum est ad duplum: nostra mors dupla est, qui in anima per peccatum, in corpore per pœnam morimur: Christi simpla, vt qui tantùm in corpore mori potuit; in anima, cùm nunquam peccarit, non potuit; viuens semper, atque inter mortuos liber. Sic illi.

Quorsum triduo sepultus manere voluerit, ratio probabilis.

30 Percunctandum nunc restat quorsum illa tridui sepultura. Sicut Ionam multi putant non tam propter se, quàm propter Niniuitas, vt tam illustri miraculo illorum esset facilior ad fidem pœnitentiamque conuersio, in ceti aluo tribus diebus totidemque noctibus commoratum: ita decuisse, vt illâ trium dierum & noctium sepulturâ Christi, vera eiusdem mors, & præsentibus, & omnibus secuturis temporibus probaretur; neque vllus esset amplius de hac dubio alicui relictus locus: quando fortassis aliàs facilè contingeret, vt nunquam fuisse mortuum opinarentur, aut certè suspicarentur, coniecturâ in speciem non omninò, vt illis quidem videri possit, improbabili, quem paullò pòst rediuiuum conspexissent.

Eiusdem rei rationes plures morales.

31 Sunt alij, qui hoc sibi temporis ad sepulturam sumpsisse Dominum arbitrantur, ostensurum Sanctissimam Trinitatem nostris peccatis offensam, suâ tridui morte placandam: quæ interim omnibus gentibus, omnibus populis seruiret; iis inquam, qui Naturæ, qui Moysis, qui Gratiæ lege durante vixerunt; id est toto conditi seculi triduo, atque in eo omnibus cuiuscumque conditionis & ordinis, siue illi incipientes, siue proficientes, siue perfecti: qui viuâ fide, spe firmâ præditi ardenti quoque caritate flagrarent.

32 Porrò cur Christum non nisi triduo manere tumulatum, resurgere verò die tertio decuerit, & oportuerit, rationes multas & varias adfert Cornelius à Lapide in Oseam scribens; quarum hæ ferè præcipuæ. Prima. Quia quod de se ipso Iudæis incredulis denuntiauerat vaticinium,

Cornelius à Lapide ad Oseæ c. 6. v. 3.

Soluite

Ioannis c.2. v.19. *Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud*, adimpleri debebat.

Altera, quam etiam habet Treminius; vt simul veritas Mortis eius, simul & Resurrectionis necessitas appareret. Certè, sicuti diximus, si ante triduum resurrexisset, dubitari fortè à quopiam potuisse, an fuisset etiam verè mortuus: ita si post triduum, dari Apostolis potuisset occasio de Resurrectione illius, aut desperandi, aut magnoperè dubitandi.

Tertia: Quia, inquit Cornelius, si caro eius mansisset in sepulchro diutius, fuisset corrupta; quod nequaquam decebat, dicente Dauid: *Non derelinques animam meam in inferno: nec dabis sanctũ tuum videre corruptionem.* Psal.15. v.10.

Quarta. Quia, cùm Christus mortem moriendo destruxerit, decebat eum non diu teneri in morte; sed mox gloriosè, velut eius domitorem & triumphatorem resurgere; atque ita cum sua, etiam nostram vitam resurgendo reparare.

Tractat hoc argumentum fusiùs, & plures rationes, cur statim post triduum, nec antè resurrexerit Christus, adfert Ioannes Treminius, in sua Expositione allegorica ad caput 2. Ionæ hoc loco. Ego pro instituti mei in hoc genere breuitate, plures non addo.

Peccator debet in Christo manere triduo per tres partes pœnitentiæ.

33 Ad tropologiam veniamus. Ex Lyrani sententia suprà retulimus per piscem Christum Dominum, per IONAM peccatorem intelligi posse: debet & hic in ventre piscis in Christo, inquit idem Lyranus, manere triduo; primo nimirum die per amaram contritionem, secundo per integram confessionem, tertio per debitam satisfactionem: tum verò redibit in aridam saluus & incolumis, migrabit ad Dominum, portionem accipiet æternæ hæreditatis in cælo.

Deus in peccatores misericors est.

34 Quis credidisset futurum IONÆ propitium Deum in profundo maris, in ventre ceti? IONÆ dico, danti meritas improbitatis præteritæ pœnas? Erit & tibi peccatori propitius, si tantùm volueris, polliceor: si eum quæsieris, talem reperies, transibisque ab irato ad placatum; & continuò expertus clamabis; ac dices: *Quàm bonus Israël Deus his, qui recto sunt corde!* Psal.72. v.1.

Est etiam iustus.

Sed sicut bonus, ita & iustus est: eum nihil latet, contra eum nemo peccat impunè. Nouerat hoc Dauid, qui in spiritus plenitudine cum eo colloquens, atque vbique præsentem intuens, dicebat: *Si ascendero in cælum, tu illic es: si descendero in infernum, ades.* Psal.138. v.8.

Et misericordia Dei & iustitia peccatori versari debent ob oculos.

35 Hoc & nobis crebrò versetur ob oculos; atque ita cum præsente nobis semper, & vbique, Domino colloquamur: sic fiet, vt allicientibus nos ad gustum quemdam illicitæ voluptatis rebus seculi quibuscumque, constanter cum castissimo Iosepho dicamus: *Quomodo possum hoc malum facere, & peccare in Deum meum?* Gen.c.39. v.9. intuentem omnia; mihi, actionibusque meis intimè præsentem, atque ita me tenerè amantem, vt numquam obliuiscatur mei, numquam me deserat; quin imò diu refractarium, ac post alia omnia abeuntem, postliminio reducem, plusquàm paterno sinu excipiat, & suauissimis diuini amoris complexibus stringat.

Misericordiã peccator maximè implorret: quia hac maximè indiget.

36 Quoniam verò multi nostrûm cum IONA peccauimus, & mandatis tuis Deus æterne non obediuimus; rogamus te supplices, vt cùm eodem quoque misericordiam tuam experiamur. Quare quo possumus affectu dicimus singuli: *Non intres in iudicium cum seruo tuo:* Psal. 142. v.2. scientes, *quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens.* Tu fac similiter vlteriùs dicere possimus, hîc experti bonitatem & clementiam tuam, eamdemque perpetuam præstolantes: *Misericordias Domini in æternum cantabo*: Psal. 88. v.2. fac eamdem quoque reipsâ æternùm cantemus.

LECTIO

LECTIO TERTIA.

ET ORAVIT IONAS AD DOMINVM DEVM SVVM DE VENTRE PISCIS. *Vers.* 2.

ARGVMENTVM.

IONAS, quando orare cœperit, & vbi hic descriptam orationem composuerit, quæritur. Deum, IONÆ imitatione, à nobis nostris in necessitatibus inuocandum, docetur. De efficacia orationis, loco ad eam apto, deque aliis ad eamdem requisitis fusius agitur.

Ionas quid agat in ceto considerandum proponitur.

1 ONAM captiuum nuper agnouimus; etiam tenebrosum ac fœtentem eius carcerem lustrauimus: nunc quid agat tanto in pœdore ac muco detentus, videamus. Esse sibi auxilio non poterat, sed nec ab vlla re creata illud sperare: ad Deum igitur, verum solamen mœrentium, qui adesse suis solet in tempore opportuno, fidenter recurrit. Hoc est quod hic dicitur: ORAVIT AD DOMINVM DEVM SVVM DE VENTRE PISCIS. Interpretatur Albertus Magnus, totum affectum mentis in Deum direxit, vtique de illius misericordia non desperans; quò factum, vt (quemadmodùm D. Hieronymus & Haymo loquuntur) se omninò ad obsecrandum conferret; non dubitans illum sibi auxilio futurum, qui viro iusto promiserat: *Cum ipso sum in tribulatione: eripiam eum.* Et hoc fecit IONAS, id est, *columba*, inquit Albertus, quæ exaudienda erat, quia gemitum pro cantu habet: quemadmodùm in Canticis dicitur: *vox turturis audita est.*

Orat ibidem. — *Psal. 90. v. 15.* — *Cant. c. 2. v. 12.*

Afflicti multi: sed non multi in afflictione fortes & feruentes.

2 Esse mediis in angustiis, periclitari quosdam de bonis corporis & animi, vitaque ipsa, etiam modò æquè ac tum satis est vulgare, & vsitatum; at inter pericula fortem, constántem, atque in rebus gerendis esse prouidum & generosum, neque in nocitura præcipitem; magis verò erectũ animo & orationi intentum, non ita. Etenim

Hoc opus, hic labor est ——

quem digna conatu virtus, virtutem verò præmium immortale consequitur. Sunt etiamnum, neque vno in terræ angulo, at locis pluribus, quibus subeunda subinde quæ IONAS olim subiit, fortè etiam duriora: vtinam verò pari cum illo constantiâ, vtinam pari ad Deum recursu, pari fiduciâ; esset tunc etiam par laborum afflictionumque exitus, qui aliàs sæpe quàm maximè dispar, dum nonnulli nouis calamitatibus veteres suas cumulantes, tandem animo simul & corpore contabescunt, & nonnisi culpâ suâ pereunt.

Virgil. lib. 6 Æneid.

3 Quis non stupeat, in tam pleno horroris, tenebrarum, atque incommodorum omnium carcere, adeò suæ mentis compotem fuisse Prophetam; vt grauissimam cultissimamque orationem, etiã elegantibus versibus, qui

Ionas in ceto hanc orationem versu, vt hic scripta, composuit.

—— *Secessum scribentis & otia quærunt,*

Ouid. lib. 1. Trist. Eleg. 1.

ibidem composuerit, atque compositam, prout hic est edita, secundùm opinionem multorum, ad Deum summâ mentis quiete tranquillitateque direxerit. Profectò non ignorans ipse, quòd quia fuerat segnior in imposito sibi ministerio, idemque parum decorâ excusserat fugâ, Deum meritò sentiret iratum, statim ad preces non segnis conuertitur; illud suâ calamitate boni consecutus, vt cùm antè, secundùm Theodoretum, in sola Ierusalem Deum aut apparere crederet, aut

Iona calamitatum, quas in ceto subiit, primus fructus oratio.

aut sibi sentiret præsentem; nunc in ceti aluo non modò pręsentem agnóscat, & sentiat; verùm etiam experiatur ibidem eum in se maximoperè beneficum & liberalem.

Quare tanto beneficio cumulatus, vt ampliùs illius, commendet magnitudinem, eius largitori Deo, cùm primùm isticto tot inter mala, tot inter timores, tam perpetes inter metus vitæ & necis se sospitem videt; quàm maximas, quàm amplissimas, commemoratione discriminum, quæ singulari eius protectione paternaque curâ euaserit, gratias agit.

Ionam, demum post triduum in ceto actũ, orasse non probatur.

4 Sunt qui opinentur, IONAM nostrum demum post triduum per pœnitentiam traductum in ceto, hac Deum oratione interpellasse. Argumento esse volunt ipsa eius verba, dicentis: DE VENTRE PISCIS, non IN VENTRE; sed vt benè notat Arias Montanus, præpositio *De*, non locum, sed calamitatem innuit: quo pacto in sacris Voluminibus frequentissimè vsurpatur, maximè à Vate regio, cùm ait: *De tribulatione inuocaui Dominum. De profundis clamaui ad te Domine*; & aliàs, atque hunc loquendi modum, sicut Dauid vsurpat ad miseriarum suarum magnitudinem pleniùs declarandam, ita & IONAS.

Psal. 117. v. 5.
Psal. 129. v. 1.

Opiniones variæ de tempore, quo à Iona hæc est composita oratio.

5 Credit Palatius, primo quidem die, quo se istic sentiebat illæsum, orare & clamare ad Deum cœpisse; perrexisse vlteriùs, & clamasse etiam secundo; tertio verò paullò dumtaxat ante egressum, hunc Domino velut in actionem gratiarum hymnum cecinisse.

Alij, inter quos Sanchius, orationem quidem aliquam ab eo conceptam in ceto, sed alio modo & verbis aliis; hanc verò quam hîc legimus, tum demum, cùm quæ circa se acciderunt conscripsit & vulgauit, opinantur. Nec est omninò absimile vero, quod dicunt. Intereà vti illos, ita me quoque latet huius veritatis certitudo; neque enim nisi coniecturis hic agimus. Libentissimè tamen sanctorum Patrum Hieronymi, Theodoreti, Theophylacti, ac aliorum grauissimorum auctorum, Hebræorum, Gręcorum, Latinorum sententiæ subscribo; dicentium, hunc ipsum hymnum compositum, dictumque à IONA, non alibi quàm in ipsis angustiis vteri piscis, cœcoque hoc carcere.

Verior opinio hymnum hunc compositũ à Iona in ventre ceti.

Fabella Iudaica de Iona eiecto è ceto mare in cetum feminam.

6 Malè hic viderer de gente & synagoga Iudæorum, atque ipsis imprimis Rabbinis meritus, nisi vobis exponerem grauissimam & sapientissimam Rabbi Salomonis sententiam, lepidissimam inquam fabellam. Obseruat ipse (arrigite quæso aures vos, & intelligite quid velit) vocem Hebræam *Dag* hic positam, quæ piscem significat, generis esse masculini; prondeque eum qui IONAM primò suscepit fuisse marem, in quo cùm laxiùs habitaret, ac magis spatiosè, nec admodum arctaretur (sic enim ipse philosophatur, aut veriùs nugatur) animum ad orandum non adiecisse. Indicatum igitur à Deo pisci huic, IONAM ex ore suo in os piscis feminæ quamprimùm euomeret, in quo, vtpote prægnante & grauido fœtibus, cùm locum inueniret angustiorem, in afflictione etiam maiori atque necessitate constitutum, statim has ad Dominum supplices preces fudisse.

Fabella illa refutatur.

7 Verùm, vt rectè Gaspar Sanchius, quis vnquam audiuit in stomacho animalis, aut concipi, aut contineri seruaríve fœtum; vt propterea in fœta femina minùs quàm in mare sit stomachi laxa capacitas. Interim vt non omninò nihil dixisse videatur doctissimus ille Rabbinus, fabellam suam verbis sacri Textus firmare ampliùs nititur: & veluti commento suo maius robur additurus, obseruandum ait, quod subditur: orasse IONAM de *ventre*, non *dag*, sed *daga*, terminatione femininâ. Sed non vidit homo stolidus, de piscibus omnibus, vti rectè à Sanchio, Ribera, & Cornelio à Lapide obseruatum est, sine vllo discrimine sexus dici, *dag* & *daga*: sicuti apud Latinos voces hæ, piscis, auis, ouis, equus, camelus, vitulus, multaque similia, tam feminam quàm marem signi-

significant: quod in Hebraicis vocibus verum esse ipsemet Rabbinus hic fateri cogitur: nisi fortè comminisci similiter velit, quando in

Genes. c.1.v.26. Genesi Adamo est datum in animantia omnia, bestias terræ, volucres cæli, & pisces maris imperium: eò quòd ibidem non *dag*, sed *daga* positum sit, cum dumtaxat imperandi piscibus feminis accepisse potestatem, maribus nequaquam eius potestati subiectis.

8 Quòd si ad hoc non satis reflexit magnus ille Rabbi Salomon, quomodò saltem non aduertit, in fine capitis huius iterum non *daga*, sed *dag* esse positum, cùm dicitur:

Ionæ c. 2. vers.11. *Et præcepit Dominus pisci, & euomuit Ionam in aridam.* Nisi fortè existimet, vti antè præceptum erat à Deo pisci mari, ita deinde feminæ fuisse, vt quem aliquamdiu visceribus suis clauserat, seruaratque innoxium, eumdem iterum eiiceret, & denuò in os maris euomeret, atque ita miserum Prophetam, tot afflictum casibus, pluribus affligendum transisse de bellua in belluam multoties satis ridiculè opinetur.

9 Verùm quàm hoc sit insulsum ineptumque nemo non videt; vt mirum sit speculationem tam peregrinam & barbaram, cadere in sensum humanum potuisse. Neque minus ineptum est & fabulosum, quod iuuat saltem animi causâ referre, commentum aliud eiusdem Rabbi Salomonis, dicentis ostensum à Deo IONÆ nostro cùm in ceti ventre lateret, & Rubrum mare præterueheretur, quomodo per illius medium Israëliticus populus sicco pede transisset: vsum nempe ad hoc duobus piscis oculis velut fenestris patentibus, quarum præsidio, quidquid in mari erat quaquauersum, contemplatus sit. Papè quid est comminisci fabulas, vulgare somnia, deliria promere, pro interpretatione Scripturarum nugas vendere, si hoc non est!

Fabella altera, Ionam vidisse in ceto locum transitus filiorum Israël per mare rubrum.

10 Nam, vt cetera taceam, quæ ne refutatione quidem sunt digna, tempus scilicet opportunum erat, & locus, hoc cum otio spectandi: neque erat aliud, quo tum occuparetur, aut de quo esset sollicitus IONAS; quàm de via, & transitu filiorum Israël, si fortè mare Rubrum præteruéheretur.

Refutatur etiam hæc fabella

Deinde, quod est potissimum, quomodo sit ad mare Rubrum, ceti, à quo absorptum diximus, beneficio delatus IONAS; cùm hoc à Mediterraneo, vbi id accidisse indubitatâ fide constat, longè latissimeque distet. Neque sit credibile, quod ait vir nostri seculi aliàs apprimè eruditus, & in sacris Scripturis enucleandis insigniter versatus, cetum hunc, quantumcumque velocem, per mare Mediterraneum, & Gaditanum fretum, ad mare Indicum, & Arabicum sinum, immani totius Africæ circuitu, penetrare naturali celeritate, velocitateque quauis, tam citò potuisse. Nam tametsi pilam ferream ictu vno è tormento æreo, vel ex arcu ballistâve sagittam excusseris, quæ æquabili cursu, celeritate consuetâ per aërem suo deferantur impetu, eò tamen peruentura tam breui temporis morâ à quibusdam vix credi possit.

11 Immediatè verò ex Mediterraneo mari ad Rubrum deuectum IONAM fuisse, ne speciem quidem probabilitatis habet; cùm certum sit duo hæc maria à se mutuo continente secerni, atque sic diuidi, vt non sit ex vno in aliud transitus, quemadmodum idem ipse grauis auctor contra Rabbinos fatetur.

Ac de his hactenus, occasione Iudaicarum fabularum, quas modò missas faciamus.

12 Ad vos conuertor *Sodales*, rogoque sedulò aduertite, atque non ex me, sed ex IONA ipso accipite modum, quem in periculis etiam certæ & indubitatæ mortis; quem in animi angustiis, quantumcumque magnis, grauibus, permolestis; quem in casibus quantũuis arduis, asperis, & aduersis

Ionas nos docet ad orationem confugere.

Z seruare

seruare debeatis. Nimirum discite, vobis etiam, esse ipsius commonitione, ipsius exemplo, vires cordis & animi, si corporis deficiant, colligendas, & protinus ad Deum bonorum omnium fontem voce supplici conuolandum.

Ionas in afflictionibus suis patiens fuit, non in Deum impius, aut blasphemus.

13 Sic fecit, atque vti hic dicitur, ORAVIT IONAS: non planctu, non femineo se vlulatu confecit, non inconditis clamoribus, vt sui impos egit, non iniuriis, non maledictis, non voce impiâ cælum ac Deum petiit: non sibi grauiora imprecatus est mala, non mente insanâ omnem à se melioris vitæ spem arcuit, non confidentiam de secutura aliquando iterum felicitate Deique subsidio, ipse aut sustulit sibi, aut putauit sublatam. Verùm, tametsi satis videret, atque etiam sentiret abundè, iratum sibi Deum, Dominum suum, & Iudicem: hunc tamen ita Dominum, ita Iudicem agnoscit, vt simul etiam Patrem & benignum Patrem norit, ac cupiat sibi: eumdem colat quoque veneratione præcipuâ Deum, & quidem suum. Quare sic eum nunc vocat, quem anteà Deum cæli nuncupauit.

14 Ne ergo credite sine causâ dixisse: *Orauit Ionas ad Dominum Deum suum.* Pondus habent verba singula. Videbat seruatus in ceti aluo beneficio singulari, vel ex hoc solo bono quod fuerat ibi consecutus, Deum adhuc *suum* esse, eumdem inquam erga se, qui fuerat semper, neque propter tam infamem quam in eum exercuerat rebellionem, ita affectu ac voluntate mutatum; vt pœnitentem, atque redire ad pristinum obsequium cupientem, respueret. (Ionæ c. 2. v. 2.)

Profectò si dicere IONAS in afflictione sua potuit, etiam rebellis, & quidem illis priscis temporibus, *Dominus Deus meus*: quomodò nos, non potiùs nostris, post Deum hominem factum id ipsum possimus? Verè Christiane Dominus Deus *tuus est*, cuius tituli beneficio, nihil non obtinere, nihil non ab eo consequi potes. Hic Dominus si IONAM è fœtente ceti ergastulo liberauit, si eumdem saluum, illæsum, incolumem terræ restituit, quia Dominus eius erat, sicut creator, ita quoque eius conseruator, & liberator effectus: quomodo non liberabit etiam vos à malis omnibus, quando iam tempus gratiæ & redemptionis aduenit, factusque est per proprium sanguinem omnium æquè Redemptor ac Conditor, omnium manens æquè ac olim IONÆ Deus, *in quo* nimirum æquè ac ipse, omnes nos *viuimus, & mouemur, & sumus.* Noster ipse est prorsus, vtpote ad quos spectant bona ipsius omnia, potentia, sapientia, bonitas, mansuetudo; &, quæ nobis æquè ac IONÆ maximoperè necessaria est, misericordia. (Ionæ c. 2. vers 7.) (Act. c. 17. vers. 28.)

Deus à nobis ad Ionæ imitationem inuocandus.

15 Verùm, cùm noster non secus ac IONÆ sit Deus, nos quoque, non aliter quàm olim IONAS fecit, facere etiam modò oportet: & quoniam conferre lacrymas, miscere gemitus, mœrorem congerere in postrema parte solatij est (lacrymâ enim nihil citiùs exprimitur, nihil faciliùs arescit) maiora, veriora, certioraque solatia quærite; querelis muliebribus viro indignis, neque vos frænos laxate, nolite rigare non profuturis lacrymis genas: sed animis in cælum erectis, vnde spes omnis, salus, felicitas, gaudium, *Conuertimini ad Dominum Deum vestrum in toto corde vestro*: ab eo sperate solida, & vos numquam destitutura solatia. Putate nullam esse meliorem, nullam magis securam ad portum æternæ salutis viam, hac vnicâ, quæ velut compendiaria est; & vos haud dubiè in regione Beatorum certâ quietis & beatitatis sede constituet. (Ioël. c. 2. v. 13.)

Intereà cum IONA dicite, *Dominus Deus meus.* Quid enim potius, quando vestra sunt merita omnia vnigeniti filij eius, vester eius pretiosissi-

tiosissimus & sacratissimus sanguis, vtpote tam fusus pro vobis copiosè, quando vobis acquisita eius morte beata immortalitas, eius ignominiâ parta vobis est gloria sempiterna. Itaque si quid inquietet animum, si quid affligat, si quid molestiam pariat, si quæ calamitates ingruentes vos opprimant; protinus mementote à quo sperandum subsidium; agnoscite, omni quidem tempore, sed illo sanè potissimùm, simul etiam quo potestis affectu colite *Dominum Deum vestrum.*

Dauid in necessitate clamat ad Deum.

16 Hoc egregiè, & ante IONAM multo tempore præstitit Dauid, quem cum ipso velut parallelum sæpius totis hisce sacris Lectionibus vobis in pœnitentiæ, pietatis, coniunctionis ac intimæ cum Deo familiaritatis exemplum proposui & proponam. Quare in casibus aduersis, quos habuit neque paucos, neque exiguos, totis quadraginta regni sui annis, imò & ante illius consecutionem, ad Dominum clamabat semper, nullis calamitatibus, nullis flagellis ab hoc clamore vnquam deterritus. Hinc illæ eius voces: *De profundis clamaui:* scilicet, licet esse se in profundo non ignoraret, clamabat tamen, & quò magis sibi esse videbatur in profundo, eò clamabat ampliùs. Symmachus vertit *De profundissimis clamaui:* cupiens nimirum scelerum suorum & culpâ, & pœnâ liberari. Interpretatur Iacobus Tirinus *Clamaui* de carcere, exilio, calamitate, miseria, & voragine peccatorum meorum.

Psal. 129. vers. 1.

Pœnitenti de profundis clamandum.

17 Sic quiuis verus pœnitens faciat: clamet *de profundis*, id est, non de vno tantùm miseriæ profundo; sed, vt ait Bellarminus, de profundo etiam cordis: clamet ex hac valle lacrymarum, atque insuper ex intima infirmitatis propriæ ac miseriarum consideratione; vtrumque enim æquè est necessarium. Nam qui profundum in quo versatur, aut non considerat, aut non satis cognoscit; is neque vt ascendat luctatur, & quia contemnit illud miseriarum suarum profundum, in maius etiam profundum cadit. Non sic Dauid, non sic, qui videns calamitates suas ac miserias, earumque profundum, & de hoc profundo, & de profundo cordis sui clamare non erubescit. Quem secutus IONAS in profundum maris, in profundum quoque ceti ventrem deiectus, ibique agnoscens profundum illud malorum, in quod cum insana rebellio præcipitem egerat, clamare non cessat, nec sine fructu. Nam, vt ait Gregorius Nyssenus, *Oratio Ionæ, cetum domum effecit, vt in ventre ceti commodè, quasi in domo, degeret, & oraret.*

Ionas de profundis clamauit.

Nyssenus in Expositione orat. Dominicæ.

Et certè illa non exigua gratia est, locum morti & perditioni aptissimum, factum fuisse quasi templum, & domum orationis, aptam ad Deum ibidem obsecrandum & laudandum. En verè portentum, illi simile quod tantoperè mirabatur & extollebat regius Propheta, cùm diceret: *Numquid narrabit aliquis in sepulchro misericordiam tuam, & veritatem tuam in perditione? Numquid cognoscentur in tenebris mirabilia tua, & iustitia tua in terra obliuionis?* In ceto velut in sepulchro erat IONAS: sicut ergo qui in sepulchro iam est, amplius apud viuos enarrare Domini misericordiam non potest; ita cum IONA futurum videbatur: at longè secus accidit; *Orauit* enim *ad Dominum Deum suum de ventre piscis.*

Psal. 87. v. 12.

Ionæ c. 2. vers. 2.

18 Quemadmodum vobis haud dubiè magnoperè IONÆ probatur oratio: ita dubitare nolo, quin animus vester ad eius quoque imitationem inardescat. Verùm dubitabitis forsitan, vbinam locorum orare ac interpellare precibus Deum tanto merito tantaque virtute possitis? Si nihil aliud supplicationibus vestris moram iniiciat, hac sollicitudine nullo negotio IONAS vos liberabit; de ventre inferi clamare ausus, & ibidem exaudiri commeritus: qui hac ratione & modum orandi nos docuit, & locum ostendit.

19 Quærit Tertullianus *quomodo*

Tertull. lib. de orat. c.14. *eius oratio de ventre ceti per tanta bestiæ viscera, ab ipsis abyssis, per tantam æquoris molem ad cælũ potuit euadere?* Verùm nihil non orationi peruium est, nihil illa non penetrat, etiam cælos ipsos, ad ipsum vsque Dei thronũ ascendit: quocumque loco, quantumuis is videri posit importunus, fusa, semper opportunè ad diuinæ Maiestatis aures peruenit. Sed quid dico locum aliquem importunum videri: nullus non opportunissimus, nullus non ad eam aptissimus, dummodò aptus tantùm sit animus.

Orationi omnis locus aptus & opportunus. Quis nescit Noëmum ex arca, Iacobum de monte, de cisterna Iosephum, Moysem de deserto, filios Israël de Ægyptiaca captiuitate inter lutum & lateres, Dauidem de exilio, Iobum de sterquilinio, tres pueros de Babylonica fornace foco & flammis horrida, Danielem de leonum rugientium lacu, de loco supplicij Susannam, Ieremiam de cœno, Ezechiam de lecto, ducem illum fortissimum ac totius exercitus Iudaici imperatorẽ Iudam Machabæum de loco certaminis, latronem de cruce, Petrum de mari, de vinculis Paulum, IONAM, vt hic videmus, de immanis belluæ ventre, orantes cum fiducia, votorum suorum compotes euasisse?

Obiectio, non opus templis, si omnis locus orationi aptus. 20 Hæc dum dico, obstrepentes tacitè nonnullos alicubi audire mihi videor, & sic secum ratiocinantes non rectè: si nullus incõmodus est orationi locus, nullus importunus; quorsum tot oratoria, sacella, templa? quorsum tam augustæ moles, superbo cultu, magnifico, & plus quàm regio apparatu Deo eriguntur, dicantur, consecrantur iam à seculis? & adhuc quotidie nouo opere

Ouid. lib. 1. Metam.
——Sublimibus alta columnis
Atria——

cælo quodammodo minitantia consurgunt? *Auarorũ illa esse ostenditur.* Gauderent qui hæc mussitant, scio, si persuadere aliis possent, ad nihil ista conducere; cum vereantur ne ad hæc vel erigenda, vel instauranda, conferre aliquando, tametsi vel vnicum tantùm teruntium debeant, nimiùm sanè in Deum parci, qui in eos tam est munificus & liberalis. Quæ vlterius causa est cur eiusmodi homines, nullam (sicuti nimis liberè, & satis subinde ad speciem impiè loquuntur) censentes templorum erigendorum necessitatem, aut fructum; aliorum pietatem, ac præposteram, vt ipsi vocant, largitatem damnent, ad hæc facultatum suarum partem aliquam conferentium. Quasi verò aliquid esse nimium possit, quod Deo, cuius sunt omnia, creationis, conseruationisque beneficio, impenditur: cùm nimium illis non sit, quando in luxum & commodum proprium

Contracta pisces æquora sentiunt
Iactis in altum molibus—— Hor. lib. 3. Car. Ode 1.

Sed non agam hic pluribus: Maiorum monumenta isti intueantur, & hæc, quid nobis sit faciendum, docebunt.

21 Nunc ad propositum de orationis loco: qui licet esse quilibet posit, certum nihilominus aliquem decerni & velut proprium aptari, eumque Dei domum appellari conuenit, in qua ipse tamquam summus Imperator, supplicum preces admittat, atque exaudiat. *Ratio cur erigantur templa ex D. Chrysostomo.* Hinc ille D. Ioannis Chrysostomi, cuius magna fuit omni tempore ab annis ferè mille ducentis auctoritas, ad Antiochenum populum pro concione sermo: Chrysost. ad Populum Homil. 79. Tom. 5. *Domi quidem orari potest* (& quod de domo, hoc æquè de quouis alio loco dictum arbitremini) *sic autem, vt in Ecclesia, non potest; vbi tanta patrum multitudo, vbi clamor ad Deum vnanimiter emittitur.*

22 En aliqua cùm constitutarum, tum constituendarum aliquando Ecclesiarum peculiaris ratio: videlicet in iis coniunctæ plurium preces, quæ quantum possint & valeant, idem sanctissimus Pater exponens, subiungit: *Si Petrum Ecclesiæ adiuuit oratio, & illam ex carcere columnam eduxit, quomodò illius potentiam contemnis?* *Quid templa sint.* Est ergo templum publicis precibus fundẽdis cõmune domicilium; est & offerendo, consecrando, sumendo sacro Domini Corpori ac Sanguini nobilissimũ tricliniũ; vbi illæ quoque ipsæ pretiosissimæ

ſimæ ep[...]læ inſtruuntur & parantur.

23 Non tamen idcircò, cùm vel neceſſitatis ratio, vel feruor caritatis impellit, orare cuicumque quouis tempore & loco illicitum eſt. Certè D. Hieronymus in neceſſitate conſtitutus, nec loci, nec temporis habuit rationem. Premebatur interdum prauarum æſtu cupiditatum vir ſanctiſſimus, (vt nihil ab homine quantumuis ſancto humani alienum putetis) quid tum ipſe? in precibus omne præſidium ſibi ponendum putauit. Id ſi lubet non ex alterius quàm ipſiuſmet ore accipite. Sicut enim ſuam nequaquam neceſſitatem diſſimulat; ita præſidium quod in oratione reperit enarrat copiosè.

D. Hieronymus ſeceſſit ad intima ſolitudinis oraturus.

24 *O quoties* (inquit) *ego ipſe in eremo conſtitutus, & in illa vaſta ſolitudine, quæ exuſta ſolis ardoribus, horridũ monachis præſtat habitaculum: putabam me Romanis intereſſe deliciis. Sedebam ſolus, quia amaritudine repletus eram. Horrebãt ſacco membra deformia, & ſqualida cutis ſitum Aethiopicæ carnis obduxerat. Quotidie lacrymæ, quotidie gemitus; & ſi quando repugnantem ſomnus imminens oppreſſiſſet: nudâ humo vix oſſa hærentia collidebam. De cibis verò, & potu taceo, cùm etiã languentes aquâ frigidâ vtãtur: & coctum aliquid accepiſſe, luxuria ſit. Ille igitur ego, qui ob gehennæ metum tali me carcere ipſe damnaueram, ſcorpionum tantùm ſocius & ferarum; ſæpe choris intereram puellarum. Pallebant ora ieiuniis, & mens deſideriis æſtuabat in frigido corpore: & ante hominem ſuum, iam carne præmortuâ ſola libidinum incendia bulliebant.* En miseriæ & afflictiones, in quibus verſatus, & à quibus non leuiter tentatus fuit aliquando Hieronymus, ab eo ſat graphicè deſcriptæ. His ſuperandis quæ remedia, quas adhibuerit preces, coniunctas cum corporis voluntaria inedia, ab eodem nunc quoque accipite.

Hieron. Epiſt. ad Euſtochi. de Cuſtodia virginitatis.

25 Pergit ibidem: *Itaque omni auxilio deſtitutus, ad Ieſu iacebam pedes, rigabam lacrymis, crine tergebam, & repugnantem carnem hebdomadarum inediâ ſubiugabam. Non depudeſco infidelitatis meæ* (ſiue, vt legit Marianus Victor, *non erubeſco confiteri infelicitatis meæ miſeriam) quin potiùs plango me non eſſe quod fuerim:* ſcilicet Hieronymo, ſicut viris Deum timentibus euenire ſolet, afflictiones illæ, & blandimenta carnis, repugnante voluntate pullulantia, cos erant virtutis, & ad feruentiùs Deum adiutorem implorandum & inuocandum continuus ſtimulus. Quare quid tum fecerit enarrans, ait: *Memini me clamantem diem crebrò iunxiſſe cum nocte, nec prius à pectoris ceſſaſſe verberibus, quàm rediret Domino imperante tranquillitas. Ipſam quoque cellulã meam, quaſi cogitationum mearum conſciam pertimeſcebam; & mihimet iratus & rigidus, ſolus deſerta penetrabam. Sicubi concaua vallium, aſpera montium, rupium prærupta cernebam, ibi meæ orationis locus, ibi illud miſerrimæ carnis ergaſtulum.*

26 Ecce quomodò conſtituto in tam præſenti neceſſitate non fuerit de certo aliquo orandi loco cura D. Hieronymo, omnem tum temporis, & quemlibet, ſatis ad hoc commodum locum arbitranti. Quàm verò gratæ in tam abditis ſeceſſibus, in viis tam inuiis, inter dumeta & horrentes ſyluas, inter auium diſſonos cantus & barbara ferarum murmura, preces eius fuerint Deo, commemorare ipſe non omittit. Quare mirâ paſtus ſuauitate, & incredibili ſpiritus ac cæleſtium gaudiorũ dulcedine recreatus, ait: *Vt ipſe mihi teſtis eſt Dominus* (ecce quam legentes hæc audienteſque non fallat, qui veritatis huius teſtem Deum inuocat) *poſt multas lacrymas, poſt cælo inhærentes oculos, nonnumquam videbar mihi intereſſe agminibus Angelorum, & lætus gaudenſq; cantabam: Poſt te in odore vnguentorum tuorum curremus.*

27 Sed quid de Hieronymo in ſua ſolitudine orante nunc loquor? Ipſe Chriſtus Dominus omnis veritatis & ſapientiæ magiſter, Samaritanam mulierem dicentem: *Quia Ieroſolymis eſt locus, vbi adorare oportet*, inſtituens, ait: *Venit hora, quando neque in monte hoc, neque in Ieroſolymis, adorabitis Patrem.* Quid igitur bone Iesv, vbinam Patrem homines, ſi non Ieroſolymis,

Orationem fundi quouis loco poſſe, Chriſtus docuit.

Ioannis c. 4. v. 20.

Verſ. 21.

Verſ. 23. adorabunt? Audite quod ſubdit: *Venit hora, & nunc eſt, quando veri adoratores adorabunt Patrem in ſpiritu & veritate.* Hoc verò nullo non loco fieri poteſt: vti ipſe qui docuit, ſuo nobis exemplo oſtendit. Certè ſi Chriſtum comitemur inter mortales degẽtem, eum nuſquam non inueniemus orantem: in montibus, in ſolitudine, in mari, in ſynagogis, in agris, in horto, in menſa, in ipſo denique patibulo crucis, vbique preces fundit, & feruentiſſimas quidem, quibus nos modum orandi doceat.

Chriſtus ipſe vbique orat.

Orant vbique Apoſtoli.

28 Apoſtoli ſimiliter eo ſpiritu, quem à Chriſto Domino Magiſtro ſuo acceperant, pleni, nuſquam non orant: in carceribus, in vinculis, in nauibus, in fluminibus, in littoribus, in mari. Et, vt ad particularia veniamus, exempla enim non deſunt, in domo Simonis coriarij Petrus, in loco ſupplicij Stephanus, in domo Iudæ Saulus orauit, qui mox ex Saulo Paulus factus, & magnus Gentium Doctor, omni loco orare non tantùm ſuadet, ſed etiam iubet. *Volo*, inquit, *viros orare in omni loco, leuantes puras manus ſine ira & diſceptatione. Similiter & mulieres*: vt omnino appareat, orantes nullum debere ab oratione locum excludere, ſicut nec loco vllo excludi.

Paulus vbique orare iubet.

1. ad Timot. c. 2. v. 8.

Deum vbique orãtes exaudire magno afflictis ſolatio eſt.

29 Parit hoc gaudium magnum, parit orandi fiduciam nulli non hominum, afflicto, atque omnibus humanis deſtituto præſidiis, vel maximè, quòd vbique clamantem Deus audiat, & exaudiat. Id attentiùs perpendens Beatus Antonius rectè dixit: *Nobis transfretandi nulla ratio, in omni enim loco terrarum, conſtituta ſunt regna cælorum.* Quod non aliud eſt dicere, quàm, cùm nullus ſit tam exilis, aut vilis orbis angulus, in quo cum Deo colloqui pia ac fidelis ſponſo ſuo anima non poſſit, nullum quoque eſſe locum, in quo cum cælorum Domino non cælum inueniat.

In aduerſis prodeſt oratio.

Pſal. 54. v. 23.

30 Igitur aduerſitate quicumque pulſaris, quiſquis corporis, quiſquis animi, quo nihil excogitari poteſt acerbius, diſpendium metuis: *Iacta ſuper Dominum curam tuam.* Ipſi ſis ſupplex, funde protinus benignas preces & feruidas, ne præualeat aduerſitas importunus hoſtis & fortis, teque imparatum obruat, opprimat, perimat. Tum verò etiam euenturum tibi ſpera quod IONÆ: nimirùm, vt ſicut illi in tam certo apertoque mortis diſcrimine oratio plurimum profuit, vt hæc tutata eſt miſerum; ſic & te tuetur, tibi proſit, te ſeruet incolumem. Experieris enim, quod ait Dauid, quoniam Deus inuocatus per preces, *ipſe te enutriet: non dabit in æternum fluctuationem iuſto.* Pſal. 54. v. 23.

31 Profectò non eſt alia via, aut commodior, aut certior ad omnem felicitatem & bonum, in variis, quæ ſæpe nobis nihil minus cogitantibus obueniunt, aduerſis, in tot malis, quæ nos vndequaque circumſtant; quàm (quod ſemper cuique præſtare eſt integrum) recurrere per preces & lacrymas ad Deum, cum ſpe magna de ſingulari eius tum prouidentia, tum certè bonitate, & clementia.

Inuocandus Deus vt nobis dignetur adeſſe.

Inuocandus ergo primò vt adſit: neque ab eo inuocando deſiſtendum, donec adeſſe compertus ſit. Cùm verò adfuerit, agendæ eidem ſunt quàm maximæ, quàm ampliſſimæ gratiæ pro præſentia, ſolatio, ſubſidio. Hoc vt facerent monere ſolitus erat fratres ſuos deuotiſſimus Bernardus: *Agamus*, inquit, *gratias Patri miſericordiarum, qui nobiſcum eſt in tribulatione.*

Gratia illi agenda pro præſentia.

Bernard. in Pſal. 90

32 Et verò quis hoc non faciat libenter? quis toto pectore, obtentâ inſigni de hoſte victoriâ, ei, cuius illam beneficio obtinuit, gratus eſſe nolit? Si quis verò exiſtimet in hac mundi arena nequaquam ſibi luctandum, proindeq; poſſe obtinere ſe victoriam, atque etiam coronam ſine certamine, is mediusfidius vehementer fallitur. Vulgatiſſimum eſt, & veriſſimum illud: *Non canitur triumphus ante victoriam*; ſed nec ſine certamine vincitur. Certandum igitur, & ope Numinis vincendum, exinde coronæ & gloria.

In hoc mundo pugnandũ, vincendũ; vt ſequatur triumphus.

33 Meminiſtis credo fortiſſimum Sampſonem non niſi ex diſcerpto leone

Idẽ Exemplis oſtenditur.

ne mella gustasse; castissimum Iosephum prius à fratribus somniatorem dictum, polymitâ exutum, in cisternam veterem deiectum, necis, & quidem ab ipsis illis fratribus infligendæ, periculis expositum, triginta argenteis venditum, in seruitutem traditũ, insimulatum adulterij, pro meritis fidelitatis in ergastulum compactum, ibidem aliquamdiu delituisse inglorium: post hos demum casus, tam multos, tam arduos superatos generosè, vnius Dei & fiduciâ & præsidio, primas post Pharaonem Regem sedes occupasse, dictum totius Ægypti dominum, simul annulum, torquem, purpuram, currum regium, imperium, & cum imperio cultum, à patre & fratribus cum inuidia olim ei negatum, obtinuisse.

34 Sic etiam IONÆ nostro accidit, qui nõ nisi post infamem & horridam tempestatem, post turbatum ventis & fluctibus mare, post infensos nautas, post iratum, & in se concitatum scelestâ & malè meditatâ fugâ Deum, post prohis actam debitè tridui spatio in obscuro immanis ceti hospitio, velut fœdissimo carcere, pœnitentiam, post conceptas ibidem preces, post fusas lacrymas, post pœnitudinẽ præteritorum, post saniora consilia, sanctioraque vota nuncupata, sibi fuit & littori redditus.

35 Neque nobis aliter euenturum arbitremini: non reddemur optatissimæ patriæ nostræ, cælo, inquam, Beatorum ordinibus inserendi, nisi post victas, quæ plurimæ sunt, seculi tempestates, post bellata feliciter, quæ nobis hostibus innumeris circũseptis bellanda sunt bella; quando spoliis eorum nobilissimis diuites, &

Non indecoro puluere sordidi, Horat. lib. 2. Car. Ode 1.

exuto sago militari, pacis togam induemus, bonorum operum stellis coruscantem, non iam vltrà milites, sed victores, & triumphatores.

36 Interim hoc præstolantes animemur ad pugnam; &, vt Apostolus monet: *Certemus bonum certamen fidei;* atq; ad hoc nos acuat, quod dici solet, *Post amara sequuntur dulcia.* 1. Timot. c. 6. v. 12.

Dulcia non meruit, qui non gustauit amara. Cato in Distichis.

In pugna amara militum more gustantes; mox in triumpho victorum more, gustabimus dulcia. *Euntes ibant, & flebant* (ait Dauid de terræ cultoribus, atque idem esto iudicium de cultoribus animorum, siue propriorum, siue alienorum) *mittentes semina sua. Venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos.* Id mihi, id vobis eueniat precor, vt simul plenis manipulis, id est, onusti bonorum operum copiosis meritis, cælum petamus. Psal. 125. v. 6.



LECTIO QVARTA.

CLAMAVI DE TRIBVLATIONE MEA AD DOMINVM ET EXAVDIVIT ME: DE VENTRE INFERI CLAMAVI ET EXAVDISTI VOCEM MEAM. *Vers. 3.*

ARGVMENTVM.

Pericula esse ad orandum incitamento ostenditur. Ex IONÆ oratione depromuntur documenta varia. Examinatur tempus, & modus, quo IONAS orauit. Nonnulla multum ad orationem conferentia adducuntur, & illustrantur exemplis. IONAM & exauditum, & quia exauditus est, gratum Deo fuisse pro accepto hoc beneficio, ostenditur. Christi ad Patrem oratio proponitur. Peccator, quomodò orare, & clamare debeat ad Deum, instruitur. Fructus captiuitatis IONÆ enarratur.

Mare docet orare.

1 ERISSIMVM est, quod dici vulgò solet: *Qui nescit orare, vadat ad mare*: profectò vbi assurgentes vndas viderit, vbi iratum mare, vbi exortam tempestatem propinquum sibi minari exitium; quantumuis ineruditus, ignarus, & rudis, ac prope fari nescius, quantumuis immanis & barbarus, protinus ex tumultuantibus aquis eloquentiam combibet. Id si nuper suo exemplo docuêre nautæ, non mirum si doceat etiam suo, illis longè peritior, longè sapientior IONAS; qui cùm in naui profundè sterteret, ac ronchâ nare somnos duceret securus, parum erat de precibus, parum de subsidio diuino sollicitus: at vbi minari cœpit, illi æquè ac sociis,

Virgil. lib. 1. Æneid.

——— *Cumulo præruptus aquæ mons*; ad tantum discrimen excitatus à nautis, inualescentibus magis magisque fluctibus, & certioribus periculis, eius quoque inualuit oratio. Deinde vbi fuit in obscurum coniectus immanis belluæ ergastulum, tum verò omnes mentis, omnes corporis vires exeruit, quâ potuit contentione clamauit, obsecrauit, saluo sibi & incolumi esse vt liceret.

2 CLAMAVI (inquit) DE TRIBVLATIONE MEA AD DOMINVM. Quasi diceret: quamdiu tantum mihi imminere discriminis, tam præsentem intentari mihi necem non sensi, parum de clamore precibusque fundendis pensi habens, quæ culpa mea est, placidè satis indulsi quieti: at vbi me prope propius pressêre angustiæ, tum animi longè maximæ, tum loci huius angustissimi, in quo miser iaceo; vbi me tot sensi vallatum incommodis, simul & periculis, quæ mihi *Pericula & necessitas docent orare.*

Præsentem intentant omnia mortem; tum demum clamare cœpi. Itaque, si fatendum est, vt sic clamarem sola necessitas fecit; preces has à me, & præsentia, & quæ imaginabar mihi plura adhuc vlterius imminere mala, extorserunt. *Virgil. 1. Æneid.*

3 Extorquent quoque calamitates à nobis subinde clamores ad Deum feruentiores, suspiria, gemitus, &, quod optimum, vitam meliorem. Introite *Sodales* paulisper in interiorem domum, vos ipsos imprimis, quos nosse omnium optimè debetis, atque deinde alios, spectate: animaduertetis homine inter cupedias suas viuente in rerum omnium affluentia & deliciis, nihil flaccidum, nihil languidum magis, & velut emortuum, quoad spiritus *Calamitates docent orare.*

ritus

ritus mentisque exercitationes, collocutionemque cum Deo; ita vt orans ne ipsum quidem se audiat, aliis omnibus intentus: eodem verò, cùm pulsari cœperit aduersis, cùm premi egestate, cùm in periculis versari, nihil ardens, excitatum & viuidum magis; nihil magis sollicitum, quò benè sit illi cum Deo. Vt proinde aduersitas verè diuinus quidam ignis videatur, torporem omnem ac socordiam vsque ad consumptionem deuorans. Eademque de causa si rectè omnia perpenderimus meritissimo iure afflictionẽ, velut diuinæ magistram sapientiæ, inter bona collata nobis cælitus computabimus.

Oratio Ionæ, simul & concio, quid contineat ostẽditur.

4 Verùm priusquàm longius hoc argumento, cui paullò post commodius vacabimus, abduci me sinam, Ionam audiamus orantem; neque enim decet tam pias preces importunâ aliarum rerum narratione turbemus: attentos vos, meque cupit, qui à Deo auditus, & exauditus est. Oratio est, simul & prima eius concio, quâ inculcatũ omnibus voluit, exaudire Deum clamantes ad se. Læta sanè concio quâ tam bona de Deo, homines in necessitatibus suis clamantes exaudiente, cognoscimus: quare non esse non gratissima poterit. Amplius ergo audite: enarrabit nobis concionans & orans casus suos; neque enim hic, vt quidam volunt, inter ceteros Sanchius, tantùm prçteritæ orationis historica quçdam narratio est; sed sunt ipsissima orantis verba, quibus periculorum suorum multitudinem & magnitudinem, Dei in se munificam largitatem, amplissimum beneficium, spem quam de eius bonitate ac clementia conceperat longè maximam, denique, quam vouerat defunctus periculis actionem gratiarum, breuiter quidem, sed simul neruosè & feruenter exponit.

David & Ionas, vterque Christi patientis typus.

5 Imitatus in eo Dauidem, qui ob zelum religionis multa patiens, vti Ionas ob zelum Iudaici populi, præposterum licet, Psalmo sexagesimo octauo (è quo magnam huius orationis suæ partem Ionam deprompsisse facilè videbit; qui illum cum hac contulerit) auxilium à Deo deposcit. Porrò tam Dauid ibi, quàm hîc Ionas, Christi patientis typus fuit, cuius angustias, vota, & gemitus, vterque in se expressit ad viuum.

Documenta ex Ionæ oratione depromẽda proponuntur.

6 Nos verò hçc Ionæ oratio, quam simul concionem dixi, instituet, docebitque duo potissimùm. Alterum, quid in quauis graui necessitate, quid in maximis quibusuis periculis agendum; quàm constanter, quàm feruenter orandum, neque minùs interim laborandum fortiter, obluctandumque aduersis; ita vt cuiuis nostrûm, tum maximè, dictum illud Poëtæ esse in vsu debeat:

Tu ne cede malis: sed contra audentior ito. Virgil. 6. Æneid.

Alterum quàm diuinis beneficiis cum perpetua grati animi significatione vtendum, quàm eorum recolẽda memoria, quàm pro iis gratiæ agendæ.

Albertus Magnus in hac oratione obseruat, ostendi fidem, confessionem veritatis, animi fortitudinem, desperationis rationem, denique spem vincentem omnia, & spei causam ex boni operis ratione. Horum declarationi hic non immorabimur, exposituri suo loco quod suppeditabit propheticus sermo.

Fiducia Ionæ in hac oratione ostenditur expressa.

7 Nunc aures arrigite, iterum rogo, & cum silentio voces supplicantis excipite. Clamavi, inquit, de tribulatione mea ad Dominum: prorsus sicut Dauid sub Saule exul, desiderans restitui optatissimæ patriæ, dicebat: *Ad Dominum cùm tribularer clamaui.* Psal. 119. v. 1. Ignosce mi Iona si clamantem te, secus quàm statueram, in prima statim voce interpellem. Clamasti, & adhuc in ceto constitutus non ampliùs clamas; vrsisti liberationem tuam, neque vlteriùs vrges: an igitur istic hærere, suffocari, perire desideras? Non hoc ait: non illa eius mens, consilium, aut cogitatio est. Dum, prçteriti temporis verbo vtens, dicit *Clamaui*, secundùm Ioannem Pinedam fiduciã suam declarat, indicans quàm ex ea sciat exaudiendum se, iam inde Pineda lib. 4. de Reb. Salom. c. 12. n. 5.

ab

ab ipso orationis suæ exordio, non minùs quàm si diutissimè clamasset. Quare sine interpositione subiungit, *Et exaudiuit me*: non quòd exauditus de facto iam esset; sed quòd certò exaudiendum se sciret: ex tunc sentiens, se neque à pisce lædi, neque inter angustias, & æstuantes vteri illius calores deficere: quæ duo esse poterant argumenta conseruatæ vitæ, conseruandæque vlteriùs, certiora.

Opinio quorũdam Ionam orare & clamare cœpisse cùm cetum vidit, nec destitisse donec ab eo liberatus est.

8 Aliter D. Hieronymus & Rupertus orantis verba exponunt: secundùm hos enim, *Clamaui* dixit, non *Clamo*; quasi non tam de futuro precetur, quàm de præterito gratias agat. Quippe qui præcipitatus in mare, cùm primùm cetum vidit, mox etiam cùm se per immanes eius rictus aperto ore sorberi sensit, recordatus Domini ad eum clamarit preco solenni, neque antè finitâ, quàm se in ceti vtero velut hospitem rectè habitum esse aduertit: additâ cum in finem deinde actione gratiarum pro concesso hospitio & incolumitate seruata.

Opinio quorũdam Ionam & in aquis & in ceto clamasse etiam voce.

9 At dicet quispiam, siue inter vndas, siue intra ceti viscera, clamare quî potuit IONAS? Sicuti clamasse inter maris vndas aquis cedentibus, & dantibus voci locum, opinantur nonnulli: ita nihil quoque fuisse impedimento putat Sanchius, quò minùs id intra ceti viscera faceret; cùm nec ibi deesset, quod ad formandam vocem natura requirit; aër nimirum, cuius spiratione sonus elicitur; nec in IONA instrumenta, quibus soni effinguntur, exprimunturque cogitationes atque animi sensa: cùm præsertim constet non excidisse illi mentem vsumque rationis, sine quo nec affectu quidem clamare potuisset.

Opinio Ariæ Montani Ionam in ceto fremitum obscurum edidisse.

10 Benedictus Arias Montanus gemitum quemdam ac fremitum in ceto edidisse censet; sed perobscurum, ac ferè obscuriorem quàm illi, qui iuuenco æneo inclusi, ex Phalaridis barbara immanitate, igne supposito, vituli mugitum gementes & eiulantes imitabantur: non verò voces claras, articulatas, distinctas.

Orantem Ionã mente clamasse ostenditur.

11 Quidquid sit de sono exteriore, & contentione ac studio IONÆ ad exprimendum eum, quidquid sit de motu labiorum ipsius; hoc certum, IONAM ingenti cordis affectu clamasse ad Deum. Clamor enim secundùm Albertum Magnum notat intentionem deuotionis, cuiusmodi clamor etiam sine motione oris, labiorum, & linguæ, etiam sine sono vllo ad ipsas Dei aures penetrat; terram, aquam, aërem, cælos ipsos peruadit.

Moyses nõ loquens clamare dicitur. Exodi c.14. v.15.

12 Meministis credo Moysi solâ mente cum Deo agenti, ab eo responsum: *Quid clamas ad me?* Nosti Domine non loqui eum vel verbulum, & tamen rogas, quid clamet? videlicet ex summo cælorum iam quod clamaret audieras, tametsi mente, non ore clamaret: quod enim apud homines clamor vocisque strepitus, hoc apud te mentis animique contentio est, dicente tuo Bernardo: *In Dei auribus desiderium vehemens clamor magnus: è regione autem remissa intentio, vox submissa. Quando illa penetrabit nubes? quando audietur in cælis?* En, quo clamore opus esse vt à Deo audiamur Bernardus ostendat. Maximo sanè: vt qui ex imo pectoris, & vehementi desiderio, ex feruore caritatis atque intimo amore prouenire debet. Nam, vt ait diu ante Bernardum S. Gregorius: *Aeternam vitam, si ore petimus, nec tamen corde desideramus, clamantes tacemus.*

Bernard. ser. 16. in Psal. 90. Qui habitat.

Clamor mẽtis quis vocetur.

Gregor. in Moral.

Ionas voce & mente clamauit; mente tamen potissimùm.

13 Ad IONAM vt reuertamur, quid ni dicamus eum ingenti vocis ac laterum contentione, simul ingenti desiderio mentisque studio clamasse? quemadmodùm esse mos solet iis, qui magnâ & turbulentâ tempestate iactantur in mari. Certè cùm esset *in tribulatione*, vel, vt ex Hebræo propriè vertit Pineda, *in angustiis*, omnem animi & corporis contentionem, quantum licuit adhibuisse verosimile censeo. Quemadmodùm dicitur per Baruch Prophetam: *Anima in angustiis, & spiritus anxius clamat ad te.* Quamuis potissimùm mente clamasse, vt Beatus Zeno Veronensis Episcopus cum ceteris auctor est, nõ inuitus agnoscam.

Pineda in Salom. præuio lib. 4.

Baruch c. 3. v. 1.

14 Quod

Orandum ardenter & efficaciter.

14 Quod fecit afflictus Ionas, omni tempore faciat Christianus: vos verò potissimùm, qui in humanis aliquid supra vulgus sapitis, ostendite vel sic, etiam aliquid amplius vos sapere in diuinis: & magis quàm vlli, fundite ad Deum supplices preces, ardentes, efficaces, quæ insitam redoleant pietatem, neque tamquam voces inanes aërem feriant; ne audiatis aliquando, quod audiuêre à Christo Domino Scribæ & Pharisæi: *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me.*

Marci c.7.v.6.

Paulus & Dauid quo pacto orarint.

15 Præiuit & viam ostendit Paulus vas electionis. En quomodo se ille ad precandum disponat: *Orabo*, inquit, *spiritu, orabo & mente: psallam spiritu, psallam & mente.* Sic prorsus agendum, secundùm vetustissimum sapientissimi Regis exemplum, de seipso dicentis: *Clamaui in toto corde meo, exaudi me Domine.* En actum tuâ dignum sapientiâ, dignum prudentiâ Dauid. Quàm benè fecisti, quòd cùm exaudiri velles clamaueris, magno inquam affectu, atque ex intimis cordis tui penetralibus suspiraueris ad Deum: sciebas à quo tibi obuenisset regnũ atque omne bonum, & à quo maior adhuc exspectanda tibi esset felicitas; &, quod caput est omnium, felix æternitas. Huic ergo factus supplex, clamas vt audiare, certus languidam vocem languidè ac lentè à Deo suscipi, clamorem libenter, & non cunctanter admitti.

1. Corint. c.14. v.15.

Psal.118. v. 145.

Ionas orans exauditus est.

16 Ionas quoque, quia ardens fuit eius oratio, & non vox tantùm, sed clamor, à Domino auditus est, & benignè susceptus, cum illo etiam in gratiam rediens, salutem & vitam obtinuit; secundùm quod ait, tanti beneficij memor: Et exavdivit me. Propriè ex Hebræo dicendum putat Ioannes Drusius, *& respondit mihi:* gratam videlicet habens, acceptamque petitionem meam.

Inter homines, is, qui necessitate aliquâ pressus, alienum implorat auxilium, tamdiu clamare consueuit, dum sit qui respondeat, atque ita clamorem suum exauditum intelligat. Prorsus ita nobis cum Deo agendum: clamandum constanter, donec pro sua benignitate respondere nobis, nòn verbo sed opere dignatus, auditos nos, exauditosque cognoscamus.

Enimuerò quid iuuat clamor, si non est qui clamantem audiat, & exaudiat. Clamare, nec audiri, noua quædam clamanti pœna est: hanc tãquam extremum malorum omnium comminatur rebelli populo per Isaiam Dominus, dicens: *Cùm extenderitis manus vestras, auertam oculos meos à vobis: & cùm multiplicaueritis orationem, non exaudiam.* Ne & in hanc pœnam suppliciumque, quo nullum atrocius & grauius est, incidamus etiam nos aliquando, magno nobis conatu laborandum; sic nimirum clamando vt exaudiri mereamur.

Isaiæ c.1. v. 15.

17 Exaudiri meretur, *qui*, vt loquitur Dauid, *habitat in adiutorio altissimi*: id est, in altissimo ita firmam constantemque fiduciam locat; vt quasi domum quamdam in eo sibi construat, in qua habitet, & quiescat; quam etiam testudinum more, quocumque ierit, secum circumferat: tunc enim illi haud dubiè eueniet, quod eiusdem Prophetæ ore promisit Dominus, dicens: *Clamabit ad me, & ego exaudiam eum.* Porrò quàm impleuerit quod ibi promiserat, satis ostendit in Iona nostro, illi iam destituto subsidio omni, statim cetum mittendo, qui esset pro domicilio, pro tecto, pro vehiculo, qui vnus cunctis eius necessitatibus subseruiret. Quod tam illustre beneficium hic lubens meritoque agnoscit; & pro eodem gratias agens, tamquam illius perpetuò memor futurus, sępius, variatâ verborum formulâ, benefactoris sui, Domini sui, patris sui munificentiam deprædicat. Et quasi non sufficiat ad commendationem eius, à quo tantum acceperat beneficium, id semel enarrasse; resumit, repetit, inculcat iterum, & tertiò: nimirum vellet id aliorum infixum mentibus æquè profundè ac suæ; vt nemo sit, qui non optimè de Deo, eius benignitate, liberalitate, clementiaque sentiat; secundùm

Orans cum fiducia exaudiri meretur.

Psal. 90. vers.1.

Ibidem vers 15.

Ionas exauditus quia cum fiducia orauit.

Ionæ gratitudo pro eo quòd sit exauditus exprimitur.

Sapient. c.1.v.1. cundùm illud Sapientis: *Sentite de Domino in bonitate.*

18 Arbitror planè IONAM, suâ illâ verborum geminatione; ac multiplici acceptorum beneficiorum nobis inculcatâ memoriâ, dicere aliud noluisse, quàm: Nolite exiguum, aut vile arbitrari beneficium quod accepi: dixi exauditum me in tribulatione, verùm ne putetis me leuiter exauditum. Sicuti non leuis tribulatio fuit, quæ me coangustabat vndique; sed longè maxima & grauissima: ita maximum fuit, & quale numquam apud homines auditum, beneficium, quod accepi. Nam, vt noueritis quo in statu fuerim, perpendite verba mea.

Ionas non orauit ex Inferno Deum. 19 Dico, & Deo teste dico, DE VENTRE INFERI CLAMAVI, ET EXAVDISTI VOCEM MEAM. Iis, qui post naufragium luctantur cum fluctibus maris, esse adhuc potest euadendi spes aliqua; vel natando, vel tabulam arripiendo, vel scopulo alicui adhærendo: sed qui in infernum, vel sepulchrum detruduntur, omnem salutis spem prorsus abiiciunt: sic IONAS, in naui sæuissimâ tempestate iactatus, vel in mari fluctuum ferociâ territus, clamare ad Dominum cogitur: at videns se in ceti ventre, tamquam in inferno, conclusum, vbi omnis euadendi via sublata, quid speret? Mirum omninò quod non prorsus animum despondeat; sed quò certiora pericula, eò intensioribus & magis validis clamoribus Dei opem vehementiùs & ardentiùs imploret, etiam in iis sperans subsidium.

Sed quid est quod hic dicitur! Ergóne in infernum IONAS viuus descenderat, ablegatus in illum locum damnatorum vbi *nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat*? Nequaquam: quia in inferno nulla est redemptio. ob c. 10. ers. 22.

Vult Paulus Palatius eum arbitratum, cùm esset in ventre ceti, se in ventre inferi delitescere, Deo ipsi reuelante, quod propter culpam suam ventrem inferi mereretur in pœnam. Et certè tam erat aspectus huius piscis horribilis, tanta in eius ventre vastitas, tam densæ tenebræ, tam crebri terrores, tam nullum effugium, nullus exitus, denique tam certa exspectatio mortis & interitus; vt (quemadmodum rectè à Ioanne Fero dictum) IONÆ idem fuerit ac si in inferno esset. Quare *de ventre inferi*, quem sum culpâ meâ commeritus, & in quo miser hæreo, *clamaui*, inquit, & tu Domine eius, qui infernum suâ iniquitate meruit, orationem audisti. Quæ iustissima causa est, huius meæ gratiarum actionis, & debitæ laudis, quam diuinæ Maiestati tuæ totis medullis cordium impendo. *Ceti venter quomodo Ionæ fuerit tamquam infernus ostenditur.*

20 Benedictus Arias Montanus, & Ioannes Mariana, *ventrem inferi* sepulchrum interpretantur, more loquendi Hebræis vsitato; quo etiam olim dictum à Iacobo Patriarcha filiis suis, cùm de adducendo in Ægyptum Beniamino inter eos natu minimo, mandatum accepissent à Iosepho, istic exercente imperium, fratres reliqui, illudque adimplere satagerent, non sine sensu patris: *Si tuleritis & istum & aliquid ei in via contigerit, deducetis canos meos cum mærore ad inferos*; id est, mœstus moriar, & sepeliar. Imaginabatur quippe IONAS ventrem ceti velut sarcophagum, aut sepulchrum, seque lege communi iam mortuum, in eo velut in tumulo iacere, ac tantùm singulari vnius Dei beneficio istic viuere. Neque incongruè, vt ait Montanus, ventrem piscis sepulchrũ dixit, cùm sepulchralis fornicis non speciem tantùm, sed & vsum ei præbuerit, aliis sepulchro conditis non absimili, nisi quod ipse viuus, ceteri in sepulchrum suum non nisi mortui inferantur. *Ceti venter Ionæ fuit velut sepulchrũ.* Gen.c.44 v.29.

21 Verùm magis appositè & ad litteram D. Hieronymus, Cyrillus Alexandrinus, Theophylactus, Remigius Antisiodorensis, Hugo Cardinalis, Dionysius Carthusianus, Franciscus Ribera, Emanuel Sà, & plerique tam veteres quàm recentiores, *ventrem inferi* ipsum quidem ventrem piscis interpretantur; sed sic dictum per hyperbolem, ob ingentem magni- *Venter ceti ob ingētem profunditatē & magnitudinem venter inferi dicitur.*

magnitudinem, profunditatem, obſcuritatē, denſaſque tenebras ac horrorem. Pro eo quod nos legimus *de ventre inferi*, Chaldæus vertit, *de infima abyſſo*. Quia verò apud inferos dolores ſunt maximi, cruciatus, pœnæ, luctus, comploratio, eiulatus, queſtus, dentium ſtridor & horror; Rochus Mamerotius, cum Propheta ventris inferi meminit, exprimere eum voluiſſe autumat, dolorũ & gemituum acerbitates, quas in ventre piſcis latitans ſuſtinere debuerit; etiã ibi niſi diuinitus ſeruaretur, periturus, quarũ cauſa tantoperè, vt antè diximus, clamarit.

Iob, Dauid, Ionas, de ventre inferi, quomodo ſe liberatos agnoſcant. Iob c.17. v.13. Pſal. 29. v. 4. Pſal. 85. v.13.

22 Neque aliter Iob in miſeriis ſuis, illis vndequaque vallatus & circumdatus, dicebat: *Si ſuſtinuero, infernus domus mea eſt.* Et Dauid non ſemel ſibi, quod ab inferno liberatus, ſit gratulatur hoc modo: *Eduxiſti*, inquit, *ab inferno animam meam.* Et iterum: *Eruiſti animam meam ex inferno inferiori.* vt mirum videri non debeat, dicere IONAM ex ceto Deum deprecantē, illiſque pro conſeruatione in illis tantis anguſtiis gratias agentem, clamare ſe de ventre inferi. Nam, vt hoc iterum, ſed verbis Theodoreti dicam: *Cùm fera hæc mortifera ſit, lege viuentium Ionas mortuus erat: at ſolâ gratiâ viuebat.*

Quomodo peccator clamare debeat de ventre inferi. Bernard. initio Soliloquiorum.

23 Clamare ſe etiam de ventre inferi in Soliloquiis ſuis profitetur quàm demiſſiſſimè S.Bernardus: profiteamur & nos, & cum illo dicamus: *In lacu miſeriæ, & in luto fæcis, iam penè putrefactus, & in limo profundi infixus, in quo non eſt ſubſtantia, de profundis dolorum meorũ ad te clamo Domine, Domine exaudi vocē meam. Nec in lacu, nec in luto, nec in limo ſubſtantiam Domine inuenio, cui innitar vt exeam, quam apprehendam vt extrahar. Lacus inferni non habet fundũ, niſi deſperationis profundum. Lutum fæcis, corruptio naturæ, quo ſemper mergat habet, per quod reſurgam non habet, imò impedit & obligat. Limus profundi, amor carnis, ima ſemper eſt petens, & inſatiabilitatis profundũ iuſto iudicio tuo tenet me infixum. Sed ô Domine abyſſus abyſſum inuocat, abyſſus profundiſſima miſeriæ meæ, abyſſum altiſſimæ miſericordiæ tuæ. Quærens ſubſtantiam cui innitar, quam apprehendam nullam vnquam inuenio, niſi in te; qui verè certa & ſolida es ſubſtantia, non niſi ex te ipſo ſubſiſtens, à quo quæ ſunt omnia habent eſſe*; habemus & nos. Quare non confugiamus ad alium quàm ad eum à quo eſſe noſtrum accepimus, qui & ſeruabit nos.

In oratione perſeuerans Ionas plura à Deo beneficia impetrat.

24 Ad IONAM quod attinet, nullũ eſt dubium, quin non tãtùm cùm mitteretur in mare; verùm etiam cùm ſe intra belluæ ventrem eſſe ſenſit, minimùm tam diu donec aliquouſque perfunctus periculo, certum de libertate ſaluteque ſua reſponſum accepit diuinitus, orationi, vt ſuprà monui, intentum, in clamore, mentis ſaltem, ſi non vocis, perſtitiſſe. Porrò ſicut ipſe in eo, atque in precibus; ita in benignitate ſua, & erga clamãtem ad ſe clementia perſtitit Dominus. Nam cùm primùm hauriendus fluctibus mitteretur in mare, benignè ab eo auditus eſt clamãs; piſce idcirco fortè magis properante, qui adinſtar nauis prætereuntis exciperet naufragum, & ſeruaret. Deinde cùm de ventre piſcis clamaret, auditus lõgè videtur benignius, accepto ibidem diuino oraculo de inſtante liberatione incolumitateque futura. Quare mox reſumptis animis, atque à dolore ac gemitu conquieſcens tãtiſper, quã ſit in Deum erectus ſpe manifeſtè declarans, ait: *Verumtamen rurſus videbo templum ſanctũ tuum.* Verſ. 5.
Et paullò pòſt: *Subleuabis de corruptione vitam meam.* Verſ. 7.
Demum velut de felici peregrinationis ſuæ termino iam certior, in actione gratiarum voto preces ſuas clamoremq; concludens: *Ego* (inquit) *in voce laudis immolabo tibi: quæcumque voui, reddam pro ſalute Domino.* Verſ. 10.

Clamare ad Deum illumq; orare, debent boni & mali.

25 Percunctari veſtrum quiſpiam à me forſitan poſſit, quid ſibi velit illa iterati clamoris inſinuatio? cur, inquã, IONAS ſecundò, & quidem tam ſedulò, inculcet nobis clamorem ſuum? Primò ait: *Clamaui de tribulatione mea ad Dominum.* Deinde idipſum reſumẽs, vix verbo vllo interpoſito, addit eodem illo verſu: *De ventre inferi clamaui.* Dicam: audire nos, atque obſeruare

A a non

non segniter cupit, magnum aliquid non esse, quòd clamare ad Deum homines probi & sancti audeant, quodque audiantur; cùm id ipse quoque audeat existens peccator, & audiatur: neque Ierosolymis tantùm, in æde illa Deo sacra, communi totius orbis perfugio, vbi sunt quotidiana sacrificia & preces; vbi est omnium ordinum concursus, vbi miserorum perpetuum asylum, vbi propitiatorium, vbi Deus sedens super Cherubim: sed in ventre piscis, imò in ipso ferè constitutus inferni vmbilico. Ex quo discamus & nos, licet in fœtentem scelerum cloacam nostrâ culpâ simus coniecti, suspirare ad Deum; cùm sit nemo tam proiectæ vitæ, nemo tam agrestibus moribus atque incultis, nemo tam abiectus in Dei diuinorũque contemptum, qui non erigi possit in spem vitæ melioris suaui quodã ad eum recursu: nemo, qui quantumuis æger, accedens ad perennem bonorum omniũ fontem, haustaq; ibidem cælestis gratiæ aquâ, non possit vires recipere, atque incolumitati restitui.

Ionas docet orans Dei in peccatores supplices misericordiam.

26 Imaginemini igitur adesse vobis Prophetam nostrum, & dicere: Vidistis quàm anteà in me rigidus fuerit, quàm atroces à me pœnas exegerit Deus; cùm, sanctissimo eius reluctans imperio, latebras quæritans fugi: videte etiã nunc, quàm in me sit benignus, misericors, clemens, cùm eum inuoco, delicti veniã peto, iudicẽ simul & patrẽ agnosco, atque ita ad sinũ eius paternum cõfugio. Testor sanè, testaborque sẽper, quod toties testatus est Dauid: *Quoniam in æternũ misericordia eius.* Hanc vt vos etiã experiamini in vestra est manu: tantùm ei estote supplices, & vota votis, preces precibus cumulate.

Psal. 135. omnibus versibus, & singulis.

Christi ad Patrem suum clamor, eiusq; vis & efficacia ostẽditur.

27 Audio, & alterius cuiusdam verè lacrymabilem vocẽ, æquè, imò multo amplius illâ IONÆ, aures meas ferientem. Est hæc alicuius de tribulatione sua, non minùs quàm IONAS de sua, ad Dominum clamantis: *Erue à framea Deus animam meam: & de manu canis vnicam meam.* Quis ille? non alius quàm IESVS Christus Dei filius, mundi Seruator, qui Lazarum quatriduanum, fœtentem, iacentemque in tumulo, suscitaturus dicebat Patri suo æterno: *Pater gratias ago tibi, quoniam audisti me. Ego autẽ sciebam, quia semper me audis:* quique deinde clamans de cruce ad Patrem, ab eo *exaudiri meruit pro sua reuerẽtia*: &, tametsi fuerit mortuus, mãsit nihilominus inter mortuos viuus, & in inferno liber; secundùm quod dixerat per os Dauid, tot antè seculis: *Nõ relinques animã meam in inferno nec dabis sanctũ tuum videre corruptionẽ.*

Psal. 21. vers. 1.

Ioan. c. 11. v. 41.

Psal. 15. v. 10.

De tribulatione sua cuiuis ad Deum clamandum est.

28 Numquid & nos etiam clamare de tribulatione nostra oportet ad Dominum? De nostra tribulatione, illa dico, quâ iure optimo affligimur, & torquemur. De nostra tribulatione, quam, dũ cupiditatibus nostris morẽ gessimus, nobis vltrò accersiuimus. De tribulatione nostra, cuius ipsi auctores sumus; nam *Perditio tua Israel:* tametsi propè ad ventrẽ inferi descenderimus, id est, venerimus ad profundum malorum; tametsi, animi non minùs quàm corporis pericula atque angustias passi, imminentem nobis, ipsis velut in foribus mortem spectemus. Sẽper enim, quamdiu esse voluerimus filij, Deum nobis patrem inueniemus; qui licet ex scelere vno in aliud labi subinde miseros sinat, & vt finis vnius mali alterius sit exordiũ patiatur; patrem tamen semper agit; dum nos, ne pereamus, tutatur & seruat, atque ita aduersitatibus erudit, & propriorum agnitione delictorũ, grauium licet ac periculosorum, instituit; vt simul infirmitatẽ nostram & facinorum grauitatem videamus, agnoscamus, detestemur; simul etiam confundamur, & emẽdemus quod peccauimus; fiamusque in sancto Domini nostri famulatu hac ratione vegetiores, alacriores.

Osee 14. v. 9.

Deus nobis semper est pater, quãdiu nos esse volumus filij.

Dauid & Petrus de ventre inferi clamarũt, & exauditi sunt.

29 Dauid Rex ab adulterio in homicidium, Petrus Apostolorũ Princeps à sua nimia præfidentia in tertiò repetitam negationem lapsus, numquid meritò in ventre inferi fuisse dicentur? cùm nihil ipsis esset reliquum, quò peccatorum vinculis soluti, ab æterna morte liberarentur, atque ex carcere

cere suo, velut ventre inferi prodirent, quàm quod IONÆ fuerat *Clamare ad Dominum.* Id fecit vterque, fecit voce, fecit & lacrymis. Dauid quidem, cùm ait: *Lauabo per singulas noctes lectum meum: lacrymis meis stratũ meum rigabo.* Petrus verò, quando *egressus foras, fleuit amarè*: & paucis illis lacrymis non contentus, in eas de nouo quotidie ad gallicinium, facti sui memor & pœnitens solutus est quamdiu vixit: vti antiquiores & grauiores Patres memoriæ prodiderunt.

Psal.6.v.7

Mat.c.26. vers.75.

Peccator manens in peccatis est vt Ionas in ceto manens.

30 Et verò quid interest inter IONAM in ceto hærentem, & peccatorem in scelere? prorsus nihil. Illum, si diutiùs ibi maneret hospes, secundùm communem naturæ cursum ac legem, belluæ calor concoqueret; hunc in peccato manentem, nisi vis pœnitentiæ euomeret, procul dubio paullò pòst tartareus ignis exureret, suumque in pabulum reseruaret.

31 Non vos fugit, opinor, tribulationum, quibus viri etiam sanctissimi premi solent interdũ, fructus magnus & multiplex. Vnum è multis mecum, si lubet in IONA perpendite. Is, vti hac ipsâ Lectione monui, cùm adhuc esset liber, extra vincula & carcerem, neque adhuc ferientis Dei manum sensisset; putabat posse à se quodammodò eludi eius mandata & minas. Quare nec de peccato suo, nec de precibus, nec de voto nuncupando cogitabat; viuebat verò, agebat, dormiebat securus: mox verò vbi arctatus fuit angustiis, angustior quoque facta est anima eius, timere cœpit, palpitare cœpit pauidis terroribus; simul etiam ad se redire, peccatum suum cogitare, recogitare, iterum iterumque ac sæpius peruoluere, & apertis paulatim amplius mentis oculis, quid anteà egisset peruidere: ac tum demum suspirare, gemere, clamare, totus ad preces & vota conuerti, nouum animum induere, veteres fugæ curas seponere, voluntatem suam cum diuina conformare velle, illi in omnibus subesse.

Fructus carceris & captiuitatis Ionæ in ceto.

Prosperitatis mala, in quibus præcipuum superbia.

32 Idem ferè nostrorum omnium est genius, hæc natura filiorum Adam: efferri solemus prosperis, illis efferuescere, insolescere, more ferocientium equorum, quos nondum labor aratri edomuit, regi flectique nolle, in propriam lubentiam omnemque licentiam proni ferri, velut impetu vno, aliorum dictis, factisque non commoueri, diuinæ iustitiæ seuerissimis legibus, vindictæ exemplis nequaquam terreri, quæcumque aliis aut euenêre, aut euentura nunciantur, in risum iocosque conuertere; quoad vsque mutatis paulisper vicibus, nos ipsos aliqua etiam aduersitas presserit. Tum verò noua rerum facies exoritur, mutari color incipit, vultus pallescere, suboriri metus, & tandem aliquando serium aliquid cogitare aggredimur, qui anteà præter nugas, iocos, & facetos lepores nihil.

Aduersitas & vexatio dat intellectum.

33 Quis hęc attentiùs perpendens, & maturiùs considerans, non protinus videt, quàm nobis per deuia vagãtibus & errantibus, expediat his aduersitatum catenis velut in viam retrahi interdũ, & arctiùs vinciri; quando iis soluti sine modo lasciuimus. Multis certè vexatio intellectum dedit, audeo dicere & salutem. Nam, vt B. Chrysostomus ait, in illud Pauli, *Tribulatio patientiam operatur: Sicut siluestres aues cicurantur caueâ, equi indomiti freno, canes loro; sic per tribulationes homo, aliàs incompositus & indomitus, fit mitis, patiens, flexilis, obediens Deo.* Quàm igitur alacri animo quæuis est excipienda aduersitas, instar gnaui agricolæ nostram patientiam, velut incompositam & infrugiferam tellurẽ exercens; vt culta hoc nouo quodammodo vomere, vberem meritorum segetem, & æternæ vitæ fructus copiosos quandoque producat.

Chrysost. in B. Pauli ad Rom. c. 5.

Aduersitas æquo animo admittenda.

Dauid in aduersis quomodo se gesserit.

34 Nemo fuit magis probatus per omnia, aduersa æquè ac prospera, Rege Dauide: ab eo igitur, qui expertus loqui potest exquirenda consilia, sumenda sunt rerum agendarum exempla. Ipse tantus vir tamque eximius, suggerens nobis efficacem rationem, quâ ad intimiorem coniunctionem, & quamdam cum Deo familiarita-

tem aucupandam prouocari se sensit: *Tribulationē*, inquit, *& dolorem inueni*: an hæc via ad familiaritatē cum Deo? Dicito nobis, quæso, quid inuentâ tribulatione & dolore consilij ceperis, quid egeris? hæc inuenire non magni laboris est; etiam non quæsita nos ipsa inueniunt, & sæpius quàm velimus inueniunt, atque imparatos inuadunt. Tuum Rex sancte consilium exquirimus, & scire vehementer optamus, quid nobis agendum tum temporis, vt illis, quæ nos ampliùs pressura videntur, ingruentibus malis, animo prorsus deiecti non simus. Exponens quid ipse egerit, & quàm feliciter, aptissimam simul idem præstandi nobis rationem suppeditat. Ad me, inquit, quod attinet *Nomen Domini inuocaui*, & benè mihi exinde fuit. Nam in ipsa etiam seculi prosperitate, inter commoda & delicias regias, aduertens me peccatorum funibus circumdatum, mortis doloribus, inferni periculis expositum, cùm gemens *nomen Domini inuocaui*; & dixi, *O Domine libera animam meam*, totum quod volui obtinui: sumque consecutus, non modò liberationem ab iis, quibus premebar, & quæ metuebam imposterum, malis: *Quia eripuit animam meam de morte, oculos meos à lacrymis, pedes meos à lapsu*: verùm etiam repletus sum bonis, & exinde Deo meo tam in me munifico arctiùs adhærere cœpi, illique placere ampliùs studui, & studebo. Huc spectat quod ait: *Placebo Domino in regione viuorum.*

Psal. 114. vers. 3.

Psal. 114. v. 3. & v. 4

Vers. 8.

Vers. 9.

Quomodò se gesserit Petrus.

Quod fecit Dauid, hoc fecit & Petrus, tribulationem inueniens & dolorem. *Ambulabat* ipse *super aquam, vt veniret ad Iesum. Videns verò ventum validum, timuit: & cùm cœpisset mergi, clamauit dicens: Domine saluum me fac.* Ad quam precationem & clamorem, *Iesus extendens manum suam, apprehendit eum:* sicque factum est, quemadmodum ait S. Zeno, *vt profundi maris lubricos sinus insubditaq. humanis gressibus liquidi aquoris terga, quibus viator trepidus absorbebatur, & perambularet pariter, & euaderet.*

Mat. c. 14. vers. 29.

S. Zeno sermone de Iona.

35 Quod Dauid, quod Petrus fecerunt, hoc ipsum fecisse IONAM suprà ostendimus. Clamauit namque de tribulatione sua ad Dominum, & exauditus est. *Clamauit*, inquit Gregorius Magnus, *ad Deum de ventre ceti, de altitudine maris, de profundo inobedientiæ, & ad aures Dei oratio illius peruenit, qui eum eruit à fluctibus, eripuit à bestia, absoluit à culpa.* Monens deinde quid nos facere oporteat, subdit: *Clamet & peccator, quem à Deo recedentem cupiditatum tempestas contriuit, quem malignus hostis absorbuit, quem præsentis seculi fluctus inuoluit, agnoscat se esse in profundo, vt ad Deum sua perueniat oratio.* Ita faciamus: audiet Deus precantes, & exaudiet, efficietque vt dicere possimus non minùs verè quàm IONAS, aut Dauid: *De ventre inferi clamaui, & exaudisti vocem meam. Domine eduxisti ab inferno animam meam: saluasti me à descendentibus in lacum.* Nam admodum benè nobis conuenit illud, mihi certè imprimis: *Nisi quia Dominus adiuuit me: paullominùs habitasset in inferno anima mea.* Liberati ergo à Domino, & exauditi, ita eum deinceps quoque audiamus iubentem, vt ab eius mandatis ampliùs non recedamus. Et quoniam nec hoc præstare sine gratiæ ipsius auxiliis possumus, cùm dicat: *sine me nihil potestis facere*: clamemus cum Augustino: *Da quod iubes, & iube quod vis.* Quia verò nihil iubebit, quod non suæ sit placitum Maiestati, certi vicissim erimus, si, quod iusserit ipse, fecerimus, nihil nos fecisse quod eius displiceat Maiestati. Vnus hoc rogo, optemus & conemur omnes, omnes,

Quomodò Ionas.

Greg. in Psal. 6. Pœnitent.

Quomodò Christianus quiuis se gerere debeat.

Psal. 29. vers. 4.

Psal. 93. vers. 17.

Ioannis c. 15. v. 5.

LECTIO

LECTIO QVINTA.

ET PROIECISTI ME IN PROFVNDVM IN CORDE MARIS, ET FLVMEN CIRCVMDEDIT ME: OMNES GVRGITES TVI, ET FLVCTVS TVI SVPER ME TRANSIERVNT. *Verſ.*4.

ARGVMENTVM.

IONÆ in ceto exiſtentis calamitates, pericula, itinera recenſentur. Mala pœnæ à Deo immitti etiam in hac vita, exemplis probatur, & cauſæ cur hæc fiant redduntur. Chriſtus in Paſſione, IONAS in ceto, peccator in ſuis peccatis, clamantes ad Deum proponuntur. De miſero ſtatu peccatoris, deque gratitudine, quam, dimiſſis ſibi peccatis, Deo debet, agitur.

Ionas dat cauſam cur videatur ereptus è faucibus mortis à Deo.

1 GGREDIMVR Cantici IONÆ partem alteram; quâ rationem reddit, cur mortis faucibus ereptus, aut potiùs eductus de tumulo, videri meritò poſſit: quia nimirum ita fuit in mediũ pelagi deuolutus, vt nullum quaquaverſus pateret effugium; ſed morte omni momento eius obuerſante oculis, ac minante interitum, magis cẽſeri potuerit mortuus, imò in ceti ventre iam ſepultus, quàm viuus. Atque hoc indicat vocula *Et*, quæ non, vt ait Ioannes Druſius, tamquàm copula redundat; verùm, quemadmodùm notauit Gaſpar Sanchius, ponitur velut cauſalis.

Calamitates ſuas ad longum refert, vt beneficium conſeruationis quãtum fuerit conſtet.

2 Porrò dum extremi diſcriminis, quod adiit, rationem hic reddit, ſimul aliorum omnium quæ ſubiit periculorum multitudinem, ac magnitudinem nobis exponit: vt illorũ pleniore cognitione perceptâ, Dei in eius conſeruatione beneficiũ maius appareat & illuſtrius, atque omnino tale ab omnibus cenſeatur: cùm non ſit dubium, quin quò fuerit calamitas maior, eò maius ſit beneficium ab ea liberũ fieri & immunẽ. Fuit IONÆ calamitas maxima, maximum ergo beneficium liberatio. Enimuerò quod maius adire & certius vitæ diſcrimen quis poterat illo, quod hic adiſſe ſe recenſere pergit, dicendo.

3 PROIECISTI ME quaſi vilem, inquit Albertus Magnus, & mandata contemnẽtem tua, IN PROFVNDVM. neque hoc tantùm; ſed inſuper IN CORDE MARIS: acſi dicat, non ſufficit profundum, quod eſſe circa littora alicubi poterat; ſed longè ab arida me proieciſti, vt ibi, mediis obrutus fluctibus, viderer ſpe omni interius exteriuſque deſtitui. Prorſus quemadmodum Dauid (à quo magnam orationis ſuæ partem, atque hunc ipſum verſiculum videtur IONAS mutuatus, ſi non tam verba quàm rem & ſenſum ſpectemus) dicebat: *Infixus ſum in limo profundi; & non eſt ſubſtantia.* Pſal. 68. verſ. 2.

Calamitatis ſuæ magnitudinẽ Ionas ex quatuor capitibus oſtendit.

4 Quatuor argumẽtis potiſſimùm, probare calamitatis ſuæ acerbitatem, ac miſeriarum quas patitur magnitudinem, mihi IONAS videtur.

Primò, cùm *Ventrem ceti*, in quo triduo latuit, ob profunditatẽ, tenebras, fœtorem, horrorem, aliaquẽ incõmoda grauiſſima & maxima, quæ ſupra recenſuimus, *Ventrem inferi* appellat.

Deinde, cùm illam pelagi partẽ, in quam fuit vel à nautis pręcipitatus, vel potiùs à ceto delatus, vocat *profundũ*, adeoque tantis obnoxium periculis; vt quidquid in illud coniectum fuerit, extra ſpẽ omnem opis humanæ videatur. *Proieciſti me*, inquit, *in profundum*, è quo nimirum mihi nullũ ad aſcenſum amplius conſilium, nullũ auxilium eſt.

Tertiò, cùm non ad littus aliquod aut promontorium, non ad vicinam, nauium in anchoris alicubi iacentium, ſtationem; ſed ad ipſum pelagi meditullium, vbi profundiores vndæ, certius periculũ, incertior ſalus, deiectum ſe dicit; nẽpe in ipſo *corde maris*.

Denique cùm ait, creſcentibus ſemper periculis, ſe in medio mari, exiſtentem inter vndas ipſas, æſtum ſen-

sensisse rapidissimum; adeò vt ex fluctuum collisione, perpetuisque circumstrepentium aquarum tumultibus, non tantùm timeret, sed iam prope conclamatum crederet. Hoc est quod non obscurè insinuat, dicens:
Vers. 4. *Omnes gurgites tui, & fluctus tui super me transierunt.* Non tamen idcircò desiit conuerti ad Dominum, facilè arbitratus liberationẽ suam è tantis angustiis, & necessitate extremissima, si sic loqui liceat, maiori Dei gloriæ seruituram.

Ionas cum Deo candidè agit.

5 Videtis quàm pericula omnia, quæ IONAS incurrit, ipse detegat! quàm nullos casus aduersos celet! quantâ fiduciâ cum Deo loquatur! Haud dubiè magno in periculo, parique in metu est, quem à lateribus circumdant flumina; in maiori super cuius caput gurgites transeunt; in maximo, cùm aquæ non iam ampliùs transeunt, sed super caput alicuius manent, illudque operiunt. Hoc sibi accidisse cùm referat, apparet quid de periculis illi continuò impendentibus, adeoque præsente omni velut momento morte, sit sentiendum.

Agit oratoriè & efficaciter.

6 Magnâ mihi hic industriâ & arte plus quàm oratoriâ vti IONAS videtur, cùm casus suos sic aggrauat, & pericula sua tam recenset copiosè, vel eo modo iratum iudicem ad misericordiam permoturus. Ac si supplicans dicat: Tu Domine, quòd me pelago mergi iusseris, rectè factum est, merebar enim hanc pœnam, & grauiorem. Interim spero iterum videre te: tu me occidis, spero quod & viuificabis; tu me affligis & dignis castigationibus exerces, ego te laudo & glorifico, te toto corde, mente, corpore benedico, & spero quod benedicam in secula. Auge dolores meos, pœnas pœnis, afflictiones afflictionibus, flagella hæc, quæ mihi immittis, nouis flagellis accumula, etiam, si placet, occide. Interim oculi mei semper erunt ad te, cor meum in te, spes mea de te tuaque bonitate & clementiâ. O quem, tametsi caucaseum, tam piæ, tam humiles, tantâ nixæ fiduciâ, supplicationes non moueant! & si facilè homines moturæ videantur, quomodo non benignissimum Dominum, optimum Patrem, Deum misericordiarum & totius consolationis ad clementiam inflectant. Benè orasti, & dignus exaudiri fuisti mi IONA, apud Deum præualuisti: paullò pòst etiam præualebis apud homines. Apud Niniuitas Oratorem ages, & perorabis non minùs feliciter.

7 Sed agamus: seorsim singula, quæ meritò timere potuit & debuit Propheta noster, expendamus. In ceto quid ageretur, quantum illi esset à feruente, spirante, ac fœtente bellua periculi iam antè diximus, ergo si possumus, nunc paullulum profundũ illud, in quod demissum se ait, penetremus.

Ionas deiectus in mare, non decidit statim vsque ad profundum illius.

Sententia est Pauli Palatij, IONAM, cùm primùm à sociis fuit demissus in mare, ad ima siue ad ipsius vsque profundi fundum delapsum, istic hæsisse non sine præsenti discrimine. Quò spectare putat, quod dicit: *Proiecisti me in profundum.* Verùm cùm ex aliorum mente æquè ac meâ, dixerim aliàs à bellua exceptum & absorptum tam citò ferè quàm eum exceperat pelagus; oportet aliâ etiam ratione interpretationeque comprobemus illius dicti veritatem. Certè momento temporis, aut morâ tam breui, penetrare ad imum vsque maris IONAS non potuit: superest igitur, vt à marina bellua absorptus, simul cum ipsa per immensam aquarum molem eò descenderit, quò verum sit illud: *Proiecisti me in profundum in corde*; id est in medio, *maris.* Solent ingentes ceti vehementer profundum, hoc præsertim quod est in medio mari appetere, nacti ibidem campum spatiandi, seque agendi in omnes partes vbertimum, & liberrimum, quem circa continentem & littora, ob vada, scopulos, angustias, aliaque incommoda non reperiunt. Huc ergo se IONAS deductum cum ceto, in quo latebat captiuus, queritur.

Vers. 4.

Ionas cum ceto ad maris ima penetrauit.

Cor pro medio sumitur.

8 Porrò mirum cuipiam videri possit, quod *Cordis* nomen vsurpet, quãdo inanimatum mare, nec vẽtrem habet, nec cor. Verùm is nouerit ex D. Hieronymo

nymo & rei veritate, quod est in terra centrum, in animali cor, hoc esse in mari profundum. Sic dixit Dauid:
Psal. 45. vers. 3.
Propterea non timebimus dum turbabitur terra, & transferentur montes in cor maris: ostendens magnam in ope diuina fiduciam, quâ fiat, vt animum non concutiat timor, licet terram totam grauissimi motus concutiant, & ipsi montes suis sedibus exturbati, in *cor maris*, id est, in medium illius, magno impetu transferantur.

Christus Dominus similiter apud S. Matthæum futurus perhibetur, sicut & fuit, *tribus diebus & tribus noctibus in corde terræ*: id est in Patrum limbo, qui locus esse circa infernū mundique centrum creditur.
Matth. c.12.v.40

Dum ergo IONAS dicit, proiectum se in profundum, in corde maris, phrasi vtitur in sacris Litteris vsitatâ, quâ se ceti incolam, ad ipsum maris profundum penetrasse non obscurè insinuat. 70. vertunt. ἀπέρριψάς με εἰς βάθος καρδίας θαλάσσης, id est, *Proiecisti me in profundum cordis maris*: ac si dicat, in medij maris abyssum, siue profunditatem, quæ istic esse solet, maximam. Textus Hebraicus pro *maris*, habet *marium*. Ex quo nonnulli, nominatim Pineda, & Drusius, qui & alios quosdam huius mentis esse asserit, colligendum putant, piscem hunc triduo illo multa maria velocitate maximâ percurrisse: videlicet Syriacum, Ciliciū, Aegeum, Archipelagicum, quod Cycladas insulas alluit, Hellespontiacum, Pontum Euxinum, & mare Rubrum. Nec obfuisse velocitati magnitudinem, quod hic obiici posset, affirmat Pineda; cùm secundùm Oppianum, canes marini velocissimi sint motus, pinnis pluribus, & magnis, in corpore, ventre, dorso, cauda muniti, quibus currentem nauem, secundis ventis remisque actam, & comitantur, & prætergrediuntur: ex quorum genere, fuisse hunc etiam cetum ipse affirmat. Verùm sententiam illam sicut probare aliàs non potui, ita nec modò.

Piscis Ionã suscipiens cum eo multa maria non perambulauit.

Lib. 5.

9 Meminisse igitur oportet, vt Hebræa cum 70. Interpretibus, & textu vulgari Romano conciliemus, vocari apud eos collectionem congregationemque aquarum & *mare* numero singulari, & plurali *maria* promiscuè. Sic apud Psalmographum, loco suprà citato, vbi nos habemus *transferentur montes in cor maris*, Hebræa, quemadmodum hîc, habent *marium*. Itaque nihil facit ad dignoscendum iter, cursum, aut velocitatem piscis, qui IONAM susceperat hospitem, adeoque, vt illi volunt, longè lateque per plura deuexerat maria, nomen hîc ab Hebræis vsurpatum, quando & alibi idem vsurpant nullo delectu.

Hebræi Congregationes aquarum mare & maria vocant indifferenter.

Psal. 45. vers. 3.

10 Quàm verò absurdum sit eam, aut ceto huic, aut cuicumque pisci velocitatem tribuere, quam nonnulli comminiscuntur, satis suprà, vt existimo, euidenter ostendi: vbi etiam insinuaui, quemadmodum mecum sentiens scribit Ribera, neminem esse, vel mediocriter in tabulis Geographicis hydrographicisque versatum, qui nesciat mare Rubrum cum Mediterraneo nihil habere commune, atque vnum ad aliud nullo modo pertinere; proindeque non potuisse ex Syriaco, Hellespontico, Euxino, quæ partes sunt maris Mediterranei, ad mare Rubrum vno itinere & cursu profectionem institui. Sed de his pro tempore satis. Disputationem hanc, vtpote minùs vtilem, & parum instituto nostro seruientem, paulisper intermittamus.

Cetus non est tam velox, quàm aliqui eum hic fingunt.

Rubrum mare cum Mediterraneo non coniūgitur, nec de vno est ad aliud transitus.

11 Ad te nunc venio IONA: tu de Deo, ego magis de te queror. Dicito mihi quæso, quid est, quod ad Dominum conuersus, ais: *Proiecisti me in profundum*. Sat nosti, quidnam à nautis, te iubente, te imperante sit factum: si quid vlteriùs Dominus fecerit, hoc bonitatis eius fuit, vt te proprio iudicio condemnatum seruaret. Erit hic fortè qui dicat: Cur igitur, quod à nautis patratum, & in quod ipse consenserat, Deo tribuit? Respondeo, quia agnoscit quod factum est, non nisi auctore Deo factum; cui, non dubiis indiciis eius cognita voluntate, ipse

Omnia mala pœna nobis à Deo obuenire Ionas docet.

quoque refragari nolebat. Vnde suprà iam ad Dominum conuersus, ait: *Sicut voluisti, fecisti.* Docere autem nos voluit ore prophetico, id est sapienter, in aduersis non ad homines, à quibus obuenire nobis mala videntur; sed ad Deum ipsum, cuius prouidentiâ nutuque geruntur omnia, & quo permittente nihil non accidit, mentis oculos dirigendos, illum nobis conciliandum, si benè nobis esse velimus.

Cap. 1. vers. 14.

12 Recordemini quæso, quid dixerit Dauid, cùm ei malediceret Semei, & lapides iaceret in eum, clamans: *Egredere, egredere vir sanguinum, & vir Belial,* atque oblatranti ministri regij silentium imponerent; Abisai etiam inter ceteros contra Semei pro honore & gloria Regis sui fortiùs agens vociferaretur: *Quare maledicit canis hic mortuus Domino meo regi? vadam & amputabo caput eius.* Recordemini, inquã, quomodo probè sciens, quo permittente, quo volente id fieret, quamque eiusmodi maledictionem mereretur, non aliud responderit, quàm: *Dimittite eum vt maledicat: Dominus enim præcepit ei vt malediceret Dauid: & quis est qui audeat dicere, quare sic fecerit?*

Idem docuit Dauid. 2 Reg. c. 16. v. 7. Vers. 9. Vers. 10.

13 En cur adeo patienter à priuato homine iactata in se opprobria tam potens Rex tulerit. Hanc ignominiã, illatam ab homine, nouerat ab ipso Deo manare, atque hæc causa potissima patientiæ. Dicat nunc, excogitet, fingat, quæcumque voluerit, quisquis duriora & molestiora sustinet; excogitatis magnâ industriâ omnibus, hoc demum certò sibi persuadere debet, quidquid malorum patitur, à Deo immissum se pati. Sed quod alterum malum est, & ferè iis quæ patitur maius, hoc numquam, aut vix vmquam vlli afflictorum in mentem venit: longè alia omnes cogitant. Multi, pleraque fortuito casu; alij, nonnulla quidem hominum malitiâ; vt inimicorum odio atque inuidiâ sibi euenire arbitrantur: nonnulla verò, quod ethnicum est, fato atque necessitate quadam indeclinabili, quam astra cursusque siderum parum sibi fauentium efficiant. Ferè sicut solent homines morbidi, qui semper cum inualetudine & ægritudinibus variis luctantur, cumque hæ à quotidiana intemperantia ortum habeant, sumantque ab ea etiam incrementum, in nihil minùs quàm in immodicam illam cibi potionisque sumptionẽ culpam coniiciunt: sed quisque aliud aliquid pro suo captu confingit, vt genio indulgere liberiùs & liberaliùs possit, possitque securiùs.

Mala sibi à Deo immitti homo non cogitat.

14 Amos Propheta optimè & verissimè dixit: *Si erit malum in ciuitate quod Dominus non fecerit.* Malum non culpæ, sed pœnæ; id est afflictio: ac si dicat: Inter afflictiones tam multas & magnas, quæ sunt vbique, quales nimirum vastitas, cędes, bella, inopia, seruitus, morbi mortalitas, euersiones agrorum, vrbium, prouinciarũ, regnorum, nulla est quam Dominus non immiserit. Causa immissionis, nisi sit, vt subinde esse in electis solet, virtutum incrementum, vix alia est, quàm diuinorum in nobis neglectus mandatorum, aut certè segnities ac socordia. c. 3. v. 6.

15 Hanc in se agnoscebat Episcopus ille Quinque-Ecclesiensis: qui (vt ait Leon-clauius) cùm sub Carolo Quinto, totam ferè Hungariam occupante Turcâ, captus esset, & venditus homini barbaro, à quo, detractâ capitis vertici pelle, & arietis recens occisi vellere illi imposito, vt id cum decorticato capite eius coalesceret, hoc in scemate, pascendis ouibus domini sui deputatus, multosque post annos ab Imperatoris legato misso ad Turcã, in agris repertus & agnitus, vbi ab eodem rogatus fuit, num reuerti ad Episcopatum vellet, respondit: Sic fortè de me in hac misera sorte ferẽda Dominus statuit, vt commissam rationales oues pascendo negligentiam atque socordiam, pascendis irrationalibus, in hac vita eluerem: ne quid eluendum deinde restaret in altera. Dignam sanè Episcopo & pastore vocem! Hanc optandum omnes vt audiant, & sequantur: ferant profectò æqua-

Patientiæ illustris in dura captiuitate memorabile exemplum.

æquanimiùs quæcumque sibi immissa senserint; & meliùs aduertant ac videant, ne quam occasionem dent, cur ampliùs immittantur: hoc est, emendent in melius quod peccarunt, atque imposterum peccata, quibus ex, & longè grauiores pœnæ debentur, euitent. Ceterum verissimum est, quod ait Magnus Gregorius: *Misericors Deus temporalem interdum seueritatem adhibet, ne æternam inferat vltionem.*

Ionas sua pericula latè deducit, ad indicandam in iis immissis Dei iustitiam, & in liberando ab iisdem misericordiam.

16 Ad IONAM demum vt reuertamur: alteram causam reperio, cur pericula, quæ incurrit missus in mare, tantâ verborum copiâ proponat, ita fusè enarret: vt nimirum, non tantùm iustam in diuinorum mandatorum contemptores Dei indignationem & iram; verùm etiam, vt eiusdem in liberandis illis, qui per debitam pœnitentiam conuertuntur, atque ad eum redeunt, clementiam & benignitatem, non verbis modò; sed simul exemplo, propriarum rerum enarratione, & eorum quæ sibi euenerint specie propositâ, posteritati consignet. Scilicet vult nos gustare quoque duo sponsi vbera; sic vocat Bernardus duo quæ in Deo sunt ingenitæ mansuetudinis argumenta, *quod* nimirum *patienter expectet delinquentem, & clementer recipiat pœnitentem.*

Bernard. serm. 9. in Cantica.

17 Pergit igitur IONAS in incommodis suis ac periculis recensendis, & ait: FLVMEN CIRCVMDEDIT ME. Interpretatur Pineda, non minus incurro periculum in flumine, quàm in maris medio, te mihi irato. Quod licet, vbi ita Deo placuerit, sit verissimum, non tamen hic dicitur: cùm, si propriè loquamur, IONAM periclitantem nullæ fluminis vndæ contigerint.

Opinio Palatij in fundo maris fuisse canalem ad quem Ionas delatus sit.

Colligit hinc Palatius, num rectè vobis diiudicandum relinquo, in maris huius profundo fuisse canalem, per quem ipsum instar fluminis totum decurreret, quo fuerit IONAS circumdatus, & cuius hic faciat mentionem.

Aliorum opinio Ionam circa ostium quoddam fluminis missum in mare.

Alij interpretantur in mare demissum è naui, eò loci vbi se flumen exonerat, qui ob aquarum concurrentium multitudinem, hinc fluminis impetuoso decursu, inde pelagi fluctibus inter se pugnantibus, esse periculosior solet. Ita ex doctissimis Hebræorum complures.

Flumen pro mari accipi censent quidam.

18 Pineda arbitratus hanc partem versiculi, esse prioris antecedentis immediatè maiorem quamdam declarationem, *flumen* pro mari per catachresim accipit; quemadmodùm apud Habacuc Prophetam legimus: *Numquid in fluminibus iratus es Domine? aut in fluminibus furor tuus? vel in mari indignatio tua?* In quâ mente est etiam Ioannes Drusius, & consentit Lorinus, qui notat profanos scriptores, interdum Oceanum ipsum appellare flumen, Poëtas potissimùm, vt Homerum, Hesiodum, & alios. In eamdem sententiam Rupertus quod hic dicitur: *flumen circumdedit me*, exponit: *Inundatio maris fluens ac refluens, vndique vallauit me.*

Habacuc c. 3. v. 8.

Drusius hoc loco. Lorinus in Psal. 73. vers. 15.

Flumen hic pro fluctibus sumi cõmunior & verior opinio est.

19 Franciscus Ribera flumen pro fluminibus sumit, secundùm quod vertunt 70. *Et flumina me circumdederunt.* Non sunt autem flumina, de quibus hic sermo, aliud quàm rapidissimi fluctuum insultus turbulenti & quassati maris, qui ceto, se aut demergente, aut emergente, concitabantur; & instàr fluminum, copiâ aquarum resonantium, vndique in mare influebant, audiente IONA. Ita ex veteribus Theodoretus, Theophylactus, Albertus Magnus: ex recentioribus Arias Montanus, Christophorus Castrius, Cornelius à Lapide, & alij. Atque hanc interpretationem, quantum mihi quidem videtur, sequentia confirmant, subdit enim Propheta.

20 OMNES GVRGITES TVI, ET FLVCTVS TVI, SVPER ME TRANSIERVNT. Habet hoc IONAS ex Dauidis Psalmo quadragesimo primo, vbi eadem totidem prope verbis sunt posita. Ait namque Psalmista: *Omnia excelsa tua*; id est, quemadmodum exponit Castrius, gurgites concitati & eleuati in altùm; *& fluctus tui super me transierunt*: pro eo quod nos *fluctus*, legunt Hebræi *confractiones*; sic namque fluctus à frangendo vocant: vel quòd

Vers. 8.

Fluctus Hebrais confractiones dicuntur, & quare.

quòd naues ipsi confringant & conterant, vel quòd littorum obiectu confringantur. Neque aliud sunt gurgites & fluctus, de quibus hic sermo, quàm aquæ ipsæ eleuatæ assurgentesque in cumulos, quæ piscem, & simul cum qui in pisce latebat obtexêre. Quare nullo modo assentior Theophylacto, hæc ad IONAM adhuc in naui existentem referenti; neque enim oratione hac aliud quàm calamitatem suam, quam ceto exceptus subiit, luget, & culpam sibi dimitti ac pœnam à Deo precatur.

Opinio Theophylacti agi hic de fluctibus, cùm Ionas esset in naui, non probatur.

21 Mirabitur quispiam fortè quod dicat, *omnes* super se gurgites fluctusque transisse, & quæret curiosiùs num ergo diuinâ virtute, omnes omnino maris vndæ fuerint in vnum collectæ cumulum, vt hominem misellum & afflictum plus satis, ampliùs etiam tam nouo & inaudito conturbatum fragore, ac territum, simul obruerent & inuoluerent? Non ita. Quorsum ergo dicit, *omnes gurgites*, vel vt 70. *eleuationes*, vt Chaldæus, *maris tempestates*, vt vertit Xantes Pagninus, *omnes vndæ tuæ super me transierunt*. Id, quomodocumque legatur secundùm variam interpretationem, accipiendum commodè: id est, non omninò omnes siue gurgites, siue eleuationes, siue tempestates; sed illæ dumtaxat, quas Domino istic excitare placuit, videlicet satis multæ, & magnæ, atque vt ait Emanuel Sà vno verbo, aquarum copia. Et reuerà ad vehementer terrendum IONAM, sufficiebat eum scire, tot in se vnum fluctus armari, quos natantem belluam impetere timidus audiebat. Vertit Augustinus: *Omnes suspensiones tuæ & fluctus tui super me ingressi sunt*. Fortè in vastum illum oris belluini hiatum nonnulli ingressi, etiam ad ipsum IONAM penetrarunt, quod longè ampliùs terrorem auxerit, & periculum.

Quomodò omnes gurgites & fluctus transierint super Ionam explicatur.

Quæ hic ad Ionam valdè terrendum, multum contulerint, declarãtur.

22 Opinatur Ioannes Lorinus, *trãseundi* verbum, denotare fluctus impetu vehementi præterlabendo, quasi obrutum IONAM corripuisse, ac secum traxisse. Sed id fieri non potuit, si iam, vti dixi, & certum existimo, belluæ visceribus claudebatur, nisi totum simul piscem traxerint & impetu quodam præcipitem egerint, euerterint, susque deque voluerint, & obruerint.

Lorinus in Psal. 41

Terribilius sanè nihil, & ad aspectum, & ad auditum, concitatione aquarum mox immensum eleuatis in altum fluctibus, mox tantumdem in imum depressis; vt benè dixerit Dauid: *Ascendunt vsque ad cælos, & descendunt vsque ad abyssos*. Ascendens ergo in ceto cum fluctibus IONAS, dicere poterat quod ille:

Psal. 106. vers. 26.

Me miserum quanti montes voluuntur aquarum;
Iam iam tacturos sidera summa putes!

Ouid. lib. 1. de Trist. Ele. 2.

Et rursum cum iisdem descendens.

Quãta diducto subsidunt æquore valles;
Iam iam tacturas tartara nigra putes!

23 Nescio an obseruaueritis dicere hic orantem IONAM, atque cum Deo agẽtem, *gurgites tui, & fluctus tui*. Quid hoc sibi vult? Cur, bone Deus tuos gurgites fluctusque appellat? Dicam: non alia de causa, quàm vt eos à te cõcitatos & immissos agnoscens, te ante omnia sibi placandum, reddendumque propitium similiter agnoscat, & ita se conaturum ostendat. Tuâ namque perdurante indignatione, ac velut de nouo corroboratâ sceleribus à se patratis, sciebat aliam super alia sibi quòque calamitatem obuenturam, quæ simul impetu vno, in morem sæuientium tumultuantiumque foris in corpus fluctuum, intus etiam in animum sæuirent; vsque eò, vt, quasi soli sibi Deus esset iratus, omnem suam in se vnicum videretur velle iram plenis indignationum vasis effundere.

Agnoscit Ionas Deũ ante omnia placãdum: ob quem iratum detinetur in ventre ceti, & tam multa patitur.

24 Hinc paullò antè monui, atque iterum moneo, debere nos in calamitatibus omnibus, seu publicis, seu priuatis, IONÆ exemplo, Deum imprimis, vt supremum orbis Iudicẽ agnoscere, qui interdum vel idcirco nostra in hoc seculo delicta eâ ratione castigat, vt cùm migrandum hinc erit, ante ipsius conspectum ab omni criminis contagione, & peccati labe puri veniamus. Hoc si nobis versetur ob oculos

Calamitates hic pro purgatorio subinde valent, quare æquanimiter tolerandæ.

oculos, incredibili quadã animi æquitate & constantiâ, cuncta, quantumuis ardua & aspera, sustinebimus; non queremur, nihil nobis nimium videbitur eorum quæ patimur, vnà cum patientissimo Iobo omnia Domino accepta referentes: mitigaturi similiter cum illo omne malum, hoc vnico: *Manus Domini tetigit me.* Quod non est futurum difficile, si quęnam sit illa manus attentiùs inspexerimus: manus inquam, quæ percutit quidem; sed non vt vulneret, non vt sauciet; at multò magis vt medeatur & sanet: licet medicamentum, quantumuis ab amica profectum manu & optima, vti omnia eius generis solent, amaritudinis aliquid habeat.

Iob c. 19. vers. 21.

Orat Christus Patrem in Passione sua, vt Ionas Deum in ceto.

25 Satis diu audiuimus ex ergastulo suo, è ceti vtero clamantem IONAM: etiam mysticum Ionam Dominum nostrum IESVM Christum aliquando audiamus. Illius quoque ista vox est ad Patrem æternum: *Proiecisti me in profundum, in corde maris.* Verè in profundum proiectus est, in mediam inquam tempestatẽ Iudaici populi, qui maris instar tumultuabatur, & nouos semper in eum fluctus concitabat: sic tamen vt aquæ salsuginem & amaritudinem non senserit; cùm, vt loquitur Apostolus, sit *tentatus per omnia pro similitudine,* sed *absque peccato.* Hinc Remigius Antisiodorensis, id quod sequitur, *flumen circumdedit me,* de aqua dulci, eâ videlicet, quæ lætificat ciuitatem Dei, interpretatur: quia nimirum, vt inquit ille, *tentari foris potuit, sed mentem eius peccati delectatio non momordit.* Et quamquam super eum *omnes gurgites & fluctus transierunt* (nullum enim, vt ait D. Thomas, angustiarũ aut tribulationum genus est, quod Dominus non subierit) transierunt tãtùm, non oppresserunt; quia celerem exitum sortiti: ipse verò omnes, quibus homines premebantur, angustias cùm sustinuit, sustulit; &, vt D. Hieronymus loquitur, *omnes turbines fregit*; quò securiùs post eum pacato mari, sedatis procellis & fluctibus, nauigemus. Debemus igitur illi soli vitæ cursusque nostri tranquillitatem, debemus illi, quòd à periculoso naufragio liberi, securi tendere ad portum regni cælestis possimus.

Ad Heb. c. 4. v. 15.

D. Thomas 3. p. q. 46. a. 5.

In c. 2. Ionæ.

Clamat peccator vt Ionas, proiectus in profundum, vt ille.

26 Tandem audiamus quid clamet peccator de profundo, de abysso inquam peccati. Profectò non aliud quàm quod olim IONAS: *Proiecisti me in profundum in corde maris.* Nam verè in profundũ, imò in profundissimum abiectus est, & quidem in corde maris: quippe qui nihil firmum habeat in quo quiescat; sed semper magnis & continuis, nec vmquam intermittentibus fluctibus pulsetur; adeò vt nec in ipsa qualicumque sua quiete, aliud quàm summam inquietudinem inueniat. Videtur sibi quieturus interdum in possessione eorum quæ multo labore, sudore magno, frequentibus vigiliis pepererit: sed præterquam quòd in metu versetur continuo, ne quæsita amittat; & semper quò plura habet, plura appetat, secundùm illud Horatij.

Crescentem sequitur cura pecuniam,
Maiorumq; fames——— — Horat. lib. 3. Car. Ode 16.

Et Iuuenalis:

Crescit amor nummi, quantum ipsa
pecunia crescit: — Iuuen. Satyra 14.

tum vel maximè animi fluctibus premitur cùm plurima habuerit, atque imminentium timore pœnarum ex malè fortè partis miserè quatitur, cumque aquas bibat amarissimas, plenas salsugine, quas ex vasto hoc mundi mari semper sitiens, aridus haurit, numquam saturatur; quoniam

Quò plus sunt pota, plus sitiuntur aquæ. — Ouid. l. 1. Fastor.

Mundus periculosum est mare.

27 Sed demus aut esse, aut futurum aliquando saturum, atque hac ex parte in huius mundi oceano cum securè nauigare; quid iuuat, quando paullò pòst, alia ex alia tempestas rursus oritur. Neque fieri aliter potest, cùm seculum hoc, cui totus immersus est, aliud non sit quàm vastum & periculosum mare, in quo semper passionum furit sæua tempestas, curarum ac sollicitudinum fluctus strident, tentationum ac periculorum animi æquè ac corporis vndæ demergunt; adeò vt nul-

nullus ferè sit, quantumuis prouidus, qui hoc omninò illæsus euadat. Nam

Horat. lib. 2. Car. Ode 13.

Quid quisque vitet, numquam homini satis
Cautum est in horas———

Augúst. ser. 2. sabbato post Dom. Quinquagesimæ.

Quod quàm congruat cum D. Augustini sententia, operæ pretium est videatis. *Plena*, inquit ille, *sunt omnia periculis, plena laqueis, inuitant cupiditates, insidiantur illecebræ, blandiuntur lucra, damna deterrent. Amaræ sunt obloquentium linguæ, nec semper veracia sunt ora laudantium. Inde sæuit odium, hinc decipit mendax officium, vt facilius sit vitare discordē, quàm declinare fallacem.* Hæc ille.

28 Ex quo apparet, nihil esse in hoc seculo non innumerabilibus periculis expositum; vt meritò dicere possit hominū quilibet, sed præ ceteris peccator: *Omnes gurgites tui*, exponit Albertus Magnus, ortus tentationum & tribulationum, *& fluctus tui*, hoc est persecutionum inūdationes, *super me*, supple opprimēdum, *transierunt*: cùm nulla non tētatione pulsetur. Vtinam verò fluctus transeant tantùm, & non super illum maneant, ac penitus obruant & euertant misellum. Dico, vtinam pulsetur tantùm tentatione, & non etiam vincatur, ac per illam victus pereat.

Peccator agitatur vt cymba in mari.

29 Inspice, attende, considera penitiùs, miserum peccatoris statum; & videbis, quod, quemadmodum benè obseruauit Franciscus Ribera, eum modò superbiæ ventus in tumorē eleuet, modò pusillanimitatis ac desperationis spiritus in imū mergat: deinde licet subinde iterum resumptis animis diuinarum rerum studiosior, quasi in cælum ascendat, mox tamen, vt antè, carnis deliciis victus cadat, & *qui nutriebatur in croceis, amplexetur denuò stercora*. Nunquid hæc spectans, eum quodammodò cymbam arbitrabere, medio velut in mari cōstitutam, quam

Thren. c. 4. v. 5.

Virgil. lib. 1. Æneid.

———*fluctus ibidem*
Torquet agens circum; & rapidus vorat æquore vortex.

30 Quid pronius, quàm, vt qui tam parum est in virtute stabilis; sed omni vento in quamuis mouetur partem, numquam & nusquam firmus,

Ouid. lib. 5. Tristium.

Sed tantum constans in leuitate sua est; à superuenientibus aliquando gurgitibus & fluctibus, vno velut impetu deferatur in imum. Quod in iustos & constantes viros non cadit: eludunt enim illi, & rident quosuis fluctus, atque ad hos instar cautis marpesiæ stant immobiles: quare super eos similiter, omnes gurgites & fluctus transeunt, sed non manent; quia nec à maioribus, nec à minoribus tribulationibus, tametsi premantur, opprimūtur.

Vir iustus, firmus, constans, immotus est ad omnia aduersa.

31 Dixit Poëta Lyricus.

Horat. lib. 3. Car. Ode 3.

Iustum & tenacem propositi virum,
Non ciuium ardor praua iubentium,
Non vultus instantis tyranni
Mente quatit solidâ: neque Auster
Dux inquieti turbidus Hadriæ;
Nec fulminantis magna Iouis manus.
Si fractus illabatur orbis,
Impauidum ferient ruinæ.

Quod translatum ad Christianos, in iustitia & sanctitate viuentes, verissimum est. Illi enim ad omnia impauidi sunt, & intrepidi: sciunt enim, quod, vt ait Hugo Cardinalis, *Non stat super electos tribulatio, sed reprobos.* Quare quæcumque aduersa velut mox transitura excipiunt, nec turbantur, atque de illis dici potest, sicut teste Eutropio dixit aliquando de Fabricio Pyrrhus: *Ille est Fabricius, qui difficilius ab honestate quàm sol à suo cursu dimoueri potest.* Illi sunt veri athletæ & pugiles Christi, qui difficiliùs à virtute, quàm sol à suo cursu dimoueri possunt.

Peccator eluctatus è mundi tempestatibus, Deo agere gratias debet.

32 Quisquis hactenus secus fecit, neque tantùm transisse super se fluctus & peccatorum gurgites vidit, & horruit; verùm etiam stetisse, seque oppressisse sensit, ne sentiat iterum, & æternùm pereat, confestim sese periculoso hoc mari eripiat, se curis seculi soluat, & in tranquillissimæ quietis portu statuat. Expono clariùs, & ampliùs dico, qui superbiæ, auaritiæ, libidini, gulæ, ventrique seruiit; atque aliquando per hos ventorum turbines (sic irruentium & furore suo præualentium vitiorum impetus appello) animi naufragium fecit; ita tamen vt

arte-

arreptâ pœnitentiæ tabulâ adhuc saluus euaserit, & quasi per ceti aluum ad littus, id est mentis incolumitatem veramque virtutem redierit; is hic discat à IONA, non modò non ingrato silentio illa tanta Dei in se beneficia obtegere; sed eadem, sciens quantum sibi per hæc felicitatis singulari diuinæ benignitatis fauore gratiaque accesserit, felici memoriâ & recolendo & percensendo ampliùs celebrare.

Gratitudo in Deum omnibus Christianis exercenda.

33 Neque hoc illi dumtaxat faciendum, qui sic à Deo præuentus fuerit in benedictionibus dulcedinis; verùm omnibus omnino Christianis, qui ab ipso conceptionis suæ exordio, multis discriminibus & infortuniis erepti, habent quod vitæ Datori, eidem & Conseruatori, Redemptori, munifico Domino, amantissimo Patri, & quotidie, & quā maximas, & quā amplissimè gratias agant; atque beneficiorū acceptorum memores, frequenter occināt illud Dauidicum: *Tu es, qui extraxisti me de ventre: spes mea ab vberibus matris meæ. In te praiectus sum ex vtero.* Psal. 21. v. 5.

Etiam in aduersis. Hieron. in cap. 5. Epist. ad Ephesios.

34 Etenim si, vt auctor est Hieronymus, *Christianorum propria virtus est, etiam in his quæ aduersa putant, referre gratiam creatori, vt dicant benedictus Deus, minora me scio sustinere quàm mereor, hæc ad mea peccata parua sunt, nihil mihi dignum redditur:* quomodo non maximè proprium nobis esse debet, Dei munificentiam venerari, prædicare largitatem, qui quotidie eius donis pascimur, crescimus, ditamur. Age ergo *Benedic anima mea Domino: siue in donis eius, siue in flagellis,* vt inquit S. Augustinus, *lauda eum; quia laus flagellantis medicina est vulneris.* De donis nihil attinet dicere, quia ipsa per se laudem & gratiarum actionem non tantùm deposcunt, sed quodammodo debere extorquere à nobis videntur. Psal. 102. v. 1. 2. August. in ps. 144.

Chrysost. *Pro donis acceptis, qua requiratur gratitudo, & qualis ex Patrum sententia.*

35 Benè dixit os illud aureū: *Maxima est vtilitas hominis, quâ cognoscimus benefactorē, à quo propter hoc ipsum cumulatius bona recipiamus.* Sit vobis igitur in ore perpetuo, & multo magis in corde, sanctum illud verbum *Deo gratias: hoc namq;*, Augustino teste, *nec dici breuius, nec audiri latius, nec intelligi grandius, nec agi fructuosius potest.* Hinc tam sedulò Thessalonicenses monet Paulus: *In omnibus gratias agite.* Optabat nimirum eos acceptorum beneficiorum memores in perpetua gratiarum actione versari: vti fecisse Dauidem sat innuunt verba illius, dicentis: *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo.* August. in ps. 77. 1. ad Thessal. c. 5. v. 17. Psal. 33. v. 2.

36 Vos quoque si benè vobis esse perpetuò vultis, similiter facite. Quid enim minus potestis, quàm eum agnoscere, eum deprædicare, cuius à prouidentia, fauore, beneuolentia pendetis. Tunc, tametsi nouelli exurgant gurgites, attollantur fluctus, qui vos impetant vehementius; pertransibunt, non lædent: *Multæ quidem tribulationes iustorum; sed ex omnibus,* sicut sibi quondam factum Paulus testatur, qui & beneficium agnoscit, *eripiet eos Dominus,* qui suos tentari non sinet supra id quod possunt; *sed faciet cum tentatione prouentum, vt possint sustinere.* Agite igitur *Sodales,* agite, *& omnem sollicitudinem vestram proiicientes in eum, quoniam ipsi est cura de vobis,* securi hilaresque in Domino viuite. 2. ad Timotheum c. 3. v. 11. 1. Cor. c. 10. v. 13. 1. Petri c. 5. v. 7.

Viuat ita Christianus, vt feliciter moriatur. Damian. lib. Gomorrh. c. 24. in fine.

37 Quibus olim verbis propè conclusit librum suum Gomorrhianum, quo nefanda illius temporis crimina insequitur & deplorat Petrus Damiani, vir sanctitate eximius, Cardinalis & Episcopus Ostiensis, iisdem ego hodiernum sermonem concludam. Loquitur ille de peccato turpissimo carnis, ego de omni genere peccatorum. Quisquis es, *Si adhuc stas præcipitium caue: quòd si lapsus es, ad vncum pœnitentiæ, qui vbique præsto est, manum fiducialiter tende: vt qui non potuisti cum Abraham procul à Sodomis degere; liceat vel cum Loth propinquæ combustionis excidio iam iam vrgente, migrare. Quique naui, incolumis subire non valueras portum, sufficiat saltem perlati fluctus euasisse naufragium, & qui non meruisti ad littoris sinum sine iactura pertingere; libeat arenis exposito post periculū alacri voce illud Beati Ionæ celeusma cātare; Omnes gurgites tui, & fluctus tui super me transierunt. Amen.*

LECTIO SEXTA.

ET EGO DIXI: ABIECTVS SVM A CONSPECTV OCVLORVM TVORVM: VERVMTAMEN RVRSVS VIDEBO TEMPLVM SANCTVM TVVM. *v.5.*

ARGVMENTVM.

Proponitur duellum actum in IONÆ *pectore, spem inter & metum. Eiusdem tentationes, quas est expertus in ceto; pœna fugæ per absentiam à Ierosolymitano templo; spes de eodem iterum videndo; & animi magnitudo recensentur. Christi in Passione dolor, in Resurrectione gloria recolitur.*

Duellum in Iona inter spem & metum agitur.

1  AGNVM hic nobis certamen proponitur. In IONÆ pectore velut in campo Martio inter se duellant, hinc pusillanimitas & metus, inde spes & fiducia: hæret ipse in primo aditu & congressu quasi anceps & dubius, ad quas partes accedat; tandem verò spe plenus, plenusque fiducia harum partes sequitur, iisdemque adiutricibus in certamine, metu posito victaque pusillanimitate, euadit superior.

Vbi inchoatum.

Rupertus in c. 2. Ionæ.

2 Certamen hoc, ex Ruperti sententia, sumpsisse videtur initium, cùm primùm IONAS maris vndis exceptus periculum subiit. *Constat*, inquit, *quod quando in mare mittebatur: in illa tribulatione, secundùm multitudinem dolorum eius, & consolationes Domini lætificauerunt animam eius, propheticâ illâ gratiâ sese infundente abundantius, atque clementius, vt sciret quoniam de tam profunda abiectione adhuc mirabiliter subleuaretur, & adhuc viuens inter viuentes veniret ad templum Dominicum hostiis & muneribus competentes gratias mirabili Deo relaturus.* Hæc Rupertus: addens, ea ipsa à Propheta nostro existente in ventre ceti resumpta meditataque, quæ iam antè inter maris fluctus pendulus animo pertractarat. Verùm has cogitationes, luctam hanc, & conflictum, obuenisse ei dumtaxat, cùm fluctuaret in ceto, alij plerique longè probabilius opinantur.

Ionas luget se à Deo desertum.

3 Agamus modò, & huius duelli tam nobilis spectatores, quomodo virtutes æquè ac vitia, partes suas agant, attentiùs videamus. Pusillanimitatis & metus tela sunt: EGO DIXI: PROIECTVS SVM A CONSPECTV OCVLORVM TVORVM. Quid hoc? Dico, & grauiter sentio, ait IONAS, eum in quo nunc versor corporis & animi statum. Video namque desertum me à te Deus meus, traditum insuper immani ceto, & mari procelloso, à quibus non nisi certam, celerem, infaustam mortem sperare possum, ac debeo. O quantus mihi dolor & metus sic viuere! quantum tormentum *Proiici à conspectu oculorum tuorum!* nec posse amplius videre illud tuum tam augustum templum in vrbe Ierusalem; vbi benignissimis misericordiæ tuæ oculis confugientes ad te propitius intueris; vbi omnia prospera elargiris, noxia ab hominibus submoues. Ah quò miser deueni! nuper à facie tua fugi, & sponte fugi, rebellis tibi: nunc tu rebellem & profugum, digno iustoque supplicio non tantùm à facie; verùm etiam à domo tua repellis & arces, atque in has me id rectè commeritum cogis angustias. Quid agam? pœnam improbitatis meæ fero.

Ionas mortem timet.

4 Verebatur IONAS consideratis, vt inquit Albertus Magnus, causis inferioribus, ad primum belluæ intuitum

tum, multoque magis ad rictum, cùm ab ea sorberetur, actum de se, videbaturque mortem nullo non momento sibi impendentem videre: neque iam spem superesse arbitrabatur vel minimam, reditus in vrbem sanctam templumque Ierusalem; cùm se ab infenso Numine neglectum, diuinaq; eius prouidentiâ ac curâ destitutum putaret.

Tentatus etiam pusillanimitate videtur.

5 Sunt qui putent, neque prorsus repugno, ipsum, hac verborum formula modoque dicendi, non obscurè insinuare voluisse, & præsens mortis, quod verebatur, discrimen, & grauissimam, quam sentiebat in animo, luctam, impetitus ab humani generis hoste atroci cogitatione, & permolestâ tentatione desperatæ salutis, æternæque felicitatis & gloriæ; è qua non sine conatu, eluctari fortiter constanterque debuerit.

Iona, pœna fuga est, esse abiectũ ab oculis Dei, quem fugerat.

6 O rem verè stupendam! paullò antè constitutus per peccati tenebras in mentis cœcitate, hoc vnum agebat summopere, viam vt inueniret quâ fugeret *à facie Domini*; & quidem quàm ocyssimè fugeret, ac lateret: nunc verò, diductis apertisque paululum oculis, quos clauserat culpa, diuinæ vindictæ sensu consternatus ac territus; hoc vno turbatur & angitur, quòd se, fugâ suâ pertinaci inobedientem, à facie Domini seclusum videat, & quantum illud sit malum persentiat.

Prodigus ardens vt à patre fugiat, expertus inopiam, magis ardet vt redeat.

7 Planè quemadmodum prodigus ille Euangelicus, qui abire primò à patre suo gestiebat; & quia infelicis abitus ardebat desiderio vehementer, nunquam sibi sat citò abiturus videbatur, longaque ei erat omnis mora, quantumuis exigua, cuius impatiens patrem importunus postulator adibat; & vt extorqueret ab eo dilapidandam hæreditatem suam dicebat: *Pater, da mihi portionem substantiæ quæ me contingit.* At vbi, consumptis dilapidatisque omnibus, vitam inopem in ærumnis ignobilis haræ cultor inter porcos, eorum pastor, agere cœpit, nō habēs vltrà quo latrantē famē arceret; iamque non ampliùs voluptati, sed necessitati prope extremæ sertiens, viuere saltem, si non lautè viuere, gestiret; quoniam *cupiebat implere ventrem suum de siliquis, quas porci manducabant, & nemo illi dabat*: Longè tum cautior factus, longè suo, heu nimium graui, malo sapientior, alia prorsus agitare consilia instituit; deque suo ad patrem reditu seriò cogitans vel inter mercenarios ibi victurus; dummodo diu desideratam eius faciem videre denuò posset. Proinde dicebat intra se: *Surgam, & ibo ad patrem meum, & dicam ei: Pater, peccaui in cælum, & coram te: iam non sum dignus vocari filius tuus: fac me sicut vnum de mercenariis tuis.*

Lucæ c. 15. v. 12. *Ibidem v. 16.* *Vers. 18. & 19.*

Ionas vt prodigus filius ad Deum reuertitur.

8 Sic noster IONAS, post rem non feliciter gestam, post desertum Domini mandatum, post toleratas suæ rebellionis pœnas, sollicitior est ad patrem vt redeat; *Patrem misericordiarum, & Deum totius consolationis*, qui nullum ad se confugientium spernit, qui vota supplicum audit, & exaudit pro bonitate sua & clementia. Itaque miserum, non iam amplius filij, sed vix mercenarij statum suum deplorans, ait: *Abiectus sum à conspectu oculorum tuorum.* Heu miser quid agam? quò me vertã infelix? O Domine Deus meus, scio & fateor: *Tibi soli peccaui, & malum coram te feci*, me reum agnosco, pœnam grauissimam, dignum facto meo supplicium merui: quare, cùm in mare iactarer, intra me dixi, actum est, conclamatum est, perij, è viuorum, & quod magis timendum ex amicorum Dei numero excidi, morte æternum lugendâ, nisi quamprimùm eò redeam vnde exiui.

Psal. 50. v. 6.

9 Albertus Magnus IONAM hæc Iobi verba vsurpantem inducit: *Desperaui, nequaquam vltra iam viuam.* Sed nil opus alia quæramus, verbis propriis satis hic mentem suam exponit, quibus nõnihil inhærendum. *Abiectus*, inquit, *sum à conspectu oculorum tuorum.* Nouus est omnino & inusitatus iste loquendi modus. Liceat mihi nunc Iobi verbis vti, & percunctari à Domino Deo nostro, cum quo IONAS hic agit:

Iob c. 7. v. 16.

Deus oculos non habet vt homines.

Iob c.10. v.4. *Numquid oculi carnei tibi sunt: aut sicut videt homo,& tu videbis?* quòd Propheta tuus dicat abiectum se à conspectu oculorum tuorum? Absit, absit tanta insania, vt fingamus humanos oculos in Deo, aut vultum mortalem. Ad nos corpore & sensibus præditos hic sermo pertinet, qui vix alia capimus, quàm quæ sub sensum,& quæ sub oculos nostros cadunt. Hæc causa cur ita de Deo Prophetæ, & Hagiographi, adeoque vniuersim sacræ Litteræ, velut de homine loquantur. Is ergo abiicere quempiam à suorum conspectu oculorum dicitur, qui eum, velut indignum conspectu suo, videre non sustinet; sed odio habitum execratur, atq; à se procul submouet, ac repellit.

Ionas quomodo abiectus à conspectu oculorum Dei.

10 Quid hic igitur dicere vult noster IONAS? Abiectum, inquit, me existimabam Deus meus à te; neque magis ausus sum comparere coram diuina tua Maiestate, mihi iustè infensa, quàm coram iratis mihi hominibus; vtpote cuius fauore & gratia excidisse me penitus autumo. Et in hunc sensum ait Albertus, loqui Prophetam de abiectione ab oculis, quantum ad præsentis gratiæ lumen. Simile quid aliquando euenisse sibi Dauid queritur. Hinc illæ eius voces: *Ego dixi in excessu mentis mea*, id est, cùm ita essem constitutus, vt ob profundam grauium malorum, quibus premebar, cogitationem, redundante in voluntatem & appetitum meum horrore graui, sic à se alienari animus meus mihi videretur, vt prorsus deficere, dixi: *Proiectus sum à facie*, siue quod idem est, *à conspectu oculorum tuorum*, id est, ita mecum agi sensi, vt à te prorsus desertus viderer.

Psal. 30. v.23. *Dauid quomodo.*

Accidit id, cùm Saülem, deinde iterum cùm Absalonem filium suum fugit, quorum manus vix sperabat se posse euadere. Quare desertũ à Deo, quàm esset vinci facile probè intelligens, non se vincendum, aut iam propemodum victum; sed tantùm à Deo desertum, ex quo proueniunt mala omnia, etiam hostium victoriæ, querebatur.

11 Sic IONAS non nisi de exilio suo queritur: quòd tam modò sit procul à patria illa, locoque, in quo summâ religione venerationeq; Deus colitur; ab vrbe nimirum Ierusalem, templo eius, ac tabernaculo, à locis illis sanctissimis, in quibus Dei sedes, vnde diuina responsa atque oracula, vnde in omnes gratiæ & fauores emanant: &, quod maximè lugendum, supra modum dolet, quòd propriâ voluntate suâ malâ, delicto ac fugâ in eas se coniectum angustias, eò miseriarum deuenisse videat; vt ad loca tam sancta, tot votis modò optata, nullus ei humanitus reditus, nullus regressus appareat, morituro breui, nisi, qui solus potest, miro quodam modo succurrerit, & iam quasi deperditam vitam reddiderit.

Ionas abesse se à Ierosolymis queritur.

12 In eumdem etiam modum de Deo Iob vir patientissimus loquitur, cùm plorans casuum suorum acerbitatem, eum sibi iratum existimans, ait: *Cur faciem tuam abscondis, & arbitraris me inimicum tuum?* Ac si dicat: Profectò res meæ non bono apud te esse loco videntur; nam vt cum inimico, non verò vt cum amico mecum agis; abscondis enim, & auertis faciem tuam à me, tanquam ab hoste tibi vehementer infesto, cuius aspectum ferre non valeas.

Iob se Dei hostem videri. Iob c.13. v.24.

13 Sicuti ad aliquem conuertere faciem, & in eum oculos dirigere amantis est; quemadmodum de Deo dixit Psaltes Regius: *Oculi Domini super iustos, & aures eius in preces eorum*; eò quòd hos amet & diligat: ita vultum ab aliquo oculosque auertere, neque videre illum velle, odientis.

Signum inimicitiæ est oculos ab aliquo auertere. Psal. 33. v.16.

Certè potentissimos Principes, accedentibus ad se belli ducibus, etiam fortissimis quibusque ac generosissimis, post rem non admodum feliciter gestam, obuersâ tantùm ad eorum sermonem facie, & aliò detortis oculis, scio tantum subinde timorem, & tam vehementem metum incussisse; vt deinceps magis fuerint de se subducẽdo, & quærendis latebris, quàm illorum se conspectui, quantũuis euocati, sistẽdo:

iterum,

iterum, multò minùs vltrò offerendo, solliciti. Non rarò quoque elegerint subire voluntarium exilium potiùs, quā videre iratū Regis aut Principis vultū.

Tentationes Ionæ cùm esset in ceto suggesta à diabolo. Genes. c. 4. v. 14.

14 Ad rem nostram. Ionas quibusdam hic in eam cogitationem venisse aliquo modo videtur, in quam olim Cain, cùm diceret: *A facie tua abscondar, & ero vagus & profugus in terra*: id est, desertus à te Deus, datusque belluis, aut hominibus infestis, ac fraternæ cædis vltoribus in prædam, vagabor. Quasi in eumdem ferè sensum dixerit Ionas: *Abiectus sum à conspectu oculorum tuorum*; id est, desertus à te Deus, deiectus in mare, voratus à ceto, & sic hærens in ventre illius, ab eodem etiam consumar, &, datus illi in pabulum, morte ingloriâ moriar, tibi non minùs quàm hominibus inuisus. Alij aiunt Ionam nostrum, ad instar Ezechiæ Regis, qui morti destinatus, pro impetratis induciis annorū quindecim, Deo gratias egit Cantico nobilissimo, quo quid sibi euenturū fuerat indicans: *Non aspiciam*, inquit, *hominem vltrà, & habitatorem quietis*, similiter Deo hoc suo Cantico gratias egisse, recensitis in eo periculis, in quibus fuerit, & è quibus ope diuina euaserit.

Isaiæ c. 38. v. 11.

15 Quidquid sit hac de re; vix esse dubium arbitror, quin cùm anxiis cogitationibus fluctuaret animo non minùs quàm corpore inter vndas cum ceto, vafer ac callidus humani generis hostis, more suo, multas illi fraudes texuerit, multas technas apparârit, multa suggesserit subdolè, quibus torpentē nonnihil & languidum, languidiorem faceret, & paulatim abduceret in desperationis abyssum. Fortassis etiam, quis nouit, hæc, aut his similia, eius insusurrarit auribus importuniùs: Actum est de te Iona, cōclamatum est, & de vita, & de salute tua; morieris miser, morieris, væ tibi, væ. Numine infenso, nullo ex mortalibus tibi amico, quis auxilio imposterum, quis solatio esse possit? Spes tua omnis irrita modò est & inanis. Nō viues, age quod volueris, non viues inter homines ampliùs; sera est, quācumque moliare, pœnitentia, in belluino hoc vtero, velut extremi loco supplicij, morieris; hic tibi lectus doloris erit, hic terminus vitæ, hic tumulus, hoc cōderis, ibidem mansurus. Quòd si fortè educto ad littus ceto, seu viuo, seu mortuo, apertoq; sarcophago hoc, sit qui inueniat exuuias tuas; is ad posterorum memoriam, alicubi in costis eius ponere tibi Epitaphium poterit, & vni illarum inscribere hanc duorum verborum epigraphen: *Inobedientiæ tumulus*.

16 Ceterùm noueris, atque memineris, quā nō sit melior tua atque perduellium Angelorum cōditio, quibus ne ob naturæ quidē dignitatem Deus pepercit; nō melior quā potētissimarū vrbium Sodomæ & Gomorrhæ; quàm Pharaonis Regis & Ægyptiorum, qui tot numero, qui tāti fuēre potentiâ; & tamen aduersus hos omnes iram indignationemq; suā plenis manibus Deus effudit, cur non effundat nunc etiam in te? Cùm ergo prçter atroces pœnas, & dira supplicia, nihil speres, nihil exspectes, age liberè, laxa linguæ vincula, & quā iam diu tui Cōditoris laudibus consecrasti, & multis annis impendisti constanter, nunc tandem in diras execrationesque conuerte; diuina carpe iudicia liberè, & immissa tibi damnato supplicia. Oblatrare quid cessas? maledicta, impias, blasphemas, scelestas voces eructare, ac pleno ore quid tardas euomere? quid ni malum pro malo reddas? prorsus rependē vicem, si sapis. Etenim cùm nullus esse possit post rebellionem tantam tibi gratiæ locus, nullus veniæ, superest tantùm vt te, quocumque libuerit modo, quamdiu potueris, vindices.

17 Verū nihil prauis illis suggestionibus hostis Ionæ nocuit; tētare eum potuit, non vincere. Factus namque priore illâ, quâ victus est, fraude astutior, suggerentem iterum hostē illum peiora nequaquam audiuit, agnoscens satis çquum esse & non indebitum rebellioni suæ, quod sentiebat, immitti sibi à Deo supplicium. Quæ causa est cur omni modo studeret Numen iratum placare, & ipsum non iam iterum

ad iracundiam accendere, in vindictam animare.

Lamentatio Ionæ in ceto, ibi deplorantis culpam suam ac pœnam.

18 Pulchrè eum lamentantem, simul admissum crimen, simul criminis sui pœnam recensentem, Ioannes Ferus inducit. Hunc in persona eius sensu planè proprio, sed verbis nonnihil à me hinc inde commutatis, agere vobiscum sinam paulisper. Fugere, inquit, volebam à terra, & ecce sic fugi, vt tandem ad extrema montium descēdere, ibique latere me oportuerit. Me volebam abscondere, ne ad imperatam legationem cogi possem: nunc verò ita me Deus abscondit, vt nemo mortalium facilè, etiam diligenter quæsitum, inueniat. In mari securitatem mihi pollicebar, & quasi ei non satcitò me cōmissurus, istuc properabā: vrgebam, prope compellebam ad iter, tardantes meo sensu plus satis nautas: nunc verò experior, quæ & qualis illa securitas, quàm dubia, quàm parum tuta, & misera. Verbum Domini abieceram: nunc ipse abiectus, præclarè pro meritis, ex hominum omnium cōsortione, etiam ex ipsius Dei cōspectu, in eo exilio, in quod nullus vmquam est relegatus mortalium, versor. Inuidebam Niniuitis diuini Verbi pabulum & solatium: nunc ipse, & cælesti pabulo, & creatarum rerum solatio, nulli inuidendus, destituor. Nolebam ex mea Niniuitis impendenda cohortatione, intentandis minis, incutiendis terroribus, Israëliticus populus pateretur vllam siue iacturam, siue opprobrium: nunc ego vtrumque sustineo, videlicet & damnum, & dedecus graue: Nec multum abest, quin ad hæc animi simul corporisque dispendium, solus præ omnibus reus. Numquid igitur meæ pœnam temeritatis; pœnam neglecti imperij Dei præclarè persoluo? Numquid insigniter, vti commereor, vulgi factus sum fabula?

Fiducia Ionæ de liberatione sua ex ceto.

19 Conuertitur deinde aliò IONAS, & resumpto aliquantisper, post recensitas fusè calamitosas latebras suas, spiritu nouo: VERVMTAMEN, inquit, RVRSVS VIDEBO TEMPLVM SANCTVM TVVM. Huc nos etiam cum illo conuertamur; & videamus, quomodo partes suas agant Spes & Fiducia, quomodo hæ præclaræ virtutes vincant, & de metu ac pusillanimitate triumphum quodammodo agentes, Prophetam nostrum in alta pace & quiete constituant. Etenim intellexit ipse, non multò pòst quàm viuus & sanus ceti hospitium subintrarat, Deo reuelante hoc seruo suo, breui se sospitem euasurum in terram. Quare fiduciā maiore quàm antè, erigitur animo, noua captat & sanctiora consilia, præsentem gratiarum actionem concipit, & longè ampliorem in Ierosolymitano templo, quando eò saluus & incolumis venerit, Deo tam in se benefico persoluendam, decernit.

Fiducia de videndo templo Ierosolymæ.

20 Discutiamus paullò penitiùs IONÆ verba, hic nobis ab ipso proposita. *Verumtamen*, inquit, *rursus videbo templum sanctum tuum:* Ac si dicat, licet modò tam misero sim loco, licet hoc subeam ergastulum viuum, licet ea me conturbet cogitatio, quòd non tātùm derelictus; sed etiam à te abiectus sim Domine: nequaquam tamen spem omnem de mea salute deposui; quin imò, resumptis animis, magis spero, quàm vmquam, breui fore, vt denuò templum tuum sanctum, ad quod maximoperè anhelo, oculis meis vsurpem; quantumcumque sim modò ab eo quàm remotissimus aditibus omnibus mihi prorsus occlusis.

Ionam in ceto de se prophetasse quidam putant.

21 Agnoscunt D. Hieronymus & Hugo Cardinalis in his verbis Prophetæ, nouum propheticum spiritum, dicentes: quòd *in profundo maris positus corpore, spiritu prophetali alibi sit, & alibi contempletur*: Videlicet quid mox de se futurum; quo pacto liberandus, quàm accepti illius beneficij memor, quàm pro eodem gratus futurus, quàm denique, mandatorum Domini sui custos fidelis, totā cōturbaturus sit Niniuen, eandem ad synceram & seriam pœnitentiam, quā prece, quā minis, suscipiendam compulsurus.

Propheta non tantū in templo, aut in vrbe Ierusalem; sed

22 De templo adeundo, eodemq; videndo iterum, Palatius loqui hic IONAM nostrum, multò confidentiùs, neque

etiam alibi prophetarunt. neque iam cum formidine, vt ante, arbitratur; eò quòd, sicut diximus, Deo reuelante, id se accepturum beneficij, existens in ceto cognouerit. Addit idem, vt alibi retuli, in templo Ierosolymitano dumtaxat, nullo vero alio loco, Prophetas diuino afflari spiritu, abditaque cognoscere & edicere solitos. Verùm illam eius sententiam nec probaui, nec probo: puto enim à veritate alienam, quemadmodum & aliam, licet ea laxior sit & amplior, quorūdam dicentium Prophetas consecutos hanc gratiam non quidem in solo templo, sed in sola Ierusalem. Constat enim prophetasse olim in Ægypto Iosephum Patriarcham, deinde etiam Ieremiam, Legislatorem populi Moysem in deserto, Baalam in regione Moabitide, Ezechielem & Danielem in Babylone, ipsummet IONAM, postquam illum cetus euomuit, in Niniue, alios alibi.

Palatius ad cap. 7. Amos. *Propheta instar cœnobitarum nostrorum simul habitabant.* Deinde Palatius, bonâ eius veniâ dictum, pugnare secum ipse mihi videtur: dixit enim paullò antè in Commentariis suis ad hunc Prophetam, atque etiam alio loco, Prophetas in domo tantùm, quam velut cœnobium iuncti per modum religiosorum nostrorum ipsi incolebant, non alibi, prophetasse. Nisi fortè, hanc ipsorum domum, ob vim diuinorum oraculorum ibi perceptorum, etiam Dei templum appellet; aut certè, ob vicinitatē adiacentis tēpli, illā huius partem aliquam censeri potuisse existimet: quod me apud alium auctorē legisse nō memini.

Templum Ierosolymitanum, non aliud Ionas adire hic gestit. 23 Templum ad quod aspirat, quodque se rursum visurum IONAS asserit, prope vnanimi interpretum sententiâ, S. Hieronymi, Remigij, Haymonis, Hugonis Cardinalis, Dionysij Carthusiani, Ariæ Montani, Christophori Castrij, Cornelij à Lapide, & aliorum, non est aliud, quàm illud Salomonicum, Ierosolymis erectum. Neque vlli dubium esse posse existimo, scienti quàm fuerit solemne Iudæis, vbicumque locorum existentibus, eò preces dirigere, & omnium Dominum, ibi peculiari ratione præsentē, supplicum adiutorē agnoscere ac venerari; quin de illo, & non alio, templo sermonem instituat. Notum est passim omnibus, quàm pij viri relegati in exilium frequentibus votis anhelarint, reuisere aliquādo vt sibi liceret illa sancti templi atria, ibique diuino cultui vacare: dicente Dauid: *Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum: concupiscit, & deficit anima mea in atria Domini.* vt mirum non sit, ad eadem tantoperè anhelasse miserum exulem IONAM. Psal. 83. v. 1.

Orationē Iona votum continere probabile est. 24 Censet Gaspar Sanchius, verbis illis comprehendi fortasse votum aliquod ab eo conceptum in templo iam dicto persoluendum, si à præsenti periculo eum liberari contingeret. Non aliter, quàm si dicere voluerit: Videbo templum tuum Domine Deus meus, non vacuus, sed donis onustus, quibus debere me vitam meam tibi; verbo opereque, publicè æquè ac priuatim, profitear.

Templum hic non significat calum. Psal. 10. v. 5. 25 Volunt templi nomine, hic etiam cælum intelligi, Vatablus, Arias Montanus, Ioannes Drusius; secundū illud Dauidicum: *Dominus in templo sancto suo, Dominus in cælo sedes eius.* Verùm non satis rectè: etenim istic moriturum, & sic per mortem ad cælum migraturum sese, IONAS nequaquam putabat; vtpote de incolumitate sua restitutioneque ad littus optatum edoctus à Domino. Sed neque illi interpretationi adaptari potest quod hic dicitur: *Rursus videbo templum.* Cælum enim antè Propheta noster non viderat, vt de eo rursum videndo, hic agere posse videatur: Templum verò Ierosolymitanum iam olim frequentare solitus, dicere poterat, quòd illud *rursus* videre desideret; atque hanc se obtenturum gratiam omnino confidat.

Ionas ex vi voti iuit Ierosolymā ad tēplum. 26 Ad votum IONÆ quod attinet, siue his verbis, siue aliis expressum; certum est, ex vi illius in Iudæam eum rediisse, & visisse templum quod erat Ierosolymis, atque ibidē non sine muneribus liberatori Deo gratias egisse, fecisseque hoc pacto tam officio quàm voto suo satis: de quibus erit postmodum suus dicendi locus.

Magnanimitas Ionæ explicatur. 27 Occurrit hic nobis in oculos, proindeque nequaquam dissimulāda præclara magnanimitas viri; quâ, nullo modo de sua redemptione dubius, & satis etiam de salute securus, sic secum ratiocinari mihi videtur: Quantos, quales, quàm multos, habeam aduersarios, quàm ab iis impetar vndique non ignoro: verùm impetant, irruant, infesta mihi sint omnia, & tu, bone Deus, licet me quoque abiecisse videâre; non tamen mihi excidit, sed neque excidet, spero, quod ad populi tui societatem pertineam; quod de numero filiorum tuorum, rebellis licet aliquando, iam sim, tibi æternum victurus, moriturus. Hinc omnis spes mea est, fore, vt denuò coram te, in Templo tuo viuus vegetusque compaream; te Deum meum prece supplici colam, tuis sacris intersim.

Christus velut è ventre ceti clamat ad Patrem se derelictū. 28 Mysticus IONAS, Seruator hominum IESVS Christus, in altissimum simulque acerbissimum, plenum turbinibus, plenum procellis, sacratissimæ Passionis suæ mare deiectus; atque ibidem adinstar Prophetæ huius non quidem à ceto, sed, quod durius est, ab ipsa morte proximè absorbendus, non secus ac si abiectus esset à conspectu oculorum Patris sui æterni, clamauit secundùm inferiorem hominem: *Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me?* (Psal. 21. v. 2. Matth. 27. v. 46.) Sed rursus *vidit templum sanctum suum:* iterum corpus suum sacratissimum (quo nullum templum augustius, nullum sanctius, *in quo*, teste Apostolo, *inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter*, (Ad Coloss. c. 2. v. 9.) in quo etiam præ ceteris Deus honoratur & colitur) cùm summa gloria, splendore, & maiestate resurgens, assumpsit. Hoc templum, ait Albertus Magnus, videri à Sanctis omnibus per gratiam redemptionis, dicente ipsomet, per S. Euangelistam suum Ioannem: *Abraham Pater vester exultauit vt videret diem meum: vidit, & gauisus est.* (Ioan. c. 8. v. 56.)

Hominū, etiam bonorum, in calamitatibus pusillanimitas. 29 Quod à IONA factum est semel, vt nimirum pusillanimior, conuersus ad Deum, diceret: *Abiectus sum à conspectu oculorum tuorum*; fit à nobis plus satis frequenter. Quotus enim quisque, eorum etiam, qui se ambulare secundùm spiritum arbitrantur, cùm grauiori aliquâ molestiâ tentationeq; pulsatur, non protinus dicit abiectum se, relictum, desertum, ac velut à Deo exulem factum, miseram vitam agere; vitam, inquam, morti quàm vitæ propinquiorem: vnde tum nihil non malorum eius menti obuersari quoque videtur. Huic nunc solatio sit obtutus in IONAM, & in Sanctos plures omnium ætatum & ordinum, qui durissima quæque perpessi, nō modò non desponderunt animum; sed *fortes facti sunt in bello*, (Ad Hebr. c. 11. v. 34.) ac gloriosam de domesticis hostibus victoriam retulerunt: vt eorum exemplo pugnare discamus, & vincere.

Nemo abiicitur à Deo nisi qui seipsū abiecerit. 30 Nescio quâ socordiâ & ignauiâ, dicimus modò plerique, & nimium facilè dicimus: *abiectus sum*. Non sic se res habet, nemo abiectum se putet, nisi semet ipse abiecerit. Et hæc est iusta Dei in nos querela, quòd nimium ad hoc faciles simus; relinquentes venam aquarum viuentium, & abiicientes nos ad bibendam aquam voluptatum seculi turbidam. Cesset ergo potus hic frigidæ noxius, & pro eo bibamus, ingressi templum sanctum eius, aquam sapientiæ salutaris; quâ in nobis restaurentur vires pristinæ: vt demum, oblato hic sacrificio cordis contriti & humiliati, videamus templum sanctum gloriæ ipsius, & ibi diuinam eius maiestatem suauissimis lætitiæ canticis honoremus, omnibus consecuturis seculis, totâque deinceps æternitate. Amen.

LEC.

LECTIO SEPTIMA.

CIRCVMDEDERVNT ME AQVÆ VSQVE AD ANIMAM: ABYSSVS VALLAVIT ME, PELAGVS OPERVIT CAPVT MEVM. *Vers. 6.*

AD EXTREMA MONTIVM DESCENDI: TERRÆ VECTES CONCLVSERVNT ME IN ÆTERNVM. *Vers. 7.*

ARGVMENTVM.

Recensetur multitudo & magnitudo periculorum Ionæ. *Hæc quâ ratione ex peccato nascantur, & iisdem quo modo sit occurrendum, ostenditur. Tribulationes nec obesse electis, nec esse perpetuas, declaratur. In iisdem quis sit portus securus indicatur.*

Vnde colligatur metus Ionæ.

1 XVRGVNT iterum noua bella in animo IONÆ, iterum nouæ eum ærumnæ impetunt, & ad pusillanimitatem metumque prouocant; eoque maiorem, quò est illa, quam subit, calamitas maior. Sex quæ ad metũ magno incitamento fuerunt, & IONAM non parum conturbarunt, hic enarrari ab eo notat Albertus Magnus. Primum: *Circumdederunt me aquæ vsque ad animam.* Secundum: *Abyssus vallauit me.* Tertium: *Pelagus operuit caput meum.* Quartum: *Ad extrema montium descendi.* Quintum: *Terræ vectes concluserunt me.* Sextum: *In æternum.* Et sanè quis non credat pessimè illi fuisse, quando eò deuentum fuit, vt dixerit: CIRCVMDEDERVNT ME AQVÆ VSQVE AD ANIMAM: id est, vsque ad animæ vitæque periculum, vsque ad discrimen vltimum. 70. vertunt: *Circumfusa est mihi aqua vsque ad animam.* Prouerbium est, quo declaratur extrema necessitas: quasi dicat, ita mihi vndequaque molestæ sunt aquæ, ita me circumdant & ambiunt vndique, vt totum corpus penetraturæ, & per oculos, aures, nares, in caput; per os in stomachum & intestina omnia; per poros in singula membra irrupturæ, atque ipsam animam meam petituræ, eamque mersuræ & oppressuræ videantur: nisi Deus, illis cohibitis, me suâ benignitate & plus quàm paternâ curâ seruauerit. Quod non mirum videri debet: cetus enim perpetuò aquas combibens, iis stomachum suum implebat, quibus mox innatans IONAS propè mergebatur; vt meritò dicere posset, parũ abfuit quin mortuus sim. Et ad hunc sensum, vbi nos habemus, *vsque ad animam*, Chaldæus clarius vertit, *vsque ad mortem*; putabat enim se aquis vel mergendum, vel certè suffocandum, aëre ad respirandum necessario priuatum in ventre ceti & calidissimo, & aquis refertissimo.

Molestiæ quas Ionas in ceto ab aquis est passus explicantur.

Sed, vti suo loco videbimus, emersit incolumis, minore damno quàm Hercules, de quo diximus aliàs, fuisse à Poëtis relatum in fabulas, quòd valẽs quidem & vegetus è ceto prodierit; verùm, concoctis illius calore pilis, totus glaber, neque iam crinitus vt antè.

2 Quemadmodum hic de se ore proprio IONAS; ita de se quoque, sed ore Dauidico, loquitur Christus Seruator noster: *Saluum me fac Deus: quoniam intrauerunt aquæ vsque ad animam meam.* Exponit Bellarminus Cardinalis,

Psal. 68. v. 2. Christus ex dolore mortuus

dinalis, similis factus sum ei qui demersus in aquas, has sentit paulatim vsque eo ad vitalia penetrare, vt iam amplius respirare, ac viuere non possit. Quod Christo Domino accidisse nimis verum est, & manifestum; tot enim affectus doloribus & suppliciis fuit, vt non immeritò dixerit, hæc omnia velut in imagine sibi clarè proposita contemplatus in horto, quò post cœnam vltimam cum discipulis suis oraturus concesserat: *Tristis est anima mea vsque ad mortem.* hoc est, adeo sum tristis, vt ex hac mea tristitia mors sequi possit, animæque à corpore diuulsio, quæ & secuta: nam tandem præ doloris magnitudine exspirauit in cruce. Quod penitius considerans Beatus Ambrosius, hæc ita Domino nostro conuenire ait, vt in IONAM non quadrent.

Matth. c. 26. v. 38.

Aquas tribulationum per Christi plagas si decurrere sinamus, suaues erunt.

Sinamus quæso, vt tribulationum aquæ, quæ nos sæpe circumdant vsque ad animam, per sacras Christi plagas, ceu per saxosas valles, perque glareas decurrendo ad nos perueniant; tum certè dulciores erunt & salubriores, vtpote quæ vim medicam tãquam ex attactu cornu rhinocerotis, aut ligni, quod omnem amaritiem tollit, perceperint.

Ex peccato quæ pericula nascantur ostenditur.

3 Nos tangit potissimum, quod ait Franciscus Ribera, verbis IONÆ, dicentis: *Circumdederunt me aquæ vsque ad animam*, designari latens in peccatis periculum, paucis & tantùm viris spiritualibus notum. Vix enim, inquit ille, quisquam cùm peccat, & victas tentationi dat manus, magnum se putat discrimen incurrere. Nam ardens concupiscentia, primò tantùm quasi in torrentem quemdam, qui talos non transcendit, ingreditur; at paulatim accedunt fluuij, id est, noua, multa & magna peccata, quibus iam obscuratus animus, ita capitur, vt progredi semper velit, ignarus periculi; sicque qui prius torrens videbatur, mox auctus aquis, & semper pluribus, paulatim altior & altior, tandem summum verticem contingit, *& circumdant eum aquæ vsque ad animam:* id est, in tantum vitiorum detinetur illecebris, v[...] quaquam de salute cogitet, ob iniquitate, secundùm illud Salom[...] *Impius cùm in profundum venerit [...]torum, contemnit.*

4 Videat igitur qui aquas ini[...]tatis ingressus est parum cautus; vt nunc aliquanto cautior, confestim sese ex iis proripiat; ne imprudens & minus cogitans, ita paulatim ab iisdem absorbeatur, vt educi deinde non possit. Dicebat Dauid: *Torrentem pertransiuit anima nostra: forsitan pertransisset anima nostra aquam intolerabilem.* Sic est, facilè pertransimus torrentes, sed non ita aquas intolerabiles: liberamur inquam ab inundatione tentationum, cùm peccatum adhuc instar torrentis est; sed si torrentem hunc crescere sinamus, si peccata peccatis cumulemus, crescunt aquæ, quæ superari mox non nisi ægrè admodum possunt, mentem obruunt, suffocant spiritum, & hominem emergere nescium immaniter perimunt.

statim ex peccato emergere debet, ne pereat.

Psal. 23. v. 5.

5 Quare statim obuiandum est, educendæ, vbi vel irrepserint paululum, atque ne prorepant vlterius, & incrementum sumant, curandum. Habeat igitur hic etiam locum illud Ouidij.

Principiis obsta: serò medicina paratur,
Cùm mala per lõgas cõualuere moras.

Ouid. lib. 1. de Remedio.

Erat illud sanctum cælestis sponsi, cùm sponsam suam de seruanda tutãdaque sibi commissa vinea moneret, consilium. Volebat enim, vt etiam paruis delictis primò animum pulsantibus attenderet, ne ea paulatim in grauiora excrescerent, sicque aut pondere, aut multitudine, ad lethifera ducerent. Hinc ille eius ad sponsam & sponsæ sodales ac socias sermo: *Capite nobis vulpes paruulas, quæ demoliuntur vineas.* Esto non tã sint magnæ vulpes illæ, vt aut exstirpare, aut à radicibus mordicus truncare vites possint; vires tamen cum tempore accipiunt, & nocere non desinunt. D. Bernardus vulpes paruulas interpretatur tentationes illas quę clam irrepunt, & sub virtutum specie minus cautas animas fallunt, quæ etiam excrescunt paulatim, & robur

Tentationibus obuiandum initio, & peccatis etiam leuioribus occurrendum.

Cant. c. 2. v. 15.

Serm. 64. in Cantica.

robur animi eneruantes, hominem paulatim perdunt, & perimunt.

6 In re bellica, cùm alicui, præterquam quòd hostem habeat externum, etiam negotium cum hoste domestico intercedit, momenti est maximi, inuigilare & conniti summâ, non minus industriâ, quàm virtute & viribus, ne cum externo conspiret domesticus, & hic illi aperiat viam, quâ socientur, sociati augeantur potentiâ & viribus, fiantque potiores.

Cùm primùm per peccatum Deum offendit homo, intestinum statim in animo eius exortum est bellum, facultates animæ inferiores factæ sunt rationi rebelles, cœpitq; *Caro concupiscere aduersus spiritum*, qui fuit tantoperè hac luctâ continuâ debilitatus, & in malum propensus effectus, vt videns bonum, cum aliquo etiam illius consequendi desiderio, ægrè tamen in illud totâ mente ferri potuerit; secundùm quod de se Paulus testatur: *Velle adiacet mihi: perficere autem bonum, non inuenio. Non enim quod volo bonum, hoc facio: sed quod nolo malum, hoc ago.* Et inter Ethnicos Poëta non ignobilis.

Ad Gal. c.5.v.17.

Ad Rom. c.7.v.18.

——— video meliora proboq;
Deteriora sequor ———

7 Verè factus est homo per peccatum velut terra maledicta, quæ licet culta, & instrata semine optimo, tamē pro potiori parte producit spinas & tribulos. Colitur ager mentis nostræ multis & variis modis non infrequenter, iacitur in eum semen optimum Verbi Dei, verùm fructu non magno: repletur enim auaritiâ, ambitione, inuidiâ, aliisque affectionibus prauis innumeris, quæ bonum illud semen suffocant. Quid Caïnum fecit interfectorem fratris sui? Inuidia. Quid Esau fratris sui Iacobi inimicum, quid minari illi interitum, venire deinde post annos viginti in comitatu quadringentorum hominum, ad diu meditatum facinus perpetrandum? Inuidia. Quid fratres Iosephi incitauit ad eum Madianitis, hominibus barbaris & ignotis, vendendum in seruum? Inuidia. Quid impulit Pharaonem ad exterminandam & eradicandam si posset totam posteritatem Iacob? Inuidia, dominandi libido, timor perdendi principatus. Nam secundùm quod ait Lucanus:

——— omnisq; potestas
Impatiens consortis erit ———

8 Certè ab hoste ac pugna domestica plurimum nobis malorum est, quæ etiam crescūt vbi ad domesticum hostem extranei accesserint, quod fit non rarò. Sæpè enim cùm cessat tempestas, quę latebat intus in animo, tum illa quæ foris est, agere partes suas demum incipit. Hic noster Ionas delictum suum agnouerat, sui illum facti pœnitebat, meliora statuerat: omnia ergo domi pacata, sed non foris; latebat enim in ventre piscis, ibique ab aquis, velut hostibus perpetuò impetebatur adeo vehementer; vt, tanquam si iam esset obruendus, exclamarit: *Circūdederunt me aquæ vsq; ad animam.*

Vrbe, vno tantùm ex latere oppugnatâ, & ab inimicis impetitâ, facile est ciuibus, vel fugâ euadere, vel inductione noui præsidij se communire. Verùm hac ab hoste vndequaque vallatâ, vndequaque circumdatâ, imminet ciuibus non leue periculum, maximè si magno numero (sicut immensum vastumque mare cetum & in eo Ionam) hostis vrbē obsideat. In mundo hoc vndique inimicis cingimur: *Quoniam omne quod est in mūdo*, inquit Ioannes, *concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ.* Hi nos inimici magni & potentes impetunt semper, multos vincunt, à quibusdam vincuntur. Victor euasit Ionas delicti sui pœnitentiâ & precibus: vincamus & nos, illius exemplo.

1. Ioan. c.2.v.16.

9 Sed agamus, illum periculorum suorum magnitudinē aliis atque aliis verbis aperire volentem, nequaquam moremur. Abyssus, inquit, vallavit me. Sanctes Pagninus vertit, *Vorago circūdedit me.* Albertus Magnus abyssum ab à, id est sine, & byssus, id est candor luminis, quasi sine lumine, deriuat; sicut alij voraginem à vorando dictam ferunt, quòd voret: circumdatus

Quid abyssus & vorago.

quòd naues ipsi confringant & conterant, vel quòd littorum obiectu confringantur. Neque aliud sunt gurgites & fluctus, de quibus hic sermo, quàm aquæ ipsæ eleuatæ assurgentesque in cumulos, quæ piscem, & simul cum qui in pisce latebat obtexêre. Quare nullo modo assentior Theophylacto, hæc ad IONAM adhuc in naui existentem referenti; neque enim oratione hac aliud quàm calamitatem suam, quam ceto exceptus subiit, luget, & culpam sibi dimitti ac pœnam à Deo precatur.

Opinio Theophylacti agi hic de fluctibus, cùm Ionas esset in naui, non probatur.

21 Mirabitur quispiam fortè quod dicat, *omnes* super se gurgites fluctusque transisse, & quæret curiosiùs num ergo diuinâ virtute, omnes omnino maris vndæ fuerint in vnum collectæ cumulum, vt hominem misellum & afflictum plus satis, ampliùs etiam tam nouo & inaudito conturbatum fragore, ac territum, simul obruerent & inuoluerent? Non ita. Quorsum ergo dicit, *omnes gurgites*, vel vt 70. *eleuationes*, vt Chaldæus, *maris tempestates*, vt vertit Xantes Pagninus, *omnes vndæ tuæ super me transierunt*. Id, quomodocumque legatur secundùm variam interpretationem, accipiendum commodè: id est, non omninò omnes siue gurgites, siue eleuationes, siue tempestates; sed illæ dumtaxat, quas Domino istic excitare placuit, videlicet satis multæ, & magnæ, atque vt ait Emanuel Sà vno verbo, aquarum copia. Et reuerà ad vehementer terrendum IONAM, sufficiebat eum scire, tot in se vnum fluctus armari, quos natantem belluam impetere timidus audiebat. Vertit Augustinus: *Omnes suspensiones tuæ & fluctus tui super me ingressi sunt.* Fortè in vastum illum oris belluini hiatum nonnulli ingressi, etiam ad ipsum IONAM penetrarunt, quod longè ampliùs terrorem auxerit, & periculum.

Quomodo omnes gurgites & fluctus transierint super Ionam explicatur.

Quæ hic ad Ionam valdè terrendum, multum contulerint, declaratur.

22 Opinatur Ioannes Lorinus, *trãseundi* verbum, denotare fluctus impetu vehementi præterlabendo, quasi obrutum IONAM corripuisse, ac secum traxisse. Sed id fieri non potuit, si iam, vti dixi, & certum existimo, belluæ visceribus claudebatur, nisi totum simul piscem traxerint & impetu quodam præcipitem egerint, euerterint, susque deque voluerint, & obruerint.

Lorinus in Psal. 41

Terribilius sanè nihil, & ad aspectum, & ad auditum, concitatione aquarum mox immensum eleuatis in altum fluctibus, mox tantumdem in imum depressis; vt benè dixerit Dauid: *Ascendunt vsque ad cælos, & descendunt vsque ad abyssos.* Ascendens ergo in ceto cum fluctibus IONAS, dicere poterat quod ille:

Psal. 106. vers. 26.

Me miserum quanti montes voluuntur aquarum;
Iam iam tacturos sidera summa putes!

Ouid. lib. 1. de Trist. Ele. 2.

Et rursum cum iisdem descendens.

Quãta diducto subsidunt æquore valles;
Iam iam tacturas tartara nigra putes!

23 Nescio an obseruaueritis dicere hic orantem IONAM, atque cum Deo agẽtem, *gurgites tui, & fluctus tui.* Quid hoc sibi vult? Cur, bone Deus tuos gurgites fluctusque appellat? Dicam: non alia de causa, quàm vt eos à te cõcitatos & immissos agnoscens, te ante omnia sibi placandum, reddendumque propitium similiter agnoscat, & ita se conaturum ostendat. Tuâ namque perdurante indignatione, ac velut de nouo corroboratâ sceleribus à se patratis, sciebat aliam super alia sibi quòque calamitatem obuenturam, quæ simul impetu vno, in morem sæuientium tumultuantiumque foris in corpus fluctuum, intus etiam in animum sæuirent; vsque eò, vt, quasi soli sibi Deus esset iratus, omnem suam in se vnicum videretur velle iram plenis indignationum vasis effundere.

Agnoscit Ionas Deũ ante omnia placãdum: ob quem iratum detinetur in ventre ceti, & tam multa patitur.

24 Hinc paullò antè monui, atque iterum moneo, debere nos in calamitatibus omnibus, seu publicis, seu priuatis, IONÆ exemplo, Deum imprimis, vt supremum orbis Iudicẽ agnoscere, qui interdum vel idcirco nostra in hoc seculo delicta eâ ratione castigat, vt cùm migrandum hinc erit, ante ipsius conspectum ab omni criminis contagione, & peccati labe puri veniamus. Hoc si nobis versetur ob oculos

Calamitates hic pro purgatorio subinde valent, quare æquanimiter tolerandæ.

oculos, incredibili quadā animi æquitate & constantiā, cuncta, quantumuis ardua & aspera, sustinebimus; non queremur, nihil nobis nimium videbitur eorum quæ patimur, vnà cum patientissimo Iobo omnia Domino accepta referentes: mitigaturi similiter cum illo omne malum, hoc vnico: *Manus Domini tetigit me.* Quod non est futurum difficile, si quęnam sit illa manus attentiùs inspexerimus: manus inquam, quæ percutit quidem; sed non vt vulneret, non vt sauciet; at multò magis vt medeatur & sanet: licet medicamentum, quantumuis ab amica profectum manu & optima, vti omnia eius generis solent, amaritudinis aliquid habeat.

Iob c. 19. vers. 21.

25 Satis diu audiuimus ex ergastulo suo, è ceti vtero clamantem IONAM: etiam mysticum Ionam Dominum nostrum IESVM Christum aliquando audiamus. Illius quoque ista vox est ad Patrem æternum: *Proiecisti me in profundum, in corde maris.* Verè in profundum proiectus est, in mediam inquam tempestatē Iudaici populi, qui maris instar tumultuabatur, & nouos semper in eum fluctus concitabat: sic tamen vt aquæ salsuginem & amaritudinem non senserit; cùm, vt loquitur Apostolus, sit *tentatus per omnia pro similitudine,* sed *absque peccato.* Hinc Remigius Antisiodorensis, id quod sequitur, *flumen circumdedit me,* de aqua dulci, eâ videlicet, quæ lætificat ciuitatem Dei, interpretatur: quia nimirum, vt inquit ille, *tentari foris potuit, sed mentem eius peccati delectatio non momordit.* Et quamquam super eum *omnes gurgites & fluctus transierunt* (nullum enim, vt ait D. Thomas, angustiarū aut tribulationum genus est, quod Dominus non subierit) transierunt tātùm, non oppresserunt; quia celerem exitum sortiti: ipse verò omnes, quibus homines premebantur, angustias cùm sustinuit, sustulit; &, vt D. Hieronymus loquitur, *omnes turbines fregit*; quò securiùs post eum pacato mari, sedatis procellis & fluctibus, nauigemus. Debemus igitur illi soli vitæ cursusque nostri tranquillitatem, debemus illi, quòd à periculoso naufragio liberi, securi tendere ad portum regni cælestis possimus.

Orat Christus Patrem in Passione sua, vt Ionas Deum in ceto.

Ad Heb. c. 4. v. 15.

D. Thomas 3. p. q. 46. a. 5.

In c. 2. Ionæ.

26 Tandem audiamus quid clamet peccator de profundo, de abysso inquam peccati. Profectò non aliud quàm quod olim IONAS: *Proiecisti me in profundum in corde maris.* Nam verè in profundū, imò in profundissimum abiectus est, & quidem in corde maris: quippe qui nihil firmum habeat in quo quiescat; sed semper magnis & continuis, nec vmquam intermittentibus fluctibus pulsetur; adeò vt nec in ipsa qualicumque sua quiete, aliud quàm summam inquietudinem inueniat. Videtur sibi quieturus interdum in possessione eorum quæ multo labore, sudore magno, frequentibus vigiliis pepererit: sed præterquam quòd in metu versetur continuo, ne quæsita amittat; & semper quò plura habet, plura appetat, secundùm illud Horatij.

Clamat peccator vt Ionas, proiectus in profundum, vt ille.

Crescentem sequitur cura pecuniam,
Maiorumq; fames——

Horat. lib. 3. Car. Ode 16.

Et Iuuenalis:

Crescit amor nummi, quantum ipsa
pecunia crescit:

Iuuen. Satyra 14.

tum vel maximè animi fluctibus premitur cùm plurima habuerit, atque imminentium timore pœnarum ex malè fortè partis miserè quatitur, cumque aquas bibat amarissimas, plenas salsugine, quas ex vasto hoc mundi mari semper sitiens, aridus haurit, numquam saturatur; quoniam

Quò plus sunt pota, plus sitiuntur aquæ.

Ouid. l. 1. Fastor.

27 Sed demus aut esse, aut futurum aliquando saturum, atque hac ex parte in huius mundi oceano eum securè nauigare; quid iuuat, quando paullò pòst, alia ex alia tempestas rursus oritur. Neque fieri aliter potest, cùm seculum hoc, cui totus immersus est, aliud non sit quàm vastum & periculosum mare, in quo semper passionum furit sæua tempestas, curarum ac sollicitudinum fluctus strident, tentationum ac periculorum animi æquè ac corporis vndæ demergunt; adeò vt nul-

Mundus periculosum est mare.

nullus ferè sit, quantumuis prouidus, qui hoc omninò illæsus euadat. Nam

Horat. lib.2. Car. Ode 13.

Quid quisque vitet, numquam homini satis
Cautum est in horas———

Augu. ser.2. sabbato post Dom. Quinquagesimæ.

Quod quàm congruat cum D. Augustini sententia, operæ pretium est videatis. *Plena*, inquit ille, *sunt omnia periculis, plena laqueis, inuitant cupiditates, insidiantur illecebræ, blandiuntur lucra, damna deterrent. Amaræ sunt obloquentium linguæ, nec semper veracia sunt ora laudantium. Inde sæuit odium, hinc decipit mendax officium, vt facilius sit vitare discordē, quàm declinare fallacem.* Hæc ille.

28 Ex quo apparet, nihil esse in hoc seculo non innumerabilibus periculis expositum; vt meritò dicere possit hominū quilibet, sed præ ceteris peccator: *Omnes gurgites tui*, exponit Albertus Magnus, ortus tentationum & tribulationum, *& fluctus tui*, hoc est persecutionum inūdationes, *super me*, supple opprimēdum, *transierunt*: cùm nulla non tētatione pulsetur. Vtinam verò fluctus transeant tantùm, & non super illum maneant, ac penitus obruant & euertant misellum. Dico, vtinam pulsetur tantùm tentatione, & non etiam vincatur, ac per illam victus pereat.

Peccator agitatur vt cymba in mari.

29 Inspice, attende, considera penitiùs, miserum peccatoris statum; & videbis, quod, quemadmodum benè obseruauit Franciscus Ribera, eum modò superbiæ ventus in tumorē eleuet, modò pusillanimitatis ac desperationis spiritus in imū mergat: deinde licet subinde iterum resumptis animis diuinarum rerum studiosior, quasi in cælum ascendat, mox tamen, vt antè, carnis deliciis victus cadat, & *qui nutriebatur in croceis, amplexetur denuò stercora*. Nunquid hæc spectans, eum quodammodò cymbam arbitrabere, medio velut in mari cōstitutam, quam

Thren. c.4.v.5.

Virgil. lib.1. Æneid.

———*fluctus ibidem*
Torquet agens circum; & rapidus vorat æquore vortex.

30 Quid pronius, quàm, vt qui tam parum est in virtute stabilis; sed omni vento in quamuis mouetur partem, numquam & nusquam firmus,

Ouid. lib.5. Tristium.

Sed tantum constans in leuitate sua est; à superuenientibus aliquando gurgitibus & fluctibus, vno velut impetu deferatur in imum. Quod in iustos & constantes viros non cadit: eludunt enim illi, & rident quosuis fluctus, atque ad hos instar cautis marpesiæ stant immobiles: quare super eos similiter, omnes gurgites & fluctus transeunt, sed non manent; quia nec à maioribus, nec à minoribus tribulationibus, tametsi premantur, opprimūtur.

Vir iustus, firmus, constans, immotus est ad omnia aduersa.

31 Dixit Poëta Lyricus.

Horat. lib.3. Car. Ode 3.

Iustum & tenacem propositi virum,
Non ciuium ardor praua iubentium,
Non vultus instantis tyranni
Mente quatit solidâ: neque Auster
Dux inquieti turbidus Hadriæ;
Nec fulminantis magna Iouis manus.
Si fractus illabatur orbis,
Impauidum ferient ruinæ.

Quod translatum ad Christianos, in iustitia & sanctitate viuentes, verissimum est. Illi enim ad omnia impauidi sunt, & intrepidi: sciunt enim, quod, vt ait Hugo Cardinalis, *Non stat super electos tribulatio, sed reprobos.* Quare quæcumque aduersa velut mox transitura excipiunt, nec turbantur, atque de illis dici potest, sicut teste Eutropio dixit aliquando de Fabricio Pyrrhus: *Ille est Fabricius, qui difficilius ab honestate quàm sol à suo cursu dimoueri potest.* Illi sunt veri athletæ & pugiles Christi, qui difficiliùs à virtute, quàm sol à suo cursu dimoueri possunt.

32 Quisquis hactenus secus fecit, neque tantùm transisse super se fluctus & peccatorum gurgites vidit, & horruit; verùm etiam stetisse, seque oppressisse sensit, ne sentiat iterum, & æternùm pereat, confestim sese periculoso hoc mari eripiat, se curis seculi soluat, & in tranquillissimæ quietis portu statuat. Expono clariùs, & ampliùs dico, qui superbiæ, auaritiæ, libidini, gulæ, ventrique seruiit; atque aliquando per hos ventorum turbines (sic irruentium & furore suo præualentium vitiorum impetus appello) animi naufragium fecit; ita tamen vt arre-

Peccator eluctatus è mundi tempestatibus, Deo agere gratias debet.

arreptâ pœnitentiæ tabulâ adhuc ſaluus euaſerit, & quaſi per ceti aluum ad littus, id eſt mentis incolumitatem veramque virtutem redierit; is hic diſcat à IONA, non modò non ingrato ſilentio illa tanta Dei in ſe beneficia obtegere; ſed eadem, ſciens quantum ſibi per hæc felicitatis ſingulari diuinæ benignitatis fauore gratiaque acceſſerit, felici memoriâ & recolendo & percenſendo ampliùs celebrare.

Gratitudo in Deum omnibus Christianis exercenda. 33 Neque hoc illi dumtaxat faciendum, qui ſic à Deo præuentus fuerit in benedictionibus dulcedinis; verùm omnibus omnino Chriſtianis, qui ab ipſo conceptionis ſuæ exordio, multis diſcriminibus & infortuniis erepti, habent quod vitæ Datori, eidem & Conſeruatori, Redemptori, munifico Domino, amantiſſimo Patri, & quotidie, & quã maximas, & quã ampliſſimè gratias agant; atque beneficiorũ acceptorum memores, frequenter occinãt illud Dauidicum: *Tu es, qui extraxiſti me de ventre: ſpes mea ab vberibus matris meæ. In te proiectus ſum ex vtero.* Pſal. 21. v. 5.

Etiam in aduerſis. Hieron. in cap. 5. Epiſt. ad Epheſios. 34 Etenim ſi, vt auctor eſt Hieronymus, *Chriſtianorum propria virtus eſt, etiam in his quæ aduerſa putant, referre gratiam creatori, vt dicant benedictus Deus, minora me ſcio ſuſtinere quàm mereor, hæc ad mea peccata parua ſunt, nihil mihi dignum redditur:* quomodo non maximè proprium nobis eſſe debet, Dei munificentiam venerari, prædicare largitatem, qui quotidie eius donis paſcimur, creſcimus, ditamur. Age ergo *Benedic anima mea Domino: ſiue in donis eius, ſiue in flagellis,* vt inquit S. Auguſtinus, *lauda eum; quia laus flagellantis medicina eſt vulneris.* De donis nihil attinet dicere, quia ipſa per ſe laudem & gratiarum actionem non tantùm depoſcunt, ſed quodammodo debere extorquere à nobis videntur. Pſal. 102. v. 1. 2. Auguſt. in pſ. 144.

Chryſoſt. Pro donis acceptis, quæ requiratur gratitudo, & qualis ex Patrum ſententia. 35 Benè dixit os illud aureũ: *Maxima eſt vtilitas hominis, quã cognoſcimus benefactorẽ, à quo propter hoc ipſum cumulatius bona recipiamus.* Sit vobis igitur in ore perpetuo, & multo magis in corde, ſanctum illud verbum *Deo gratias*: *hoc namq;*, Auguſtino teſte, *nec dici breuius, nec audiri lætius, nec intelligi grandius, nec agi fructuoſius poteſt.* Hinc tam ſedulò Theſſalonicenſes monet Paulus: *In omnibus gratias agite.* Optabat nimirum eos acceptorum beneficiorum memores in perpetua gratiarum actione verſari: vti feciſſe Dauidem ſat innuunt verba illius, dicentis: *Benedicam Dominum in omni tempore, ſemper laus eius in ore meo.* Auguſt. in pſ. 77. 1. ad Theſſal. c. 5. v. 17. Pſal. 33. v. 2.

36 Vos quoque ſi benè vobis eſſe perpetuò vultis, ſimiliter facite. Quid enim minus poteſtis, quàm eum agnoſcere, eum deprædicare, cuius à prouidentia, fauore, beneuolentia pendetis. Tunc, tametſi nouelli exurgant gurgites, attollantur fluctus, qui vos impetant vehementius; pertranſibunt, non lædent: *Multæ quidem tribulationes iuſtorum; ſed ex omnibus,* ſicut ſibi quondam factum Paulus teſtatur, qui & beneficium agnoſcit, *eripiet eos Dominus,* qui ſuos tentari non ſinet ſupra id quod poſſunt; *ſed faciet cum tentatione prouentum, vt poſſint ſuſtinere.* Agite igitur *Sodales*, agite, *& omnem ſollicitudinem veſtram proiicientes in eum, quoniam ipſi eſt cura de vobis,* ſecuri hilareſque in Domino viuite. 2. ad Timotheum c. 3. v. 11. 1. Cor c. 10. v. 13. 1. Petri c. 5. v. 7.

37 Quibus olim verbis prope concluſit librum ſuum Gomorrhianum, quo nefanda illius temporis crimina inſequitur & deplorat Petrus Damiani, vir ſanctitate eximius, Cardinalis & Epiſcopus Oſtienſis, iiſdem ego hodiernum ſermonem concludam. Loquitur ille de peccato turpiſſimo carnis, ego de omni genere peccatorum. Quiſquis es, *Si adhuc ſtas præcipitium caue: quòd ſi lapſus es, ad vncum pœnitentiæ, qui vbique præſto eſt, manum fiducialiter tende: vt qui non potuiſti cum Abraham procul à Sodomis degere; liceat vel cum Loth propinquæ combuſtionis excidio iam iam vrgente, migrare. Quique naui, incolumis ſubire non valueras portum, ſufficiat ſaltem perlati fluctus euaſiſſe naufragium, & qui non meruiſti ad littoris ſinum ſine iactura pertingere; libeat arenis expoſito poſt periculũ alacri voce illud Beati Ionæ celeuſma cãtare; Omnes gurgites tui, & fluctus tui ſuper me tranſierunt. Amen.* *Viuat ita Chriſtianus, vt feliciter moriatur.* Damian. lib. Gomorrh. c. 24. in fine.

LECTIO SEXTA.

ET EGO DIXI: ABIECTVS SVM A CONSPECTV OCVLORVM TVORVM: VERVMTAMEN RVRSVS VIDEBO TEMPLVM SANCTVM TVVM. *V.5.*

ARGVMENTVM.

Proponitur duellum actum in IONÆ pectore, spem inter & metum. Eiusdem tentationes, quas est expertus in ceto; pœna fugæ per absentiam à Ierosolymitano templo; spes de eodem iterum videndo; & animi magnitudo recensentur. Christi in Passione dolor, in Resurrectione gloria recolitur.

Duellum in Iona inter spem & metum agitur.

1 AGNVM hic nobis certamen proponitur. In IONÆ pectore velut in campo Martio inter se duellant, hinc pusillanimitas & metus, inde spes & fiducia: hæret ipse in primo aditu & congressu quasi anceps & dubius, ad quas partes accedat; tandem verò spe plenus, plenusque fiducia harum partes sequitur, iisdemque adiutricibus in certamine, metu posito victaque pusillanimitate, euadit superior.

Vbi inchoatum.

Rupertus in c. 2. Ionæ.

2 Certamen hoc, ex Ruperti sententia, sumpsisse videtur initium, cùm primùm IONAS maris vndis exceptus periculum subiit. *Constat*, inquit, *quod quando in mare mittebatur: in illa tribulatione, secundùm multitudinem dolorum eius, & consolationes Domini lætificauerunt animam eius, propheticâ illâ gratiâ sese infundente abundantius, atque clementius, vt sciret quoniam de tam profunda abiectione adhuc mirabiliter subleuaretur, & adhuc viuens inter viuentes veniret ad templum Dominicum hostiis & muneribus competentes gratias mirabili Deo relaturus.* Hæc Rupertus: addens, ea ipsa à Propheta nostro existente in ventre ceti resumpta meditataque, quæ iam antè inter maris fluctus pendulus animo pertractarat. Verùm has cogitationes, luctam hanc, & conflictum, obuenisse ei dumtaxat, cùm fluctuaret in ceto, alij plerique longè probabilius opinantur.

Ionas luget se à Deo desertum.

3 Agamus modò, & huius duelli tam nobilis spectatores, quomodo virtutes æquè ac vitia, partes suas agant, attentiùs videamus. Pusillanimitatis & metus tela sunt: EGO DIXI: PROIECTVS SVM A CONSPECTV OCVLORVM TVORVM. Quid hoc? Dico, & grauiter sentio, ait IONAS, eum in quo nunc versor corporis & animi statum. Video namque desertum me à te Deus meus, traditum insuper immani ceto, & mari procelloso, à quibus non nisi certam, celerem, infaustam mortem sperare possum, ac debeo. O quantus mihi dolor & metus sic viuere! quantum tormentum *Proiici à conspectu oculorum tuorum!* nec posse amplius videre illud tuum tam augustum templum in vrbe Ierusalem; vbi benignissimis misericordiæ tuæ oculis confugientes ad te propitius intueris; vbi omnia prospera clargiris, noxia ab hominibus submoues. Ah quò miser deueni! nuper à facie tua fugi, & sponte fugi, rebellis tibi: nunc tu rebellem & profugum, digno iustoque supplicio non tantùm à facies verùm etiam à domo tua repellis & arces, atque in has me id rectè commeritum cogis angustias. Quid agam? pœnam improbitatis meæ fero.

Ionas mortem timet.

4 Verebatur IONAS consideratis, vt inquit Albertus Magnus, causis inferioribus, ad primum belluæ intuitum

tum, multoque magis ad rictum, cùm ab ea sorberetur, actum de se, videbaturque mortem nullo non momento sibi impendentem videre: neque iam spem superesse arbitrabatur vel minimam, reditus in vrbem sanctam templumque Ierusalem; cùm se ab infenso Numine neglectum, diuinaq; eius prouidentiâ ac curâ destitutum putaret.

Tentatus etiam pusillanimitate videtur.

5 Sunt qui putent, neque prorsus repugno, ipsum, hac verborum formula modoque dicendi, non obscurè insinuare voluisse, & præsens mortis, quod verebatur, discrimen, & grauissimam, quam sentiebat in animo, luctam, impetitus ab humani generis hoste atroci cogitatione, & permolestâ tentatione desperatæ salutis, æternæque felicitatis & gloriæ; è qua non sine conatu, eluctari fortiter constanterque debuerit.

Iona, pœna fuga est, esse abiectū ab oculis Dei, quem fugerat.

6 O rem verè stupendam! paullò antè constitutus per peccati tenebras in mentis cœcitate, hoc vnum agebat summopere, viam vt inueniret quâ fugeret *à facie Domini*; & quidem quàm ocyssimè fugeret, ac lateret: nunc verò, diductis apertisque paululum oculis, quos clauserat culpa, diuinæ vindictæ sensu consternatus ac territus; hoc vno turbatur & angitur, quòd se, fugâ suâ pertinaci inobedientem, à facie Domini seclusum videat, & quantum illud sit malum persentiat.

Prodigus ardens vt à patre fugiat, expertus inopiam, magis ardet vt redeat.

7 Planè quemadmodum prodigus ille Euangelicus, qui abire primò à patre suo gestiebat; & quia infelicis abitus ardebat desiderio vehementer, nunquam sibi sat citò abiturus videbatur, longaque ei erat omnis mora, quantumuis exigua, cuius impatiens patrem importunus postulator adibat; & vt extorqueret ab eo dilapidandam hæreditatem suam dicebat: *Pater, da mihi portionem substantiæ quæ me contingit.* At vbi, consumptis dilapidatisque omnibus, vitam inopem in ærumnis ignobilis haræ cultor inter porcos, eorum pastor, agere cœpit, nō habēs vltrà quo latrantē famē arceret; iamque non ampliùs voluptati, sed necessitati prope extremæ seruiens, viuere saltem, si non lautè viuere, gestiret; quoniam *cupiebat implere ventrem suum de siliquis, quas porci manducabant, & nemo illi dabat*: Longè tum cautior factus, longè suo, heu nimium graui, malo sapientior, alia prorsus agitare consilia instituit; deque suo ad patrem reditu seriò cogitans vel inter mercenarios ibi victurus; dummodo diu desideratam eius faciem videre denuò posset. Proinde dicebat intra se: *Surgam, & ibo ad patrem meum, & dicam ei: Pater, peccaui in cælum, & coram te: iam non sum dignus vocari filius tuus: fac me sicut vnum de mercenariis tuis.*

Lucæ c. 15. v. 12. *Ibidem v. 16.* *Vers. 18. & 19.*

Ionas vt prodigus filius ad Deum reuertitur.

8 Sic noster Ionas, post rem non feliciter gestam, post desertum Domini mandatum, post toleratas suæ rebellionis pœnas, sollicitior est ad patrem vt redeat; *Patrem misericordiarum, & Deum totius consolationis*, qui nullum ad se confugientium spernit, qui vota supplicum audit, & exaudit pro bonitate sua & clementia. Itaque miserum, non iam amplius filij, sed vix mercenarij statum suum deplorans, ait: *Abiectus sum à conspectu oculorum tuorum.* Heu miser quid agam? quò me vertā infelix? O Domine Deus meus, scio & fateor: *Tibi soli peccaui, & malum coram te feci*, me reum agnosco, pœnam grauissimam, dignum facto meo supplicium merui: quare, cùm in mare iactarer, intra me dixi, actum est, conclamatum est, perij, è viuorum, & quod magis timendum ex amicorum Dei numero excidi, morte æternum lugendâ, nisi quamprimùm eò redeam vnde exiui.

Psal. 50. v. 6.

9 Albertus Magnus Ionam hæc Iobi verba vsurpantem inducit: *Desperaui, nequaquam vltra iam viuam.* Sed nil opus alia quæramus, verbis propriis satis hic mentem suam exponit, quibus nōnihil inhærendum. *Abiectus*, inquit, *sum à conspectu oculorum tuorum.* Nouus est omnino & inusitatus iste loquendi modus. Liceat mihi nunc Iobi verbis vti, & percunctari à Domino Deo nostro, cum quo Ionas hic agit:

Iob c. 7. v. 16.

Deus oculos non habet vt homines.

Bb 2 Num-

Iob c.10. v.4. *Numquid oculi carnei tibi sunt: aut sicut videt homo,& tu videbis?* quòd Propheta tuus dicat abiectum se à conspectu oculorum tuorum? Absit, absit tanta insania, vt fingamus humanos oculos in Deo, aut vultum mortalem. Ad nos corpore & sensibus præditos hic sermo pertinet, qui vix alia capimus, quàm quæ sub sensum,& quæ sub oculos nostros cadunt. Hæc causa cur ita de Deo Prophetæ, & Hagiographi, adeoque vniuersim sacræ Litteræ, velut de homine loquantur. Is ergo abiicere quempiam à suorum conspectu oculorum dicitur, qui eum, velut indignum conspectu suo, videre non sustinet; sed odio habitum execratur, atq; à se procul submouet, ac repellit.

Ionas quomodo abiectus à conspectu oculorum Dei.

10 Quid hic igitur dicere vult noster IONAS? Abiectum, inquit, me existimabam Deus meus à te; neque magis ausus sum comparere coram diuina tua Maiestate, mihi iustè infensa, quàm coram iratis mihi hominibus; vtpote cuius fauore & gratia excidisse me penitus autumo. Et in hunc sensum ait Albertus, loqui Prophetam de abiectione ab oculis, quantum ad præsentis gratiæ lumen. Simile quid aliquando euenisse sibi Dauid queritur. Hinc illæ eius voces: *Ego dixi in excessu mentis mea*, id est, cùm ita essem constitutus, vt ob profundam grauium malorum, quibus premebar, cogitationem, redundante in voluntatem & appetitum meum horrore graui, sic à se alienari animus meus mihi videretur, vt prorsus deficere, dixi: *Proiectus sum à facie*, siue quod idem est, *à conspectu oculorum tuorum*, id est, ita mecum agi sensi, vt à te prorsus desertus viderer.

Psal. 30. v.23. *Dauid quomodo.*

Accidit id, cùm Saülem, deinde iterum cùm Absalonem filium suum fugit, quorum manus vix sperabat se posse euadere. Quare desertũ à Deo, quàm esset vinci facile probè intelligens, non se vincendum, aut iam propemodum victum; sed tantùm à Deo desertum, ex quo proueniunt mala omnia, etiam hostium victoriæ, querebatur.

Ionas abesse se à Ierosolymis queritur.

11 Sic IONAS non nisi de exilio suo queritur: quòd tam modò sit procul à patria illa, locoque, in quo summâ religione venerationeq; Deus colitur; ab vrbe nimirum Ierusalem, templo eius, ac tabernaculo, à locis illis sanctissimis, in quibus Dei sedes, vnde diuina responsa atque oracula, vnde in omnes gratiæ & fauores emanant: &, quod maximè lugendum, supra modum dolet, quòd propriâ voluntate suâ malâ, delicto ac fugâ in eas se coniectum angustias, eò miseriarum deuenisse videat; vt ad loca tam sancta, tot votis modò optata, nullus ei humanitus reditus, nullus regressus appareat, morituro breui, nisi, qui solus potest, miro quodam modo succurrerit, & iam quasi deperditam vitam reddiderit.

Iob se Dei hostem videri.

12 In eumdem etiam modum de Deo Iob vir patientissimus loquitur, cùm plorans casuum suorum acerbitatem, eum sibi iratum existimans, ait: *Cur faciem tuam abscondis, & arbitraris me inimicum tuum?* Ac si dicat: Profectò res meæ non bono apud te esse loco videntur; nam vt cum inimico, non verò vt cum amico mecum agis; abscondis enim, & auertis faciem tuam à me, tanquam ab hoste tibi vehementer infesto, cuius aspectum ferre non valeas.

Iob c.13. v.24.

Signum inimicitia est oculos ab aliquo auertere.

13 Sicuti ad aliquem conuertere faciem, & in eum oculos dirigere amantis est; quemadmodum de Deo dixit Psaltes Regius: *Oculi Domini super iustos, & aures eius in preces eorum*; eò quòd hos amet & diligat: ita vultum ab aliquo oculosque auertere, neque videre illum velle, odientis.

Psal. 33. v.16.

Certè potentissimos Principes, accedentibus ad se belli ducibus, etiam fortissimis quibusque ac generosissimis, post rem non admodum feliciter gestam, obuersâ tantùm ad eorum sermonem facie, & aliò detortis oculis, scio tantum subinde timorem, & tam vehementem metum incussisse; vt deinceps magis fuerint de se subducẽdo, & quærendis latebris, quàm illorum se conspectui, quantũuis euocati, sistẽdo.

iterum,

iterum, multò minùs vltrò offerendo, solliciti. Non rarò quoque elegerint subire voluntarium exilium potiùs, quã videre iratũ Regis aut Principis vultũ.

Tentationes Ionæ cùm esset in ceto suggesta à diabolo. 14 Ad rem nostram. IONAS quibusdam hic in eam cogitationem venisse aliquo modo videtur, in quam olim Cain, cùm diceret: *A facie tua abscondar, & ero vagus & profugus in terra*: id est, desertus à te Deus, datusque *Genes. c. 4. v. 14.* belluis, aut hominibus infestis, ac fraternæ cædis vltoribus in prædam, vagabor. Quasi in eumdem ferè sensum dixerit IONAS: *Abiectus sum à conspectu oculorum tuorum*; id est, desertus à te Deus, deiectus in mare, voratus à ceto, & sic hærens in ventre illius, ab eodem etiam consumar, &, datus illi in pabulum, morte ingloriâ moriar, tibi non minùs quàm hominibus inuisus. Alij aiunt IONAM nostrum, ad instar Ezechiæ Regis, qui morti destinatus, pro impetratis induciis annorũ quindecim, Deo gratias egit Cantico nobilissimo, quo quid sibi euenturũ fuerat *Isaiæ c. 38. v. 11.* indicans: *Non aspiciam, inquit, hominem vltrà, & habitatorem quietis*, similiter Deo hoc suo Cantico gratias egisse, recensitis in eo periculis, in quibus fuerit, & è quibus ope diuina euaserit.

15 Quidquid sit hac de re; vix esse dubium arbitror, quin cùm anxiis cogitationibus fluctuaret animo non minùs quàm corpore inter vndas cum ceto, vafer ac callidus humani generis hostis, more suo, multas illi fraudes texuerit, multas technas apparârit, multa suggesserit subdolè, quibus torpentẽ nonnihil & languidum, languidiorem faceret, & paulatim abduceret in desperationis abyssum. Fortassis etiam, quis nouit, hæc, aut his similia, eius insusurrarit auribus importuniùs: Actum est de te IONA, cõclamatum est, & de vita, & de salute tua; morieris miser, morieris, væ tibi, væ. Numine infenso, nullo ex mortalibus tibi amico, quis auxilio imposterum, quis solatio esse possit? Spes tua omnis irrita modò est & inanis. Nõ viues, age quod volueris, non viues inter homines ampliùs; sera est, quãcumque moliare, pœnitentia, in belluino hoc vtero, velut extremi loco supplicij, morieris; hic tibi lectus doloris erit, hic terminus vitæ, hic tumulus, hoc cõderis, ibidem mansurus. Quòd si fortè educto ad littus ceto, seu viuo, seu mortuo, apertoq; sarcophago hoc, sit qui inueniat exuuias tuas; is ad posterorum memoriam, alicubi in costis eius ponere tibi Epitaphium poterit, & vni illarum inscribere hanc duorum verborum epigraphen: *Inobedientiæ tumulus.*

16 Ceterùm noueris, atque memineris, quã nõ sit melior tua atque perduellium Angelorum cõditio, quibus ne ob naturæ quidẽ dignitatem Deus pepercit; nõ melior quã potẽtissimarũ vrbium Sodomæ & Gomorrhæ; quàm Pharaonis Regis & Ægyptiorum, qui tot numero, qui tãti fuêre potentiâ; & tamen aduersus hos omnes iram indignationemq; suã plenis manibus Deus effudit, cur non effundat nunc etiam in te? Cùm ergo prẹter atroces pœnas, & dira supplicia, nihil speres, nihil expectes, age liberè, laxa linguæ vincula, & quã iam diu tui Cõditoris laudibus consecrasti, & multis annis impendisti constanter, nunc tandem in diras execrationesque conuerte; diuina carpe iudicia liberè, & immissa tibi damnato supplicia. Oblatrare quid cessas? maledicta, impias, blasphemas, scelestas voces eructare, ac pleno ore quid tardas euomere? quid ni malum pro malo reddas? prorsus rependẽ vicem, si sapis. Etenim cùm nullus esse possit post rebellionem tantam tibi gratiæ locus, nullus veniæ, superest tantùm vt te, quocumque libuerit modo, quamdiu potueris, vindices.

17 Verũ nihil prauis illis suggestionibus hostis IONÆ nocuit; tẽtare eum potuit, non vincere. Factus namque priore illâ, quâ victus est, fraude astutior, suggerentem iterum hostẽ illum peiora nequaquam audiuit, agnoscens satis ęquum esse & non indebitum rebellioni suæ, quod sentiebat, immitti sibi à Deo supplicium. Quæ causa est cur omni modo studeret Numen iratum placare, & ipsum non iam iterum

ad iracundiam accendere, in vindictam animare.

Lamentatio Ionæ in ceto, ibi deplorantis culpam suam ac pœnam.

18 Pulchrè eum lamentantem, simul admissum crimen, simul criminis sui pœnam recensentem, Ioannes Ferus inducit. Hunc in persona eius sensu planè proprio, sed verbis nonnihil à me hinc inde commutatis, agere vobiscum sinam paulisper. Fugere, inquit, volebam à terra, & ecce sic fugi, vt tandem ad extrema montium descēdere, ibique latere me oportuerit. Me volebam abscondere, ne ad imperatam legationem cogi possem: nunc verò ita me Deus abscondit, vt nemo mortalium facilè, etiam diligenter quæsitum, inueniat. In mari securitatem mihi pollicebar, & quasi ei non sat citò me cōmissurus, istuc properabā: vrgebam, prope compellebam ad iter, tardantes meo sensu plus satis nautas: nunc verò experior, quæ & qualis illa securitas, quàm dubia, quàm parum tuta, & misera. Verbum Domini abieceram: nunc ipse abiectus, præclarè pro meritis, ex hominum omnium cōsortione, etiam ex ipsius Dei cōspectu, in eo exilio, in quod nullus vmquam est relegatus mortalium, versor. Inuidebam Niniuitis diuini Verbi pabulum & solatium: nunc ipse, & cælesti pabulo, & creatarum rerum solatio, nulli inuidendus, destituor. Nolebam ex mea Niniuitis impendenda cohortatione, intentandis minis, incutiendis terroribus, Israëliticus populus pateretur vllam siue iacturam, siue opprobrium: nunc ego vtrumque sustineo, videlicet & damnum, & dedecus graue: Nec multum abest, quin ad hæc animi simul corporisque dispendium, solus præ omnibus reus. Numquid igitur meæ pœnam temeritatis, pœnam neglecti imperij Dei præclarè persoluo? Numquid insigniter, vti commereor, vulgi factus sum fabula?

Fiducia Ionæ de liberatione sua ex ceto.

19 Conuertitur deinde aliò IONAS, & resumpto aliquantisper, post recensitas fusè calamitosas latebras suas, spiritu nouo: VERVMTAMEN, inquit, RVRSVS VIDEBO TEMPLVM SANCTVM TVVM. Huc nos etiam cum illo conuertamur; & videamus, quomodo partes suas agant Spes & Fiducia, quomodo hæ præclaræ virtutes vincant, & de metu ac pusillanimitate triumphum quodammodo agentes, Prophetam nostrum in alta pace & quiete constituant. Etenim intellexit ipse, non multò pòst quàm viuus & sanus ceti hospitium subintrarat, Deo reuelante hoc seruo suo, breui se sospitem euasurum in terram. Quare fiduciâ maiore quàm antè, erigitur animo, noua captat & sanctiora consilia, præsentem gratiarum actionem concipit, & longè ampliorem in Ierosolymitano templo, quando eò saluus & incolumis venerit, Deo tam in se benefico persoluendam, decernit.

Fiducia de videndo templo Ierosolymæ.

20 Discutiamus paullò penitiùs IONÆ verba, hic nobis ab ipso proposita. *Verumtamen*, inquit, *rursus videbo templum sanctum tuum:* Ac si dicat, licet modò tam misero sim loco, licet hoc subeam ergastulum viuum, licet ea me conturbet cogitatio, quòd non tātùm derelictus; sed etiam à te abiectus sim Domine: nequaquam tamen spem omnem de mea salute deposui; quin imò, resumptis animis, magis spero, quàm vnquam, breui fore, vt denuò templum tuum sanctum, ad quod maximoperè anhelo, oculis meis vsurpem; quantumcumque sim modò ab eo quàm remotissimus aditibus omnibus mihi prorsus occlusis.

Ionam in ceto de se prophetasse quidam putant.

21 Agnoscunt D. Hieronymus & Hugo Cardinalis in his verbis Prophetæ, nouum propheticum spiritum, dicentes: quòd *in profundo maris positus corpore, spiritu prophetali alibi sit, & alibi contempletur*: Videlicet quid mox de se futurum; quo pacto liberandus, quàm accepti illius beneficij memor, quàm pro eodem gratus futurus, quàm denique, mandatorum Domini sui custos fidelis, totā cōturbaturus sit Niniuen, eandem ad synceram & seriam pœnitentiam, quâ prece, quâ minis, suscipiendam compulsurus.

Propheta non tantū in templo, aut in vrbe Ierusalem; sed

22 De templo adeundo, eodemq; videndo iterum, Palatius loqui hic IONAM nostrum, multò confidentiùs, neque

etiam alibi prophetarunt.

neque iam cum formidine, vt ante, arbitratur; eò quòd, sicut diximus, Deo reuelante, id se accepturum beneficij, existens in ceto cognouerit. Addit idem, vt alibi retuli, in templo Ierosolymitano dumtaxat, nullo vero alio loco, Prophetas diuino afflari spiritu, abditaque cognoscere & edicere solitos. Verùm illam eius sententiam nec probaui, nec probo: puto enim à veritate alienam, quemadmodum & aliam, licet ea laxior sit & amplior, quorūdam dicentium Prophetas consecutos hanc gratiam non quidem in solo templo, sed in sola Ierusalem. Constat enim prophetasse olim in Ægypto Iosephum Patriarcham, deinde etiam Ieremiam, Legislatorem populi Moysem in deserto, Baalam in regione Moabitide, Ezechielem & Danielem in Babylone, ipsummet Ionam, postquam illum cetus euomuit, in Niniue, alios alibi.

Palatius ad cap. 7. Amos. *Propheta instar cœnobitarum nostrorum simul habitabant.*

Deinde Palatius, bonâ eius veniâ dictum, pugnare secum ipse mihi videtur: dixit enim paullò antè in Commentariis suis ad hunc Prophetam, atque etiam alio loco, Prophetas in domo tantùm, quam velut cœnobium iuncti per modum religiosorum nostrorum ipsi incolebant, non alibi, prophetasse. Nisi fortè, hanc ipsorum domum, ob vim diuinorum oraculorum ibi perceptorum, etiam Dei templum appellet; aut certè, ob vicinitatē adiacentis tēpli, illā huius partem aliquam censeri potuisse existimet: quod me apud alium auctorē legisse nō memini.

Templum Ierosolymitanum, non aliud Ionas adire hic gestit.

23 Templum ad quod aspirat, quodque se rursum visurum Ionas asserit, prope vnanimi interpretum sententiâ, S. Hieronymi, Remigij, Haymonis, Hugonis Cardinalis, Dionysij Carthusiani, Ariæ Montani, Christophori Castrij, Cornelij à Lapide, & aliorum, non est aliud, quàm illud Salomonicum, Ierosolymis erectum. Neque vlli dubium esse posse existimo, scienti quàm fuerit solemne Iudæis, vbicumque locorum existentibus, eò preces dirigere, & omnium Dominum, ibi peculiari ratione præsentē, supplicum adiutorē agnoscere ac venerari; quin de illo, & non alio, templo sermonem instituat. Notum est passim omnibus, quàm pij viri relegati in exilium frequentibus votis anhelarint, reuisere aliquādo vt sibi liceret illa sancti templi atria, ibique diuino cultui vacare: dicente Dauid: *Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum: concupiscit, & deficit anima mea in atria Domini.* vt mirum non sit, ad eadem tantoperè anhelasse miserum exulem Ionam. Psal. 83. v. 1.

Orationē Ionæ votum continere probabile est.

24 Censet Gaspar Sanchius, verbis illis comprehendi fortasse votum aliquod ab eo conceptum in templo iam dicto persoluendum, si à præsenti periculo eum liberari contingeret. Non aliter, quàm si dicere voluerit: Videbo templum tuum Domine Deus meus, non vacuus, sed donis onustus, quibus debere me vitam meam tibi; verbo opereque, publicè æquè ac priuatim, profitear.

Templum hic non significat cælum.

25 Volunt templi nomine, hic etiam cælum intelligi, Vatablus, Arias Montanus, Ioannes Drusius; secundū illud Dauidicum: *Dominus in templo sancto suo, Dominus in cælo sedes eius.* Verùm non satis rectè: etenim istic moriturum, & sic per mortem ad cælum migraturum sese, Ionas nequaquam putabat; vtpote de incolumitate sua restitutioneque ad littus optatum edoctus à Domino. Sed neque illi interpretationi adaptari potest quod hic dicitur: *Rursus videbo templum.* Cælum enim antè Propheta noster non viderat, vt de eo rursum videndo, hic agere posse videatur: Templum verò Ierosolymitanum iam olim frequentare solitus, dicere poterat, quòd illud *rursus* videre desideret; atque hanc se obtenturum gratiam omnino confidat. Psal. 10. v. 5.

Ionas ex vi voti iuit Ierosolymā ad tēplum.

26 Ad votum Ionæ quod attinet, siue his verbis, siue aliis expressum; certum est, ex vi illius in Iudæam eum rediisse, & visisse templum quod erat Ierosolymis, atque ibidē non sine muneribus liberatori Deo gratias egisse, fecisseque hoc pacto tam officio quàm voto suo satis: de quibus erit postmodum suus dicendi locus.

Magnanimitas Ionæ explicatur.

27 Occurrit hic nobis in oculos, proindeque nequaquam dissimulãda præclara magnanimitas viri; quâ, nullo modo de sua redemptione dubius, & satis etiam de salute securus, sic secum ratiocinari mihi videtur: Quantos, quales, quàm multos, habeam aduersarios, quàm ab iis impetar vndique non ignoro: verùm impetant, irruant, infesta mihi sint omnia, & tu, bone Deus, licet me quoque abiecisse videâre; non tamen mihi excidit, sed neque excidet, spero, quod ad populi tui societatem pertineam; quod de numero filiorum tuorum, rebellis licet aliquando, iam sim, tibi æternum victurus, moriturus. Hinc omnis spes mea est, fore, vt denuò coram te, in Templo tuo viuus vegetusque compaream; te Deum meum prece supplici colam, tuis sacris intersim.

Christus velut è ventre ceti clamat ad Patrem se derelictũ.

28 Mysticus IONAS, Seruator hominum IESVS Christus, in altissimum simulque acerbissimum, plenum turbinibus, plenum procellis, sacratissimæ Passionis suæ mare deiectus; atque ibidem adinstar Prophetæ huius non quidem à ceto, sed, quod durius est, ab ipsa morte proximè absorbendus, non secus ac si abiectus esset à conspectu oculorum Patris sui æterni, clamauit secundùm inferiorem hominem: *Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me?* Sed rursus *vidit templum sanctum suum:* iterum corpus suum sacratissimum (quo nullum templum augustius, nullum sanctius, *in quo*, teste Apostolo, *inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter*, in quo etiam præ ceteris Deus honoratur & colitur) cùm summa gloria, splendore, & maiestate resurgens, assumpsit. Hoc templum, ait Albertus Magnus, videri à Sanctis omnibus per gratiam redemptionis, dicente ipsomet, per S. Euangelistam suum Ioannem: *Abraham Pater vester exultauit vt videret diem meum, vidit, & gauisus est.*

Psal. 21. v. 2. Matth. 27. v. 46.

Ad Coloss. c. 2. v. 9.

Ioan. c. 8. v. 56.

Hominũ, etiam bonorum, in calamitatibus pusillanimitas.

29 Quod à IONA factum est semel, vt nimirum pusillanimior, conuersus ad Deum, diceret: *Abiectus sum à conspectu oculorum tuorum*; fit à nobis plus satis frequenter. Quotus enim quisque, eorum etiam, qui se ambulare secundùm spiritum arbitrantur, cùm grauiori aliquâ molestiâ tentationeq; pulsatur, non protinus dicit abiectum se, relictum, desertum, ac velut à Deo exulem factum, miseram vitam agere; vitam, inquam, morti quàm vitæ propinquiorem: vnde tum nihil non malorum eius menti obuersari quoque videtur. Huic nunc solatio sit obtutus in IONAM, & in Sanctos plures omnium ætatum & ordinum, qui durissima quæque perpessi, nõ modò non desponderunt animum; sed *fortes facti sunt in bello*, ac gloriosam de domesticis hostibus victoriam retulerunt: vt eorum exemplo pugnare discar , & vincere.

Ad Hebr. c. 11. v. 34.

Nemo abiicitur à Deo nisi qui seipsũ abiecerit.

30 Nescio quâ socordiâ & ignauiâ, dicimus modò plerique, & nimium facilè dicimus: *abiectus sum.* Non sic se res habet, nemo abiectum se putet, nisi semet ipse abiecerit. Et hæc est iusta Dei in nos querela, quòd nimium ad hoc faciles simus; relinquentes venam aquarum viuentium, & abiicientes nos ad bibendam aquam voluptatum seculi turbidam. Cesset ergo potus hic frigidæ noxius, & pro eo bibamus, ingressi templum sanctum eius, aquam sapientiæ salutaris; quâ in nobis restaurentur vires pristinæ: vt demum, oblato hic sacrificio cordis contriti & humiliati, videamus templum sanctum gloriæ ipsius, & ibi diuinam eius maiestatem suauissimis lætitiæ canticis honoremus, omnibus consecuturis seculis, totâque deinceps æternitate. Amen.

LEC.

LECTIO SEPTIMA.

CIRCVMDEDERVNT ME AQVÆ VSQVE AD ANIMAM: ABYSSVS VALLAVIT ME, PELAGVS OPERVIT CAPVT MEVM. *Vers. 6.*

AD EXTREMA MONTIVM DESCENDI: TERRÆ VECTES CONCLVSERVNT ME IN ÆTERNVM. *Vers. 7.*

ARGVMENTVM.

Recensetur multitudo & magnitudo periculorum IONÆ. *Hæc quâ ratione ex peccato nascantur, & iisdem quo modo sit occurrendum, ostenditur. Tributationes nec obesse electis, nec esse perpetuas, declaratur. In iisdem quis sit portus securus indicatur.*

Vnde colligatur metus Ionæ.

1 XVRGVNT iterum noua bella in animo IONÆ, iterum nouæ eum ærumnæ impetunt, & ad pusillanimitatem metumque prouocant; eoque maiorem, quò est illa, quam subit, calamitas maior. Sex quæ ad metũ magno incitamento fuerunt, & IONAM non parum conturbarunt, hic enarrari ab eo notat Albertus Magnus. Primum: *Circumdederunt me aquæ vsque ad animam.* Secundum: *Abyssus vallauit me.* Tertium: *Pelagus operuit caput meum.* Quartum: *Ad extrema montium descendi.* Quintum: *Terræ vectes concluserunt me.* Sextum: *In æternum.* Et sanè quis non credat pessimè illi fuisse, quando eò deuentum fuit, vt dixerit: CIRCVMDEDERVNT ME AQVÆ VSQVE AD ANIMAM: id est, vsque ad animæ vitæque periculum, vsque ad discrimen vltimum. 70. vertunt: *Circumfusa est mihi aqua vsque ad animam.* Prouerbium est, quo declaratur extrema necessitas: quasi dicat, ita mihi vndequaque molestæ sunt aquæ, ita me circumdant & ambiunt vndique, vt totum corpus penetraturæ, & per oculos, aures, nares, in caput; per os in stomachum & intestina omnia; per poros in singula membra irrupturæ, atque ipsam animam meam petituræ, eamque mersuræ & oppressuræ videantur: nisi Deus, illis cohibitis, me suâ benignitate & plus quàm paternâ curâ seruauerit. Quod non mirum videri debet: cetus enim perpetuò aquas combibens, iis stomachum suum implebat, quibus mox innatans IONAS propè mergebatur; vt meritò dicere posset, parũ abfuit quin mortuus sim. Et ad hunc sensum, vbi nos habemus, *vsque ad animam*, Chaldæus clarius vertit, *vsque ad mortem*; putabat enim se aquis vel mergendum, vel certè suffocandum, aëre ad respirandum necessario priuatum in ventre ceti & calidissimo, & aquis refertissimo.

Molestiæ quas Ionas in ceto ab aquis est passus explicantur.

Sed, vti suo loco videbimus, emersit incolumis, minore damno quàm Hercules, de quo diximus alias, fuisse à Poëtis relatum in fabulas, quòd valês quidem & vegetus è ceto prodierit; verùm, concoctis illius calore pilis, totus glaber, neque iam crinitus vt antè.

2 Quemadmodum hic de se ore proprio IONAS; ita de se quoque, sed ore Dauidico, loquitur Christus Seruator noster: *Saluum me fac Deus: quoniam intrauerunt aquæ vsque ad animam meam.* Exponit Bellarminus Cardinalis,

Psal. 68. v. 2. Christus ex dolore mortuus

dinalis, similis factus sum ei qui demersus in aquas, has sentit paulatim vsque eo ad vitalia penetrare, vt iam amplius respirare, ac viuere non possit. Quod Christo Domino accidisse nimis verum est, & manifestum; tot enim affectus doloribus & suppliciis fuit, vt non immeritò dixerit, hæc omnia velut in imagine sibi clarè proposita contemplatus in horto, quò post cœnam vltimam cum discipulis suis oraturus concesserat: *Tristis est anima mea vsque ad mortem.* hoc est, adeo sum tristis, vt ex hac mea tristitia mors sequi possit, animæque à corpore diuulsio, quæ & secuta: nam tandem præ doloris magnitudine exspirauit in cruce. Quod penitius considerans Beatus Ambrosius, hæc ita Domino nostro conuenire ait, vt in IONAM non quadrent.

Matth. c. 26. v. 38.

Aquas tribulationum per Christi plagas si decurrere sinamus, suaues erunt.

Sinamus quæso, vt tribulationum aquæ, quæ nos sæpe circumdant vsque ad animam, per sacras Christi plagas, ceu per saxosas valles, perque glareas decurrendo ad nos perueniant; tum certè dulciores erunt & salubriores, vtpote quæ vim medicam tãquam ex attactu cornu rhinocerotis, aut ligni, quod omnem amaritiem tollit, perceperint.

Ex peccato quæ pericula nascantur ostenditur.

3 Nos tangit potissimum, quod ait Franciscus Ribera, verbis IONÆ, dicentis: *Circumdederunt me aquæ vsque ad animam,* designari latens in peccatis periculum, paucis & tantùm viris spiritualibus notum. Vix enim, inquit ille, quisquam cùm peccat, & victas tentationi dat manus, magnum se putat discrimen incurrere. Nam ardens concupiscentia, primò tantùm quasi in torrentem quemdam, qui talos non transcendit, ingreditur; at paulatim accedunt fluuij, id est, noua, multa & magna peccata, quibus iam obscuratus animus, ita capitur, vt progredi semper velit, ignarus periculi; sicque qui prius torrens videbatur, mox auctus aquis, & semper pluribus, paulatim altior & altior, tandem summum verticem contingit, *& circumdant eum aquæ vsque ad animam:* id est, in tantum vitiorum detinetur illecebris, vt nequaquam de salute cogitet, obrutus iniquitate, secundùm illud Salomonis: *Impius cùm in profundum venerit peccatorum, contemnit.*

Prouerb. c. 18. v. 3.

Peccator statim ex peccato emergere debet, ne pereat.

4 Videat igitur qui aquas iniquitatis ingressus est parum cautus; vt nunc aliquanto cautior, confestim sese ex iis proripiat; ne imprudens & minus cogitans, ita paulatim ab iisdem absorbeatur, vt educi deinde non possit. Dicebat Dauid: *Torrentem pertransiuit anima nostra: forsitan pertransisset anima nostra aquam intolerabilem.* Sic est, facilè pertransimus torrentes, sed non ita aquas intolerabiles: liberamur inquam ab inundatione tentationum, cùm peccatum adhuc instar torrentis est; sed si torrentem hunc crescere sinamus, si peccata peccatis cumulemus, crescunt aquæ, quæ superari mox non nisi ægrè admodum possunt, mentem obruunt, suffocant spiritum, & hominem emergere nescium immaniter perimunt.

Psal. 23. v. 5.

5 Quare statim obuiandum est, educendæ, vbi vel irrepserint paululum, atque ne prorepant vlterius, & incrementum sumant, curandum. Habeat igitur hic etiam locum illud Ouidij.

Principiis obsta: serò medicina paratur,
Cùm mala per lõgas cõualuere moras.

Ouid. lib. 1. de Remedio.

Tentationibus obuiandum initio, & peccatis etiam leuioribus occurrendum.

Erat illud sanctum cælestis sponsi, cùm sponsam suam de seruanda tuẽdaque sibi commissa vinea moneret, consilium. Volebat enim, vt etiam paruis delictis primò animum pulsantibus attenderet, ne ea paulatim in grauiora excrescerent, sicque aut pondere, aut multitudine, ad lethifera ducerent. Hinc ille eius ad sponsam & sponsæ sodales ac socias sermo: *Capite nobis vulpes paruulas, quæ demoliuntur vineas.* Esto non tã sint magnæ vulpes illæ, vt aut exstirpare, aut à radicibus mordicus truncare vites possint; vires tamen cum tempore accipiunt, & nocere non desinunt. D. Bernardus vulpes paruulas interpretatur tentationes illas quę clam irrepunt, & sub virtutum specie minus cautas animas fallunt, quæ etiam excrescunt paulatim, & robur

Cant. c. 2. v. 15.

Serm. 64. in Cantica.

robur animi eneruantes, hominem paulatim perdunt, & perimunt.

6 In re bellica, cùm alicui, præterquam quòd hostem habeat externum, etiam negotium cum hoste domestico intercedit, momenti est maximi, inuigilare & conniti summâ, non minus industriâ, quàm virtute & viribus, ne cum externo conspiret domesticus, & hic illi aperiat viam, quâ socientur, sociati augeantur potentiâ & viribus, fiantque potiores.

Cùm primùm per peccatum Deum offendit homo, intestinum statim in animo eius exortum est bellum, facultates animæ inferiores factæ sunt rationi rebelles, cœpitq; *Caro concupiscere aduersus spiritum*, qui fuit tantoperè hac luctâ continuâ debilitatus, & in malum propensus effectus, vt videns bonum, cum aliquo etiam illius consequendi desiderio, ægrè tamen in illud totâ mente ferri potuerit; secundùm quod de se Paulus testatur: *Velle adiacet mihi: perficere autem bonum, non inuenio. Non enim quod volo bonum, hoc facio: sed quod nolo malum, hoc ago.* Et inter Ethnicos Poëta non ignobilis.

Ad Gal. c.5.v.17.

Ad Rom. c.7.v.18.

——video meliora proboq́,
Deteriora sequor——

7 Verè factus est homo per peccatum velut terra maledicta, quæ licet culta, & instrata semine optimo, tamē pro potiori parte producit spinas & tribulos. Colitur ager mentis nostræ multis & variis modis non infrequenter, iacitur in eum semen optimum Verbi Dei, verùm fructu non magno: repletur enim auaritiâ, ambitione, inuidiâ, aliisque affectionibus prauis innumeris, quæ bonum illud semen suffocant. Quid Caïnum fecit interfectorem fratris sui? Inuidia. Quid Esau fratris sui Iacobi inimicum, quid minari illi interitum, venire deinde post annos viginti in comitatu quadringentorum hominum, ad diu meditatum facinus perpetrandum? Inuidia. Quid fratres Iosephi incitauit ad eum Madianitis, hominibus barbaris & ignotis, vendendum in seruum? Inuidia. Quid impulit Pharaonem ad exterminandam & eradicandam si posset totam posteritatem Iacob? Inuidia, dominandi libido, timor perdendi principatus. Nam secundùm quod ait Lucanus:

——omnisq́; potestas
Impatiens consortis erit——

8 Certè ab hoste ac pugna domestica plurimum nobis malorum est, quæ etiam crescūt vbi ad domesticum hostem extranei accesserint, quod fit non raró. Sæpè enim cùm cessat tempestas, quę latebat intus in animo, tum illa quæ foris est, agere partes suas demum incipit. Hic noster Ionas delictum suum agnouerat, sui illum facti pœnitebat, meliora statuerat: omnia ergo domi pacata, sed non foris; latebat enim in ventre piscis, ibique ab aquis, velut hostibus perpetuò impetebatur adeo vehementer; vt, tanquam si iam esset obruendus, exclamarit: *Circūdederunt me aquæ vsq; ad animam.*

Vrbe, vno tantùm ex latere oppugnatâ, & ab inimicis impetitâ, facile est ciuibus, vel fugâ euadere, vel inductione noui præsidij se communire. Verùm hac ab hoste vndequaque vallatâ, vndequaque circumdatâ, imminet ciuibus non leue periculum, maximè si magno numero (sicut immensum vastumque mare cetum & in eo Ionam) hostis vrbē obsideat. In mundo hoc vndique inimicis cingimur: *Quoniam omne quod est in mūdo*, inquit Ioannes, *concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ.* Hi nos inimici magni & potentes impetunt semper, multos vincunt, à quibusdam vincuntur. Victor euasit Ionas delicti sui pœnitentiâ & precibus: vincamus & nos, illius exemplo.

1. Ioan. c.2.v.16.

9 Sed agamus, illum periculorum suorum magnitudinē aliis atque aliis verbis aperire volentem, nequaquam moremur. Abyssus, inquit, vallavit me. Sanctes Pagninus vertit, *Vorago circūdedit me.* Albertus Magnus abyssum ab à, id est sine, & byssus, id est candor luminis, quasi sine lumine, deriuat; sicut alij voraginem à vorando dictam ferunt, quòd voret: circumdatus

Quid abyssus & vorago.

datus ergo voragine IONAS, quid aliud exspectare poterat, quàm vt voraretur, & abysso ac tenebris vallatus, quàm vt ibi, eluctari nescius, semper hæreret. Etiam abyssum vocamus aquam vastam & fundo carentem, vnde nullus absorpto est exitus Simili abysso tanquam vallo munitum se ait, ne possit euadere: atque nihil vt desit, addit aliud nouum & certius periculū.

10 PELAGVS OPERVIT CAPVT MEVM. Si, vt ait Arias Montanus, Castrius, & alij, dimissus vsque ad fundum maris, in ipso hærebat, pisce quo concludebatur suo capite pauimentum tangente, dicere meritò omnibus super eum defluentibus aquis poterat, *Pelagus operuit caput meum.* Porrò hac verborum copiâ vtitur, vt nihil eorum, quæ illi accidêre, nos lateat, & magis se debitorem Deo, vtpote ab eo pluribus calamitatibus ereptum, agnoscat. Mos est piorum hominum, Deum eiusque gloriam syncerè amantium, omnia huic seruitura palam facere, omnia in apertum lucemque producere; vt qui hæc vidēt, audiunt, intelligunt; & eius mirabilē agnoscāt prouidentiam, & ad eam collaudandam amplius incitentur, & cum gratiarum actione collata cælitus bona suscipiant.

Dei amici, omnia quæ ad eius gloriam faciunt enuntiant.

11 Pro *Pelagus* in Hebræo est *Suph*, quod ex multorum sententia significat iuncum, algam, carectum, & his similia, nasci in imo maris ad radices montium solita, quibus natantes, marinæ etiam belluæ, irretiuntur & inuoluuntur interdū. Ita sentiunt Rabbi Dauid Kimchi, Pagninus, Vatablus, omnes magni Hebræi; atque pro eo quod habet Vulgata nostra lectio: *Pelagus operuit caput meum*, legunt; *alga alligata*, siue *implicita est capiti meo.* Quod IONÆ euenire, quorumdam iudicio, non difficilè potuit; cùm eiusmodi carecta à cetis vorata, in eorum aluo, vt ait Rondeletius, inueniri plurimum soleant. Alij interpretantur; quòd, ceto iuncis & caricibus inuoluto, ipse iisdem inuolutum se, iam factum ceti hospitem, dixerit.

Suph quid significet ex sententia multorum.

12 Cornelius à Lapide ait Hebręis vocem *Suph*, propriè idem esse, quod est Latinis terminus: transferri verò ad significandum id, quod in maris & fluminum extremitate seu termino nasci consueuit, vt carectum, & alia. His autem, quoniam mare Rubrum, Ægypti, Arabiæ, & maris omnis terminus abundat potissimum, sunt qui illud, *mare Suph* dictum existiment. Sed æquè quoduis aliud mare, *Suph* dici potest: nam si non terminet, terminatur saltem, cùm nullum sit mare, quantumuis vastum, non certis circumdatum terminis, ipso Domino apud Iobum dicente de mari generatim, nullum excludens: *Circumdedi illud terminis meis, & posui vectem, & ostia & dixi: Vsque huc venies, & non procedes ampliùs, & hic confringes tumentes fluctus tuos.* Significabit itaque *Suph* Primò mare quodcumque finitum & limitatum. Deinde mare iuncis & carectis abundans, quale nullum non, circa littus præsertim, sicque nomen illud Hebræum cum translatione S. Hieronymi, & Vulgata, quæ habet: *Pelagus operuit caput meum*, planè consentiet. Sugillat quidem hanc interpretatione S. Hieronymi Drusius, sed ipse ampliùs sugillandus.

Quid propriè Suph.

Iob c. 38. v. 10.

Suph etiā mare significat.

13 Petrus à Figueiro in editione Chaldaica, quam ad Commentarios suos Vulgatæ iunxit, habet: *Mare, & carectum, suspensum est super caput meum:* alij *mare Suph.* Interpretatur Pineda, mare Rubrum, secutus Rabbinos, qui legunt, *mare Rubrum implicauit caput meum.* Ac si dicat IONAS: Video me quasi innatantem, aut potiùs obrutū sanguineis vndis, mortem minantibus, in quibus olim tuo populo salus, hosti interitus. Illi calcarunt viridantē campum; at non sic ego: nam caput meum algâ, iunco herbaque, quam illi calcarunt, obtegitur.

Pineda de Suph hoc loco sententia singularis.

14 Verùm quòd deuectum à ceto ad Rubrum mare IONAM, quòd fusas ab eo ibidem preces, quòd eiectum ad illius littus aliquod, huius loci auctoritate certiùs, aut etiam probabiliùs credi possit, ego certè non credo. Neque

Ionas mare rubrum non vidit.

Neque enim, vt cum ita sentientibus sentiam, sat solida video fundamenta.

15 Fateor Rubrũ mare iuncis, carectis & similibus abundare: sed non idcirco carẽt iis maria cetera; vt propterea, si dicere cum quibusdam voluerimus, [iuncis IONÆ caput implicitum, in mari Rubro hæsisse, aut illud cum ceto transnatasse opinari oporteat.

Perstabimus ergo in versione nostra vulgata, Patrum opinione probatissima & optima; quæ habet: *Pelagus operuit caput meum:* & sic cessabit illa de mari Rubro, iuncis, caricibus, IONÆ per aquas inuias peregrinatione], vana contentio. Secundùm hanc ergo dico, hoc loco significatum voluisse Prophetam; nobisque dictũ, sub vndis versor, illæ me tegunt vndique, neque pauculæ aliquæ; sed totus, quantus, quantus est pontus, immensum & vastum pelagus ceruicibus meis impendet, illud operit omnia.

Tribulationes electorum animas non lædunt.

16 Verùm, esto, caput tuũ totumque corpus operiat mare; animam certè nequaquàm operiet IONA, securus esto. Sic & vos estote mediis in aduersitatibus, in periculis, etiam impetiti ab hostibus, securi, intrepidi. Dixit eleganter & verè B. Petrus Damiani: *Separat Deus ab electis reproborum turbines persequentium, & quasi furentes coërcet impetus tempestatum, quos etsi furere vsque ad infligenda corporibus tormenta concedit, ne tamen animas lædant inuictâ eos atque peruigili brachij sui protectione custodit, quodammodo dicens mari: Huc vsque venies, & non procedas amplius, & hic confringes tumentes fluctus tuos; ac si patenter dicat, vsque ad inferenda corporibus te tormenta relaxa, ne autem vsque ad animam tumulis intumescentibus profluas, legis meæ tibi littus oppone; vt dum furori fluctuum tuorum littus obiicitur, terra cordis, ad proferenda fructuum germina, libera relinquatur.* Hæc Damianus, ex quibus apparet non posse illata nobis forinsecus mala ad animum penetrare, nisi nos ipsi velimus.

Damian. serm. de S. Georgio.

Mare cauernas habet ad radices montium vt terra.

17 Adhuc amplius IONAS quã non potuerit mortem humanâ ope euadere, exponens ait: AD EXTREMA MONTIVM DESCENDI, Chaldæus vertit, *ad radices*, LXX. *scissuras*. Intelligit Propheta per extrema montium ingentes illas, quæ in mari esse ad montium radices solent cauernas. In his ait Albertus aquas recipi, ad fluminum fontiumque principia. Benè autem dicuntur scissuræ, quòd ibi montes scindantur, diuidantur, atque à se inuicem separentur: suntque ea loca profundissima, sicuti in montibus, quos mare non obtegit, ad oculum patet, in Alpibus potissimùm Italiam à Germania, Gallia, Hispania diuidentibus, ad quorum radices vastissimi sunt hiatus, & profunditates immensæ, quibus illapsæ magnâ vi è cacuminibus, solutâ niue ac glacie, aquæ copiosissimæ, cùm alliduntur ad scopulos nudè tumultuantur, subsultant, & perstrepunt horrendo transeuntibus spectaculo, neque minore periculo.

Radices Alpium quales.

Montes sunt sub aquis ingentes.

18 Sed num sicut in terra ita & in aquis sunt montes alicubi, ad quorum radices descendere captiuus Propheta potuerit? Nullum est dubium, quin sint montes & rupes ingentes sub aquis, infames nauigantium scopuli, in quibus etiam reperire est antra immania quæ ex parte inferiori rectè extrema montium nuncupaueris, in his velut in domibus, aut potiùs in nidis suis maiores pisces latitant; ad quorum aliquod spelæum aut antrum cùm à ceto deductus sit IONAS, rectè ait *Ad extrema montium descendi.*

Ioppe littus vtrimque montosum

Egesippus lib. 3. excidij Ierosol. c. 20.

19 Vt autẽ appareat, quã apposite; notandum ex Egesippo, littus Ioppe vtroque ex latere rupes habere prominentes, saxáque ingentia; quæ cùm de imo mari surgant, in mare excurrunt tamen: circa hæc IONAS deiectus, & à ceto exceptus, quamprimum cum eo in abyssum descenderit, è qua montes hi scopuliue erumpũt. Et quoniam omnem euadendi viam præcludunt, ab eo rectè vocantur *Extrema mon-*

datus ergo voragine IONAS, quid aliud exſpectare poterat, quàm vt voraretur, & abyſſo ac tenebris vallatus, quàm vt ibi, eluctari neſcius, ſemper hæreret. Etiam abyſſum vocamus aquam vaſtam & fundo carentem, vnde nullus abſorpto eſt exitus Simili abyſſo tanquam vallo munitum ſe ait, ne poſſit euadere: atque nihil vt deſit, addit aliud nouum & certius periculũ.

10 PELAGVS OPERVIT CAPVT MEVM. Si, vt ait Arias Montanus, Caſtrius, & alij, dimiſſus vſque ad fundum maris, in ipſo hærebat, piſce quo concludebatur ſuo capite pauimentum tangente, dicere meritò omnibus ſuper eum defluentibus aquis poterat, *Pelagus operuit caput meum.* Porrò hac verborum copiâ vtitur, vt nihil eorum, quæ illi accidère, nos lateat, & magis ſe debitorem Deo, vtpote ab eo pluribus calamitatibus ereptum, agnoſcat. Mos eſt piorum hominum, Deum eiuſque gloriam ſyncerè amantium, omnia huic ſeruitura palam facere, omnia in apertum lucemque producere; vt qui hæc vidẽt, audiunt, intelligunt; & eius mirabilẽ agnoſcãt prouidentiam, & ad eam collaudandam amplius incitentur, & cum gratiarum actione collata cælitus bona ſuſcipiant.

Dei amici, omnia quæ ad eius gloriam faciunt enuntiant.

11 Pro *Pelagus* in Hebræo eſt *Suph*, quod ex multorum ſententia ſignificat iuncum, algam, carectum, & his ſimilia, naſci in imo maris ad radices montium ſolita, quibus natantes, marinæ etiam belluæ, irretiuntur & inuoluuntur interdũ. Ita ſentiunt Rabbi Dauid Kimchi, Pagninus, Vatablus, omnes magni Hebræi; atque pro eo quod habet Vulgata noſtra lectio: *Pelagus operuit caput meum*, legunt; *alga alligata*, ſiue *implicita eſt capiti meo.* Quod IONÆ euenire, quorumdam iudicio, non difficilè potuit; cùm eiuſmodi carecta à cetis vorata, in eorum aluo, vt ait Rondeletius, inueniri plurimum ſoleant. Alij interpretantur; quòd, ceto iuncis & caricibus inuoluto, ipſe iiſdem inuolutum ſe, iam factum ceti hoſpitem, dixerit.

Suph quid ſignificet ex ſententia multorum.

12 Cornelius à Lapide ait Hebręis vocem *Suph*, propriè idem eſſe, quod eſt Latinis terminus: transferri verò ad ſignificandum id, quod in maris & fluminum extremitate ſeu termino naſci conſueuit, vt carectum, & alia. His autem, quoniam mare Rubrum, Ægypti, Arabiæ, & maris omnis terminus abundat potiſſimum, ſunt qui illud, *mare Suph* dictum exiſtiment. Sed æquè quoduis aliud mare, *Suph* dici poteſt: nam ſi non terminet, terminatur ſaltem, cùm nullum ſit mare, quantumuis vaſtum, non certis circumdatum terminis, ipſo Domino apud Iobum dicente de mari generatim, nullum excludens: *Circumdedi illud terminis meis, & poſui vectem, & oſtia & dixi: Vſque huc venies, & non procedes ampliùs, & hic confringes tumentes fluctus tuos.* Significabit itaque *Suph* Primò mare quodcumque finitum & limitatum. Deinde mare iuncis & carectis abundans, quale nullum non, circa littus præſertim, ſicque nomen illud Hebræum cum tranſlatione S. Hieronymi, & Vulgata, quæ habet: *Pelagus operuit caput meum*, planè conſentiet. Sugillat quidem hanc interpretatione S. Hieronymi Druſius, ſed ipſe ampliùs ſugillandus.

Quid propriè Suph.

Iob c. 38. v. 10.

Suph etiã mare ſignificat.

13 Petrus à Figueiro in editione Chaldaica, quam ad Commentarios ſuos Vulgatæ iunxit, habet: *Mare, & carectum, ſuſpenſum eſt ſuper caput meum:* alij *mare Suph.* Interpretatur Pineda, mare Rubrum, ſecutus Rabbinos, qui legunt, *mare Rubrum implicauit caput meum.* Ac ſi dicat IONAS: Video me quaſi innatantem, aut potiùs obrutũ ſanguineis vndis, mortem minantibus, in quibus olim tuo populo ſalus, hoſti interitus. Illi calcarunt viridantẽ campum; at non ſic ego: nam caput meum algâ, iunco herbaque, quam illi calcarunt, obtegitur.

Pineda de Suph hoc loco ſententia ſingularis.

14 Verùm quòd deuectum à ceto ad Rubrum mare IONAM, quòd fuſas ab eo ibidem preces, quòd eiectum ad illius littus aliquod, huius loci auctoritate certiùs, aut etiam probabiliùs credi poſſit, ego certè non credo. Neque

Ionas mare rubrum non vidit.

Neque enim, vt cum ita sentientibus sentiam, sat solida video fundamenta.

15 Fateor Rubrũ mare iuncis, carectis & similibus abundare: sed non idcirco carẽt iis maria cetera; vt propterea, si dicere cum quibusdam voluerimus,] iuncis IONÆ caput implicitum, in mari Rubro hæsisse, aut illud cum ceto transnatasse opinari oporteat.

Perstabimus ergo in versione nostra vulgata, Patrum opinione probatissima & optima; quæ habet: *Pelagus operuit caput meum:* & sic cessabit illa de mari Rubro, iuncis, caricibus; IONÆ per aquas inuias peregrinatione], vana contentio. Secundùm hanc ergo dico, hoc loco significatum voluisse Prophetam; nobisque dictũ, sub vndis versor, illæ me tegunt vndique, neque pauculæ aliquæ; sed totus, quantus, quantus est pontus, immensum & vastum pelagus ceruicibus meis impendet, illud operit omnia.

Tribulationes electorum animas non lædunt.

16 Verùm, esto, caput tuũ totumque corpus operiat mare; animam certè nequaquam operiet IONA, securus esto. Sic & vos estote mediis in aduersitatibus, in periculis, etiam impetiti ab hostibus, securi, intrepidi. Dixit eleganter & verè B. Petrus Damiani: *Separat Deus ab electis reproborum turbines persequentium, & quasi furentes coërcet impetus tempestatum, quos etsi furere vsque ad infligenda corporibus tormenta concedit, ne tamen animas lædant inuictâ eos atque peruigili brachij sui protectione custodit, quodammodo dicens mari: Huc vsque venies, & non procedas amplius, & hic confringes tumentes fluctus tuos; ac si patenter dicat, vsque ad inferenda corporibus te tormenta relaxa, ne autem vsque ad animam tumulis intumescentibus profluas, legis meæ tibi littus oppone; vt dum furori fluctuum tuorum littus obiicitur, terra cordis, ad proferenda fructuum germina, libera relinquatur.* Hæc Damianus, ex quibus apparet non posse illata nobis forinsecus mala ad animum penetrare, nisi nos ipsi velimus.

Damian. serm. de S. Georgio.

Mare cauernas habet ad radices montium vt terra.

17 Adhuc amplius IONAS quã non potuerit mortem humanâ ope euadere, exponens ait: AD EXTREMA MONTIUM DESCENDI, Chaldæus vertit; *ad radices*, LXX. *scissuras*. Intelligit Propheta per extrema montium ingentes illas, quæ in mari esse ad montium radices solent cauernas. In his ait Albertus aquas recipi, ad fluminum fontiumque principia. Benè autem dicuntur scissuræ, quòd ibi montes scindantur, diuidantur, atque à se inuicem separentur: suntque ea loca profundissima, sicuti in montibus, quos mare non obtegit, ad oculum patet, in Alpibus potissimùm Italiam à Germania, Gallia, Hispania diuidentibus, ad quorum radices vastissimi sunt hiatus, & profunditates immensæ, quibus illapsæ magnâ vi è cacuminibus, solutâ niue ac glacie, aquæ copiosissimæ, cùm alliduntur ad scopulos nudè tumultuantur, subsultant, & perstrepunt horrendo transeuntibus spectaculo, neque minore periculo.

Radices Alpium quales.

Montes sunt sub aquis ingentes.

18 Sed num sicut in terra ita & in aquis sunt montes alicubi, ad quorum radices descendere captiuus Propheta potuerit? Nullum est dubium, quin sint montes & rupes ingentes sub aquis, infames nauigantium scopuli, in quibus etiam reperire est antra immania quæ ex parte inferiori rectè extrema montium nuncupaueris, in his velut in domibus, aut potiùs in nidis suis maiores pisces latitant; ad quorum aliquod spelæum aut antrum cùm à ceto deductus sit IONAS, rectè ait *Ad extrema montium descendi.*

Ioppe littus vtrimque montosum.

Egesippus lib. 5. excidij Ierosol. c. 20.

19 Vt autẽ appareat, quã appositè; notandum ex Egesippo, littus Ioppe vtroque ex latere rupes habere prominentes, saxaque ingentia; quæ cùm de imo mari surgant; in mare excurrunt tamen: circa hæc IONAS deiectus, & à ceto exceptus, quamprimum cum eo in abyssum descenderit, è qua montes hi scopuliue erumpũt. Et quoniam omnem euadendi viam præcludunt, ab eo rectè vocantur *Extrema*

montium. Nam ficuti qui ex cacumine ad imum vſque montis cadit, regredi non niſi permoleſtè & cum magnò periculo neque minore incommodo poteſt, præruptis ſaxis omnem reditum præcludentibus: ita ſibi accidiſſe in aquis ipſe fatetur.

20 An ergo nullus ab extremis montium vnquam ſurſum regreſſus? Non id affirmo, ſi montes aperti ſint, nec clauſi, ſi non omninò accliues ac rigidi, ſi non lubrici, & ad excipienda pedũ veſtigia inidonei. Verùm quàm hic fieri non potuerit, vt regrederetur ſurſum, vnde deſcenderat, indicat IONAS cùm ait: TERRÆ VECTES ME CONCLVSERVNT IN ÆTERNVM. Hos vectes interpretatur Albertus inferiora retinacula terræ ne ab infimo loco decidat. Quidquid ſit, tantum eſt ac ſi dicat: Quomodo poſſim vllâ ope humanâ vllâue induſtriâ eluctari, atque à captiuitate tam inuſitata, tam mira, tam miſera liber euadere, cùm ſim ita concluſus vndique montibus, atque ſi vectibus clauderer, & quidem *vectibus æternis*, id eſt fortiſſimis, nullâ vi quantũuis magnâ rumpendis, ſemper valituris, ſemper duraturis. Quare iudicate num quis fuerit euadendi modus, quando terra me ita vndique concluſerat; ſicuti oſtium forti firmatum ſerâ & peſſulis, concludere captiuũ loco aliquo ſolet, vt ad illam regredi non poſſem vllò modo, atque ex hoc tã infauſto carcere liber euadere. Quod exprimentes clariùs LXX. ſic tranſtulerunt: *Deſcendi in terram, cuius vectes retinacula ſempiterna.*

Quid terræ vectes.

Nihil turbulentius, nihil aſperius, nihil magis indomitũ mari irato. Date mihi hominẽ omnia reliqua, quantumuis effera, coërcentem & frenantem, nullum certè dabitis, cuius ſe in marinos fluctus, in tumultuantes vndas, extendat imperium. Quod de Æolo ventorũ Rege, quod de Neptuno maris domino, tempeſtatem concitantibus, eandẽque ſopientibus dixit antiquitas, fabula eſt: neque enim hic, quantumuis id fingat Virgilius,

Mare nemo niſi ſolus Deus frenare poteſt.

——*Dicto citius tumida æquora placat,*
Collectasq́; fugat nubes, ſolemq́; reducit.

I. Æneid.

Neque ille potens eſt facere, vt
——*Venti, velut agmine facto*
Quâ data porta ruant & terras turbine perflent.

Ibid.

Solus hæc poteſt, qui omnia, Deus. Hic eſt qui diuinâ ſuâ prouidentiâ ſapientiâque, iam ab orbe condito hominum ſaluti, incolumitati, indemnitati, commodis, bonoque proſpiciens, mare coërcuit, & eius inſaniæ, ſi ſic loqui liceat, dominandi libidini frænos iniecit, poſitis littoribus, velut peſſulis quibuſdam & vectibus, quibus claudatur, ne tranſiliat, exundet, omniaque inuoluat. Cuius diuinæ prouidentiæ, ſapientiæque memor Salomon: *Circumdabat*, inquit, *mari terminum ſuum, & legem ponebat aquis, ne tranſirent fines ſuos.*

Poteſtas & vis maris littoribus à Deo coërcetur.

Prou. c. 8. v. 29.

21 Hunc terminum, vocat IONAS, quemadmodum etiam Iob, *terræ vectes.* Nam ſicut vectibus, & ferramentis vrbium portæ firmantur, ne ſit hoſtibus aditus: ſic obiectis montibus mare vallatum præpeditur, ne terram inundet & obruat. Et ſicut montes hi arcent mare, ita & his, & aliis, qui ibi vſpiam erant in medio mari, vbi ipſe hærebat cum ceto, arceri ſe IONAS ait, ne optatum poſſit littus attingere. En, inquit, hi vectes, hæc oſtia, mihi etiam ſunt clauſa, littora quoque & promontoria omnia, ad quæ ſolent naues appellere, facta ſunt mihi inacceſſa, & inuia. Necdum ſatis: rupes adeò munitas & fortes mihi impoſitas ſentio; vt eas aut perrumpere, aut confringere nequeam, quò ſuper aquas erigar vel tantillum, multò minùs euadam. Si igitur ex hac ſubterranea cauerna eluctari non poſſim, neque ad marinas vndas redire, atque ex illis vel ſemel longè lateque pontum & aërem circumſpicere, quomodo terram videbo, quomodo ad littus appellam? vt video,

Ionas impedimenta, quò minùs ad terram pertingere poſſit, aſſignat.

deo, *Terræ vectes concluserunt me in æternum.* Existens in antro meo, dixi: Hic necessitate compulsus maneo, & manebo; neque enim sic concluso, sine te Deus tuaque ope atque subsidio, quod nequaquam merui, vllus aut exitus, aut aditus patet in terram.

Dei mandato nullũ retinaculum fortius.

22 Dicat de his vectibus quod placuerit IONAS, censeat fuisse, vti omninò fuêre, fortissimos, tamen non dubito quin fuerint alij, qui concludebant eum longè fortiores, videlicet mandatum Domini. Hoc, si rectè perpendat, dicere meritò poterit, se quàm arctissimè detineri conclusum, arctiùs longè quã vectibus, repagulis, & ostiis, quantumuis adamantinis: quippe illud numquam perrupturus; cùm Dei voluntate nullum sit retinaculum fortius, nullumque potentius.

23 Et verò metuere nõ absre poterat, esse Domini voluntatem vt istic hæreret; cùm contra eam profugus, sciret mereri se detineri captiuum, atque in carcere à patria exulem, ignotum, ab hominum omnium consortione remotissimum, in obscuro, inquam, ventre tam fœdæ & immanis belluæ, cum ingenti & perpetuo horrore, neque minore supplicio permanere. Sciret quoque nihil sibi profutura humana præsidia, & Dei peculiaria se nequaquam commeritum.

Ionas nouerat mortuorum resurrectionem.

24 Porrò, si verba ipsius spectemus, sic loquitur, quasi non tantũ timuerit; sed omninò arbitratus sit (quãquam, eò quòd esset Propheta, alij aliter sentiant) sibi in ceto manendum, clausâ ad regressum viâ: sic tamen, vt licet in eo tumulandus esset, aut certè in mari, & postquam fuisset ibidem esca piscibus, ludibrium fluctibus, non ignorarit, quòd nequaquam mansurus in æternùm; neque enim illi erat ignotum, venturam aliquando diem; quâ, vt D. Ioannes ait, *Dabit mare mortuos suos*, quæ nos deinde æternitati adscribet, numquam ampliùs morituros. Apocal. c.20. v.13.

Calamitates non sunt hic perpetuæ.

25 Loquitur interim de præsentibus miseriis suis afflictorũ more, quibus illud proprium, vt quod patiuntur, perpetuum fore putent, neque spem vllam secuturę felicitatis admittant, semper intenti præsentibus malis. Si qui hic etiam tales, sciant, quòd sicut Horat. lib. 1. Car. Ode 7.

Non semper imbres nubibus hispidos
Manant in agros: aut mare Caspium
Vexant inæquales procellæ
Vsque——

Ita nec animum: & sibi dictum putent vti prius, ita & hoc, auctore eodem. Horat. lib. 2. Car. Ode 9.

Albus vt obscuro detergit nubila cælo
Sæpè nothus; neque parturit imbres
Perpetuos: sic tu sapiens finire memento
Tristitiam, vitaq; labores.

Cõsuetudo inueterata peccandi antrũ est, è quo quis difficulter euadit.

26 Ad rem nostram est etiam illud scitu necessarium: sicuti sub aquis cauernæ latent profundæ, ita latere antra quædã in profundo peccatorum, è quibus nisi magnâ Dei ope, difficillimus, imò nullus est exitus, quòd quibusdã inueteratę consuetudinis velut vectibus concludant, quos capiunt. Tamen, si non tantùm ex antris suis & cauernis IONAS emerserit, verùm etiam ex illo, quod omnibus est obscurius & tetrius, inobediẽtiæ barathro, horrida inquã inferni cauerna, vnius Dei ope ac gratiâ; speret peccator emersurum se quoque, si ad eum qui esse auxilio potest, recurrerit, neque vltrà posuerit *Carnem brachium suum.* Ierem. c.17. v.5.

27 Libet hic exclamare Virg. I. Æneid.

O terq; quaterq; beati!

Religiosi felices.

qui, vt sint securiores de bono æternitatis, ex carcere miseriarum sæculi huius, in quo velut vectibus prauarum cupiditatum detinebantur captiui, heroico quodam animo, vim sibi inferentes, transeunt ad libertatem filiorum Dei, ad portum inquam (is est religiosorum quodlibet benè constitutum cœnobium) properant, vt ibi secundùm sanctum Bernardum *viuant purius, cadant rarius, surgant velocius, incedant cautius, irrorentur frequentius, quiescant securius, moriantur*

Ber. hom. super verbis Domini. Simile est regnũ cælorum homini negotiatori.

riantur fiducialius, purgentur citiùs, præmientur copiosius. Ibidem suauiter toti, vitâ reliquâ Dei obsequio eiusque concinendis laudibus occupandi, *donec aspiret dies*, lætus felicis æternitatis, *& inclinentur umbræ*, sæculi huius.

Cant. c.2. v.17.

Cœnobia non carceres sed felix portus.

Arbitrantur illi, qui non nisi terrena sapiunt, religiosorum claustra esse quodammodò mortis carceres: at falluntur vehementer, sunt illa eorum incolis securissimus portus, in quibus ipsi velut in arca Noë tuti, alios in æstu ac salo nauigantes aspiciunt, & cùm illorum pericula vident, condolent, gemunt, eorum conditionem deplorant, & ampliùs sibi de sua gratulantur.

Ante dicta, quomodo in Christũ quadrent ostenditur.

28 Mysticum *Ionam Iesum Christum*, vt de eo nunc etiã dicamus aliquid, non minùs quàm Prophetam nostrum, auctore Theophylacto, *vallauit abyssus*; quando accessit Iudas instigatore & impulsore diabolo, secundùm illud S. Ioannis: *Cùm diabolus iam misisset in cor, vt traderet eum Iudas*, cum Scribis & Pharisæis, cum militibus & ministris, cum turba copiosa instructa *laternis, facibus, & armis*, concludentibus illum in horto orantem, ne posset intentatam sibi captiuitatem euadere, licet frustra si id voluisset. PELAGVS OPERVIT CAPVT EIVS; cùm mortuus est: tunc enim verè dicere potuit, *Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me.* Exinde AD EXTREMA MONTIVM DESCENDIT, ad limbum nimirum, qui est in extremis montium, in loco profundissimo, in ipso centro terræ. VBI VECTES CONCLVSERVNT animam eius IN AETERNVM. Detinebatur enim vectibus & vinculis, quæ nemo vi suâ euadit. Sed quoniam aliter longè quàm ceteri, *Factus est sicut homo sine adiutorio inter mortuos liber*, non diu illis vectibus arctari & claudi potuit; nam *contriuit portas æreas, & vectes ferreos confregit: æternis* enim *conclusus* fuerat *vectibus*, inquit Hieronymus, nõ alia de causa, quàm *vt omnes qui clausi fuerant liberaret.* Quare audiemus dicentem postea: SVBLEVABIS DE CORRVPTIONE VITAM MEAM. Sperantes verò quòd subleuabit aliquando etiam nostram, illi nos totos dicabimus, eidem victuri & morituri, vt per illum cum gloria resurgamus.

Ioan. c.13. v.2.

Psal. 68. v.3.

Psal. 87. v.5.

Psal. 106. v.16.



LECTIO

LECTIO OCTAVA.

ET SVBLEVABIS DE CORRVPTIONE VITAM MEAM DOMINE DEVS MEVS. *Verſ. 7.*
CVM ANGVSTIARETVR IN ME ANIMA MEA, DOMINI RECORDATVS SVM: VT VENIAT AD TE ORATIO MEA, AD TEMPLVM SANCTVM TVVM. *Verſ. 8.*

ARGVMENTVM.

Proponitur Ionæ *in aduerſis fiducia, & precum eius inter hæc efficacia. Agitur de recurſu ad Deum, & quidem in actione omni neceſſario. Virum bonum afflictionibus rectè vti, atque iis fieri meliorem: malum iiſdem malè vti, & peiorem fieri, declaratur.*

1 EGere, vti paullò antè expoſui, pro altera vice partes ſuas puſillanimitas & metus; & ita egêre fortiter, vt ſpem fiduciãque oppreſſuri viderentur. Sed hæ tandem in Ionæ pectore exurrexêre magis, & quæ prope victæ fuerant vicêre. Hinc poſt afflictiones longè grauiſſimas, poſt euidentiſſima mortis pericula, mortemque inſtantem, iſtis adiutus, reſumptis animis, heroicâ prorſus fortitudine, ille qui antea metu ac mœrore inter mala plurima prope contabuerat, ad Dominum, ſperans optima, ſupplex clamat: Svblevabis de corrvptione vitam meam. me, vti confido, ſeruando; ne hic cetus, in quo heu nimium diu lateo miſer, ſicut viuum abſorbuit, licet hactenus ſeruarit intactum, ita tandem conſumat, & digerat. *Fortitudo Ionæ in aduerſis.*

2 Agnoſco, agnoſco, illa in quibus verſor diſcrimina, propoſita pericula nullo temporis puncto abſunt ab oculis, nullo à mente; inter hæc ſpero tamen, atque ita ſpero, vt in inſtante morte etiam habere mihi præſentem vitam videar. Quare, quantâ poſſum animi demiſſione, diuinæ Maieſtati tuæ ſum ſupplex, & rogo; vt hæc *aſcendat de corruptione*: ſic legit Theodoretus, pro eo quod nos, *Subleuabis de corruptione vitam meam*: quaſi dicat, iam tandem potentiſſime Deus ceto impera; tibi namque in eum, æquè ac in marinas vndas, & in me imperium eſt; vt oſtia ventris & oris aperiat, & me vomat in aridam; quò aliquando liber non tantùm reſpirare plenius, ſed & viuere valeam ſine his anguſtijs, vitam tranquillam & placidam. *Fiducia Ionæ*

3 Certum eſt, voces has eſſe precantis, & magna cum fiducia precantis, vt ad eas audiri & exaudiri mereatur qui ipſas depromit. Quare ſecundùm Gaſparem Sanchiũ & Ioannem Druſium, ſi voces Hebræas propriè interpretari velimus, hîc non tam de futuro loquitur Ionas, quàm, vti anteà fecit ſemel aut iterum, de præterito gratias agit, dicens, non ſicut nos legimus, *ſubleuabis*, ſed *ſubleuaſti*, per ſingularem quandam fiduciam, tam de futuro certus ac ſi factum iam eſſet. *ex modo orandi apparet.*

4 Hanc in te mirarer fiduciam Iona, tali præſertim loco ac tempore, niſi ſcirem tibi notum, quàm ſoleat is, quem inuocas, Deus ferre rebus deploratiſſimis opem, quàm ſoleat extremis adeſſe caſibus, atque inexſpectatò ſuccurrere.

Efficax oratio Ionæ & supplicatio ex titulo; eò quòd Deus eius sit ille quem orat.

Sed hæc noueris: interim mirari non desino, quòd istud petere à tam magno & potente, tu tam imbellis & vilis, ac quod caput est, tam parum benè de eo meritus, audeas! Respondebit, quantum colligere ex mente illius mihi videor, tu qui illa mihi opponis & obiicis, vel parum ad meas preces attendis, vel certè iustos petitionis meæ titulos, quos allego, non percipis. Quid ni audeam? quem interpello precibus, DOMINVS, DEVS, MEVS est. Quid de aure beneuola domini sui dubitet seruus? quid de Deo conditore suo figmentum illius?

Ionas orationem suā ad Deum vt ad Deū suum & ad iudicem suum dirigit.

5 In Hebræo semel ponitur יְהוָה *Iehoua* nomen ineffabile, semel אֱלֹהַי *Elohim*, alterum Dei nomen, valens idem quod Iudex, non sine mysterio: etenim duabus hisce vocibus, duo velle innuere mihi IONAS videtur. Alterum quòd senserit eum, qui Deus est omnium, tanti consecutione beneficij magis sibi proprium, ac veluti particularius suum: alterum, quòd senserit eum, non Deum tantùm, verùm etiam Iudicem: vt à quo iustam seueramque sententiā acceperit, non tamen suis meritis parem; sed longè mitiorem & benigniorē, cùm clementissimus sit: *Nolens mortem impij, sed vt conuertatur impius à via sua, & viuat.*

Ezech. c. 33 v. 11.

6 Agnoscit hic D. Hieronymus in IONA blandientis affectū, quo Deum Dominum & Iudicem suum prosequitur. Est is nobis quoque miseris, afflictis, lugentibus & egentibus, coniunctus cum illa spe, quam ipse conceperat in negotio suo, de diuino auxilio protinus adfuturo, quo nec frustratus est, vehementer optandus.

Sperandum in Deo, cū humanæ res spem non faciunt.

Optate, sperate *Sodales* tantundem, eoque magis, quò minus sperandum humanæ & politicæ rationes persuadere vobis velle videntur: sed in vno Deo, & per illum sperate. Etenim hæc *spes*, vt Apostolus loquitur, *non confundit*. Quare numquā prorsus abiicienda: semel enim abiecta, vbi lucem sustulerit, quam haurire inde solemus, quid superest nisi densæ tenebræ, & nox horrida, quam æternum dormiamus, ad stratum flammeum, perpetuis miseriarum opertum tenebris, damnandi.

Ad Rom. c. 5. v. 5.

Dicam igitur, quod aliâ mente & sensu dixit aliquando Poëta:

Nobis cùm semel occidit breuis lux,

Catull. Car. 5 ad Lesbiam.

illa videlicet vitæ huius, per quam, vt ego interpretor, maiora & potiora æternæ vitæ bona speremus, si rectè vsi eâ non fuerimus, migraturis è vinculis corporis.

Nox est perpetuò vna dormienda.

7 Meliora igitur concipiamus animo, dum licet, & laboremus, ne vnquam illud spei sidus, vbi semel nobis splenduerit, & ad virtutes ceteras prætulerit facem, dum viuimus occidat, néue eius lumen splendoréque, vitæ improbitate in nobis obscuremus. Ducat nos illud & dirigat in caliginosa nocte seculi huius, tamquam phosphorus vsque ad aduentum Solis æterni, quo deinde illustrati lumine claritatis eius, Dei inquam clarâ visione fruentes, non habebimus amplius quod speremus; sed benè quod amemus: tunc enim verus lucebit

——— *Post nubila Phœbus.*

Auctoritate & exemplis probatur.

Dixit per Prophetam suum Oseam Dominus: *Dabo vallem Achior*, id est turbationis, *ad aperiendam spem*. Quid hoc? tantundem ac si dicat: Turbatio & necessitas maxima, quæ apparebit hominibus, erit eis & spei occasio, & illius initium, ac origo luminis, è quo cælestis amor, & lucis perpetuæ claritas, in regno patriaque futura.

Oseæ c. 2. v. 15.

8 Verè fit non rarò, vt cùm putantur penè deperdita omnia, tunc demum à Deo affulgere incipiat nobis nihil minus cogitātibus, spes maxima; idque eo potissimùm tempore, vt appareat fuisse ipsius prouidentiæ & bonitatis, non humanæ industriæ aut fortitudinis, quòd nostra præter exspectationem omnem, benè feliciterque successerint. Hoc quoniam probè perspectū habebat Philo Hebræorum sapientissimus & disertissimus; cùm, apud Caium Imperatorem pro gente sua

ſua legatione fungens, ab illo non ſine atroci iniuria fuiſſet repulſus, conſternatis vehementer ſociis, ſolus ipſe ex eo animos ſumpſit, maioremque fiduciam; ſic Iudæos ſuos, nihil non ſiniſtri metuentes, generosè affatus: *Nunc oportet bono eſſe animo, quando Caius iratus eſt; nunc enim Deus contra illum aderit.* Quaſi dicat, ſperemus, omninò ſperemus in Deo, ne dubitate, aderit diuinum, quando humanum ceſſat auxilium.

Ioſephus lib. 18. Antiq. c. 10.

9 Æger in extremo vitæ conſtitutus diſcrimine, ſi periti, boni, prudentiſſque medici conſiliis & ſubſidiis valetudinem recuperet priſtinam; dicet ab illo vitam ſibi redditam, illi ſe eam acceptam referre debere, ob ingens periculũ quod adeò æger incurrerat. Mors, multis & variis morborum generibus, bellum nobis indicit quotidiè: non deſunt aduersùs morbos pleroſq; remedia, ſine quibus ipſa omnes homines illorum victrix ſtatim abſumeret. Sed cùm morbi nonnulli prorſus ſint incurabiles, in illorum ſubſidium nihil conferunt aut medicorum conſilia, aut præſcripta ab illis pharmaca; nam ſecundùm illud Poëtæ,

Ouidius.

Non eſt in medico ſemper releuetur vt æger,
Interdum doctâ plus valet arte malum.

Quare qui tam grauibus crucientur ægritudinibus, ſi mox præter ſpem reſtituantur ſibi, & vires recuperent, fateri ingenuè ſolent, Deũ medicum ſuum fuiſſe, illum ſolum valetudinis recuperatæ auctorem, illi ſoli à ſe hanc deberi gratiam.

10 Sicuti multi ſunt morbi lethiferi, quibus nullum eſt niſi ab vno Deo remedium: ita multi ſine ægritudine, in tanto, imò in maiori quàm vlli ægri verſantur diſcrimine. Tres illi, quos rex Babyloniæ coniiciendos curauit in fornacem ignis ardentis, IONAS exiſtens in ventre ceti, Daniel hærens inter leones in lacu, non poterant mortem euadere; nec quiſquam eos ab hac, omni momento imminente, eripere; niſi Deus ſolus protectione ſua curaque ſingulari. Hi ergo iure meritoque ſoli Deo acceptã ſalutem ſuam & vitam referre poterant, & debebant: vt qui famelicis leonibus imperarat, ne vorarent Danielem; igni in fornace exundanti ad cubitos quadraginta nouem, ne tres pueros, qui in illa erant, attingeret; ceto, ne IONAM ſtomachi ſui calore attereret, ſed prorſus conſeruaret incolumem, & littori daret intactum. Quæ cauſa cur hic nequaquã ignarus à ſolo Deo tantùm ſibi exiſtenti in loco mortis & tumuli, impetrandum beneficium; non niſi ad illum recurrerit, dicendo: *Subleuabis de corruptione vitam meam Domine Deus meus.*

11 Quod hic expertus eſt in extremo diſcrimine IONAS; idem variis euentis & caſibus, in afflictionibus & malis ſuis experti ſunt alij non pauci. Recordemini quæſo quid factum iam inde à primis quaſi mundi ætatibus: quomodo etiam tum, ſubinde à Deo, miro modo & nouo, multorum fuerit ſaluti, indemnitati, honori conſultũ.

Sanè nemo ignorat, quòd cũ impuri & impij Sodomitæ Lotho viro innocẽtiſſimo atque optimo vim facerent, iamque prope eſſet, vt eius effringerent fores non aliter illius, & filiarum quas iſtic habebat, fuiſſe conſultum pudori ac verecundiæ, quàm immiſſâ ſceleſtiſſimis hominibus, qui tantum moliebantur nefas, id agente per Angelos Deo, cœcitate; *ita vt oſtium inuenire non poſſent.* Gen. c. 19. v. 11.

Refert hiſtoria Iudicũ filios Iſrael, cùm fuiſſent in manu Madian annis ſeptem, & oppreſſi ibidem vehementer, per Gedeonem, ope tantùm trecentorum militum, Deo paucis illis dante virtutem, licet Madianitæ, hoſtes eorum, tanto eſſent numero, vt multitudinem locuſtarum æquare viderentur; & cameli, quos ſecum habebant, arenas, quæ ſunt in littore maris, ſuperatis illis & debellatis liberatos fuiſſe. Iudicum c. 7. v. 12. & ſequẽt.

12 Similiter Dauidem cùm in Achis regis incidiſſet manus, ſuggerente, vt opinari licet, Domino conſilium de ſimulãda inſania; illas cùm 1. Reg. c. 21

verè insanum ex gestu motuque corporis Achis eum crederet (ita benè hoc simulare Dauid poterat) euasisse incolumem, Regum gesta testantur.

Eadem habent in Paralipomenis, Iosaphatum Regem, quaqua versum armatorum manu hostili, & quidem admodum copiosâ, circumdatum, destitutum humano præsidio (quippe admodum tenuibus & longè imparibus hosti instructum copijs) ad vnum Deum recurrentem, dicentemque
2. Paralip. c. 20. v. 12. cum spe ac fiducia: *In nobis non est tanta fortitudo, vt possimus huic multitudini resistere, quæ irruit super nos. Sed cùm ignoremus quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, vt oculos nostros dirigamus ad te.* Ab eodem audisse per os Prophetæ, quem Deus suscita-
Vers. 15. rat in medio populi: *Nolite timere, nec paueatis hanc multitudinem: non est enim*
Vers. 17. *vestra pugna, sed Dei. Non eritis vos qui dimicabitis, sed tantummodò confidenter state, & videbitis auxilium Domini super vos, ô Iuda, & Ierusalem*: Atque ita, Moabitis & Ammonitis contra habitatores montis Seir primò pugnanti-
Vers. 23. bus, deinde contra seipsos, ita vt *mutuis conciderent vulneribus*; non tantùm euasisse incolumem; sed hostium tam copiosis ditatũ spoliis, toto vt auferri triduo non possent, cũ triũpho & gloria Ierosolymam regressum.

13 Neque his minus est, si non ma-
Esther c. 6 ius, Mardochæum ab Amano, nouo atque ad hoc comparato, destinatum patibulo, subitò non tantùm tam certæ morti ereptũ fuisse; verùm etiam, immutante humana consilia Deo, regiis honoribus cumulatũ, præconem in eius gloriam ad Assueri Regis imperium agente, tametsi inuito, ipso illo Amano, qui ei cædem parauerat.

Dan. c. 13. Eiusdem generis sunt: Castam Susannam, iniquorum Iudicum damnatam sententiis, vnius Danielis, cuius Dominus spiritum suscitauit, prius iudicium retractantis, diuino planè pronuntiato, sic volente, sic dirigente Deo, ne lateret mendacium, fuisse absolutam agnitamque innocentem: Paulum, & quotquot cum eo erant, fractâ naui, & quod maius est, fractis insuper animis, non modò non mersos fuisse, ac haustos fluctibus periisse; sed nec vllum passos ex tanto naufragio dispendium; & centena alia, quæ olim euenêre.

14 Si liceat etiam, vt interiectas ætates prætercam, multis eiusmodi euentibus memorabiles, nostrorum temporum gesta recensere, huc spectat, & illustre imprimis est, quòd Ferdinandus Imperator illius nominis secundus, anno sæculi huius vigesimo, debellato tam feliciter Pseudo-rege Boëmiæ Frederico, ipsâ die, quâ de more in Ecclesijs resonabat per sacra pulpita vox illa Domini: *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo*: supra spem & exspectationẽ omnem, non solùm factus sit in conflictu superior, licet multò inferior copiis; sed simul vno velut impetu, Pragâ vrbe totius regni principe potitus, senserit in extremis constitutus angustijs, auxiliares sibi velut è cælo, copias adfuisse.

Nostri æui exempla singularis Dei auxilij.

Fredericus Palatinus Pseudo-rex Boëmiæ à Ferdinãdo II. Cæsare vincitur. Mat. c. 22. vers. 21.

Similiter, quòd idem inuictissimus Cæsar, non totis quatuordecim annis pòst, vallatus innumeris ferè, quà patet eius Imperium, & quidem potentissimis, non hostibus modò; sed aliquot etiam perditissimis Duce VValstenio proditoribus, in ipsius caput, simul in totius Austriacæ familiæ interitum necemque conspirantibus; vnà & Imperiũ & vitam non tantùm non perdiderit, ad certam horam cum suis omnibus iam morti destinatus; verùm etiam, detectis, insigni Picolominei Ducis fidelitate, tam infamibus occultorum hostiũ studiis, ea quàm citò orta fuerant, tam citò propè exstincta sint, proditoribus debitas sceleri suo pœnas, acceleratâ quidem, sed non intempestiuâ, aut indebitâ nece, luentibus. Vt omninò tam præsente Numinis ope in tempore opportuno, ostensum sit orbi, quòd secundùm Senecam Tragicum sæpè in magistrum scelera redierunt sua, & tandem, prout dici consueuit, *malum consilium sit consultori pessimum.*

Proditio VValstenij detegitur.

15. Atque

Louanium obsidione liberatur.

15 Atque vt non omittam quod est recentius, quodque vel maximè nostrum, superiora verò si non superat, certè illis æquale est. Anno sæculi huius quinto supra trigesimum, in Belgio expertus est alter Ferdinãdus, Catholici Regis (pro quo ibi imperabat, & etiamnum imperat feliciter, vtinam sæculis) vnicus frater germanus, idemque S.Rom. Ecclesiæ Cardinalis, & cum eo nos Belgæ omnes, quando à duobus potentissimis exercitibus, Gallico & Batauico, quâ parte putabamur imbecilliores, impetebamur acriùs, iamque hostes Thenas occuparant, spoliarant, incenderant, & omnia latè depopulabantur; deditis quoque Arschoto, ac Diestemio, Louanium, vetus Musarum domicilium, non armorum locum; Apollinis montem, non Martium campum; ingentibus copiis, quibus impares longè erant tum temporis vires nostræ, iam decimum diem obsederant vndique: & non tantùm vrbem illam; sed Mechliniam, Bruxellas, Antuerpiam, & quid non? spe deuorarant: neque quisquam ferè illis locis erat, qui non sibi ab hoste tam potente metueret. Tum, inquam, cùm propè conclamatum videretur, expertus est Serenissimus Princeps Ferdinandus præsentissimam Dei opem. Nam accedentibus opportunè ad nos Germanicis ab Imperatore suppeditatis subsidiis; hostis, premente eum non parum annonæ inopiâ, alia agitare consilia cœpit, & deserto Louanio, oppido neque arte, neque naturâ loci admodum munito, quod vel triduo capi potuisse videbatur, turpem & ingloriam fugam capessere, occupata loca deserere, & finibus nostris excedere; vt ex tunc qui se victorem iactarat victus videretur.

Quid anno superiore, id est, sæculi huius trigesimo octauo, factum sit, ad fanum S. Audomari, ad munitionem Caloanam, ad Geldriam, quæ loca circumsederat hostis, nihil attinet dicere; quando satis constat, quàm etiam supra spem diuina bonitas grauiter laboranti Belgio nostro tum succurrerit, vt vel hinc appareat, luce meridianâ clariùs,

Nil desperandum, Duce Christo, & auspice Christo.

16 Fateor quòd, vt ait Dauid: *Multæ sint tribulationes iustorum*; sed scio etiam verissimum esse, quod addit: *de omnibus his liberabit eos Dominus.* *Peccator quid facere debeat Ionæ exemplo docetur.* Psal. 33. v. 20.

Quis vmquã IONA maiores, saltem ad tempus, afflictiones sustinuit? inter has tamen sperauit in Domino, fiduciam habuit, respirauit, ab his deinde suo tempore etiã prorsus liber euasit.

Desumit hinc occasionem præclarissimi sermonis Rupertus Tuitiensis Abbas, quo hærentes in suorum scelerum cœno, vt exemplo IONÆ, illud recolentes, resipiscant, & eluctentur, instituit; nec minùs eorum quoad potest solatio seruit. Audite quid dicat? *Quàm dulce*, inquit, *quàm salubre est homini, qui post continentis vitæ tranquillitatem tentationum fluctus incidit, & fortassis pudicitiæ naufragium passus, in opus peccati tamquam rictus, vel in vtrem ceti incidit, propheticæ huius orationis reminisci, vt eâdem fide, simili cordis contritione, tam humili pietatis adfectu, Domino Deo suo blandiatur; qui solus aquas considerat circumdantes, & vsque ad animam intrantes; aquas passionum carnalium, & humani cordis abyssum, pelagus concupiscentiæ, vimq́ sæuientis & bullientis naturæ, & angustias animæ siue conscientiæ, quæ cùm infirma sit, per semetipsam non potest euadere, vt respiret, & resumat auras salubres castitatis & pudicitiæ, cupiditatibus vel prauis amoribus conclusa, velut quibusdã vectibus terræ.* Rupertus in cap. 2. Ionæ. Hæc Rupertus: ostendens quâ ratione, tentationi assentientes, aut per peccatum opere perpetratum, velut in imum prolapsi; resurgere possimus iterùm, redire in viam, restitui nobis salutique nostræ, & suo tempore optatissimæ patriæ, ac templo sancto gloriæ Dei; quando nimirum ipse *reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ.* Ad Phil. c. 3. v. 21.

Amandus Deus, & colendus à nobis, quia noster Deus est.

17 Interim cum fiducia dicamus oportet sicut IONAS: *Domine Deus meus.*

meus. Ille quidem communẽ omnium Deum ac Dominum, quasi sibi proprium, suum appellat; eò quòd accepti beneficij magnitudine hunc peculiariter suum sentiret, huic se obstrictum mirabili modo agnosceret: sed nos plures titulos habemus, quibus dicamus æquè, imò magis quàm IONAS: *Domine Deus meus.* Hunc affectum, hunc honoris titulum, tametsi aliud nihil esset, quo illi debitores simus, quæ tamen sunt plurima, à nobis exigit amor eius in nos immensus, qui omni horæ momento, quo vitam ducimus, eius enim beneficio illam ducimus, adhuc locupletiùs se prodit.

Diuini honoru signa in Sanctis. *Bern. ser. 17. in Cant.* In hunc aliquando oculos coniiciens sanctissimus & deuotissimus Bernardus meritò exclamat, amore diuino, à fonte illo hausto, iam saucius: *Quomodo me amas Deus meus, amor meus! quomodo me amas! vbique recordans mei, vbique zelans salutem egeni & pauperis; non solùm aduersùs homines superbos, sed etiam aduersùs sublimes Angelos. In cælo & in terra iudicas Domine nocentes me, expugnas impugnantes me, vbique subuenis, vbique assistis, vbique à dextris es mihi ne commouear.* Quare & addit, velut gratitudinem suam testatam nobis facturus. *Hæc cantabo Domino in vita mea, psallam Deo meo quàm diu sum: hæ virtutes eius, hæc mirabilia eius quæ fecit.* Hactenus ipse.

18 Sancti Bernardi imitatione vtinam cantetis vos quoque omnibus diebus vitæ vestræ, imò horis, atque etiam, si fieri possit, momentis singulis laudem Domino, iteratis vocibus dicentes: *Domine Deus meus.* Fecit hoc Seraphicus ille Franciscus, multoties repetens noctibus singulis: *Deus meus & omnia,* atque in hac sancta meditatione velut conquiescẽs. Fecit B. Bruno Ordinis Carthusiani Institutor & conditor, continuò cum Deo colloquens, & hanc vnam vocem plus millies repetens secumque versans: *O Bonitas!* quâ solâ beneficiorum omnium & complectebatur memoriam, & tamquam si ea denuò acciperet, nouam quandam cælestem dulcedinem hauriebat.

19 Ad orantem IONAM denuò conuertamur, quid dicat vlteriùs audiamus. CVM ANGVSTIARETVR, inquit, IN ME ANIMA MEA, DOMINI RECORDATVS SVM. Paullò clariùs exprimit quod antè dixerat: *Clamaui de tribulatione mea ad Dominum;* atque in vtroque errorem suum agnoscens, de se quàm demississimè loquitur: non ignorans, quòd vti aliquando testata est Iudith, *Humilium & mansuetorum semper Deo placuerit deprecatio:* quodque quemadmodum Siracides ait, *Oratio humiliantis se, nubes penetrabit.* Itaque sic ipse secum, & cum Deo solus loquitur: *Domini recordatus sum,* à quo solo exspecto meis malis remediũ: sed quando? Tantùm *cùm angustiaretur in me anima mea,* iam de omni humana virtute desperans. Chaldæus vertit: *Cùm deliquio laboraret in me anima mea.* Videntur ergo tantæ fuisse IONÆ angustiæ cùm ad Deum confugit, secundùm Paraphrasten Chaldæum, vt ex iis animi deliquium pateretur.

Humilis est Ionæ oratio, & Sanctorum. *Vers. 3.* *Iudith c. 9. v. 16.* *Eccles. c. 35. v. 21.*

20 Expone hoc nobis copiosiùs aliquantũ ipse tu, ita rogamus ô IONA: atque indica omnem animi tui statũ? Attendite, & narrantis vocem benignâ mente excipite: orditur. Memor, inquit, sum heu nimiùm infelix, & miser, tam turpis erroris mei, patrati criminis pudet, pigetque. Sed fortè, quæ mei est animi durities, necdum aut puderet, aut pigeret, nisi tam potentem, me insigniter & iure optimo ferientis manũ sensissem. Fateor namque, priusquam illas in quibus nunc versor, omnium hominum calamitosissimus, ærumnas perpessus, hic, vti videtis, sub vndis gemerem, in cauernam belluinam detrusus, vinctus tam seueris Dei Iudicis mei iustissimi legibus, oblitum me, & tam clementis Domini, & Patris tam mei amantis. Accessit & illud grauius, quòd superbè contumax, ausus etiam fuerim non indebita iussa spernere, ac planè sanctissimo eius imperio, à nullo mortalium

Ionas castigatione Domini motum se ad orandũ & ad conuersionem verã fatetur.

lium temerando, obniti. Nunc verò ad mentem redierim licet, certè non antè id feci, quàm à ceto absorptus, cum eo, mari, fluminibus, gurgitibus obrutus, factus sum, non hominum modò & ferarum; sed ipsorũ fluctuum quoque ac ventorum, adeoque orbis vniuersi ludibriũ: atque tum demum *Domini recordatus sum*, cuius recordari iam antè à principio imperatæ legationis debuissem. Sed eheu! qui priùs mei curam non habui; ex quo hæ omnes angustiæ, gemitus, suspiria, quæ nunc fundo; tandem, cùm aliud non possem, ad Dominum, à quo recesseram turpiter, iterùm recurrendum redeundumque duxi, & illa mihi recordatio saluti fuit.

21 Sed dicet quispiam, vnde IONÆ post talia & tanta non rectè gesta, tam subitò, tam magna iterùm fiducia; vt circumdatus aquis, vallatus abysso, coopertus pelago, conclusus terræ vectibus, non interroget semel, aut dubitet, audirine possit à Deo, & suarum beneficio precum postulata consequi; sed tam accedat fidenter, acsi certissimus sit exaudiendum se, obtenturumque quod postulat? Est id proprium iis, qui totam vitam rectè instituerunt, assiduâ rerum diuinarum commentatione sese exercẽtes, etiam in extremis casibus, rebusque afflictissimis, vbi vita propè defecerit, mente & animo constare, atque ad diuinam opem subsidiumque confugere, quod aliis tum longè est difficillimum. Si ergo IONAS in hac palæstra diu fuit multumque versatus, vti reuerà fuit, velut ex assuetudine quadam agendi colloquendique cum Deo, nihil illi propius, quàm ad veterem familiaritatem redire in necessitate hac maxima, atque pari fiduciâ ac libertate res suas miseriasque omnes depromere, & sic iterùm solitum ab eo auxilium præstolari.

Boni semper, etiam in subita necessitate, statim confugiunt ad Deum.

22 Obseruatum est à multis, eos ferè, qui parum vixère piè, si quando subitum aliquod animi patiuntur deliquium, aut præcipites labuntur in aquas, oppressos malo, mente turbatos, protinus neque consilij, neque rectæ rationis compotes, vix tandem sui ipsorum tanto in discrimine memores exstitisse; sicuti nonnumquam cessante iam euidenti illo periculo, nos ipsi, ab iisdem qui hoc experti in se fuerant, accepimus. Contra verò eos, qui piè & sapienter vitam sunt instituere soliti, quique res omnes, aduersas æquè ac secundas, cùm priuatim, tum publicè, ad diuini consilij & virtutis rationem referre; si quam fortè subitam molestiam difficultatemque incurrerint, ad diuinã opem efflagitandam opportunè confugere, nihilque omittere consueuisse, quò sibi Deum etiam in rerum omnium perturbatione, propitium facerent: ita vt in lapsibus eiusmodi subitis, horum fuerit prima de Deo atque animę suæ salute cogitatio.

Mali & impij in subitu casibus de Deo non cogitant.

23 Sic noster IONAS, pietatis rationes, quas in omni re, loco, ac tempore, prospera inter & aduersa tenere doctus fuerat, in hoc maximo ac turbulentissimo discrimine non deseruit: sed quamuis grauissimâ calamitatum æquè ac fluctuum procellâ oppressus, omnem ferè salutem animumque adimi sibi sensisset, Dei tamen memoriam ademptam sibi non sensit: quin imò, tum vel maximè, sicuti ipsemet narrat, Domini recordatus est: non dubitans quin ad tantum profundum etiam benignissima eius auris descenderet, & quidquid sibi, tametsi de ventre ceti, diceretur, audiret; adeoque quin ibi secum esset. Secundùm quod Dauid ait: *Si ascendero in cælum tu illic es: si descendero in infernum, ades. Si sumpsero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris: etenim illuc manus tua deducet me: & tenebit me dextera tua.*

Ionas vt Propheta, & vt pius, assuetus est Deo agere, in omni sua necessitate ad eum solum confugit.

Psal. 138. v. 8. & seq.

24 Et hoc certè magno nobis, æquè ac IONÆ, solatio esse debet: quòd tametsi spectari à nobis non possit, nihilominùs vbique præsens sit Dominus, nostrarum ipse spectator actionum, adiutor, & iudex. Sicut cum IONA fuit in ceto, in carcere cum Iosepho, cum Iob in sterquilinio, cum Daniele in

Deus in omnibus etiam maximè aduersis nobiscum est.

in lacu leonum, cum Dauide in persecutionibus Saulis regis, & Absalonis filij sui rebellis, cum populo Israëlitico à Pharaone vexato in Ægypto, cum Paulo in profundo maris, cum castissima Agnete etiam in lupanari: sic & nobiscum est in omnibus angustiis nostris. Sicut dixit ore Dauidico: *Cum ipso sum in tribulatione: eripiam eum, & glorificabo eum.* Psal. 90. v. 15.

Deus cor Ionæ subitò immutat. 25 Fecit autē Dei præsentia atque eius tam propitium auxilium, vt IONAS æquè promptè ad mentis integritatem atque ad corporis libertatem & vitæ securitatem rediret. Quòd ergo homo adeò peruicax & rebellis, tam subitò ita fiat supplex & obsequēs, quòd à pusillanimitate ac metu in tantā erigatur spem, & fiduciā; mutatio est dexteræ excelsi. Dixerat paullò antè: *Abiectus sum à conspectu oculorū tuorum:* mox ait: *Subleuabis de Corruptione vitam meam.* Priùs Dei conspectum fugere tentarat, vt seueri Iudicis: nunc ei blāditur vt Patri, & quàm potest benignissimè eum; *Dominum Deum suum* appellat. Priùs dixerat meticulosus ac timidus: *Terræ vectes me concluserunt in æternum:* mox tantò generosior, velut omninò securus ait: *Domini recordatus sum, vt veniat ad te oratio mea, ad templum sanctum tuum.* ô quanta mutatio! c. 2. v. 5. v. 7. Vers. 7. Vers. 7. Vers. 8.

26 Habetis hic & fiduciā, & fiduciæ causam, quæ est memoria Domini, & promissorum illius: hæc IONÆ saluti fuit, hæc eum redire eò, vnde exierat, fecit. Quare vti in se sentiebat, ita verè dicere poterat: *Memor fui Dei, & delectatus sum.* Psal. 76. v. 6.

Malus calamitatibus malè vtitur, & fit magis impius in Deum. Similiter recordatur ac meminit probè Dei & Domini sui, inter illas siue quas præsentes videt & patitur, siue, quas à longè prospicit, secuturas futuræ vitæ calamitates, inter mala inquam peccatorum pessima, quæ sæpè præsentis vitæ miseriis cumulantur, homo impius: sed non potest dicere *delectatus sum*: at potiùs, exacerbatus sum, irritatus sum, indignatus sum amplius. Nam pro eo quòd emendari flagellis atque aduersitatibus debuerat, ac dicere: *Tribulationem & dolorem inueni, & nomen Domini inuocaui,* Deum polluto corde, ore, labiis lacessit, & nullis non maledictis impetit; atque ita agit, depositā iam omni spe obtinendæ remissionis, veniæ & gratiæ, ac si Iudicem tantùm, & omnium delictorum suorum acerbum vindicem, non verò tamquam si clementem Dominum, & benignum Patrem agnosceret. Psal. 114. v. 3.

27 Sic prorsus egit improbus Cain; sic perfidus Iudas; quorum ille, *Maior,* inquit, *est iniquitas mea, quàm vt veniam merear;* hic verò, peius aliquanto, opere videlicet elocutus quod prior verbo, *abiens laqueo se suspendit.* D. Ambrosius explanans illud Dauidicum: *Memor fui nocte nominis tui.* volens ostendere in aduersis æquè ac prosperis esse agendas gratias Deo. *Non magnum est,* inquit, *si tunc Domino gratias agas, quando in prosperis & secundis es; sed si tunc adhæreas Christo, quando te persecutio exagitat, quando aliqua procella perturbat. Amisisti filium? memento Domini Dei tui: pulsus es in exilium? memento Domini Dei tui. Alicuius diuitis oppressus potētia, amisisti proprias facultates? memento Domini Dei tui, ne te nox egestatis abducat à deuotionis affectu.* Sic fecit noster IONAS, non quia erat in portis mortis intra cetum conclusus, iam eius quasi victima, *recessit à Deo salutari suo;* sed magis tunc ad eum clamauit, illius magis in aduersis quàm in prosperis memor. Gen. c. 4. v. 13. Mat. c. 27. v. 5. Psal. 118. v. 55. Deut. c. 32. v. 15.

In extremis tantùm de Deo cogitandū est. Idem ipse nos doceat: doceat quoque in extremis constitutus angustiis, atque exspectans, metuens saltem, exitum peregrinationis suę non bonum; intereà nullius habens potiorē quàm Domini Dei sui memoriam, nos ipsos, quo tempore lecto affixi in extremis versamur, & deficientibus viribus paulatim morimur, atque à sui corporis compage anima peregrinatura in ignotam patriam, ac longissimè dissitas migratura regiones, diuelli incipit relictis quæ seculi sunt, & æterna non spectant, non aliò, vt optimè hic docent S. Hieronymus, Rupertus, & Haymo,

Haymo, cogitationes extremaque consilia vertere, quàm ad eum vnum & solum, qui siue in corpore, siue iuxta corpus, noster est Dominus, proindeque solus seruare potest & perdere. Sic oratio nostra perueniet ad templum sanctum eius, ad summum inquam cælorum habitaculum, vbi ab Angelis & beatis omnibus, dicentibus voce vnanimi, *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus omnipotens*, colitur & adoratur perpetuò. Apoc. c. 4. v. 8.

28 Quod docuit nos exemplo suo IONAS Propheta; docuit & mysticus Ionas *Christus Iesus:* qui non multò antè quàm exspiraret, *& transiret ex hoc mundo ad Patrem; Domini recordatus est.* *Christus moriens se conuertit ad Patrē, & vt idem faceremus nos docuit.* Ioan. c. 13. v. 1. Ionæ c. 2. v. 8.

Primò cùm pro persecutoribus orans, dixit: *Dimitte illis: non enim sciunt quid faciunt.* Deinde cùm se offerens Patri extremâ voce eum affatus, ait: *Pater in manus tuas commendo spiritum meum.* In qua prece suæ peregrinationis, quæ fuit annorum triginta & trium, periodum clausit. Luc. c. 23. v. 34. Luc. c. 23. v. 46.

Secundùm D. Hieronymum, IONÆ angustiæ, de quibus hic sermo est, exprimunt nobis aliquo modo admirabiles Christi angustias, & adumbrant illam eius orationem in horto dicentis: *Tristis est anima mea vsque ad mortem: Pater mi, si possibile est, transeat à me calix iste.* Mat. c. 26. v. 38. & 39.

29 Dabitis mihi nunc veniam, si adhuc curiosiùs aliquid in Prophetæ nostri negotio exquiram: nec ille spero indignabitur, si rogem, cur cùm angustiaretur anima eius, Domini recordatus sit. Nam vltrò respondere videtur, non mihi, sed Domino sui facti rationem illi exponens: VT VENIAT AD TE ORATIO MEA, AD TEMPLVM SANCTVM TVVM. Ac si dicat: libenter à te optime Domine, amantissime Pater, culpæ meæ remissionem consequerer: & quoniam id fieri nequit, *nisi ad te perueniat oratio mea, eaq; de extremo mari, & scissuris montium* (vt D. Hieronymus loquitur) *conscendat ad calos, & veniat ad templum sanctum tuum*, in *quo æterna frueris beatitudine*; hoc ante omnia egi, & qua potui sollicitudine egi; vt ostenderem me tui meminisse, facilè exinde consecuturum me cetera arbitratus. Sic Dauid dicebat: *Domine exaudi orationem meam, & clamor meus ad te veniat.* Quæ est etiam quotidiana, & sæpiùs per diem repetita, Ecclesiæ oratio; à nobis quoque priuatim vsurpanda, omni quidem tempore, sed tum potissimùm, cùm in angustiis versamur. *Ita orandū vt oratio nostra ad Deū perueniat.* Psal. 101. v. 2.

30 Legunt Hebræi, & cum ipsis Vatablus, non sicut nos, *Vt veniat*: sed, *& venit ad te oratio mea*. tamquam si dicat IONAS: cùm primùm Domini memini, etiam preces obtuli. Hæ, quia ad ipsum vsque Dei solium peruenire ac penetrare potuerunt, gratissimæ fuerint, atque exauditæ oportuit: alioqui multæ sunt preces minùs rectè fusæ, quas Deus non audit: *Opposuisti*, inquit Ieremias, *nubem tibi ne transeat oratio*. IONÆ oratio non dubium quin nullâ nubium aut aquarum interpositione impedita transierit: hoc enim tam faustus euentus, prodigiosa inquam liberatio illius, non obscurè nobis ostendit. Thren. c. 3. v. 44.

31 Secundùm lectionem vulgatam, notandum cum D. Hieronymo & Ruperto, à Propheta nostro orationem pro oratione fieri. Precatur enim, vt illa quam fundit oratio, in templum Domini sanctum perueniat. *In quo*, inquit Rupertus, *magna fidei firmitas animaduertenda est.*

At in quod templum peruenire vult orationem suam IONAS? In cælum, inquiunt D. Hieronymus, Remigius, Haymo, Arias Montanus, Rochus Mamerotius; ex Rabbinis Dauid Kimchi; ex recentioribus, Cornelius à Lapide, & alij nonnulli.

Theodoretus, & Theophylactus, in templum Ierosolymitanum, toto orbe notum ac celebre, de quo egit cùm superiùs diceret, *Verumtamen rursus videbo templum sanctum tuum*. Atque hoc magis cum Prophetę scientia sapientiaque consentit.

Ionas orăs simul templum vrbis Ierusalem, simul cali, videre optauit.

Verùm nihil repugnat, cum simul in cælum, simul in templum, quod erat Ierosolymis mentem cogitationesque suas defixisse; & cùm non posset corpore, animo saltem coniecisse oculos, tum in templum, quod frequentare consueuerat, cui denuò intuendo libenter curam omnem sollicitudinemque impenderit, tum in templum cæli æternum.

Iudæi orãtes quouis loco se conuertebant ad templũ, quod erat Ierosolymis.

32 Iam morem Hebræorum, quem antè indicauimus, nostis; sese, quocumque essent, aut vrbis suæ, aut orbis loco, cùm orabant, versus templum illud solemne Salomonis erectum Ierosolymis conuertentium; eâ formâ ac modo, vt suos in propitiatorium oculos viderentur defigere, exoraturi ibidem audientem vota supplicum Deum, sedentem super Cherubim. Secundùm quod Salomon ait loquens cum Domino: *Si egressus fuerit populus tuus ad bellum contra inimicos suos, per viam, quocumque miseris eos, orabunt te contra viam ciuitatis, quam elegisti, & contra domum*, id est versus domum, *quam ædificaui nomini tuo, & exaudies in cælo orationes eorum, & preces eorum, & facies iudicium eorum.*

3. Reg. c. 8. v. 44.

Daniel sic fecit, prohibente preces Dario, rege per dies 30.

33 Ad hunc modum Daniel post constitutam à Rege Dario legem impiam, seu potiùs euersionem legum omnium, ne per dies triginta quisquam Deum rogaret, domum suam ingressus, fenestris patentibus, in cœnaculo suo, contra Ierusalem, tribus per diem temporibus flectebat genua, Deum precabatur, adorabat, atque ex vetere suo instituto prædicabat; vt dum non poterat templum ingredi neque ad illud propiùs accedere, saltem eò conuersus, non destitutus merito bonæ voluntatis, preces offerret, & sic aliquousque voluptate, quam ex præsentia habuisset maximam, non omninò, plenus sanctis illis desideriis, priuaretur.

Ionam sic etiã fecisse in certo probabile est.

34 Neque aliter IONAM fecisse opinamur; præpeditum illâ suâ tam arctâ captiuitate venire Ierosolymam, templumque tot votis optatum accedere, conatum, inquam, eò se mente, quò corpore non licebat, conuertere; vt sic sui absentis oratio intra propitiatorium exauditionis admissa, fructu nequaquam bonæ voluntatis careret.

35 Hoc nobis etiam agendum *Sodales*, omni conatu, labore, constantiâ; vt *Veniat oratio nostra ad templum sanctum Dei:* ad excelsum, dico, thronum gloriæ ipsius in cælis; quò exauditi, liberemur aliquando à captiuitate hac misera sæculi nequam, & longè lateque in eo dominantium peccatorum, relatique in album amicorum & filiorum ipsius, transscribamur quoque in regnum æternum gloriâ ibidem cum ipso fruituri perpetuâ.

LECTIO

LECTIO NONA.

QVI CVSTODIVNT VANITATES FRVSTRA, MISERICORDIAM SVAM DERELINQVVNT. *Vers. 9.*

ARGVMENTVM.

De idolorum vanitate, de idololatria, & malis inde ortis, differitur. IONÆ in Dei veri cultu feruor ostenditur. Explicatur humanarum rerum vanitas, atque inde promuntur vitæ rectè instituendæ documenta illustria.

1 POSTQVAM conflictũ suum & domestica bella IONAS Dominum precatus exposuit; adiicit præclaram gnomen, quâ veri Dei, eiusdemque cum diis gentium collatione factâ, laudem commendationemque amplissimam breuiter quidem, sed admodum neruosè, complectitur.

Sapientia Ionæ in ceto. Sicuti verò ipse Deum verum hîc laudat commendatque, ita ob hanc ipsam laudationẽ, quam Deo tribuit, à D. Hieronymo vicissim maximoperè commendatur. Etenim hic videre in ea visus est adumbratam ipsius excelsam magnanimitatem, nullis aduersitatibus, nullis fractam periculis; quâ sit effectũ, vt in imo maris, in tam immanis ceti ventre, assiduis tenebris & velut opacâ nocte tectus, lumen videat veritatis; atque de periculo suo non cogitans, liberè & expeditè de natura rerum generali sententiâ philosophetur.

2 In hanc sacram eius philosophiã, etiam nos aliquantulum ingenij nostri cogitationisque neruos intendamus. QVI CVSTODIVNT, inquit, VANITATES FRVSTRA. Exponit Petrus à Figueiro vanitates frustratorias & inanes. Sanctes Pagninus vertit, *vanitates mendaces.* Ioannes Drusius *vanitates vanas.* Vtrũque complexi LXX. *vana & mendacia.* Hęc qui custodiunt, in iis, vt Lyranus ait, perseuerantes, MISERICORDIAM SVAM DERELINQVVNT. Vel, vt ex Hebræo legendum volunt Franciscus Ribera, Ioannes Pineda, Ioannes Treminius, & alij, DERELINQVENT. Ipsi inquam se Dei misericordiâ, suâ obstinatione spoliabunt: & cùm, tamquam ingrati, sint prorsus acceptorum beneficiorum immemores; etiam non merebuntur, vt nouo quodam beneficio cum Deo iterùm in gratiam redeant: sed eum relinquentes, vicissim ab eo relinquentur & deserentur.

3 Verùm de quanam vanitatum custodia hîc potissimùm IONAS loquitur? quosnam maximè his verbis perstringit? seipsum inquit Palatius. Nam cùm ratio vana & falsa eum mouerit, vt suum Deum suamque misericordiam relinqueret, illius culpæ hic sibi notam inurit. Verùm, ex communi ferè Patrum & Interpretum sensu atque sententia, contra idololatras agit: quales illi erant quibuscum nauigauerat; quique animo eius altiùs inhærebant: quamquam seipsum etiam damnasse, postmodum dicturi sumus. Certè qui idola colunt, ij, si vlli mortalium, *custodiunt vanitates, & frustrà.* *Idololatria vanitas est.*

Cum hac expositione conuenit, quòd Paraphrastes Chaldæus, Vatablus, & alij, nostri Prophetæ verba interpretentur; vt sint quædam idolorum descriptio, quibus nil vanius. Qua etiam de causa vix aliter in sacris Litteris quàm *Vanitates* nuncupantur, eò quòd mendacem quandam & vanam beatitudinis & diuinitatis imaginem repræsentent. A Moyse in primis in Cantico: *Ipsi me prouocauerunt in eo qui non erat Deus, & irritauerunt in vanitatibus suis.* *Idola vana sunt, & vocantur vanitates.* *Deut. c. 32. v. 21.*

A Samuele in libris Regum: quando monens vniuersum Israelem, ne ab vno Deo viuo & vero recedat, sed illi soli seruiat, dicit: *Nolite declinare post vana, quæ non proderunt vobis, neque eruent vos, quia vana sunt.* A Dauide sæpius, inter cetera cùm ait, conuersus ad Deum: *Odisti obseruantes vanitates, superuacuè.* Quod tantumdem est, ac si dicat, non sustines eos qui idola colunt, neque illi partem habituri sunt tecum.

Lib. 1. Regum c. 12. v. 21.

Psal. 30. v. 7.

Et quidem antonomasticè. Quare?

4 Meritò autem, & quidem per antonomasiam, idola vanitates & vana dicuntur; cùm in his vana sint omnia & mendacia, nihil veritatis, solidi nihil, secundùm quod dixit Vates regius: *Simulacra gentium argentum & aurum, opera manuum hominum.* Ampliùs verò Apostolus, *Scimus*, inquit, *quia nihil est idolum in mundo.* Verè omnino nihil, quia nequidem illud est quod esse videtur, non quod argentum, aurum, lignum, lapides, ex quibus ipsum conflatur, præferunt: non quod picturæ, sculpturæ, cælaturæ oculis obiiciunt contuentium; vt quæ imagines sunt rei falsæ, Dei inquam, qui nec est, nec esse potest, adeoque nil nisi mera vanitas: quemadmodum copiosè D. Cyprianus, Tertullianus, Athanasius, antiquissimi Patrum integris libris ostendunt. Et breuiter D. Chrysostomus. *Vanum*, inquit, *dicitur illud, quod est inane, cùm nomen quidem fuerit, res non fuerit. Sic apud Gentiles multa quidem deorum nomina, res verò nequaquam.*

Psal. 113. v. 4.
1. Cor. 8. v. 4.

Cyprian. lib. quòd idola non sint dij. Tertull. lib. de Idololatria. Athan. Orat. contra idola. Chrysost. in Psal. 4.

Idola non sunt dij.

5 Sed, vt ab ipsis sacris Litteris non recedamus, ne quis existimet illis doctrinam nostram non adstrui; Baruch Propheta fictiles deos debitis depingens coloribus, satis, postquam quales sint docuit, quo loco haberi à nobis debeant, ostendit & monet: *Lingua*, inquit, *ipsorum polita à fabro, ipsa etiam inaurata, & inargentata, falsa sunt, & non possunt loqui. Et sicut virgini amanti ornamenta; ita accepto auro fabricati sunt.* Et post pauca subiungit: *Vnde vobis notum sit, quia non sunt dij.* Quid clarius? sequitur: *Non ergo timueritis eos. Sicut enim vas hominis confractum inutile efficitur, tales sunt & dij illorum.* Consequenter deinde toto illo capite, ita deorum vanitatem enarrare pergit, vt non possit aut certiùs, aut clariùs.

Baruch c. 6.

Vers. 7.

Vers. 14. 15

Idololatria detestanda.

6 Vehementer igitur deploranda tanta nonnullorum cæcitas, deos illos fictiles & idola tam vana, vt sint ipsissima vanitas, non tantùm habentium; sed etiam in pretio habentium, & custodientium sedulò, atque seruantium, vt rem præ ceteris omnibus pretiosam, & thesaurum maximum; eademque colentium, honore summo atque præcipuo: quòd factum non solùm IONÆ temporibus; sed etiam nostris, in quibusdam saltem orbis partibus, si non in omnibus. Licet, quæ Dei est bonitas, plures ex idolorum cultoribus, quàm ex hæreticis, variis in oris ad agnitionem veniant veritatis, & conuertantur à simulacris ad Deum viuum & verum. Idque quia hi ferè ex ignoratione errarunt & errāt, plerumque ex malitia hæretici; qui proinde sana audire consilia negligūt, dati iam in reprobū sensum.

Mala ex idololatria prouenientia.

7 Sed relictis nunc hæreticis videāt qui idola custodiunt quid agant. Nam *misericordiam suam* relinquētes, simul Deum verum, à quo hæc, & quidem solo, speranda est, relinquunt & deserunt. Et verò sicut magis esse in Deum iniurij non possunt; ita neque in se magis crudeles. Omnia enim, dum iis honorem deferunt, sibi mala accersunt, mortem nempe, & morte peiorem, non corporis, qui terminatur breui, sed animi numquam morituri interitum. Quin & excæcantur in tantū: vt, quasi benè fieri sibi vlterius à Deo, qui solus potest, non velint, omnem à se eius abdicantes misericordiā, ipsum quoque spōte deserant: ampliùs dico, despiciant, aspernentur, contemnant.

Ab idolis nihil boni eorum cultores accipiunt.

8 Certè sicut à cultoribus idolorum nihil sperandum, nihil exspectandum est boni: ita nec ipsi cultores ab idolis suis quod habent exspectent; cùm beneficia à mortuis postulent,

stulent, & bonorum omnium fontem Deum viuum & verum, ipsam, vt diximus, misericordiam; seu, vt habent Tigurina, *beneficentiam*, sibi obstruant & occludant.

Mala, & incommoda quæ populo Israel per idololatriã obuenerũt enarrãtur.

9 Hoc ipsemet Deus ac Dominus omnium, condolens tantis eorum miseriis, per Prophetam suum Ieremiam, affectu plus quàm paterno deplorat; quasi qui benefacere velit, & non possit, ponente obicem nonnullorum à se abeuntium atque ad idola recurrentium iniquitate. *Duo*, inquit, *mala fecit populus meus; me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas.* (Ierem. c. 2. v. 13.) Cisternæ hæ dissipatæ, confractæ, rimas agentes, aquis continendis non amplius vtiles, idola sunt, & gentes quæ idolis seruiunt; vt Assyrij, Ægyptij, Chaldæi, aliique Iudæis vicini; quibus & ipsi adhærentes magis fidebant quàm Deo, quo relicto ad ea quoque recurrebant opis gratia, magnaque sperabant: sed quia à vanis, vanè; quia à rebus nihili, nihil quoq; sunt consecuti. Quare, quod vnum exspectandum erat, debitam aliquando acceperunt mercedem, qualem putatis? prorsus operi congruentem, beneficium videlicet amplissimum, vt cùm essent domini, facti sint serui.

10 Ieremiam ipsum, non me, loquentem audite. Hic postquam superiora recensuit, quibus indignitatem facti Iudaicæ gentis, quemadmodum audistis, complectitur, statim subiungit: *Numquid seruus est Israel? aut vernaculus? quare ergo factus est in prædam?* (c. 2. v. 14.) Ac si dicat: Israel filius est Abrahæ primogenitus, & filius Dei; cur ergo vt seruus datus est Chaldæis in prædam? de illis enim intelligendum censent D. Hieronymus, Rabanus, & Hugo Cardinalis, quod sequitur: *Super eum rugierunt leones, & dederunt vocem suam, posuerunt terram eius in solitudinem: ciuitates eius exustæ sunt, & non est qui habitet in eis.* (Vers. 15.) Vt verò causam non ignoremus, cur illa tanta mala Israelitico populo, tali cum illorum incommodo & iactura obuenerint, apertissimè subiicit, declarans veram calamitatum originem: *Numquid non istud factum est tibi, quia dereliquisti Dominum Deum tuum eo tempore, quo ducebat te per viam?* (Vers. 17.) deserti scilicet, & vastæ solitudinis, in terram promissionis, terram Chanaan lacte, & melle manantem. In hac quippe via deserti, in hac peregrinatione, deliquit grauissimè populus Israel, conflans vitulum aureum; ob quem versa subitò in luctum cithara est, tantaque cum pressère mala, tam multa perierunt hominum millia, & plura periissent, deletique fuissent vniuersi; nisi Deus Moysis prece placatus, dicentis animi contentione ingenti, nec minore caritate: *Aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo, quem scripsisti;* (Exodi c. 32. v. 32.) suæ rigorem iustitiæ clementiâ temperasset.

Israelitarũ idololatriã Ieremias perstringit.

11 Dicit ergo Ieremias, meminerint quid aliquando impiè egerint, quàm turpiter & sceleratè erexerint, coluerintque diuinis honoribus vitulum hunc, à Deo vero eiusque cultu recedentes: tunc verò intellecturos perfacilè, quàm iustè & meritò tantis suppliciis, adhuc grauioribus digni, subiaceant. *O Israel*, inquit, *arguet te malitia tua, & auersio tua increpabit te. Scito, & vide, quia malum & amarum est reliquisse te Dominum Deum tuum, & non esse timorem mei apud te.* (Ierem. c. 2. v. 19.) Verè apud idololatras nullus Dei timor est, nulla legum reuerentia: quare inter illos nihil non vitiorum regnet oportet, ablegatis, ac velut in æternum missis exilium, vnà cum vnius veri Dei cultu, virtutibus omnibus, quarum imperium sine cultu hoc non potest consistere.

Ionas contra socios suos idololatras agit.

12 Sed, vt ad rem nostrã denuò veniamus; quorsum hic tantoperè Ionas idola colentes insequitur? quid ipsi cum his hominibus est negotij?

Mementote, quod etiam suprà monui, cum nautis eum ceterisque itineris sociis idololatris agere, quibuscum abiturus in Tharsis nauem conscenderat: horum hic ipse vitam moresque perstringit, & quâ potest, etiam absentes officij monet.

Respiciens huc Arias Montanus, verba eius accommodatè ad vsum consuetudinemque agendi nautarum exponit; pro eo quod nos legimus, *Qui custodiunt vanitates*, vertens ex Hebræo, *qui custodiunt funes vanitatis*. Nautis enim cùm esse debeant funes semper ad manum; vtpote cum quibus illis est perpetuum negotium; frustranea vanitatum idololatricarum custodia, magis ad illorum captum explicari non poterat, quàm per funes vanos, inutiles & frustraneos. Dum ergo secundùm Ariam dicit IONAS: *qui custodiunt funes vanitatis*, idem est ac si dicat; sicuti qui funes vanos custodiunt, rem sibi non profuturam custodiunt; ita qui colunt idola. Nam non modò nullo fructu id faciunt, sed etiam damno suo maximo.

Socij Ionæ in tempestate cultũ idolorum paulisper reliquerunt, sed verendum quod non de toto.

13 Recesserant quidem ab idolorum cultu hi nautæ aliquousque iam antè; in tempestate tam valida, tam præsenti periculo, tam certa morte recurrentes ad Deum verum: interim tamen, nondum plenam de illorum conuersione omnimoda IONAS habebat fiduciam; verebatur enim ne veterum vanitatum suarum adhuc essent obseruatores, neuę idola, illorumque cultum adhuc non omninò desererent. Certè agens tum in ventre ceti, cùm nesciret, ex quo ipse missus erat in mare, & sedata fuerat tẽpestas, meliùs eos agnouisse Deum verum, atque ad illum prorsus conuersos; non fuit quidquam magis pronum, quàm suspicari, facturos, quemadmodum eiusmodi homines parum in Dei timore, multò minùs in amore solidi & firmi, facere in necessitate constituti consueuerunt: nimirum præsentibus ereptos malis, neque ampliùs ob pericula timidos & anxios, misericordiam suam, atque illum à quo & hanc acceperunt, & exspectare adhuc deberent imposterum ampliorem, relicturos: id est veri Dei cultum deserturos, & prioris sponsionis suæ immemores, etiam sanctissimè promissa nullo negotio violaturos, adeoque ad veterem idololatriam postliminio redituros, suo grauissimo damno: quippe Deum deserentes, ab ipso quoque iacturâ incomparabili penitùs deserendos.

14 Quare sic secum ratiocinatum IONAM libet opinari. Agant quod voluerint nautæ, Dei cultum non magni faciant, ab eo facillimè recedant, benè concepta desideria sanctaque proposita deserant, atque ad veteres vanitates, & falsorum deorum venerationem reuertantur, vti admodum vereor facturos: ego certè non moueor illorum agendi ratione, nec mouebor, illos ego non sequar; sed neque illorum, neque aliorum, seu moribus, seu impio cultu, à Domini mei sanctissima voluntate abduci me sinam vllo modo: imò verò quò illi inconstantiores, eò ego constantior ero; idque insigni fidelitate, & in exequendis eius sanctis mãdatis magnâ promptitudine, nequaquam vltrà rebellis, testabor egregiè.

Propositum Ionæ, à vero Deo, eiusq; cultu ac voluntate, nõ recedendi.

15 Animaduertitis credo Prophetę nostri animos generosos. Talibus agi solent, qui ad sanã mentem redeunt, & verè conuertuntur ad Deum: nihil illis difficile, nihil arduum nimis, dicunt protinus cum Paulo: *Omnia possum in eo, qui me confortat:* quare tentant in se, tentant in aliis omnia, quæ ad Dei maiorem gloriã & animarum salutem futura videantur: neque sufficere putant si ipsi ingenti conatu ad consecutionem virtutis perfectionisque incumbant, nisi simul ad eandem aliis viam sternant, eosque lucrifaciant Deo; vt appareat dicere illos verissimè re magis quàm verbo: *Zelus domus tuæ comedit me.*

Peccator verè conuersus ad Deum, in se feruens est, & vellet conuertere omnes si posset.

Ad Phil. c. 4. v. 13.

Psal. 68. v. 10.

16 Sic fecisse nouimus reuersum ad Deum per pœnitentiam Dauidem. En quomodo loquitur: *Docebo*, inquit, *iniquos vias tuas: & impij ad te*

Id exemplo Dauidis probatur.

Psal. 50. v. 15.

con-

conuertentur. Nec aliter dixit quàm fecit: non tantùm de se; sed simul de Dei hostibus, peccatoribus omnibus, sollicitus, quæsiuit rationes & vias, quibus eos resipiscere faceret, & in viam veritatis ac iustitiæ redire compelleret.

Item exemplo Ionæ. Neque etiam secus IONAM nostrum fecisse opinor, iterùm zelo diuinæ gloriæ promouendæ accensum, vbi ad se rediit: sic namque secundùm sensum suum, & inflammata, quæ in ventre ceti conceperat desideria, locutum existimo. Qui idola colunt, à te Deus acceptũ beneficium, obtentam illam peculiarem gratiam, quâ ab imminente naufragio euasêre immunes, obliuioni tradent: at ego, non obliuiscar vllo modo; quod vt ostendam, vocem laudis & confessionis immolabo tibi cùm Ierosolymam venero, nec tantùm ibi; sed vbicumque fuero terrarum, erit *semper laus tua in ore meo*. *Psal. 33. v. 2.*

Nullum prætereà est mihi dubium, quin eius animi fuerit, vt quoscumque vspiam reperiret, non in vrbe Niniue tantùm; sed quocumq; loco, ad quem, siue à Deo mitteretur, siue aliàs tamquam priuatus contenderet, illos protinus ad viam veritatis niteretur adducere; & sanctis veræ religionis legibus instituere ac facere proselytos Iudæorum.

Vanitas est & superbia in propria virtute confidere. 17 Veniamus nunc ad alterum hominum genus, custodientium vanitates frustrà. Hoc vel maximè comprehenduntur, quotquot siue tentationis tempore, siue etiam aliàs vnquam, in seipsis, id est in sua sapientia, consilio, viribus, iustitia, sanctitate, aut quacumque re alia (Deo, eius auxilio, & gratia, aut sepositis, aut fortè neglectis, & contemptis) stultè atque arroganter confidunt: magna enim hæc vanitas est & superbia, ad aliud nihil quàm ad interitum seruiens. Quare qui hanc vanitatẽ custodiunt, frustrà eam custodiunt; cùm in omnibus eiusmodi, siue consiliis, siue auxiliis humanis sperantes, nitantur super baculo arundineo confracto: Deum verò, robur omne nostrum omnémque virtutem, qui solus auxiliator est in tempore opportuno, sic agendo velut despiciant. Igitur qui custodiendis vanitatibus modum ponere aliquandovoluerint, ad Deum, sepositis ceteris omnibus planè, confugiant.

Boni semper Deum auctorem omnis boni agnoscunt. 18 Sic facere viri probi virtutibus dediti solent: obseruant illi veritatem, vanitate mendacioque contemptis, & numquam misericordiam suam, hoc est Deum, deserunt; agnoscunt enim quòd ipse sit à quo bona cuncta procedunt; agnoscunt quòd ipse solus seruare possit & perdere. Quare de inexhausto ipsius thesauro largã sperant benedictionem, & contra quæuis mala singulare præsidium.

Dicebat cum Deo loquens Augustinus: *Cùm inhæsero tibi ex omni me omninò, nusquam erit mihi dolor & labor: & viua erit vita mea tota plena te.* *August. lib. 10. Cõfess. c. 28.* Optauerat quoque suo tempore Iobus patientiæ speculum, tot obrutus malis, constitui iuxta Dominum, certus de inueniendo ibi præsidio. *Pone me*, inquit, *iuxta te, & cuiusuis manus pugnet contra me*. *Iob c. 17. v. 3.* Veniant quot voluerint aduersarij, & me impetant, nihil timeo, nec timebo, quoniam tu mecum es. En quàm ille spem omnem suam ac robur, non in seipso virtuteque sua, non in amicis opulentis ac potentibus; sed in vno constituerit Deo, illo solo satis se tutum; sine illo nequaquam existimans. Vos similiter *Nolite confidere in principibus; in filiis hominum, in quibus non est salus*: sed neque in vobis ipsis, in virtute, prudentia, sapientiâque vestra, multò minùs in opibus: sed in Deo solo, à quo omne bonum dicente B. Iacobo: *Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est; descendens à Patre luminũ.* *Psal. 145. v. 3.* *Iacobi c. 1. v. 17.*

Cur à tentationibus vincamur causæ tres. 19 Suggerit nobis hoc loco IONAS noster causas tres, quibus proueniat plures à tentationibus vinci, & succumbere turpiter. Harum prima est propria succumbentium culpa, voluntas nimirum ipsorum maleuola. Altera, quòd non sat solido religionis ac virtutis posito fundamento, vanitates

sectentur, & in iis non parum confidant. Tertia, quòd misericordiam suam, Deum nimirum totius fontem misericordiæ ac bonitatis, ipsi deserant. Neque enim homines priùs deseruntur à Deo, quàm hunc ipsi deserant: hoc verò vbi fecerint, non mirum si confundantur, relinquantur, & relicti, atque omnis opis indigi iam effecti, sponte suâ in miseriis suis contabescant, ac pereant.

Dei misericordia sæpius imploranda. 19 Ex quibus concludo; non solùm offerentem se sponte Dei misericordiam amplecti nos ambabus, vt aiunt, vlnis debere; sed hanc etiam, tametsi vltrò oblata non esset, postulare ardentiùs, memores miseros nos esse, & maximè Dei misericordia indigere, nisi adhuc magis miseri esse velimus; neque facere debere vllo modo ardentissimæ illius postulationis finem, quoad vsque eandem consecuti, munifico largitori Deo gratias agentes amplissimas, nouam iterùm misericordiam felicitatemque mereamur.

Vanitas toto orbe diffusa est. 20 Est & tertium hominum genus vanitatem custodientium, atque illud longè lateque toto orbe diffusum. E quo multi non tantùm veteres vanitates custodiunt; sed & nouas, quas custoditas vellent imposterum, comminiscuntur quotidie, easque tam ineptas & stultas, vt cordatum hominem eas videre atque audire, nedum collaudare, & omnium minimè sequi, tædeat.

Quinam vani in mundo censeantur. 21 Huic hominum generi accenseo multos sæculi potentes, qui diuitiis tumidi, sibi applaudunt & dicunt: *Anima habes multa bona posita in annos plurimos.* Annumero & voluptuarios, qui dicunt: *Manducemus, & bibamus, cras enim moriemur.* Adscribo eidem classi etiã illos omnes, qui siue in vno genere, siue in altero, *terrena sapiunt*, vt loquitur Paulus. Nam quicumque honorem & gloriam, voluptates & corporis commoda, diuitias & quidquid bonorum est sæculi, animi bonis postpositis, habent in pretio; atque eorum aliquibus, aut simul omnibus,

Luc. c. 12. v. 19. 1. Cor. c. 15. v. 32. Ad Phil. c. 3. v. 19.

se addicunt & consecrant, ij profectò de eorum genere sunt quibus illud IONÆ rectè conueniat: *Qui custodiunt vanitates frustrà, misericordiam suam derelinquunt.* Eò enim illâ suâ vanitatum custodiâ disponunt & dirigunt omnia; vt serius ocyus, Deum bonorum omnium fontem, ni iam deseruerint, penitus deserant; & sic magis & magis in suis sordidis vanitatibus obsolescant.

Vana sunt omnia, præter amare Deum. 22 Ne igitur sensim sine sensu vanitates alicui in consuetudinem & custodiam transeant; iis tempestiuè relictis Deo est tenaciùs adhærendum; quem præter, nihil non vanitas est: etiam ipse homo, dicente Vate regio: *Vniuersa vanitas omnis homo viuens.* A parente filius, à Dauide Salomon nobile illud documentum haud dubiè acceperit, initio statim libri sui ab eo mortalibus propositum, paucis complectens omnia: *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas.* Quod perpendens, simulque commendans S. Chrysostomus, non immeritò exclamat: *Sublimis prorsus, & cælis digna vox! quam Salomon ad se reuersus, & quasi ex vmbrosa quadam abysso, ad lumen veræ sapientiæ respicere valens, emisit tandem.*

Psal. 38. v. 6. Eccl. c. 1. v. 2. Chrysost. ser. contra concubinarios.

23 Vocem hanc, vt non leuiter atque inconsideratè Salomonem emisisse putemus, nec sine sensu sapientiaque locutum, propè nescientem quid diceret, facit; quod cùm hoc loqueretur, tam fuerit humanarum rerum peritus, tam in rebus sæculi versatus, tam præditus cognitione atque rerum omnium experientia, & quod caput est, tam spiritu plenus diuino, qui docet adhærere æternis, & peritura contemnere; vt benè præfari potuerit, quò pleniùs intenderemus voci ipsius, & quod dicturus erat certius crederemus: *Vidi cuncta, quæ fiunt sub sole, & ecce vniuersa vanitas, & afflictio spiritus.* Nihil omittit, nihil excipit, quod non viderit, quod non obseruarit, in quod oculos non intenderit mentis. *Vidi*, inquit, *cuncta:* & hæc, quæcumque vidit, nimirum

Eccles. c. 1. v. 14.

rum condita, & creata omnia, vanitatem & spiritus afflictionem appellat.

Hom. 1. in Eccles.

Et rem, & verba, & hęc dicentis Salomonis modum attendēs, simulque commendans Hugo Victorinus, *Vbi putatis*, inquit, *mens erat huius hominis, cùm hac diceret. Homo erat, sed supra hominem erat. Quia nisi hominem excederet, omnem hominem mendacem esse non videret.*

Rex VVandalorum Gilimer captiuus mundi vanitatem agnoscit.

24 Quod hic Salomon Regum sapientissimus dixit, & docuit, idem elocutum aliàs iam experientiâ doctum nouimus, Regem VVandalorum Gilimerem, quando à Belisario duce exercitus Iustiniani Cæsaris, & victus, & captus, & vt auctor est Procopius, in triumphum abductus Constantinopolim, stans in hyppodromo, indeque Imperatorem altâ locatum sede, thronoque sublimem, & ingenti populi coronâ stipatum spectans, simul in ipsum, simul in se intuens, dixit: *Vanitas vanitatum & omnia vanitas.* Meminisse profectò poterat, quomodo olim, etiam ipse, elatus triumphis, sublimis gloriâ, populi applaudentis vocibus felix, tunc aliud non acciperet, rerum vicibus commutatis, quàm popelli sibilum, vulgi opprobrium, dedecus, & infamiam, tantâ illâ suâ felicitate, quæ aliquando polliceri summa visa fuerat, vno velut momento, non emortuâ tantùm, sed in aduersa omnia commutatâ. Quod benè consideratum, egregiè vanitatem inconstantiamque rerum humanarum nos etiam docebit.

Procopius lib. 2. de bello VVandalico.

Imperator exercitus Iustiniani Cæsaris, Belisarius, experitur.

Card. Baronius tom. 7. Annal. ad annum Domini 561.

25 Neque melior deinde ipsius Belisarij sors fuit: nam & in hoc comprobata aliquando eiusdem Salomonici dicti veritas. Quippe cùm peruenisset ad summum dignitatis apicem; vno Iustiniano Imperatore inferior, iam omnibus illius hostibus debellatis, toties victor, toties triumphator, tandem venit in suspicionem maleuolorum inuidiâ apud Cæsarem tentatæ coniurationis, atque affectati imperij: vnde dignitate omni, & honore priuatus, bonis exutus, redactus in ordinem, &, quod calamitosissimum, captus oculis, vt victitare posset, poculo instructus ligneo, præ foribus Cōstātinopoleos, aut, vt alij dicunt, in stadio, ad pertranseuntes clamauit, mendicus: *Belisario obolum date Imperatori, quem fortuna quidem clarum fecit, excæcauit inuidia*: adeoque sic vel maximè expertus est, quod dixit Salomon, estque longè verissimum: quia *vanitas vanitatum, & omnia vanitas.*

Similiter Persei Macedonum Regis filius.

Vti & ante eum multis sæculis Persei vltimi Macedonum Regis filius: qui ex tanti Regis hærede, Romani Senatus Scriba effectus, deplorare hanc fortunæ vicissitudinem meritò poterat: & si non cum Salomone, agnoscendo veram sapientiā, dicere *vanitas vanitatum & omnia vanitas*, saltem cum Seneca circumspicere, & abundè cognoscere, quòd

Seneca in Thyeste.

Res Deus nostras celeri rotatas
——— *Turbine versat.*

Neque hoc nouum est, à summis ad ima deiici quempiam, vel etiam ab imis ad summa attolli subitò. Dixit Satyricus.

Iuuenal. Satyra 7.

Si fortuna volet, fies de rhetore consul.
Si volet hæc eadem, fies de consule rhetor.

Et ita factum esse sæpiùs ipse euentus docuit, docetque quotidie.

Monitum hoc, omnia vanitas, etiam in conuiuiis valet.

26 Memini audire me quemdam virum planè religiosum & venerabilem, annis grauem & meritis, cœnobij Sacri ordinis Carthusiensis plurimis annis non vno loco Priorem, cùm hospites priuatâ mensâ comiter, benignè, religiosè, atque etiam pro conditione suâ amœnè excepisset, dicere pro actione gratiarum, sublatis epulis, solitum: *Omnia prætereunt præter amare Deum. Tu autem Domine miserere nobis.* Quod an esset priuatæ pietatis, an verò mos toti Ordini communis ignoro: scio saltem animis conuiuarum quorumdam dictum altius insedisse, & ab optimo viro auditum etiam tali loco, & tempore non importunum cum sacra prece monitum visum fuisse, & fructum fecisse.

27 Dicam similiter vobis, quod & altè

altè singulorum infixum sit cordibus velim, & fructum faciat non pœnitédum: dicam, sed non meo, verùm aureo D. Ioannis Chrysostomi ore, vt plus ponderis habeat. Is declamans in Eutropium eunuchum, patritium, Consulem, præfectumque cubiculi Arcadij Augusti, cùm offensò principe delitesceret sub altari Ecclesiæ, cui ipse anteà ius asyli abrogare conatus fuerat, sic orditur: *Si vnquam anteà, nunc maximè licet dicere, vanitas vanitatum, omnia vanitas.* Et postquam multis similitudinibus comprobasset, tandem subiungit: *Hoc dictum in parietibus, in vestibus, in foro, in ædibus, in viis, in fenestris, in ianuis; sed potissimùm in ipsa cuiusque conscientia continenter inscriptum esse oportet, omniq; tempore cogitationi obuersari, quandoquidem negotia fraudulenta & personata, ac inimica veritatis, opinionem apud plerosque sibi parauerunt. Hoc dicto in prandio, & in cœna, & in cœtu, quemque proximum suum compellare oportebat, idemq; ab illo vicissim audire, nempe quòd vanitas vanitatum omnia vanitas.*

Chrysost. tom. 5. serm. in Eutropiũ.

28 Seipsum sic compellauerat, sibi ceciner at, & cecinerat vtiliter, deductus cantu simili in viam meliorem; adolescens ille, qui humanarum rerum pertæsus, transiuit ex mũdo, schola vanitatis, & mendacij, deliciarum illius & nugarum satur, ad religionem Dei domum, & virtutis omnis gymnasium, dicens:

Vanitas rerũ mundi agnita, fecit mundum contemnere.

Linquo coax *ranis*, cras *coruis*, vanaque *vanis*,
Ad Logicam pergo, quæ mortis non timet ergo.

In libello cui titulus Lauacrũ conscientiæ.

Cecinit sibi in vita, in morte aliis, ille litteratorum sui æui phœnix Iustus Lipsius, qui scriptum manu propriâ, vitæ & moribus suis planè conforme, valiturum pro posterorum memoria sibi epitaphium, hac nobilissimâ seque dignâ conclusit sententiâ:

Humana cuncta fumus, vmbra, vanitas
Et scenæ imago, & verbo, vt absoluam, nihil.

Cantum hunc qui audire renuit, aut certè qui non audit nisi inuitus, satis ostendit, quòd custodiat vanitates; sed frustrà: nam finis illius, sicut fuit similium omniũ, non erit alius, quàm quòd Dei misericordiam derelinquet. Audiuit Sanctus Fulgentius adhuc monachus necdum Ruspensis Episcopus: quare spectans Theodoricum Regem circumdatum Romanâ curiâ, Senatu, & pompâ nobilissimâ, atque ex hac oculos conuertens in cælum: *Quàm speciosa*, inquit, *potest esse Ierusalem cælestis, si sic fulget Roma terrestris? & si in hoc sæculo datur tanti honoris dignitas diligentibus vanitatè, qualis honor & gloria præstabitur contemplantibus veritatem.* Satis sic indicãs debere nobis æquè ac sibi præ cælestibus terrena vilescere, & tamquam vana nequaquam optari, amari, haberiue in pretio.

Surius in vita S. Fulgentij 1. Ianuarij.

29 Ad rem nostrã: Rectè à D. Hieronymo, Ruperto, Haymone, & aliis obseruatum est, non dixisse IONAM *qui faciunt*, sed, *qui custodiunt vanitates.* Quotus enim quisque eas subinde non facit? Quis quæso non peccat aliquando? Scribis & Pharisæis adducẽtibus mulierem deprehensam in adulterio, & eam condemnari cupientibus, Christus respondit: *Qui sine peccato est vestrûm, primus in illam lapidem mittat.* Sed illi non rectè sibi conscij, proindeque nec hoc facere ausi, *vnus post vnum exibant.* Sic non est quòd sibi quis blandiatur, quasi nullas faciat vanitates, quasi non peccet aliquando, cùm *septies cadat iustus*: multum fecerit, si vanitates non custodiat, & hos tantùm damnat IONAS; ne simul totum damnare mundum videatur: cùm, vt ex ore menteque Dauidis paullò superiùs diximus, *vanitas sit omnis homo viuens.*

Ioan. c. 8. v. 7.

Vers. 8.

Prou. c. 24. v. 6.

Psal. 38. v. 6.

Porrò ex Ruperti sententia, & rei ipsius veritate, vanitates illi custodiunt, quibus hæ in affectum cordis transierunt; adeoque vanitates & vana, non modò faciunt, sed ita faciunt, vt etiam iam facta seruantes, ab illis nequaquam recedant: si verò nolentes

tes ipsa perdiderint, rem omninò præclaram & caram perdidisse se putent, à qua proinde non nisi cum sensu magno auellantur: & si ea demum inuenerint, thesaurũ pretiosissimum inuenisse se putent, quem omni diligentiâ & sedulitate custodiant; paratam interim, atque vltrò offerentem se Dei misericordiam relinquentes; à qua & faciem, tamquam si eam nolint, & super oblatâ indignentur, auertant.

Homines vani ad Deum redeant, ne deinde serò lugeant.

30 Sed nec illos, quæ Dei nostri est bonitas singularis, prorsus detestatur, aut deserit: sed exspectans vt conuertantur, vt redeant, clamat ad singulos, vt olim ad Sulamitidem: *Reuertere, reuertere, vt intueamur te.* *Cant. c. 6. v. 12.* Videant ergo homines vani, dum eos Deus est paratus recipere, vt agant pœnitentiam, & reuertantur vocati; sin minùs, suum sibi interitum imputent. Nam, quod dixit per Oseam: *Perditio tua Israel: tantummodò in me auxilium tuum*: *Oseę c. 13. v. 9.* aliquando, ni resipiscant, in se locum habuisse percipient; & eheu! serò nimium, suam damnantes improbitatem, lugebunt. Ne lugeamus & nos, cogitemus modò de implenda in omnibus Dei voluntate sanctissima, sepositis vanitatibus, vt cum IONA misericordiam consequamur


LECTIO DECIMA.

EGO AVTEM IN VOCE LAVDIS IMMOLABO TIBI: QVÆCVMQVE VOVI, REDDAM PRO SALVTE MEA DOMINO. *Vers. 10.*

ARGVMENTVM.

Bona IONÆ *proposita, & vota explicantur. De Iudæorum votis & Christianorum agitur. Horum vota impugnantes hæretici redarguuntur. In votis esse executionem necessariam ostenditur. Christi pro salute mortalium votum proponitur.*

Vouit Ionas Deo obedientiam.



1 NVLLVM mihi est dubiũ, quin IONAS in tanta necessitate, tantisque periculis constitutus, quę nouerat esse suæ inobedientiæ pœnam, inter cetera vouerit Deo, atque obtulerit promptam imposterum alacremque obtemperandi voluntatem. Voti qui auctor, idem & illius testis eiusdem quoque persolutionem sedulā spondet. Quamquam verò quid vouerit, certis verbis non habeamus expressum: tamen nemo non prudenter opinabitur, tali loco ac tempore vouisse quod sibi & maximè necessarium, & pręcipuè profuturũ credebat. Etenim si deliquerat, & delictũ suum luebat, laborandum illi erat potissimùm, vt, cùm amotum vellet supplicium, delictum supplicij causam ante omnia arceret, adeóque illud in quo offenderat, nouis & offensæ contrariis virtutis actibus resarciret.

2 Itaque priùs sui facti indignitatem agnoscens, mox ad veniæ deprecationem conuertitur. Vanitas, inquit, fuit, quòd iussioni tuæ non dicto citiùs obediuerim, quódque sim arbitratus posse me à facie tua fugere, & euadere, atque tam ignobili fugâ tuum declinare imperium. At non mihi ampliùs placet hæc vanitas; ex quo illustrasti mentem meam clariori luce veritatis, statui & statuo, perniciosam illam vanamque cogitationem non ampliùs custodire. In signum igitur resipiscentiæ, & in ple-

plenam gratiarum actionem, quòd me aliter instituere & erudire, tametsi per aduersa, tuæ diuinæ placuerit Maiestati, IN VOCE LAVDIS IMMOLABO TIBI. Tuæ gloriæ totum cor meum, pectus, linguam, & labia, per contritionem & pœnitentiam offeram, dicabo, consecrabo; idque quâ potero alacritate & gaudio: quemadmodum faciunt, qui sua faciunt cantantes; hoc enim vox LAVDIS insinuat.

Ionas se totum Deo offert.

3 Agant quod voluerint alij, mea non interest: damnent idololatræ, impij, voluptuarij, misericordiam tuam, aspernentur, contemnant; ego certè non imitabor, non sequar, non probabo factum illorum: at tātò ampliùs eam quoad potero extollā; quod cùm præstitero, nihil vltrà debitum meum præstitero. Nam si mortalium vllus, ego vel maximè modis & locis pluribus, in terra, in mari, in naui, in ventre ceti, vbi non? factus sum diuinarum miserationum tuarum particeps; in quarum memoriā, quod iam spopondi, non tantùm laudis sacrificiū immolabo tibi; sed, quoad viuam, accepta à te beneficia publicis concionibus decantabo; faciamque omnes intelligant, præter spiritales & legales, quas oblaturus sum, hostias, quòd tu sis Deus misericors, & clemens, atque præibo imposterum omnibus sanctæ obedientiæ exemplo. Quare quidquid imperaueris exequar sedulò, tametsi cum proscriptione bonorū meorum, cum exilio perpetuo, cum nominis & famæ iactura, cum mortalium omnium indignatione & odio, cum euidentissimo vitæ fuerit cōiunctum discrimine: illorum verò vanitates, qui tuam aspernantur gratiam, æternùm abominabor, atque abominor.

Bona Ionæ proposita & vota explicantur.

4 Similia apud Rupertum loquentem vlteriùs audite: *Ego*, inquit, *si vanitatem feci, non custodio illam; sed potiùs votum voueo tibi me corrigendi, obediendi, & pergendi quocumque iusseris, & hanc obedientiam immolabo tibi in voce laudis. Magna sanè mea vanitas fuit, quòd, te præcipiente vt irem in Niniuen ciuitatem magnam, & prædicarem in ea, praoccupaui vt fugerem à facie tua in Tharsis, metuens ne condemnaretur Israel impœnitens, pœnitentiam agente Niniue, & affectum gentis meæ præferens voluntati tuæ: sed hanc ipsam vanitatem non custodiam, in hac inquam intentione non persistam, præsenti vexatione commonitus, quòd tua voluntas sequenda sit potiùs, quàm carnis affectus.*

Pœnitet Ionam inobedientiæ. Rupertus in hunc locum.

Mirabilis planè & artificio plena hæc IONÆ deprecatio est. In ea primò culpam suam magnâ animi demissione agnoscit: deinde diuinam misericordiam ardenti extollit affectu, & eandem ingenti fiducia, expectans patratorum criminū veniam, commendat & laudat; denique maiorem Deo gloriam ex bonitate sua & clementia, quàm ex iustitia pollicetur; asserens longè plura & maiora ad eius honorem & gloriam se præstiturum imposterum, quàm priusquam mandati transgressor, ab eius sancta voluntate recesserat, etiam ex ea præstare iussus fuerit.

Ecce quàm verè, quàm syncerè, se pœnitentem, totumque conuersum ad Deum IONAS ostendat. Promiserat quòd *in voce laudis & confessionis*, vt loquitur Theodoretus, *immolaret Domino*: atque vt promisit sic executus est. *Scriptis omnia tradidit*, vt inquit idem Pater, *vt non solùm homines qui tum erant; sed etiā posteri noscerent eius facinora. Et quemadmodum admirabilis Dauid, cùm scriptum reliquit suum delictum, Dei misericordiam prædicauit, & peccantibus fructum pœnitentiæ ostendit: sic Ionas & fugam, & pœnas de se sumptas, & datam salutem, monumentis historiæ prodidit.*

Theodoretus in c. 2. Ionæ.

Dauid certè, non modò delicta sua confitetur, cùm ait: *Tibi soli peccaui, & malum coram te feci*: sed etiam à Deo veniam postulat, dicens: *Auerte faciem tuam à peccatis meis: & omnes iniquitates meas dele.* Demum se totum diuinæ legis obseruationi incubiturum, aberrantes quoque in viam salutis reducturum, promittit his verbis: *Domine labia*

Psal. 50. v. 6.

Vers. 11.

Verſ. 17. *labia mea aperies: & os meũ annuntiabit*
Verſ. 15. *laudem tuam. Docebo iniquos vias tuas: & impij ad te cõuertentur.* Sic IONAS ſuum primò deteſtatus peccatum, mox vbi recenſuit, quas illius cauſâ ſubierit anguſtias, & Dei pro remiſſione culpæ & pœnæ implorauit clementiã, tandem concludens orationem ſuam: EGO AVTEM, inquit, IN VOCE LAVDIS IMMOLABO TIBI.

5 Sed nũquid ſacerdos erat, aut ſaltem ex tribu Leui miniſter altaris IONAS; quòd hic de hoſtiarũ immolatione, quaſi eã facturus ſit ipſe, loquatur? Minimè verò: ſed ſicuti quod petentibus aliis & curantibus myſtæ ac ſacrorum miniſtri faciebant, id facere cenſebantur ij, qui ipſum præſtare per ſe non poterant, & per illos fieri curabãt: ita IONAS hic de ſe loquitur, tamquã ſi fecerit ipſe, quod pro ſe alius. Quamquã ſacrificij ſpiritalis, cordis nimirum cõtriti & humiliati, quiuis eſſe, vt nũc, etiam tum miniſter poterat: atque eiuſcemodi ſacrificiũ in altari cordis ſui IONAM obtuliſſe, ſicut & debitę gratitudinis & actionis gratiarum, ipſe ſatis inſinuat. Fuit hoc olim Dauidis
Pſal. 49. v. 14. conſilium, dicentis: *Immola Deo ſacrificium laudis.*

6 Videamus quid dicat myſticus Ionas CHRISTVS IESVS. Etiam ille, teſte B. Hieronymo, ad Patrem ęternũ cõuerſus ait: *Ego in voce laudis immolabo tibi.* Interpretatur hoc idẽm Hieronymus: Pater ęterne, qui pro ſalute multorum deuoratus ſum, in voce laudis & confeſſionis immolabo meipſum tibi, & ſic
In Præfatione Sacri Paſchalis. factum eſt. Etenim *Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus.* Ipſe ſacerdos & victima, ipſe offerens & oblatio. Imò in membris ſuis immolat adhuc quotidie æterno Patri corporis ſui oblationẽ & ſanguinis, atque etiã quotidie immolatur. In quo tanto ſacrificio, oblationeq; tam ſancta, tamquam aliquando futura, vti facta iam eſt à mille ſexcen-
Prædicta fuit hæc oblatio per Malachiã. tis & ampliùs annis, & fit quotidie, mirè ſibi complacẽs æternus Pater, multò antè quàm fieret, dixit per Prophe-
Malac. c. 1. v. 11. tam ſuum Malachiam: *Ab ortu ſolis vſque ad occaſum, magnum eſt nomen meum in gentibus: & in omni loco ſacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda:* quæ non eſt alia quàm oblatio Corporis & Sãguinis vnigeniti filij eius Domini noſtri IESV CHRISTI; tam munda, vt, quemadmodum Tridentinum Trident. ſeſſ. 22. c. 1
loquitur, nullâ indignitate aut malitiâ offerentium inquinari poſſit.

7 Nos ſi offerre Deo oblationem mundã cum myſtico Iona CHRISTO IESV non poſſumus, ſi non dare purã mentem, quæ nullis vnquam fuerit ſceleribus conſpurcata; ſaltem ei, cum IONA Propheta, *In voce laudis immolemus:* pro acceptis inquam tam multis, tam magnis beneficiis, gratias agamus; & conemur, vt edomitis animi peruerſis motionibus, *Exhibeamus* etiam *corpora noſtra hoſtiam viuentem, ſanctam, Deo placentem*; quò magis, eius tam munifici largitoris & Domini facere voluntati ſatis poſſimus.
Chriſtiani offerant Deo ſacrificium laudis.
ad Rom. c. 12. v. 1.

8 Non ſuffecit hæc laudis immolatio IONÆ, etiam aliquid amplius ſpondet aut potius, veterem ſponſionem factam ſemel in viſceribus piſcis, vt ait Rabbi Aben-Ezra, iterùm iterumque, nouo voti vinculo & promiſſo, confirmat.
Ionas vouet, ſe votum Deo factum ſeruaturũ.

9 QVÆCVMQVE, inquit, VOVI REDDAM. Non ero votifragus, non permanebo debitor: voui, & ſoluam; ne, quoniã pro ſalute mea voui, voto neglecto etiam ſalutem negligam, & quantum hactenus periculum incurri, tantum etiam, aut in pœnam violati voti, adhuc longè maius diſcrimen incurram.

10 Sicut olim Ethnicis ſolenne fuit, vti nuper oſtendi, ſic fuit etiam Iudæis, eſtque modò Chriſtianis, in graui periculo, in neceſſitate magna Deum, votis ſeu priuatis, ſeu publicis, auxiliatorem depoſcere; aliquid pro pace, ſalute, incolumitate ſua, aliorum, totius etiam reipublicæ, ſpondere. Sic feciſſe tempore ſuo Dauidem oſtendunt verba dicentis: *Vota mea Domino reddam, coram omni populo eius.* Vbi non tantùm quàm de vouendo; ſed quàm etiam de red-
Mos Chriſtianorum, & Iudæorum in neceſſitate vouendi laudabilis.
Vouit Dauid.
Pſal. 115. v. 14.

Ee dendo

dendo sollicitus sit, exponit: vti & alibi, dicens: *Reddam tibi vota mea, quæ distinxerunt labia mea.*

Vouit Ionas.

11 Fecit similiter IONAS; atque ad instar Dauidis, aliorumque virorum Deum timentium, cùm versaretur in angustiis belluini vteri, veritus ne fieret proximè ceto pabulum, ad votum, imò vota (plura enim vt dixi nuncupasse credibile est, sicuti ex verbis ipsius colligimus) velut ad vnicum salutis & sanitatis præsidium, omni alio destitutus, confugit. Hæc verò, ne humanâ quadam, vti fieri subinde solet, leuitate inconstantiaque à se contingat violari, atque ita datam Deo fidem turpiter fallat, votum quodammodò facit pro voto; & in certius aliquod suæ constantiæ futuræ argumentum, denuò asserit, non se facturum more multorum, qui simul cum periculo pietatem & religionem assumunt; illo exempti, atque illius obliti, promissionis quoque vnà obliti aut certè in illa præstanda incurij, religionem hanc pietatemque deponunt: sed, habitâ impetratæ salutis perpetuâ memoriâ, redditurum quæ vouit, & in gratiarum actione fideliter perstiturum.

Abusus vouentiū in necessitate & ea cessante votum negligentium.

Votum efficax est contra peccata remedium.

12 Obseruauit Gregorius Mastrillus, non esse ad declinandam Dei offensam medium efficacius nuncupatione voti, quo quis se obstringat, ad nihil præstandum eius voluntati ac legibus contrarium, in eo nominatim, ad quod se inclinari, & quasi propelli, ductū prauis suis affectionibus, videt. Adducit autem huc spectantem collationem quandam sacram quinque virorum sanctitate illustrium, quam quia operæ pretium est hoc loco attexam. Erat illis propositum modum quærere magis certum & efficacem Deo exactiùs seruiendi, fugiendique peccatum. Suggesserunt in rem præsentem varij varia. Vnus, opportunissimam ad hoc putabat continuam mortis memoriam, quam sic vsurpabat ipse, vt quoties decumberet, lectulum suum velut tumulum sibi obiiceret, quoties surgeret accersiri se ad Dei tribunal, ibidem operum suorum redditurum rationem, imaginaretur. Alter, hac se dicebat cogitatione armatum; quòd nimium turpe sit hominem, tot fauoribus diuinis, tot donatum gratiis pati, superari se à diabolo creaturâ tam vili; non difficulter auocari à crimine. Tertius, terreri se à peccato aiebat, consideratâ illius, vbi patratum fuerit, amaritudine; & eo, quem relinquere in animis solet, doloris spiculo acerbissimo. Quartus conseruari se in fideli Dei obsequio & fuga peccati, considerando quòd illud obtentam gratiam subitò tollat, omnem bonorū operum fructum adimat, nihil non malorum inducat. Quintus vti se inquiebat, & iuuari quàm maximè Dauidis consilio, dicentis: *Iuraui, & statui custodire iudicia iustitiæ tuæ.* Profectò est hoc, meâ quoque sententiâ, efficax valdè, aduersùs quamuis peccandi licentiam, adeoque inueteratam etiam & inolitam consuetudinem remedium; quod vtiliter sic vsurpabit, quisquis se nimium pronum sentit in malum, vt primo die voueat id quod improbè amauit atque sectatus est, quidquid demum fuerit, se relicturum in honorem SS. Trinitatis, secundo in honorem Incarnati Verbi, tertio in honorem Deiparæ, aliis diebus aliquot consequentibus, in honorem cùm Angeli sui tutelaris, tum Patroni alicuius præ ceteris cari, singulis diem aliquem tribuendo: neque dubito quin si hoc sollicitiùs egerit, vitium quodcumque sit superaturus facillimè, etiam illud quod quasi insuperabile & inuincibile videbatur.

Psal. 118. v. 106.

13 Ad verba sacra loci huius, quem tractamus, quod attinet: sunt qui ea sic legunt. QVÆCVMQVE VOVI REDDAM. &, vti notaui, puncti distinctione interposita, subiiçiunt quasi sit epiphonema. SALVS DOMINO. Ioannes Benedictus posuit, *Salus enim Domini est.* Pagninus & Vatablus vertunt, *Ipsa salus Domino.* Quasi

Salutem suam vni Deo acceptam fert Ionas.

Quasi dicat IONAS: Salutis meæ gloria, ad nullum alium, quàm ad Dominum spectat. Nam præter ipsum sicut alius nemo hanc mihi dare potuit, ita solus ipse eam dedit, solus ipse me in ventre ceti seruauit & seruat.

Eadem ratione Vates regius constitutus in necessitate magna grauibusque angustiis, atque in iis ad Dei præsidium conuolans, conclusit orationem suam, dicendo: *Domini est salus: & super populum tuum benedictio tua.* Ac si dicat: Tu solus sperantibus in te auctor salutis in dubiis & aduersis; solus etiã in prosperis auctor es felicitatis.

Psal.3.v.9

14 Esset hic nobis iterùm cum hæreticis nostri temporis in certamen veniẽdum; sed quia illis armis, quibus iam pridem debellatũ est, & sic actum ageremus, sistam gradum. Vellent nobis illi persuadere, errasse maiores nostros, omnésque perijsse, & porrò perituros fuisse eos, quibus vouere erat animus, nisi tandem Lutherus, Caluinus, & qui ex illorum schola prodierunt discipuli, docentes nequaquam vouendum, eos ab hac pietate, impietatem ipsi vocant, deterruissent. O quantam tantis magistris debemus gratiam! dolendum quòd hactenus doctrinam suam non persuaserint pluribus: vel potiùs, vt seriò loquar, magis dolendum, quòd vel vni rem tam impiam persuadere potuerint.

Caluinus vota Christianorum alia à votis SS. Patrum esse ait.

Vidit hic ceteris astutiâ & calliditate superior Caluinus, quod alij non viderunt: videlicet nõ esse hanc suam, & aliorum doctrinam, in eo genere consentientem cum Litteris sacris, ad quas prouocare semper solent. Itaque perstans quidem in illa, neque tamen ab his, sicut ipse iactat, licet falsò & perperàm, vllo modo dissentiens, effinxit aliam & aliam, pro temporum diuersitate, imaginariam nescio quam vouendi rationem. *Neque enim*, inquit, *Sancti Patres pepigerunt cum Deo, sicut solent hodie Papistæ, qui Deum placare volunt suis nugis; quum vnus certis diebus ab esu carnium abstinet, alius vestit cilicium, alius suscipit peregrinationem, alius autem nouum aliquod commentum Deo obtrudit. Nihil simile fuit in Sanctorum Patrum votis: sed mera fuit gratiarum actio, vel gratitudinis testimonium.* Hæc Caluinus.

Caluinus in c. 2. Ionæ.

15 Sed rogo illum, sicut promissio necessariò ad aliquem dirigitur; qui enim promittit, id quod promittit alicui promittit; an non similiter & votũ? Num verò ita seu promittere, seu vouere possumus, vt nulli promittamus, nulli voueamus? Vouisse sanctos Patres, etiam ipsius Caluini confessione certissimum est; non Deo, vt vult ipse, ait enim: *Non pepigerunt cum Deo*: rogo igitur cum quo pepigerint, cui vouerint viri illi innocentissimi, religiosissimi, optimi? Certè nequaquã cum genio malo pepigerunt, non illi vouerũt. Dicat quod voluerit Caluinus, ipse pepigerit cum quo ei placuerit: vouerit quoque, vel non vouerit, & cuicumque voluerit vouerit, hoc illi sinemus. Sancti Patres cum nullo alio, quàm cum Deo vero pepigerunt, huic soli vouerunt, neque aliter quàm hodie Orthodoxi, qui, cùm Deum placare volunt iratum, impetrare autem beneuolam, misericordiam & gratiam consequi, ieiuniis, peregrinationibus, habitu aspero, cultuque corporis horrido, atque actionibus aliis piis, simul & laboriosis, iisque voto firmatis, & ex voto oblatis vtuntur, more maiorum; neque, dum hæc agunt, noua Deo commenta, vt mentitur Caluinus, obtrudunt.

Caluinus redarguitur.

16 Scilicet nouum est, quod Annam vxorem Elcanæ, matrem Samuelis, fecisse in libris Regum legimus; quando amaro animo afflictaque vehemẽter, diu multumque exoptans masculam prolem, *Orauit ad Dominum flens largiter & votum vouit, dicens: Domine exercituum, si respiciens videris afflictionem famulæ tuæ, & recordatus mei fueris, nec oblitus ancillæ tuæ; dederisq́, seruæ tuæ sexum virilem; dabo eum Domino omnibus diebus vitæ eius, & nouacula non ascendet super caput eius.* Quid est quod ait hic Anna? Verbis licet paullulùm aliis, reipsâ non aliud quàm, Voueo, & spondeo, si filiũ consequar, cum futurum

Votum Annæ vxoris Elcanæ.

1. Reg. c. 1. v. 10. & 11.

rum Nazaræum. Quod Annæ votum magis nobis aperit Caluini ineptias, dicẽtis non fuiſſe olim vllos, qui certis diebus atque temporibus à cibi potioniſque ſpecie aliqua certa abſtinentiã vouerẽt. Etenim ſcire ab eo velim, quid in veteri lege aliud fecerint Nazaræi? quorũ votum, ſiue perpetuum, quẽadmodum Sampſonis & Samuelis; ſiue, quemadmodum aliorum, temporaneũ, omnino tale fuit, quale multorum noſtratium Chriſtianorum, Deo pro ſua pietate aut neceſſitate aliqua, ſiue priuata, ſiue publica, circa victum, amictúmue, vel circa aliud quidpiam abſtinentiam temperantiamque vouentium. Nazaræos quippe ex voto vino, & omni eo quod inebriare poterat, aceto item, vuiſq; tam ſiccis quàm recentibus abſtinuiſſe; inſuper, vt nihil ad ſolẽnitatem deeſſet & cæremonias, toto ſuæ ſeparationis tempore comam aluiſſe in ſignum pœnitentię; ne quo verò modo fœdarentur, à funeribus & cadaueribus mortuorum, etiam propriorum parentum ſemper abfuiſſe; & cùm votũ impleſſẽt, tum demũ magnâ ſolẽnitate oblatis ad oſtiũ tabernaculi tribus victimis, atq; raſis ibidẽ eorum crinibus, qui vt Deo ſacri igne cõburebantur, dimiſſos ſuęq; redditos libertati certiſſimũ eſt.

A vino vouebant olim abſtinentiam Nazarei.

Nazaræorum cæremonia alia.

17 Numquid hæc eorũ vota vitęque ratio iiſdẽ conformis, ab initio Moyſaicæ legis ad vſque Apoſtolorum tẽpora ſeruata (tam diu enim Nazaræorũ inſtitutum à Moyſe deſcriptum tenuit) fuit Catholicorũ in hoc genere votis, cæremoniis, vitæq; ſimillima? Quis ergo circa hæc magis, quàm circa illa eſt tergiuerſandi locus? quæ maior, hæc quàm illa, damnandi ratio? cùm vota Chriſtianorũ, religioſorũ potiſſimũ, in antiqua illa Nazaræorũ, licet illis hęc multò ſint perfectiora, ſucceſſerint.

Religioſorum vota Nazaræorum votis ſimilia, licet perfectiora.

Nazaræi ſi voti religione vino abſtinebãt, cur in Chriſtiana lege religioſi noſtri, quorum illi typus aliquis fuêre, non voti, cui ſe obſtrinxerunt, amore, ſectentur omnimodam paupertatem, frugalitatẽ, parſimoniam, & à multis quę ſunt lautiora abſtineãt? Cur nõ ij, quibus hoc arridet, pro inſtituti ratione, ſibi ex voto carnibus, ouis, lacticiniis, aut cibis quibuſcũque, aliàs licitis, interdicãt vnius Dei & virtutis amore? Cur nõ poſſit, qui voluerit, ſibi ex voto legẽ ponere, à cibo, potu, veſtitu cõmodiore, ab habitatione magis laxa & ampla, à conſuetudine alloquio ve parentũ, propinquorũ, aliorúmve, à quibus retardari ſe in via diuini ſeruitij ſenſerit, abſtinendi per ſeceſſum in ſolitudinẽ? Nihil hic non pium, nihil non ſanctum, ſi de rebus ſimilibus conſilium ſit, prudenter ſuſceptum, & ſic voto firmatum.

Quod in genere voti licuit Nazaræis, licet Chriſtianis.

18 Sit ergo, maneatq; fixum hoc & ratum, atque ex communi Eccleſiæ ſenſu conſenſuq; longè certiſſimũ, reclamãte quantũuis Caluino, eius aſſeclis, & aliis quibuſcumque ſectariis, votum eſſe rem non modò bonam & licitam; ſed ſimul piam, ſanctã, Deo gratam, ad eius opem & implorandam, & impetrandã quàm maximè idoneam & efficacẽ. Neque enim, quod ſpectat argumentũ noſtrum, ſi eſſet illicita, IONAS ſic ampliùs diuinã Maieſtatẽ offenſurus, vouiſſet; neque, ſi Deo eſſet ingrata, tam præſens in votis ſuis reperiſſet auxiliũ, & fruſtrà omninò tã de eorũ fuiſſet exſolutione ſollicitus.

Vouere Deo gratum eſt.

19 Sollicitos etiã & magis quã ſolent prouidos, vt aliàs monui, eſſe peruelim eos, qui voti ſunt rei, debito ſuo, benè citò, ac maturè, vt faciant ſatis: ne voti, ſimul & trãſgreſſionis eiuſdẽ, atque etiam ſupplicij pro trãſgreſſione debiti, rei effecti, pœnas luãt grauiores. Si enim dãnari ſolet ſentẽtiis omniũ, & argui leuitatis violatæque fidei, qui homini promiſſa non ſeruat, nec immeritò; quomodo non arguetur ſummæ leuitatis, quomodo nõ à Deo damnabitur, qui datam illi per votum fidem, irritam fecerit? illi mendax, in illum iniurius.

Quod votũ eſt Deo, id præſtandũ. Ierem. 21. v. 20. in c. 1.

20 *Vouete ergo, & reddite Domino Deo veſtro, omnes qui in circuitu eius affertis munera.* Cauſam cur hoc facere debeatis, nõ aliã dabo, quã datã eo ipſo loco à Dauide: quòd nimirũ is, cui per vota debitores effecti eſtis, vindicare ſe poſſit, & omni iure ac modo quod ſibi debitum eſt exigere, perſoluere etiam negligentes, acribus pœnis & immani ſupplicio

Cauſa datur, quia caſtigare, & punire Deus poteſt vota ſoluere negligentes. Pſal. 75. v. 12.

cio castigare, atque ita, ad id quod neglectum est præstandum, compellere. *Vouete*, inquit, *& reddite Domino Deo vestro.* Et vt non ignoremus qualis ille sit is, qui paullò antè idipsum nos monuit, subiicit; quò ampliùs in Domini Dei nostri cognitionem deducamur: *Terribili, & ei qui aufert spiritum principum, terribili apud Reges terræ.* Quasi nos exactissimè moneat, & dicat: Cùm aliquid voueritis, vel promiseritis ei, ipsum illud quod vouistis, vel promisistis, cogitate reddendum quamprimùm, & omninò promissis standum: est enim in iudiciis terribilis; neque ab vllis, siue illi personæ fuerint priuatæ, siue publicæ, cuiuscumque dignitatis, & gradus; Senatores nimirum, Principes, Reges, Cæsares, aut decipi potest, aut ei ab vllis illorũ illudi. Quare quoscumq; debiti sui votique transgressores nullo punit discrimine; idque vel corporis morte, vel animi, vel certè vtraque, spiritum auferens.

Ibid. v. 13.

21 Exigit ampliùs aliquid à vouente Salomon, nimirũ, non voti tantùm exolutionem, sed eam quoque promptissimam & celerrimam. *Si quid*, inquit, *vouisti Deo, ne moreris reddere.* In quam sententiam dixit apposite Theodoretus: *Vbi promittis aliquid Deo, existimans debitam esse promissionem, da operam vt quamprimùm eam præstes: hoc enim ait non tardabis reddere votũ tuum: quoniã requirens requiret Dominus Deus tuus à te, & erit tibi peccatũ.*

Vota citò persoluẽda.

Eccle. c. 5. v. 3.

Theod. lib. quæst. in Deut.

Voti promptissimè, quantum quidem fieri potest, adimplendi necessitatem, quia optimè noster IONAS nouerat; non minorem pro eo adimplendo, quã anteà habuerat de vouẽdo, curã suscipiens: *Quæcumque*, inquit, *voui, reddam pro salute mea Domino.*

Ion. c. 2. v. 10.

22 Sic & nobis faciendum est: neque enim ignoramus, quàm sit verum, quod ait Salomon: *Displicet Deo infidelis & stulta promissio:* qualis est illa, quæ aut numquam, aut tardè, aut certè non suo tempore impletur. Ex quo subinde sequitur, aut eiusdem neglectus, aut contemptus, aut facti saltem voti pœnitudo. Idem qui suprà Salomon ait, sed locò alio: *Ventus & nubes, & pluuiæ non sequentes, vir gloriosus, & promissa non soluens.* Atque hinc apparet quo apud Dominum, cui debent, sint loco ij, quibus tam parua de tanto debito apud talem creditorem præstando est cura.

Eccl. c. 5. v. 3. Displicet Deo dilatio.

Prou. c. 25. v. 14.

23 Quid? quòd summæ apud homines omnes censeatur ingratitudinis simùl cum accepto beneficio eiusdem accepti memoriã deponere? Illud verò, vt vlteriùs agamus, & non tantùm facti indignitatem, sed orta ex eo, atque etiã oritura deinceps incommoda perpendamus, aliud non est, quàm diuinæ benignitatis fontem obstruere; quod nemo maiori suo incommodo, nemo damno facit maiore, nemo etiam grauiori scelere, quã qui nuncupatùm pro re sibi à Deo concessa votũ exoluere aut detrectat, aut tardat.

Ingratitudo est accepto beneficio votum non implere.

24 Sententia est D. Ioãnis Chrysostomi, & dictum elegans: *Optima beneficiorum custos est, ipsa memoria beneficiorum, & perpetua confessio gratiarum.* Quãnam verò ratione aliã, meliùs atque perfectiùs quis potest ostendere, esse apud se acceptorum beneficiorum memoriam, quanam ampliùs acceptam cælitus gratiam prædicare, quàm si dictum nuncupatumque pro ea votum fideliter celeriterque persoluerit? Est hoc illi prorsus faciendum, iam non ampliùs ex liberalitate & voluntate soluta ac libera; sed ex constricta ac debito. Nam vt rectè dixit Bernardus: *Iustè exigitur ad soluendum, qui non cogitur ad vouendum.* Et ex Augustino Albertus re & nòmine verè Magnus: *Vouere voluntatis est, reddere necessitatis.* Quare benè Dauid Domino dicebat: *Reddam tibi vota mea, quæ distinxerunt labia mea*, vti suprà retulimus.

Gratitudo implere.

S. Bern. in ep. 2.

Psal. 65. v. 14.

25 Hæc occasione orantis & vouentis IONÆ, cuius feruentes nuper preces audiuimus, & nunc vota voto cumulata; hactenus dicta sufficiant. Nunc ad Christum iterùm conuertamur. Numquid & ille tamquam alter IONAS dicere potest Patri suo æterno;

 non

non tantùm, quemadmodum suprà etiam retulimus: *Ego in voce laudis immolabo tibi.* Et sicut Dauid: *Confitebor tibi in populis Domine: & psalmum dicam tibi in gentibus. Narrabo nomen tuum fratribus meis: in medio Ecclesiæ laudabo te.* Alios tibi pariam filios, qui te mecum laudent & gloriam dent nomini tuo perpetuam: sed etiam sicuti noster hic IONAS iterùm: *Quæcumque voui reddam.*

Psal. 56. v. 10. Psal. 21. v. 23.

Ionæ c. 2. vers. 10.

26 Vouit Christus primo suæ conceptionis instanti, videns placere Patri, vt pro hominibus se ad mortem offerret, *Dare animam suam redemptionem pro multis* optando ne quis pereat: fecitque huic voto suo, quantum in se erat, satis: nam qui perit, sibi suum interitum imputet; suâ quippe culpâ perit, non Christi, qui *pro omnibus mortuus est*, vt omnes saluos faceret. Quare apud Patrem suum æternum, describente hoc Protonotario Apostolico D. Ioanne, &, secundùm formam debitam, quod gestum fuerat in acta referente, protestatus, dixit: *Quos tradidisti mihi, non perdidi ex iis quemquam.*

Christi votum pro salute mortalium. Mat. 20. v. 28. 2. ad Cor. c. 5. v. 15. Ioan. c. 13. v. 9.

27 Videamus ergo ne nos perdat malitia nostra, ne hæc efficiat, vt illud tam sanctum, tam solemne Christi votum, nostri causâ susceptũ sit irritum: sed potiùs pia vota plurima, sanctáque desideria, quotidie noua & noua, eius sacratissimo nobisque saluberrimo voto iungamus. Hoc dum facere meditamur, agnoscimus votum pro nobis tuum Domine IESV, ipsum veneramur, & pro eodem, nobis tam vtili, tam necessario, gratias agimus, quantas animi nostri capere possunt maximas, eiusdem æternam, ita cupimus, ita spondemus, neque vmquam intermorituram habituri memoriam.

Christi voto pro salute nostra, singuli proprium pro sua iungere debent.

LECTIO VNDECIMA.

ET DIXIT DOMINVS PISCI: ET EVOMVIT IONAM IN ARIDAM. *Vers.* 11.

ARGVMENTVM.

Quomodo, & vbi sit IONAS *à ceto euomitus, quæritur. Dei in hoc opere potentia declaratur, plurimaque ab eo in Iona conseruando patrata miracula recensentur. Paralelismus Ionæ & Christi proponitur. De Iona velut rediuiuo è ceto prodeunte, de Christo resurgente, de nostra resurrectione agitur.*



1 RECENSITA Prophetæ nostri in dura illa sua molestaque captiuitate Domino supplicantis solemni prece, quam, ex multorum sententia, ab eo toto continuatam triduò arbitror, aliis & aliis, & æquè semper feruentibus desideriis cumulatam; superest vt fructum aliquando spectemus, ex eo certius facturi, de diuino in eius feruoris consideratione beneplacito, iudicium.

Certè post captiui preces mutantur omnia; & quæcumque priùs præsentem minabantur interitum, vitæ illius certatim tunc seruiunt. Piscis instrumentum instantis lethi paullò antè, esse tunc vitæ organum iubetur: per hunc quippe ad vitam reducitur IONAS, per quem captus absorptusque rapiebatur ad tumulum. Ipsum quoque mare, quod nuper insidiari velle vitæ ipsius, imò rebellem de toto vicisse videbatur, iam victum cedit, & liberam præstat atque innoxiam euadendi facultatem.

Fructus orationis Ionæ.

Et verò, quid consequeretur aliud, tam supplices, tam sanctas, tam ardẽtes preces? Quid orationẽ tanto affectu, tantaque caritate redundantem, nisi

nisi illustris victoria, nisi certa de ergastulo misero, & de infelici captiuitate redemptio.

2 Id quomodo factum ne percunctemini. An factum, quocumque demum modo, nemo dubitat, quando constat quod DIXIT DOMINVS (in manu cuius omnia, vtpote conditoris omnium) PISCI; vel, vt vertit Vatablus, *Mandauit*: LXX. προσέταξε τῷ κήτει id est, *præcepit ceto*: post triduum scilicet auditâ exauditâque iam IONÆ prece: tunc enim Dei de ipso cura prouidentiaque quæ fuerat semper, sed magis occulta, ceto imperando vt saluum eiiceret, manifestè se prodidit.

Dei potentia declaratur exemplis mirabilibus. Psal. 117. v. 23. Lucæ c. 1. v. 37.

3 Est hoc quidem *mirabile in oculis nostris*: sed cogitemus *à Domino factum*, apud quem *non est impossibile omne verbum*; nec vltrà mirabimur. Qui pluit aliquando coturnices, adduxit ranas, ciniphes, muscas, locustas, serpentes; iis imperauit accederent, recederent, nascerentur, interirent, & repentè paruerunt: is ipse imperàuit etiam pisci, & quidni similiter pareat? atque cùm ita ei præcipitur, IONAM glutiat suo tempore, suo seruet, suo euomat. Certè pascere hominem vnum, & seruare triduo, tametsi in loco fœtente & calente, tanti non est, quàm sexcenta hominũ millia seruare, & pascere in deserto, loco horroris vastæque solitudinis; & quidem mannâ, quotidie stabili tenore pluente de cælo annis totis quadraginta, quod tamen factum credimus & fatemur.

Quomodo Deus imperarit pisci.

4 At quomodo id imperari pisci carenti ratione, adeoque nequaquam capaci imperij potuit? Sicut antè Deus *præcepit ceto* IONAM vt absorberet; sic modò, vt eundem euomeret: præcepit, inquam, non verbo sed opere; neque enim aliter piscis mandantis agnouit imperium. Mandatum igitur censeri debet, belluæ appetitionem propensionemque ad hunc vomitum commouisse, quam ipsa secuta, sese confestim exonerans, molestum depositum reddidit.

5 Minor etiam, & facilior piscis huius, tametsi ad vnicum Domini imperium promptissimi, censenda obedientia videtur; quàm tot rerum, & ratione, & sensu carentium, quæ ei toties, & ad nutum quidem, sunt obsecutæ. Quod in præsenti historia, ne longiùs recedamus, est quàm maximè manifestum. Nam cùm paullò superiùs, *Dominus misit ventum magnum in mare*; hic mittenti obsecutus, protinus cuncta turbauit, secundùm quod sequitur: *Et facta est tempestas magna in mari, & nauis periclitabatur conteri.*

Minus est Deo piscem quàm ventos & maria obedisse. cap. 1. v. 4.

Si venti Deo obediunt, qui & Christo Dei filio in terris agenti sunt obsecuti, S. Matthæo Euangelista de ipso dicente: *Imperauit ventis, & mari, & facta est tranquillitas magna*, ad stuporem adstantium omnium, exclamantium voce vnanimi: *Qualis est hic, quia venti & mare obediunt ei?* cur non id faciant pisces, & cetera omnia?

Mat. c. 8. v. 26. Vers. 27.

Filij Dei tantam potẽtiam cùm nec satanas ignoraret, ausus fuit tentando dicere illi: *Dic vt lapides isti panes fiant.* Non opus est multis, dic tantùm, dicendo efficere, si volueris, potes: posse non deest, dum velle non desit; in voluntate tua omnia continentur.

Mat. c. 4. v. 3.

6 Sed nec his limitibus, tametsi amplissimis, Dei potentia clauditur; extenditur enim etiam ad ea, quæ non sunt, quæ præcipienti vt sint, obediunt. *Dixit fiat lux, & facta est lux.* Paulus de admirandis Dei operibus Abrahæ notis copiosiùs differens, ait: *Vocat ea quæ non sunt, tamquam ea quæ sunt.* Quo nec magis commendari eius potestas, nec extendi vlteriùs potest. Maxima ergo in rebus illis hæc eluceat, certè enitet etiam in proposito argumento non minima. Nam, vt ait Rupertus: *Magnum opus & testimonium euidens bonitatis & omnipotentiæ Dei, qui aurem suam illuc vsque inclinauit, & quid in ventre ceti ageretur, quid fides loqueretur, quid oratio moliretur, audiuit & appendit; dixitq; pisci, vt euomeret Ionam in aridam.*

Deo imperanti obediunt etiã ea quæ non sunt, vt sint. Gen. c. 1. v. 3. Ad Rom. c. 4. v. 17. Rupertus in c. 2. Ionæ.

7 Non est omninò absimile beneficio, quod IONAS hic à Deo accepit

Otho Frising. l. 3. Chron. c. 15. Corn. in c. 2. Ionæ.

illud, quod Apostolorum temporibus euenisse sancto Materno, D. Petri discipulo narrat ex Othone Frisingensi & aliis Cornelius à Lapide. Missus hic fuerat, cum Sanctis Euchario & Valerio, Treuirim; sed cùm in itinere febri correptus ex ea obiisset iuxta Sele stadium sepultus, socij ad S. Petrum regressi, ab eo baculum acceperunt, quo corpori defuncti imposito die à morte quadragesima, eidem vita redit, quæ ad totos quadraginta annos producta fuit; tot videlicet, quot exegerat dies in tumulo. Conuenit cum IONA Maternus, vt inquit Cornelius, quòd sicut ille è ceto eiectus, quadraginta diebus Niniuitis, ita hic resurgens, annis quadraginta prædicauit Treuirensibus aliisq; Germanis & Gallis pœnitentiam.

8 Hactenus de Domini potentia & imperio egimus: nunc ad obsequentem imperanti piscem conuertamur. Hic vt diuino faciat imperio satis, è medio mari, ex abysso, è radicibus montium prodit, littus legit, & non reluctantē hospitem in illud eructat; secundùm quod hic dicitur: ET EVOMVIT IONAM IN ARIDAM. Non ex intimo maris, vnde ad aridam vomitu suo non potuisset pertingere; sed ex loco, vnde se exonerare percommodè posset. Quare sunt qui putent cetum eiecto IONA circa littus periisse: caussam dant nimium illius ad continentem accessum, quò factum sit, vt, cùm se præ corporis mole ingenti, & pelagi profunditate istic minùs ampla mouere non posset, fundo adhæserit, & àquis destitutus, ibidem commoratus fuerit, ac mortuus. Verùm id magis dictum est ex coniectura aliqua, quàm ex certa veritate.

S. Scriptura paucis verbis magna mysteria enuntiat.

9 Ad historiam quod attinet: paucis, vt videtis, verbis, ingens IONÆ præstitum beneficium, quod multa, mira, & magna complectitur habemus expressum. Sic solet passim Scriptura sacra, non verborum, sed veritatis amans, pauca dicere, & in illis multa prolixiori fidelium scrutinio reseruare. De Incarnatione filij Dei, tanto tamque sublimi mysterio, hoc tantùm S. Ioannes: *Verbum caro factum est.* De Natiuitate Lucas: *Peperit filium suum primogenitum*, scilicet Maria, *& pannis eum inuoluit, & reclinauit eum in præsepio: quia non erat eis locus in diuersorio.* De Morte, Resurrectione, Ascensione Christi, de missione Spiritus sancti, æquè paucis siue ipsi, siue alij loquuntur: ne putemus opus fuisse eloquentiâ ad enarrandam, aut edocendam homines tam apertam veritatē.

Ioan. c. 1. v. 14. Luc. c. 2. v. 7.

Piscis obedientior fuit Deo quā Ionas.

10 Notat mysterij aliquid in IONA retento, & pisce retinente, ac rursum in euomente & euomito Philippus Bonæ-spei Abbas: *Inobedientē*, inquit, *Prophetam obediens piscis detinuit, eumque pœnitentem ad præceptum Domini rursus euomuit: quia sic iubentis iustitia voluit hunc punire, vt tamen nollet eum eiusdem misericordia deperire.*

Philipp. Abbas lib. de silentio Cler. c. 80.

Eiectus est à ceto Ionas illæsus, & immaculatus.

11 Emphasim habet verbum EVOMVIT, quo hic nullum poni significantius poterat: etenim ipso innuitur, & fuisse ex aluo belluæ eiectum IONAM, & cum fastidio molestiaque eiectum; quippe qui illæsus, cetum potiùs læderet, quàm ab eo lęderetur: innuitur quoque IONAM illi fuisse fastidio, instar cibi alicuius stomacho permolesti & grauis, quē cùm neque digerere, neque retinere possit, cum ingenti dolore, nausea, cruciatu, molestia, eructat & euomit. Sic enim à ceto eiectus & euomitus est; aliquo tamen discrimine: nam non vt cibus dentibus comminutus, totusque fœdus & horridus; sed integer planè, nullaque, secundùm Iosephum, & alios, corporis sui parte maculatus: vt qui illius immanis belluæ neque fœtores, neque sordes senserit, iis saltem non fuerit conspurcatus aut vllâ affectus molestiâ; multò minùs ab innato ei calore excesus, corruptus, vitiatus: quod ad ampliùs commendandum tam illustre miraculum non parum conducit.

Iosephus l. 9. Antiq. c. 11.

12 Quæret quispiam curiosus non minùs quàm studiosus Auditor, & Lector: Quâ ratione tam ingens cetus ob corporis molem aberrans

sat

fat procul à littore, & vt similes solent, profundiora sectans, integrum hominem vsque in aridam eiaculari è penetralibus suis potuerit. Lyranus nouum hic agnoscit miraculum in eo, quòd tam esse vicinus littori, tam vastus, tam immanis piscis potuerit; atque indicatum id putat verbis hisce, DIXIT DOMINVS. Neque dissentit Theodoretus cùm ait: *Ne quisquam temerè curiosus sit, vt cetus Ionam reuomuerit, omnia enim possibilia sunt Dei voluntati:* quasi dicat, quod fieri nequit humanitus, factum diuinitus arbitremini. Habent hi nonnullos suæ sententiæ sectatores, etiam ex neotericis: verùm de miraculo illo non liquet.

Quorundã opinio, cetum miraculosè tam vicinum fuisse littori, vt Ionã in illud euomere potuerit.

Theod. in c. 2. Ionæ.

13 Dionysius Carthusianus, etsi admittat hæc monstra marina ferè profundiori alueo innatare, vix littus legere, & tamen ingentem aquarum molem deferendo, secumque propellendo, subinde eò posse pertingere; vti vidimus in iis, quæ mox aquis recedentibus destituta adhæserunt ad vada; non tamen sic factum hoc loco opinatur. Etenim difficultatem agnoscit, vt appareat, quomodo sic non in continentem, sed potiùs in præludentes vndas eiectus, euadere IONAS potuerit; quod fieri potuisse arbitratur Gregorius Mastrillus: nec laborat, vt factum fateatur, IONA nimirum partim per vndas, partim per saxa & adiacentes scopulos ad terram adrepente. Verùm in hac re non minimã difficultatem facere mihi videtur, quod hic dicitur, *euomuit in aridam:* non igitur in aquas, in saxa, in rupes, in aliquẽ vicinum littori locum distantem à terra; sed in littus siue in terram ipsam, quæ dicitur arida.

Aliorum opinio, licet cetus naturaliter adnatare potuerit, non tamen potuisse Ionam in aridam vsque euomere.

14 Deinde, licet verum fateamur, quod ait Ælianus, pisces maiores, qui subinde montium aut insularum instar sese in mediis vndis ostentant, vim aquæ ingentem concipere, quam magno deinde eructent impetu: non tamen, quod ait Paulus Palatius, hac ratione ad ingens spatium, IONAM à ceto euomitum fuisse proiectúmque in littus.

Ionas non est à ceto cum aquis quas eructaris ad magnum spatium eiectus in littus.

15 Itaque tametsi certum aliquem modum, inter multos quibus id fieri potuit, quo factum sit, assignare non possumus; cùm illius ipse IONAS nequaquam in hac sua narratione meminerit: hoc saltem pro indubitato habemus, quod inficiari nemo potest, modos non defuisse omnipotẽti Deo, quibus seruum suum quem volebat saluum, illæsum, incolumem; quemque iterum adhibendum publico, destinarat ad Niniuitas legatum, tuto littori redderet, & in iter paratiorem quàm antè, Niniuitis offerret.

Modus à ceto Ionas est ad littus eiectus incertus est.

Quæstio est altera, vt æquè curiosa ita æquè etiam dubia, si non magis huius ac prioris solutio: nimirum in quod sit littus IONAS euomitus, quibus primò se stiterit terris.

In quod littus Ionas euomitus quæritur.

Non benè coniectant ex verbis historiæ, quæ dicit EVOMVIT IN ARIDAM, qui dicunt in desertum Arabiæ, sinum ambiens Erythræi maris: inde enim longum nimis est iter, & laboriosum, vtpote per Arabiam Petrçam, per saxa & montes, per loca multa inaccessa in Niniuen. Certè per *aridam* nullus certus locus, sed continens tantùm exprimitur, terraque habitabilis: quænam illa incertum est.

Variæ opiniones.

Arida nullum hic certum locum, sed tantùm cõtinentem significat.

17 Seuerus Sulpitius narrat euomitum ad littora Niniue. Sed nimis apertè fallitur: cùm Niniue vndequaque remota à mari, maritimum littus non habeat. Iosephus, Isidorus Clarus, & alij ad littus Ponti Euxini, cui Constantinopolis adiacet. Verùm & illi falluntur: nam cùm eum absorbuerit cetus non procul à Ioppe portu Iudæç, non potuisset ille tridui spatio tantam maris amplitudinem emetiri, etiam velocissimo cursu; atque hoc ipsum fieri, nihil omninò ad rem præsentem, accelerationem inquam negotij, contulisset; cùm inde à Niniue abfuturus adhuc fuerit trecentis & ampliùs leucis.

Sulpitius l. 1. S. Hist. sub finem. Ioseph. lib. 9. Antiq. c. 11. Isid. Clarus in hunc locum.

Ioannes Pineda cum nonnullis Rabbinis ad littus maris Rubri. Quod etiam tantillo præsertim tempore, cùm sit adhuc Ponto Euxino remotius, & quod omninò huic repugnat sen-

ſententiæ, continentem habeant intermediam mare Rubrum & Mediterraneum, fieri nulla ratione potuit.

Paulus Palatius, prope Seleuciam ad fines Syriaci maris; cùm ex Ioppe ſeu loco vicino, qui IONAM excepit dimiſſum in mare, vbi etiam cetus obſequium periclitanti præſtitit, per littora Cypri breuis ſit, & expedita in Seleuciam via; è Seleucia deinde in Niniuen, non niſi centum triginta quinque leucç paullò plus minùs cenſeantur: quæ ſententia probabilitate non caret.

Ionas littori redditus, non Ieroſolymam, ſed in Niniuen contendit.

18 Chriſtophorus à Caſtro ad littus aliquod Palæſtinæ, vnde confeſtim abierit Ieroſolymam vota ſoluturus. Sed profectum hoc tempore Ieroſolymam non opinor: potiùs accepto de iterata legatione mandato, ſepoſitis omnibus, etiam voti ſolutione in aliud tempus dilatâ, cùm ita velle imperantem Deum cognoſceret, autumo illud magno zelo pariq; diligentiâ executum, in Niniuen quantâ potuit celeritate contendiſſe. In hoc multi & Patres & graues auctores conſentiunt, licet non deſint etiam qui diſſentiant.

19 Ad ſtatum quæſtionis quod attinet, in tanta opinionum varietate, quid tandem ſtatuemus? nihilne certi? Timeo vltrà in hac re curioſiùs aliquid inquirere, & plura ſcrutari, monitus à Theodoreto his verbis: *Nemo curioſè inquirat ad quodnam littus eum cetus expoſuerit: nam hoc eſt ex maximè ſuperuacaneis rebus.* Quare ſine vlteriori cunctatione, multa inter ambigua, illud certiſſimum ſtatuo: eiectum fuiſſe ad littus aliquod Mediterranei maris, per aliud enim deuectus non fuit; cùm, vt benè notauit Franciſcus Ribera, mare Mediterraneũ alteri non coniungatur: ex Ioppe verò, portu maris huius, cùm fugere vellet ſoluiſſe, ipſius propriâ confeſſione conſtet.

In c. 2. Ionæ.

Ionas fuit euomitus ad littus aliquod maris mediterranei.

Probabile eſt Ionam eſſe eiectum ad littus quod erat vicinius Niniue.

20 Deinde admodũ veroſimile cenſeo; tametſi non id velim tamquã omninò certum & indubitatum aſſerere, fuiſſe eiectum ad aliquẽ littoris locum ciuitati Niniue proximiorem, ita vt toto illo, quo in ceti viſceribus latuit triduo, ab eo deuectus ſit, tamquam per nauem, itineri, ſed non illi quod optauerat ipſe, deſtinatam, ad locum à quo tantâ celeritate, tanto ſtudio, curaque fugiebat. Quamuis verò, vt benè eſt à Ioanne Tremiuio obſeruatum, repentè ac ſine vllo labore eò deduci potuerit, vti factum Prophetæ Habacuc legimus, quẽ capitis capillo arreptum, ſubitò Angelus Domini per aëra Babylonem ad cibandum Danielem deportauit, noluit tamẽ Deus id IONÆ conceſſum, vt ex longi itineris moleſtia cognoſceret, quam cara Deo eſſet hominum ſalus.

21 Denique certiſſimum arbitror, quodcumque demum Mediterranei maris littus redux primò cõtigerit, inde à Niniue multorum adhuc abfuiſſe dierum itinere. Idcircò enim in Ioppen aliò nauigaturus abierat, vt ab Aſſyria, & vrbe totius imperij principe Niniue, ad quam mittebatur inuitus, ſemper longè longiùs recederet, & abeſſet.

Euomitus abfuit adhuc à Niniue itinere multorũ dierum.

22 His relictis, alterum nunc quoque Theodoreti monitum, & audiamus, & ſequamur, *Omnis*, inquit, *pius contentus ſit doctrinâ ſpiritus.* Pios, & me, & vos omnes eſſe cuperem: itaque ſi adhuc modò tales non ſumus, vt fiamus, & ſimus aliquãdo, ad doctrinam ſpiritus conuertamur; atque ex hac arida, dico ex cortice litteræ, hauriamus ſucci aliquid, quod mẽtes noſtras aridiores humectet; & ſic, *quæ erat arida, erit in ſtagnum, & ſitiens in fontes aquarum.* Hoc non tam erit, quàm fortaſſis apparet, difficile.

Theod in c. 2. Ionæ.

Iſa. c. 35. v. 7.

Conatus Ionæ cõtra Dei voluntatem fruſtraneus fuit.

23 Meminiſtis, credo, ſollicitudinis & laboris, quo nauem quæſiuit IONAS vt fugeret à facie Domini: ſcilicet curâ dicendi ad Niniuitas, quam vt admitteret inducere in animum non poterat, expedire ſe volens, tentabat omnia, ſed fruſtrà: nam pro naui, quam expeditiſſimam & celerrimam quærebat ad fugam, inuenit etiam longè quàm voluit expeditiorem, longè celeriorem; verùm non ad fugam,

gam, sed quod minimè desiderabat, ad reditum submissam à Deo, quem declinabat, atque ab illo factam & compaginatam: non ex lignis, & trabibus, sed ex neruis & ossibus; non mortuam, sed viuentem; non tantùm reducturam hospitem suum, sed viciniorem constituturam illis ciuibus, ad quos, cùm missus esset, ire noluerat.

Iob c. 5. v. 13.

O viuit & viuet semper, *qui apprehendit sapientes in astutia eorum*. Fugiat, fugiat IONAS à facie Domini, descendat ad interiora nauis, legationem detrectet, mittatur in mare, obruatur vndis, glutiatur à ceto, miserum xenodochium istud triduo, afflictus, inhabitet; egredietur sanus, reddetur terris, in Niniuem volens nolens contendet, ibidem prædicabit, tota ad eius clamorem conuertetur ciuitas, ira Dei placabitur, remittetur peccatum, & apparebit quòd *non sit consilium contra Dominum*.

Prou. c. 21. v. 30.

Ex quo discere potestis *Domini Sodales* quàm frustraneus omnis sit labor, non ex Dei voluntate susceptus: contrà verò, quàm factu sit facile, quidquid ille iniunxerit, si cum illius imperio ac voluntate, studia conatusque nostri consentiant.

Obsequiū piscis Ionæ ad salutem mentis & corporis profuit.

24 Porrò hoc piscis tam inexspectatum obsequium, dignum memoriâ sæculorum omnium, ne fuisse frustraneum arbitremini: valuit IONÆ cùm ad seruandam vitam; tum ad ei probandam, quam exercere in Niniuitas debebat, clementiam. Pleniùs hoc nobis exponet Chrysostomus, ipsum audiamus: *Ionam*, inquit, *vndæ susceperunt, nec suffocauerunt: cetus suscepit, & non interemit. Verùm & animal, & elementum incolume depositum Deo reddiderunt, & per omnia discebat Propheta, esse mansuetus, & humanus, neque stultis nautis, neque feris vndis, neque bestiis crudelior.*

Chrysost. hom. 5 ad Pop. Antiochenū.

Miracula in conseruãdo Iona à Deo patrata enumerantur.

25 Vt adhuc ampliùs appareat, diuini beneficij, in hoc piscis obsequio IONÆ præstiti, magnitudo; perpendite quæso quàm in eo multa magna, & pænè supra hominum fidem admiranda. In quibus quoniam tam & multa sunt, & varia, rerum mirabilium multitudinem varietatemque tantam stupentes, dubitemus ferè quid maius sit, quid mirabilius. An quòd piscis ille tanto fuerit oris hiatu, vt hominem integrum, & (si verum est, quod nonnulli putant, IONAM gigantem fuisse) virum tam magnũ excipere & deglutire, idque sine offensa ac læsione potuerit? An quòd eũ olidus fœtor, qui si vspiam in ventre ceti loco calente & clauso, pro natura sua maximè vires exeruisse debuit, non exanimarit, nõ planè confecerit detentum triduo? An quòd intra aluum ceti nequaquam fuerit respirãdi facultate destitutus; aut, quod non minùs magnum, si eâ destitutus, tanto sic vixerit tempore? An quòd tota hac captiuitate, in tam misero carcere cibo potuque conueniente orbatus, non minùs quàm antè incolumis vixerit? An quòd non fuerit belluini stomachi consumptus ardenti calore, aut subintrantium aquarum tum impetu, tum multitudine, submersus & obrutus? An quòd in tenebrosa & horrida latebris specu, fortè etiam hominum & bestiarum conferta exuuiis, adeò fuerit mente imperturbatâ, sibique præsente, vt compositâ ad numeros, vt plurimis placet, aut, si id minùs arridet, attentâ saltem ad Deum precatione vteretur? An quòd sine confusione, sine luxatione membrorum, istic agitari; quòd tantam agitationem sustinere, quòd suo sine discrimine, & sine ceti interitu potuerit euomi, terræque restitui? An quòd tam immanis bellua, piscis tam ingens, locum inuenerit ad quem eum, commodiùs euomendum deferret, ne quid vada, ne quid scopuli, ne quid obessent euagantia longiùs littora? An quòd Deus è ventre ceti nauem construxerit viuam, valentem, aduersùs omnes fluctus & ventos fortem, quæ IONAM, etiam ignarum, iis propinquiorem locis sisteret, à quibus abesse remotiùs cupiebat? An denique, quòd tribus diebus, non paucioribus, non pluribus, detinere captiuum cetus potuerit?

Deus suos licet castiget, non tamen destituit.

26 Quæ omnia, & singula, per se maxima, diuinam bonitatem, potentiam, prouidentiam supra modum commendant, docentque quàm nos idem ipse largitor bonorum omnium Deus, tametsi probet, affligat, subinde quoque pro meritis puniat; non tamen ope destituat. Quod hic noster expertus Propheta rectè vsurpare Dauidicum istud poterat: *Castigans castigauit me Dominus: & morti non tradidit me.* Ac si dicat: satis quidem mihi ostendit, quòd castigare me posset, & morte subitâ me de medio tollere; ostendit quoq; quàm parum abesset vt faceret, cū omnibus modis id essem cōmeritus: sed magis amans misericordiā quàm iudicium, quod ipse iure poterat, & ego valdè benè merebar, hoc facere pro bonitate sua noluit. Quare non vltra triduum durā illam captiuitatem me sentire est passus, ne afflictus angustiis, pœdore, tenebris, intercluso mihi anhelitu & respirandi facultate, miser isto in carcere animam agerem.

Psal. 117. v.18.

Etiam ex labyrintho miseriarū educit Deus educi volentes.

27 Ex qua IONÆ ratiocinatione, magis etiam ex euentu, patet nullam esse difficultatem tantam, nullum adeò plenū anfractibus labyrinthum, vbi duce Dei gratiâ, & bonâ comitē voluntate, non exitus pateat, & quidem commodus, facilis, expeditus. Quisquis ergo in eiusmodi aliquo labyrintho iam diu ambulas, & vnam eandemq; perdifficilem & molestam

Æneid. lib.6. Psal 36. v.3.

Isq; redisq; viam toties, ——— nec illius exitum vides, *Spera in Domino, & fac bonitatem*: inuenies insperatum auxilium, euades etiam quasuis molestas viarum ambages, omnium discriminum, incommodorum omnium victor.

Desperandum numquam etiā rebus conclamatissimis.

28 At, inquis, hoc vt mihi persuadeam laboro; hic summus est, quem sustineo, dolor; id me vnicum vel maximè cruciat, quòd potiundæ aliquādo securitatis felicitatisque spes nulla affulgeat: video quàm parum cohibere effrenes animi mei impetus valeā: abripiunt me illi in syrtes & breuia, & extra certaminis locum abducunt, timentem ne cassus omnis sit labor. Ad hoc ego: Quid mirum vinci militem, qui proiectis armis victas dat manus ante pugnam, & iam cedit priusquam in arenam descendat? Spem abiicere, quâ niti debeas in prælio, error est maximus. Alioquin Deo duce, in quo sperandum est, nihil difficile, nihil arduum. Imperauit ille pisci, & deglutiuit IONAM, eidem iterùm imperauit, & IONAM euomuit. Imperauit per Angelum Petro captiuo in carcere, vincto catenis duabus, vt surgeret, & statim *ceciderunt catenæ de manibus eius*, surrexitque liber. Imperauit Lazaro quatriduano fœtenti in monumento, ex eo vt prodiret ad vitam; & *statim prodiit, qui fuerat mortuus, ligatus pedes, & manus institis.* Imperare igitur tibi, tuisque cupiditatibus poterit, atque nobilem de illis victoriam elargiri, quâ passionum impetus frangas, atq; secundùm rectæ rationis, virtutis, & sapientiæ normam, erudiâre perfectiùs; tantùm si posse credas, & speres.

Deo duce nihil difficile esse exemplis ostenditur.

Act. c.12. v.7.

Ioan. c.11. v.44.

Nautæ liberati Ionâ non nauigarunt in Niniuen.

29 Ab historiæ huius veritate discutienda priusquam recedamus, postquam de IONA quid factum fuerit exposuimus, indagemus breuiter, quantum per tempus licebit, quid nautis fugitiui onere liberatis euenerit. Certum est, fabellam esse Iudaicā, & meras nænias, quòd Niniuen venerint: neque enim vti ostendimus aliàs, istuc ducit Mediterraneum mare. Æquè fabula est, quòd ibidem facti sint proselyti Iudæorum. Nam si hoc conuersi ad Deum viuum & verum meditabantur, nequaquam Niniuen, sed Ierosolymam potiùs, istic propositum votaque sua expleturi, contenderent. Quod tametsi factum certò affirmare non possim; autumo tamen ex nauigatione æquè mira ac misera reuersos in Ioppen, ibique adhuc tam multarum rerum nouitate attonitos consilium in arena captasse, & continuò iter direxisse Ierosolymam, tum votis suis facturos satis; tum, quod optasse, fortè etiam vouisse credibile est, in Iudæorum religionem atque vnius veri Dei cultum transituros.

Neque ibi facti proselyti Iudæorum.

Reuersos in Ioppen probabile iuisse Ierosolymam.

30 Con-

Christus & Ionas, figuratum cum figura quàm consentiant ostenditur fusè. 30 Conuertamus nos tandem ad optatissimũ Ionam Christum Iesum, quem noster è ventre ceti prodiens, in figura mundo exhibet resurgentem. Conueniunt hîc illi per omnia. verba sunt Eusebij Emisseni: *Dixit Dominus pisci, vt restituat Ionam: dixit, siue praecepit bestiae, praecepit morti semper esurienti, praecepit abyssis & inferno, vt mundo restituat Saluatorem.* (Homil.2. de Pascha.) Nos vlteriùs quàm conueniant resurgens Christus, & è ventre piscis sanus rediens Ionas, videamus.

31 Ionas ventri piscis non cibus, sed tormentũ fuit: fuit & multo maius tormentum inferno & daemonibus Christus. Ionam laedere piscis nõ potuit: nec infernus Christum, qui ipse magis hunc laesit, eius in viscera penetrans. Sicut ichneumon per os crocodili in ventrem ingrediens eundem erodit; secundùm quod dixerat per Oseam: *Morsus tuus ero inferne.* (Plin. lib. 8.c.25. Oseae c. 13.v.14. Emissen. vbi suprà.) Quare iterùm appositè Emissenus: *Euomuit debemus accipere*, inquit, *quòd ex imis visceribus mortis victrix vita remeauerit, atque eam ex imis praecordiis inferni perditio exulcerata reddiderit.*

Ionam post triduum piscis euomuit: non potuit vltrà triduum detinere Christi animam infernus, quin hanc confestim euomeret, secundùm quod dixerat per os Dauid: *Non derelinques animam meam in inferno: nec dabis sanctum tuum*, id est corpus meum sanctissimum, *videre corruptionem.* (Psal.15. v.10.)

32 Ionas à captiuitate sua è ventre ceti est deiectus *in aridam*: quonam Christus? & ipse *in aridam*: non in mare, velut passurus iterùm, & cum fluctibus ac tempestate Iudaica denuò pugnaturus: sed omninò *In aridam:* vltra fluctus mortalitatis, & passionis. Nam, vti scripsit Romanis Doctor Gentium Paulus: *Christus resurgens ex mortuis iam non moritur, mors illi vltrà non dominabitur.* (ad Rom. c.6.v.9.)

Ionas numquàm, communi fruiturus iterùm lucis vsurâ, rediisset ad terras incolumis, nisi per Domini vocem pisci imperantis, vt eum *euomeret:* non surrexisset tertia die de tumulo *Corpus Christi* gloriosum, nisi per coniunctam diuinitatem suscitatum: porrò sicut ad illius vocem sepulchrum corpus, ita infernus animam reddidit. Pro corpore quidem obluctabantur claudentes tumulum Iudaei *signantes lapidem cum custodibus*: (Mat.c.27. v.66.) sed nihil praesidium, nihil Iudaeorum obluctatio profuit: sicut infernus, ita & sepulchrum suũ reddere mortuum debuit, & milites agnoscere Domini imperantis potentiam, gloriam resurgentis.

Ionas è pisce; Christus è sepulchro prodit post triduum: ille in signum quòd missus esset à Deo praeco euersionis Niniuitarum; hic quòd praeco regni caelorum.

33 Repetamus etiã aliquantò altiùs hanc ipsam praeclarissimam Allegoriam, & quam huc vsque tractauimus Ionae historiam, duobus comprehensam capitibus, eiusque partes singulas adimpletas in Christo Domino ostendamus. Erit haec quasi quaedam anacephalaeosis eorum, quae sparsim hinc inde diximus, vel certè attigimus.

Praeferet nobis facem post D. Hieronymum, Augustinum, Remigium, Rupertum, Dionysiũ Carthusianum, qui idem fusiùs & latiùs pertractarũt, multò his recentior Paulus Palatius, qui mirâ breuitate, simul & felicitate, id mihi praestitisse videtur: cuius, vti ante me fecisse Gregorium Mastrillum animaduerti, proximè insistam vestigiis, nisi quòd adhuc aliquantò breuior esse contendam.

Primò igitur Pater aeternus, *qui omnes homines vult saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*, (1.ad Tim. c.2.v.4.) dicit filio suo: *Vade in Niniuen:* quod, quia Niniue fuit Gentium caput, tantundem est ac si dicat: Vade ad Gentes, *Quia ascendit malitia earum coram me.* Nec mirum: quia vix vmquam magis contaminatae fuerunt gentes, vix magis apud illas, adeoque per totum ferè terrarum orbem, viguit idolorum cultus, quàm paullò ante aduen-

tum Christi, quando plerique sedebant in tenebris, & in vmbra mortis. Dixit hoc Romanis suis aliquando Leo Papa, sic Vrbem Gentium dominam affatus. *Hæc ciuitas, ignorans suæ prouectionis auctorem, cùm penè omnibus dominaretur gentibus, omnium gentium seruiebat erroribus; & magnam sibi videbatur assumpsisse religionem, quia nullam respuebat falsitatem.*

D. Leo serm.1. in Natali Apostolorũ Petri & Pauli.

Quid tum? *Fugit Ionas à facie Domini:* filius Dei de cælo descendit, faciem Patris velut relinquens, *in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo.*

ad Philip. c.2.v.7.

Mox verò *descendit in Ioppen*, id est pulchram, *Mariam*, inquam, *Virginem*, in quam quadrat illud Cantici Canticorum: *Progreditur quasi aurora consurgens, pulchra vt luna, electa vt sol:* ex ea carnem assumens, sicut vitæ necessaria IONAS ex Ioppe.

Cant. c.6. v.9.

Ex Ioppe IONAS egressus, *inuenit nauem euntem in Tharsis:* CHRISTVS egressus ex Virgine, inuenit Synagogam euntem in contemplationem gaudij, quod *Tharsis* significat: hanc ingressurus *dedit naulum*, suum nimirum in circumcisione sanguinem, in matris purificatione par turturum; vt inter Iudæos velut cum nauigantibus, in Synagoga etiam ipse nauigaret.

34 Vti IONA in nauim, sic CHRISTO in synagogam ingresso, permittit eam Deus ventis dæmonum, errorum, peccatorum, calamitatum plurium & maximarum concuti: siquidem, vix nato Christo, Herodis rabie pueri occiduntur insontes. Succedit Archelaus, succedit Quirinus, succedunt alij, sub quibus populo Iudeæ non magna obuenit felicitas; tandem post nonnullos succedit etiam Pilatus, qui ob inductam in templum imaginem Cæsaris, parum abfuit quin totam perderet synagogam, de qua iam conclamatum, vti & de vniuersa sua Republica Iudæi putabant.

Iosephus Antiq. Iudaic. lib. 17.c.15.& lib.18.c.1. & 4.

Interim *Christus descendit ad interiora nauis*, vadit ad loca deserta & abdita, vbi se sopori dulcissimæ contemplationis impendit, diebus illis quadraginta, quibus neque manducauit, neque bibit, & aliàs sæpè cum Patre suo æterno suauissimè colloquens.

Michaël verò Archangelus, velut *Gubernator* nauis, protector & custos Synagogæ, dolens de magna Iudæorum, populi sibi concrediti, calamitate, Christum in altissima contemplatione quietum hunc in modum alloquitur: *Exurge, quare obdormis Domine, exurge & ne repellas in finem.* Surge, & intercede pro nobis vt homo ad Deum, si fortè misereatur nostri.

Psal.43. v.23.

Surgit CHRISTVS, &, vt alter IONAS, excitatus à somno in nauem ascendit: in communem hominũ consuetudinem venit, orat, prædicat, & nihilominùs mare intumescit; imò venti Scribarum, Pharisæorum, Principum & Sacerdotum, velut rabie quadam acti, Christum, Apostolos, discipulos, & quotquot illi adhærent, immaniter persequuntur; Pontifices verò, quibus vniuersæ Synagogæ, velut nauis totius est cura concredita, actum de illa arbitrantur, & dicunt: *Venient Romani, & tollent nostrum locum, & Gentem.*

Ioan. c.11. v.48.

35 In qua trepidatione, velut concurrentes ad sortes, intrant in consilium, deliberant inter se, & dicunt: *Quid facimus, quia hic homo multa signa facit?* Occidemus eum, in exilium mittemus, an verò magis eo sibi relicto, expediet occidere Lazarum? vel quod est extremum, & illum, & Lazarum, & omnes eius discipulos pariter interimere? *Videtis, quia nihil proficimus? Ecce mundus totus post eum abiit.* Quid aliud est hæc adhibere consilia quàm velut sortem iacere, & videre velle super quem mortis sors cadet?

Ibid.v.47.

Ioan.12. v.19.

Cecidit verò *sors super Christum*; di-

Ioan.c.11. v. 50. dicente Caiphâ: *Expedit vobis, vt vnus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat.* Atque ita est Deo disponente factum: nam Ibidem v.51. *Caiphas hoc à semetipso non dixit: sed cùm esset Pontifex anni illius, prophetauit.* Rectè autem, ita sors cecidit, sicut in IONAM antè ob peccatum vnum propriũ ita in CHRISTVM postmodum ob peccata plurima aliena: Isa.c.53. v.6. *Posuit namque Dominus in eo iniquitatem omnium nostrûm.*

36 Ceterum sicut itineris socij IONAM interrogant, *Quod est opus tuum?* Ioan.c.12. v.34. ita Iudæi CHRISTVM: *Nos audiuimus ex lege, quia Christus manet in æternum: & quomodo tu dicis, Oportet exaltari filium hominis? quis est ille filius hominis?* Ac si dicant: Quis es tu? *Quod est opus tuum?* Ad quod respondet: *Hebræus ego sum*, qui è cælo in terram transiui, & *Dominum* 1.Pet.c.2. v.22. *Deum cæli ego timeo. Peccatum non feci, nec inuentus est dolus in ore meo.* Ioan. c.8. v.12. *Ego sum lux mundi.* Veni in mundum, Ioan. c.3. v.24. *vt omnis qui credit in me, non pereat, sed habeat vitam æternam.*

37 De socijs IONÆ dicitur: *Timuerunt viri timore magno:* idem quoque de multis Iudæis dici potest, qui visis Christi miraculis timuerunt, & crediderunt in eum. Intereà tamen Mat.c.26. v.3. *congregati sunt principes sacerdotum, & seniores populi, in atrium principis sacerdotum*, qui dicebatur Caiphas, *& consilium fecerunt, vt eum dolo tenerent, & occiderent.* Inter tam multos aliqui etiam haud dubiè ne occideretur, contenderint, dicentes: *Quid faciemus ei?*

Ipse verò, non iam in concilio congregatis principibus sacerdotum; sed in horto ad eius vocem consternatis, & retrorsum cadentibus, ac veluti quid agerent dubitantibus Iudæorum ministris tamquam alter IONAS: Ioan.c.18. v.8. *Tollite me*, inquit, *& mittite in mare. Ego sum: si me quæritis, sinite hos abire.*

Igitur apprehensum *Christum tulerunt, & miserunt in mare* tormentorum: atque non tantùm Psal.68. v.2. *circumdederunt*, sed *intrauerunt aquæ vsque ad animam eius:* venit in profundum, & tempestas demersit eum, mortuus est enim inter tormenta in cruce.

38 Tandem *præparauit Dominus cetum*, sepulchrum corpori, infernũ animæ, in cuius ventre hæsit *tribus diebus & tribus noctibus* inter mortuos liber. Surrexit deinde, non tantùm vt IONAS incolumis, sed peccati destructor, mortis victor, inferni domitor, gloriosus & perpetuus triumphator.

39 Sunt qui putent, quemadmodùm initio operis huius diximus, IONAM nostrum, qui de Christo resurgente non tantùm vt Propheta locutus est; sed ipsum Resurrectionis eius mysterium toti orbi tot antè sæculis in se ad viuum exhibuit, verè resurrexisse cum Christo, & cui in figura præluserat absens, eidem coràm apertè gratulatum, deque eo magnâ testificatione virtutis & gloriæ Iudæis locutum & Gentibus: mox verò, functum laudabili hoc faustoque ministerio, cum eodem, comitibus sanctis pluribus, qui & ipsi suscitati fuerant, ad beatam immortalitatem corpore & animo plenissimè percipiendam transuolasse. Ita censuit inter ceteros Pineda. Ego illi tantundem, & si quid vltrà optari posset, felicitatis non modò non inuideo, sed vel maximè voueo: quid autem factum sit, prorsus ignoro.

Lect. 2. Proœmiali n.32. *Ionam inter sanctos Christo resurgente suscitatum credibile est.* *Pineda in c. 19. Iob v.26.*

40 Hîc nobis discendum, *Sodales*, quid de corporum resurrectione, quid de animorum immortalitate sentire debeamus; quod vbi ostendero, relicto saluo, incolumi, & quieto ad littus IONA, gaudebo & ego posse tantisper quiescere, donec cum eodem alteram profectionem instituam, non iam rursus in Tharsis; sed in Niniuen, longè feliciorem futuram iis itineribus, quæ cum eo hactenus non sine molestia per mare, prope nauseabundi, decurrimus.

41 IONAM multoties diximus fuisse Christi resurgentis figuram: Christum ipsum nunc dico nostræ resurrectionis fuisse prototypon. Quare

Christus resurgens prototypon nostræ resurrectionis est. re vocatur à Paulo *Primitiæ dormientium:* in ipso enim primò verificata est ea, quam prædicamus, resurrectio mortuorum. Hanc quidem olim probarunt ex IONÆ ad terram de ventre ceti regressu S. Irenæus & Tertullianus: sed ante illos multò efficaciùs ex Christi Resurrectione Paulus, qui vt eam ipsam Corinthiis, adhuc in fidei rebus non admodum instructis, persuadeat, sic philosophatur: *Si Christus prædicatur quòd resurrexit à mortuis, quomodo quidam dicunt in vobis, quoniam resurrectio mortuorum non est?* Ac si dicat: Si Christus resurrexit, resurgemus & nos; nos verò si resurrecturi non sumus, neque verum est resurrexisse Christum; hoc autem tot fide dignorum testimoniis, qui audierunt, viderunt & cum illo manducarunt, probatum cùm sit, non nisi certissimum esse potest: ergo & illud est indubitatum & certum. Valet Pauli argumentum. Cùm enim Mortis & Resurrectionis Christi præcipua causa sit, nostræ mortis abolitio, vitæque reductio; hæc nequaquam consecutus, frustrà mortuus fuisset Christus, frustrà à mortuis surrexisset; neq; tunc locum haberet, quod alibi idem Paulus asserit: *Traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram:* adeoque nequaquam iustificati à peccatis, viueremus Deo: sed æternum infelices & miseri, æternum quoque essemus perituri.

1. Cor. c. 15. v. 20. Irenæus lib. 5. cōtra Hæreses c. 5. Tertull. lib. de Resurrectione Carnis c. 58. 1. Cor. c. 15. v. 12. Ad Rom. c. 4. v. vlt.

42 Certè resurrectionē corporū præter IONAM & CHRISTVM ipsa nos ratio docet, & æquitas; quæ requirit vt accipiat vnusquisque prout gessit in corpore suo siue bonum siue malum. Hoc ipsum effecit vt Marcus Tullius Oratorum princeps, solo naturę lumine, immortalitatem animorū agnouerit. Sic ipse in Catone maiore: *Nescio quomodo animus erigens se posteritatem ita semper prospiciebat, quasi cū excessisset è vita, tum denique victurus esset. Quod quidē ni ita se haberet, vt animi immortales essent, haud optimi cuiusque animus, maximè ad immortalitatis gloriam niteretur.* Hæc ibi, & paullò superiùs: *Mibi quidem numquam persuaderi potuit animos, dum in corporibus essent, mortalibus viuere; cùm exissent ex iis, emori.*

Resurrectionem corporum ratio docet.

Addo ego, corpus cū particeps laborum fuerit quid ni particeps sit præmij quoq; seu pœnæ? quod esse nō poterit, si perpetuò maneat vitâ destitutū. Reuiuiscat igitur, & resurgat oportet.

43 Verùm de corporū resurrectione nobis non est magnoperè laborādum, resurgent illa nobis nequidquā agentibus in nouissimo magni iudicij die (vtinā quod speramus, quod optamus, nobis in gloriam, & non in pœnam) Domini virtute, ad Angeli vocem tubâ canentis, & dicētis: *Surgite mortui.* Laboremus tantùm de resurrectione animorū; nam & illi sæpiùs, suo modo moriuntur, cùm nimirū Deum, vitam spiritus, per peccatum amittunt, dicēte per Ezechielem Domino: *Anima, quæ peccauerit, ipsa morietur.*

Resurrectio animorum nobis curanda. Ezech. c. 18. v. 20.

44 At quis modus ab hac morte tam noxia resurgendi? Docebit nos, simul mortis vulnera, simul remedia Emissenus: *Si,* inquit, *aliquid vulneris senserimus, statim refugientes peccatum, confugiamus ad Christum; ad illum spei nostræ eleuemus obtutum, ad illum mentis oculos conferamus.* Qualia autem sint vulnera, quæ animum sauciant, adeoque nobis maximoperè metuenda sunt ne pereamus exponens, subiungit: *Qui alienum malum respicit: qui in alienam rem anxiâ cupiditate suspirat; qui alienam mulierem importunis oculis, & mortem ad se trahentibus conspicit: qui in alieno corpore sacrificat diabolo animam suam; hic toxicato spiculo in corde percussus est: hic quàm debili morsu tam exitiali sauciatus. Qui malitiam, vel inuidiam, tamquam vulnus inclusū in visceribus retinet, amarissimo atque mortifero dente laniatus est. Qui fide vacuus est, & odio plenus, totus draconis illius deuoratus est morsibus.*

Emiss. Hom. 3. de Pascha. *Lethalia animi vulnera indicātur.*

45 Quid remedij? indicasti vulnera Emissene, da nunc quoque præcepta consequēdæ sanitatis. Vnum hoc loco tradit, quod instar est omnium, tamen leue & facile: videlicet certa in Deum fiducia. *Etsi ita sit,* inquit, *nullum conuenit desperare. Legimus in Iona Propheta,* quo-

Ad hæc vulnera curanda remedia.

quomodo bestia etiam deuoratum cogatur euomere. Ergo inter diuersos morsus respiciamus ad Christum, vt ad nos ille respiciat. Hæc Emissenus; sapienti planè consilio, quod pluribus profuit, multis sauciis sanitatem, mortuis vitam impertiit.

Nouum & illustre exemplum, quo docetur etiam ob quantumuis abominanda scelera non desperandum.

46 Quàm illud sequendum, quamque pro quantumuis magnis iniquitatibus & patratis criminibus, non ita animo abiecto esse oporteat, vt conclamatum de salute arbitremur; sed magis sperandum sit, & intendendum in reditum, docebit quod referam Salamanticæ gestum, ab annis plus minùs sex supra triginta; tradidit mihi, & scripto tradidit, hoc ipsum is qui à Doctore Theologo eò loci agente tum temporis, illud accepit, vir religiosus, & sacerdos omni fide dignissimus.

47 Erat, vt dixi, Salamanticæ, mercator olim prædiues & opulentus, qui aleæ lusu omnibus fortunis exutus, simul pietatem, Deique timorem prorsus exuerat: quare odio plus quàm vatiniano in ipsum Deum ac Dominum nostrum concepto, quò eum ampliùs offenderet, ô factum nequam! quibus posset mòdis, quoties, & quàm grauissimè, peccare decreuit; illi nihil non iniuriarum inferre, nullis eum non maledictis impetere, quiduis non impietatis comminisci, vt exacerbare optimum Dominũ ampliùs posset, & velut paratam in se vindictam prouocando, eum animare & cogere ad supplicium ampliùs. Creuerat autem iam vsque eò illius malitia, vt deliberatò Summam casuum Nauarri arripiens, quæcumque in eo libro pro conscientiarum arbitris sunt ad institutionem aliquam pro cognitione scelerum descripta, hęc ipse omnia singulaque explere contẽderet, quod & exequi cœperat. Peruenerat ergo iam ad tractatum de instituenda confessione agendaque pœnitentia; hic vt nihil etiam malorũ intẽtatum relinqueret, sacerdotem ad excipiendos pœnitentes expositum, quasi detecturus sordes suas & maxima quæque arcana sui pectoris, sic statuit accedere, vt interim grauiora quæque celare nouo peccato & sacrilegio decerneret; neque aliter fecit. Verùm non diu id latuit eum, cuius operâ in simulata illa confessione vtebatur; hic enim in palæstra tractandorum animorum diu exercitatus (tanti refert interdum cui te tuaque concredas) protinus obseruauit esse aliquid, quod hominem angeret vehementiùs, cõturbaret, affligeret, neque liberum in denuntiandis vitæ suæ rationibus esse pateretur. Itaque suspicatus ex criminum enormitate & pręposterum pudorem, & tantam pusillanimitatem succreuisse, facti malitiam, latente adhuc veneno illo, ignorabat, multa egregiè de Dei infinita bonitate ac misericordia, primò disseruit; deinde aures dantem veritati comiter ad detegendum omne quod latebat in pectore venenum benignâ prece & commonitione prouocauit. Hic commoueri paulatim mercator, dare victas Deo manus, gemere, suspirare imo ex pectore, atque etiam clamore ingenti mage tamen mentis quàm vocis dicere, & sciscitari à suo quem præter mẽtem nactus fuerat, optimo consiliario & patre, *Ergóne peccatis meis maior Dei clementia est?* Vbi etiam infinities esse maiorẽ ex illius ore cognouit, in copiosiores solutus lacrymas, rupto iam ferreo illo, siue potiùs adamantino pectore, recogitare cœpit actiones superioris vitæ suæ nequiores, magnâ animi sui amaritudine, sumptoque simul pœnitendi, simul deliberandi de singulis, quæ tumultuariè gesserat, spatio aliquo temporis, se ad noxas omnes demissâ confessione eluendas non segniter comparauit. Comparatus edixit, ausim dicere, sperare saltem, etiã eluit sua prolocutus ferè quot verbis tot lacrymis. Iã detectis per confessionẽ omnibus, & sic solutis, quibus in id tempus constrictus tenebatur, peccatorum vinculis ferreis, de ineunda Religione, in eaque Deo arctiùs ser-

seruiendo consilium cepit, secutus vocantem Deum, ac quam meditatus fuerat etiã ingressus, vixit, iam mutatus in virum alterũ, non ampliùs triennio cùm tentari morbo cœpit, qui illi extremus fuit. Quod vbi diminutis paulatim corporis viribus sibi est visus sentire, ad misericordẽ Dominum cõfugiens, cuius in amantissimis brachiis, vti viuere sic mori cupiebat, & Crucifixũ amplexans, elocutus est in magna sociorum eiusdem religionis ac instituti corona, quæ dictabat affectus ad singula propè verba singultiens, atque illacrymans, collacrymantibus qui aderant etiã ceteris, vt facilè cogitare fas est: *O quàm me præterita vita pudet pigetque! horreo me ipsum considerans, sed & ad amorem tuum liquescit anima mea bone* IESV, *agnosco, agnosco, immensam bonitatem tuam. Prorsus talis esse debebat Dominus, qui tantum in gratiam reciperet peccatorẽ; tantus verò peccator non poterat nisi à tali Domino admitti in gratiam & veniam suorum accipere delictorũ.* Vix dixerat, cùm infinitam Dei, re non minùs quàm verbo, testatus ac prædicans bonitatem, eandem, vt credere fas est, ampliùs experturus, ex hac mortalitate piè & feliciter ad immortalitatem demigrauit.

Nil desperandum vmquam. 48 Quis nunc desperet, quando hominem adeò sceleratum & perditum, expertũ intelligit, non vt IONAS Propheta à sæculis, sed nuperrimè, ita vt apud quosdam adhuc modò extare possit rei gestæ memoria, non facilè interitura, tantam Dei, & bonitatem, & clementiam, & amorem, & gratiam. Imò verò, quis non speret, hisce præsidiis, si tantùm voluerit, eluctaturum se breui è sordibus suis, & sic adsciscendum se quoque in numerum amantissimorum Dei filiorum, quorum hæreditas permanet, & permanebit in æternum.

49 Concludo cum IONA, atque vos ad illum remitto; optoque memineritis, sicut hũc, ad vnũ Domini verbum, is, qui deuorauerat, piscis euomuit: ita ad eiusdem verbum vnum, peccatum, & comitem eius diabolum, detentam non minùs arctâ captiuitate animam, quàm à ceto IONAS fuerat, redditurũ. *Spe, fiduciâ & precibus opus, vt ab inimicis omnibus liberemur.* Tantùm spe, fiduciâ, & precibus opus, quibus velut præpetibus pennis subnixus IONAS euolauit ex arctissimo carcere: euolabimus etiam nos è dura captiuitate peccati. Quod vbi fecerimus, ne reuertamur ad pristina, ne rursum de nouo *Tharsim* meditemur, sed *Niniuen*: simus, vt IONAS, siue columba, ita enim nomen eius interpretantur, super peccatis nostris gementes, solliciti quoque ne illorum causâ captiui alicubi detineamur in mari; sed semel vndis erepti, eiectique Dei beneficio cum IONA *in aridam*, ibi constanter hæreamus; nec per peccata iterùm fugiamus ad mare, vnde tanto cum discrimine ad littus rediuimus: at magis expediti iam fluctibus æstuantis, inquietæ, & anxiæ mentis, caueamus id agere, vnde maior tempestas denuò oriatur, quæ nos improuidos opprimat: secundùm quod Dominus dixit languido illi, quem post annos triginta & octo infirmitatis, curauit ad piscinam probaticam: *Ecce sanus factus es: iam noli peccare ne deterius tibi aliquid contingat.* Ioan. c. 5. v. 14. Hoc fiet, si diuinis obsequiis toti intenti, ad ea quæ inspirauerit, ad quæ nos vocauerit, inuitauerit, pertraxerit Dominus, omni timore ac metu posito, intrepidè, constanter, alacriter properemus.

PRO-

PROPHETIÆ IONÆ

CAPVT TERTIVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

IONAS *à ceto euomitus, & redditus terræ incolumis, iterum à Deo in Niniuen mittitur. Imperatam legationem obit, ciuitatem ingreditur, illiq; imminens intra dies quadraginta excidium minatur. Populus, Optimates, Rex, timent: omnes ad pœnitentiam conuolant, Regis edicto exemplo; atque ita Deum placant, peccatorum suorum veniam consequuntur, Ciuitatem tutantur, & seruant indemnem.*

TEXTVS.

1 ET factum est verbũ Domini ad Ionam secundò, dicens:
2 Surge, & vade in Niniuen ciuitatem magnam: &
prædica in ea prædicationem, quam ego loquor ad te.
3 Et surrexit Ionas, & abiit in Niniuen iuxta verbum Domini: & Niniue erat ciuitas magna itinere trium dierum.
4 Et cœpit Ionas introire in ciuitatem itinere diei vnius: & clamauit, & dixit: Adhuc quadraginta dies, & Niniue subuertetur.
5 Et crediderunt viri Niniuitæ in Deũ: & prædicauerunt ieiunium, & vestiti sunt saccis à maiore vsque ad minorem.
6 Et peruenit verbum ad Regem Niniue: & surrexit de solio suo, & abiecit vestimentum suum à se, & indutus est sacco, & sedit in cinere.
7 Et clamauit, & dixit in Niniue ex ore Regis & principum eius, dicens: Homines & iumenta, & boues & pecora non gustent quidquã: nec pascantur, & aquam non bibant.
8 Et operiantur saccis homines & iumenta, & clament ad Dominum in fortitudine, & conuertatur vir à via sua mala, & ab iniquitate quæ est in manibus eorum.

9 Quis ſcit ſi conuertatur & ignoſcat Deus: & reuertatur à furore iræ ſuæ, & non peribimus?

10 Et vidit Deus opera eorum, quia conuerſi ſunt de via ſua mala, & miſertus eſt Deus ſuper malitiam, quam locutus fuerat vt faceret eis, & non fecit.

LECTIO PRIMA.

ET FACTVM EST VERBVM DOMINI AD IONAM SECVNDO DICENS: *Verſ.1.*

SVRGE, ET VADE IN NINIVEN CIVITATEM MAGNAM: ET PRÆDICA IN EA PRÆDICATIONEM, QVAM EGO LOQVOR AD TE. *Verſ.2.*

ARGVMENTVM.

Cur IONAS, *neglecta ſemel prima miſſione, non vadat in Niniuen niſi iterum miſſus, & cur eò potiùs miſſus, quàm aliò fuerit, quæritur. Obitæ ab eodem miſſionis difficultates proponuntur. Similes, & quaſcumque alias, cuicumque miſſo perrumpendas eſſe, vt certiſſimum ſtatuitur. Miſſi à Deo munus exponitur; Chriſtum ſecundò quoque miſſum in Niniuen dici certo quodam modo poſſe, ex Patrum ſententia indicatur.*

1 *S. Scriptura omnibus libris pœnitentiam nos docet.*



VERAM, ſynceram, perfectam pœnitentiam, conuerſionemque à peccatis vitaque ſcelerata ad Deū, nullus eſt ſacrarum Litterarum, veteris æquè ac noui Inſtrumenti, liber, qui non abundè nos doceat. Singuli enim ſunt velut agri quidam diuites, vbique vbere fœcundi ſegete, nuſquam non fertiles, numquam non ad meſſem maturi. Fructus inde, quibuſcumq; locis, quibuſcumque temporibus, qualeſcumque optauerit, nullo negotio & labore metet, quiſquis falcem adhibere voluerit mentis: id eſt quicumque ad eos voluendos animum & ſeriò & conſtanter adiunxerit: nam ſicuti reperturus eſt plurima morum vitæq; documenta, verbis ſententiiſque expreſſa; ita non pauca etiam exempla, clarè euidentérque ad inſtitutionem noſtram propoſita.

2 Inueniet, inquam, in his ſparſim plurimos, quibus ſuſpiria, gemitus, lacrymæ, ſupplices preces & vota, ſaluti fuêre, quibus per hæc, dilutis culpis prioribus, in Dei gratiam, etiam in dignitatem & familiaritatem priſtinam, reditus patuit: collectim verò nuſquam plures, quique id fecerint generoſius, fortius, & conſtantius iis, qui paruo hoc IONÆ libello recenſentur, quem proinde iure meritiſſimo vocauerimus graphicam quandam pœnitentium tabellam. Etenim ſingulis trium priorum eius capitum recenſentur varia ſe factaque ſua cum pœnitudine lugentium exempla. *Hiſtoria Ionæ plena eſt exemplis pœnitentium.*

In primo nautarum ſociorumque itineris reliquorum, nouo tam multarum rerum inexpectato ſpectaculo, agnitâ veritatis luce, ab idolorum cultu reſipiſcentium, ac veterem deteſtantium errorem.

In ſecundo, ipſius IONÆ deprecatâ per triduanam pœnitentiam noxâ, ſua lugen-

lugentis in belluino carcere, ibidemque discentis legem seruare obedientiæ.

In tertio, quod nunc tractare aggredimur, Niniuitarum, deplorantium præteritam iniquitatem suam & peccata, resipiscentium, atque in tantis deliciis & opibus discentium submissionem, quâ fiat vt superbam ceruicem suam Dei iugo demissè supponāt.

3 Nautas pro infidelitate sua lugentes, & pœnitentes, conuersosque à diis suis ad Deum viuum & verum vidimus; IONAM enarrantem & plorantem anteactam suam inobedientiam, ac meliora proponentem considerauimus; ad Niniuitas modò (ob quos vel maximè hæc est inchoata historia, à IONA præuaricatore non parum turbata) quorum hic res potissimùm agitur, orationē conuertamus. Hi vtinam ampliùs aliquid ad emolliendos nos possint; & fortiùs ad sui imitationem tam illustribus exemplis impellant, quàm impulêre priores. Ego id voce conabor; vos, rogo, conemini mente.

Ionas secundò in Niniuen mittitur.

4 Priùs Prophetam nostrum, iteratam suam legationem enarrantem verbo vno, audiamus. Hanc nūc ipse, prioris delicti, atque etiam pœnæ memor, sine tergiuersatione, sine vllo secessu ac latebris, alacer & expeditus acceptat; eandemque supremi Imperatoris ac Dei sui, apud rudem, barbarum, ethnicum, diuinæ illius Maiestatis ignarum populum partes agens, cum illustri Domini sui commendatione & gloria, non minori exequitur alacritate, promptitudine, fortitudine, atque constantiâ.

Audiemus deinde eum proponentem nobis legationis suę fructum, conuersionem Niniues, ciuitatis & potentissimæ & maximæ; neque minoribus pro sua amplitudine inuolutę peccatis, & inuoluendæ, nisi maturè resipuisset, suppliciis.

Audiemus denique, enarrantem profusam Dei in homines adeò sceleratos & nequam benignitatem atque clementiam; quâ, vt ipse quidem opinabatur, *liberalitate* nimiâ, tam multis, tanto tempore, toties, tam grauiter peccantibus, quasi acceptarum ab iis iniuriarum prorsus immemor, animo verè paterno, quidquid est etiam in se admissum, ignoscit.

Ionas primâ vice missus non iuit, vadit secundâ.

5 Verba nostri Prophetæ sunt: FACTVM EST VERBVM DOMINI AD IONAM SECVNDO: *iam terræ restitutum*, vt ait Ioannes Drusius; *iam correctum de priori negligentia & misericordiam consecutum*, vt Hugo Cardinalis. Factum fuerat ad illum etiam aliàs verbum, eo modo quo nunc id fit secundò; sed primâ vice, tametsi ipsum audisset, non tamen sicut secundâ: tum enim instar *aspidis surdæ obturantis aures suas*, neglexerat ipsum, quasi non audiens, & velut contempserat; at nullius maiori quàm sui ipsius damno: nunc verò, cùm *Factum est verbum Domini ad eum secundò*, audit illud attētè, non contemnit, non negligit; exequi etiam quâ potest promptitudine ipsum adlaborat. Psal. 57. v. 5. Ionæ c. 3. v. 1.

Ionas non est vocatus secundò vt Samuel.

6 De Samuele Propheta in libris Regum legimus, quòd & ipse vocatus sit à Deo, semel iterùm, & tertiò. *Adiecit Dominus*, inquit Textus sacer, *rursum vocare Samuelem*. Verùm non est vocatus quasi rebellis, sed ad Heli properans, cùm ab eo vocari se crederet: IONAS verò vocatur iterùm, quasi primò rebellis, & sic ad eum *Factum est verbum Domini secundò*. 1. Reg c. 3. v. 6.

Ex quo nos discere cupit Ioānes Chardus, sæpiùs nos à Deo salutis ac officij nostri admoneri, vel per Spiritū sanctū: qui loquitur in nobis, & in quo clamamus Abba pater; vel per scripturas, Prophetas, Apostolos; vt nullo modo latere nos possit, quid nos facere oporteat. Quoniam verò sæpè aures occludimus, auertimus oculos, & muneris nostri obliuiscimur; ideò frequētiùs ab eo cōmonefieri nos, ne quam fortè prętexere possimus ignorantiæ causam, pateatque quòd solâ culpâ propriâ & ignauiâ pereamus.

Vbi sit Ionas vocatus secūdò.

7 At vbi locorum factum est verbum Domini ad IONAM? Primò quidem extra omnem controuersiam Ieroso-

rosolymis: sunt qui putent quòd ibidem etiam secundò; aiunt namque liberatum de ventre ceti, eiectúmque in aridam, confestim voto suo facturum satis eò contendisse ad templum, ibique tum pro altera vice de legatione sua admonitum. Mihi magis Ariæ Montani arridet sententia: cum quo sentio non tantum ei induciarũ concessum; verùm, cùm primùm fuit in terram expositus, iussum recusatam anteà legationem admittere, & iter suum illius adimplendæ causâ quam ocyssimè, nullâ morâ interpositâ, prosequi: quod etiam ab eo arbitror factitatum. Hoc ipsum insinuare velle videtur S. Zeno Veronensis Episcopus; cùm, nullâ factâ profectionis Ierosolymitanæ, mentione, *Mira res,* inquit, *post naufragium, post natatile sepulchrum incolumis, tertiò pòst die Niniuitas illustrat, terribilibus oculis salutem ciuitati credulæ præstiturus.*

Zeno ser. de Iona Biblio. SS. PP. tom. 3.

Vtilitas ex secunda missione Ionæ.

8 Quidquid hac de re sit, optimè dixit, & verissimè Philippus Abbas: *Ionam punitum, & pœnitentiæ caustrio castigatum, ire Tharsis Dominus non permisit: sed eum rursus ad prædicandum Niniuitis remisit, sciens esse perutile, vt & Propheta mandatum suæ præponeret voluntati, & sermo salutaris terrorem incuteret ciuitati.*

Philippus Abbas de silent. Clericor. c. 80.

Sicuti hæc IONÆ missio Niniuitis saluti fuit; ita *historia illius*, secundùm Petrum Blesensem, *præcipuè ædificat missum à Domino ad prædicandum; scilicet piscatorem hominum, pastorem animarum, annuntiatorem scelerum, intercessorem pœnitentium, fideiussorem præmiorum. Per eam enim,* inquit, *potest intelligere gradum suum, timere casum, vitare periculum, sperare solatium: gradum in legatione, casum in temeritate, fugere periculum in deglutione, solatium in restitutione.* Hæc ille.

Petrus Blesensis ser. 48. ad Prælatos.

Rectè post primam missionem semel neglectam, non vadit Ionas nisi secundò monitus. Ratio prima.

9 Ad IONAM quod attinet, eamq; quam hic, non nisi monitus, legatiõnẽ instituit, quærere quispiam posset, an non melius facturus fuerit, vlteriùs in Niniuen, etiam ante posteriorem hanc monitionẽ properare? Ad quam quæstionem respondeo: Eum sapienter & rectè nouum Domini prestolari mandatum voluisse; ne æquè turpiter, aut etiam turpiùs, ingessisse se in ministerium diuini verbi, quàm id anteà suscipere detrectauerat, videretur.

Hæretici, non missi prædicant.

10 Parum, vti videmus, sollicitos hoc habet nostros Nouantes, qui pro auctoritate sua, id est libertate impia quam assumunt, nouo priuilegio, prauilegio volebam dicere, nullâ Dei, nullâ Ecclesiæ, aut Prælatorum eius potestate, sese in verbi ministerium intrudunt; neque ad se spectare putant illud Apostoli: *Quomodo prædicabunt nisi mittantur?* cùm nec missionem expectent, nec directionem vllius, aut dictum, nisi spiritus sui exotici, fanatici, & deliri; quo velut impetu quodam feruntur, quemque Dei appellant imperium: sed longè secius, ab eo aliquando audituri id, quod dixit olim per Ieremiam, Pseudoprophetarum, quorum hi quoque censendi sunt numero, improbans agendi rationem peruersam: *Non mittebam Prophetas, & ipsi currebant: non loquebar ad eos, & ipsi prophetabant.*

ad Rom. c. 10. v. 15.

Ier. c. 23. v. 21.

Ratio secunda.

11 Alterum, cur IONAS ad suscipiendam detrectatam antè legationem vltro sese non auderet ingerere, erat timor de successu illius non optimo. Poterat fortasse recordari, quomodo olim Israëlitis, iubente Domino ad terram promissionis ire primò nolentibus, mox tamen iniussis, imò dehortante Moyse voluntate propriâ ad eandem properantibus, id cesserit malè; vtpote istic victis debellatisque turpiter. Sic vereri, nec omnino abs re, poterat; ne neglecto, tempore maximè proprio & opportuno, Dei priori imperio; si iam alieno, & quod nesciebat, an etiã fortè importuno illud impleret, delictum delicto adderet: priùs quidẽ transgressus præceptum, deinde iterùm precepti modum tempúsque transgressurus.

Num. c. 14.

Ratio tertia.

12 Est insuper in hac cunctatione diuini imperij aliquid quod IONÆ prudentiam, & insignem, eoque dignam post delictum tam graue, verecundiam, non mediocriter commendet.

det. Nesciebat, ob admissum nuper crimen, dignúsne esset prophetico munere; ab eo igitur sibi vsurpando temperat, quoad vsque seruum se Domini sui effectum denuò intelligens, neque de toto herili pulsum domo quid voluntatis illius sit planè iteratò cognouerit.

Dei misericordia & bonitas in Ionam secundò missum ostenditur.

13 Agnosco hîc miram Dei, & numquam satis laudandam, in seruum suum adeò refractarium & rebellem bonitatem. Statim quasi oblitus tantæ rebellionis illius, hominem non tantùm pristinæ restituit dignitati, & loco; verùm etiam quadam ratione maioribus auget honoribus, amplioribus beneficiis cumulat; iterùm ad illustrem adeò legationem adhibet, tamquam domesticum suum, tamquam familiarem, tamquam consiliarium intimum, cuitutò arcana sua concredat, tamquam de se suoque imperio optimè meritum.

Vis & fructus pœnitentiæ.

Sic fit persæpè, vt pœnitentia, non tantùm præteritas diluat culpas, priores maculas eluat, instauret deperditam gratiam; sed reddat insuper eos, qui deliquerunt expeditos magis & habiles ad diuinum obsequium, quàm fuerant, priusquam in culpas priores incidissent.

14 Quem ergo non inuitet ad pœnitentiam, imò quem non impellat quodammodò, tantus Domini fauor, benignitas tanta? quem non piè & sanctè de reditu cogitare faciat, etiã post diuturniorem & remotiorẽ per multa variaque scelera abitum? Potuisset IONAM Deus post fugam, omni iure spoliare imposterum prophetiæ dono & spiritu; potuisset & quoscumque alios post lapsum in crimen, labi vlteriùs sinere vsque in interitum. Verùm non ita cum illo, non ita cum aliis, aut egit, aut agit: educit gratiâ suâ de tenebris, & vmbra mortis, ac sibi salutique restituit, restitui cupientes; & vt cupiant vltrò inuitat, & adiuuat. Ipse nempe est qui dat velle, dat & perficere.

15 Agamus igitur, & intellecto hoc diuini consilij de hominum salute arcano, intellectâ immensâ Numinis bonitate, nobis ipsis gratulemur; quibus tantum per talem Dominum felicitatis, tantum obuenit boni; vt cùm essemus fugitiui, non semel vt IONAS, neque per vnam inobedientiam; sed per iniquitates & scelera plurima sæpiùs, etiã vsque in Tharsis, nimirum sulcantes tumultuosum hoc mundanarum varietatum pelagus, in quo sub aquis alta montium, prærupta vallium, in quo scyllæ & charybdes, in quo infames scopuli non pauci, multaque alia minantia interitum; per ipsum fuerimus reducti, eductique ex ipsis quasi mortis faucibus ad vitam, ex turbulento pelago ad optatissimum littus sani & sospites.

Quare & quo fructu peccatori redeundũ sit ad pœnitentiam.

16 Quæ sanè causa iustissimè nos errantes, à qualicumque fuga, quocumque demum tempore, compellat ad reditum; iam securos quòd simus æquè ac priùs, Domini nostri nõ tantùm beandi præsentiã, sed patrocinio confouendi, donandi gratiã: instar Iosephi, qui iussu Pharaonis regis Ægypti eductus è carcere, in pristinum restitutus gradum, amplissimam obtinuit dignitatem. Ita hîc nostro IONÆ, ita Apostolorum principi Petro, Paulo, Matthæo, Magdalenæ, Theophilo tam in historiis celebri, & sexcentis aliis passim notis factum legimus; quos cùm priùs damnaret improbitas, deinde singulari Dei beneficio vitæ sanctitas commendauit.

Deus peccatoris mortem nõ cupit.

17 Porrò de ope diuina non est qui possit ambigere; si præsertim obseruauerit aliquando optimi Domini propensissimam in homines voluntatem, animumque plus quàm paternum; quò ita in eos propendet, vt nullorum velit interitum, quantumlibet impiorum, si conuertere sese voluerint. Hinc illæ eius voces apud Isaiam: *Ego sum, ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas propter me, & peccatorum tuorum non recordabor.* Et ampliùs apud Ezechielem: *Nolo mortem impij, sed vt conuertatur impius à via sua, & viuat.*

Isa. c. 43. v. 25. Ezech. c. 33. v. 11.

Pro-

Dei patientia in expectanda conuersione peccatoris.

Profectò ostendisti sat euidenter Domine Deus, quàm IONÆ mortem nolueris; poteras namque, si hanc voluisses, & iure meritissimo poteras, eum primo excogitatæ dumtaxat, & necdum patratæ rebellionis momento, penitus perdere; poteras eum simul corporis simul animi morte mulctare: sed placuit diuinæ bonitati tuæ, seruare sceleratum in salutem suam, tuamque gloriam: vt ostenderes deinde suo tempore vlteriùs, quàm peccatorum eius non recorderis ampliùs.

Signa culpæ à Deo Ionæ remissæ.

19 Signum verò illius primum est, quod hic dicitur: *Factum est verbum Domini ad Ionam secundò.* In quo apparet quàm non iam solâ potentiâ, quâ opprimere potuisset imbellem; sed patientiâ quoque, Deus fugitiuum superet seruum. Ac si dicat: doctum te nunc esse oportuit, meliùs esse parere, quàm meo reluctari imperio.

Alterum signum obliteratæ iam memoriæ præteriti criminis est; quòd cùm ei imperat iteratò profectionem in Niniuen, non comminetur, non exprobret peccata præterita, admissi facinoris non exaggeret turpitudinem, non acerbioribus verbis insectando eum, dicat: Cur non fecisti quòd tibi fuerat imperatum? *Sufficit ei*, inquit D. Hieronymus, *naufragij & deuorationis sola correptio, vt qui imperantem non senserat Dominum intelligeret liberantem. Alioquin superfluum est, delinquenti seruo post plagas velle imputare quod fecit: cùm huiuscemodi correptio, non tam emendatio sit, quàm exprobratio.*

Hieron. in 3. cap. Ionæ.

Post actam pœnitentiâ Christus Petro peccata non exprobrat.

20 Sic Christus, quemadmodum scitè est à B. Ambrosio obseruatum, Apostolo Petro trinam suam tam infamem negationem, quæ paucis diebus interpositis euenerat, resurgens à mortuis non modò non exprobrauit: verùm etiam, quasi nihil vmquam accidisset eiusmodi, eidem apparuit, eum solatus est, præfecit cæteris, & vniuersalis Ecclesiæ caput constituit. Sic etiam facit nobiscum Deus, quando lapsuum omnium, etiam grauissimorum, & maximè enormium, post actam pro iis pœnitentiam, ne quidem recordatur ampliùs.

Et verò etiam inter homines, quisnam esse possit ex iteratis sæpè eadem de causa & criminè, acerbis monitionibus, contentionibus verborum, improperiis, exprobrationibus fructus; quando iis ferè tantum hoc agitur, vt nascantur grauiora dissidia, odia non facilè moritura, alienationes animorum perpetuæ? Dixit Cicero in libris Officiorum, & benè: *Animaduersio & castigatio omnis contumeliâ vacare debet.* Si hoc apud Ethnicos, quid apud Christianos? Certè vobis, Christi exemplo, dedocuisse subditos vestros delinquentes errorem suum sufficiat; neque quidquam vltrà, si & illis, & vobis rectè consultum velitis, animi quadam aut leuitate, aut etiam furore impotentiaque tentate; nisi pro erratorum emendatione eorum potius incrementum cupiatis.

Crebræ de eadem re monitiones vtiles non sunt.

Cicero lib. 1. offic.

Illata ab alio iniuria obliuioni danda, & remittẽda.

21 At, si grauem domino suo iniuriam intulerit seruus, si patri filius, quid tunc agendum? post debitam semel correptionem delicto impensam ignoscat filio pater, dominus seruo, etiam immerenti, & cum eo in gratiam redeat. Cur id faciendum docet Augustinus. *Ne duo mali sitis.* Pater filio, dominus seruo esse debet sapientior; velle vlcisci iniuriam siue verbis, siue verberibus magna insipientia est. Recordamini, quæso subinde, cùm eiusmodi aliqua insipientia animum pulsare cœperit, illius quod grauissimè monet in sua Canonica D. Iacobus. *Iudicium sine misericordia illi, qui non fecit misericordiam:* & non pigebit remittere quantumuis grauem, etiam à vilissimo quoque, illatam iniuriam.

Augustin. Psal. 54. tom. 8.

Iacobi c. 2. v. 13.

Ex Christi doctrina toties quoties illatæ.

22 Gratiam magnam, quâ ei remissum peccatum est semel, hic noster IONAS accepit à Deo; multi nostrûm plus centies, plus millies, fortè & decies, & centies millies, si toties peccauerint, & de peccatis verâ ducti sint pœnitentiâ eandem acceperunt: quis ergo similiter alteri in se delinquenti non remittat debitum? quis non libenter acceptæ obliuiscatur iniuriæ? At quo-

Mat. c.18. v.21.&22. quoties id agendum? *Quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei*, inquiebat Christo Domino Petrus, *vsque septies*? Audi Christum instruentem discipulum suum, & sequere: *Non dico tibi vsque septies; sed vsque septuagies septies*. Remitte igitur quisquis es, quoties peccauerit in te frater tuus, & quidquid peccauerit: sicuti tibi Deus, quotiescumque in eum peccaueris & quidquid peccaueris libẽter remittit.

Explicatur secundum Dei ad Ionam mandatum.

23 Verbum Domini factum ad IONAM nunc audiamus: SVRGE, inquit, ET VADE IN NINIVEN CIVITATEM MAGNAM, ET PRÆDICA IN EA. Nihil hic est à priori imperio, siue in re, siue in modo diuersum; pari cũ eo agit Deus mansuetudine, quâ priùs: quia talis iam erat per pœnitentiã effectus, vt eius operâ rursus vtendum, per eum denuò sibi loquendum Assyriis censeret. Huc spectat quod ait *Surge*: de pusillanimitate scilicet tua atque socordia. Sume animos, & segnis ne sis ad imperata, operi quamprimùm accingere, prioris tarditatis tuæ & ignauię, cuius ego iã sum oblitus, & tu obliuiscere; ciuitati Niniue, ob immania quę istic dominantur flagitia, paro supplicium, flagella meditor non pauca nec leuia, quibus illam pluribus modis nocentem, grauiter castigem & plectam: hoc tamẽ nequaquã facturus nisi antè monuero. I ergo, hoc tu munere meo nomine fungitor, da te in viã quamprimùm, atque vbi fueris ciuitatem ingressus, *Prædica in ea*. Dic resipiscant quotquot in ea sunt, & ponant tãdem suis sceleribus modum, si me modum ponere velint indignationi iustęq; iracundiæ: alioquin scient quid sit offendere, iam enim *Gladium meum vibrabo, arcum meum tetendi, & paraui illum, & in eo paraui vasa mortis*.

Sententia quorũdam Ionam etiam secundum mandatum accepisse Ierosolymis.

24 Coniicit ex hoc pręcipiẽdi modo Christophorus Castrius, contrà quàm diximus suprà, eiectũ ad Palæstinæ littora IONAM, indeque reuersum quamprimùm Ierosolymam, de re alia nulla sollicitum ampliùs; ibi verò, persoluto iam votorum suorũ debito, indulgentem quieti monitũ alterâ vice, vti priori fuerat verbo Domini *Surge*, tãquam voce increpantis ac dicentis: Quid hîc hæres in patria tua? neque adhuc in Niniuen properas? quod semel iussi, iterùm iubeo: *Surge & vade* In eadem mente videtur fuisse Paulus Palatius, dicens, IONÆ, orationi & actioni gratiarum tanto pro beneficio totos incumbenti dies, se Dominũ reuelasse, vt anteà in templo facere solitus fuerat, eumque denuò allocutum.

Magis probatur quòd ad littus mediterranei maris, vbi fuit eiectus.

Verùm coniecturæ ex verbis illis nullum certum video fundamentum. Quare sicuti illam ex ipso statim ceti ergastulo erepti institutam profectionem Ierosolymam, vti minùs cõsonam veritati, non probaui aliàs; ita nec modò video cur ampliùs quàm tum probare debeam. Sed nec cur dicendum, quòd inde suã ad Assyrios sit legationem IONAS exorsus; quando ad littus Mediterranei maris, & quidem Niniuitis propinquius, vbi de mari ascenderat, & voluntatem Domini cognoscere, eamque incipere adimplere quàm primùm, commodissimè potuit.

Cur Ionas potius ad Niniuitas, quàm ad Tyrios aut Sidonios missus.

25 Quærit hoc loco apposité Rupertus Abbas, & post eũ Ioãnes Ferus, cur Dominus non tantùm Niniuitarũ, sed omnium Gentiũ Deus, potiùs de Niniuitis, quàm de Tyriis, Sidonijs aliisque pluribus curam gerere videatur; illis, non his, præconem mittens veritatis, qui tamen æquè ac illi, tanto subsidio, & fortasse etiam non tanto, redire potuissent ad mentem saniorem, secundùm id quod dixit ferè in re simili Christus. *Si in Tyro & Sidone factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egissent*. Mat. c.11. v.21.

Ratio prima.

26 Causas dant. Primam: vt per Niniuen, (quæ propter Monarchiam Assyriorũ, tamquam illius caput, caput quoque erat Gentium omnium) conuersam ad pœnitentiam, conuertendas quoque aliquando ad fidem Gentes constaret. Est fortassis hęc ipsa ratio etiam cur ex nonnullorum antiquorum Patrũ sententia, Niniue iam olim Ecclesię imaginem retulisse censeatur. D. Zeno Veronensis: *Niniue*, in- D. Zeno serm. de Iona in fine.

inquit, *imaginem portat Ecclesia, in qua Gentium iam inde noster populus morabatur; qua non incassum à Deo magna ciuitas dicta est: erat enim futurum, vt omnium nationum in Christo credentibus populis, totus orbis Deo vna ciuitas redderetur.* Hæc Zeno. Petrus verò Blesensis de IONA nostro loquens. *Ad Niniuen,* inquit, *mittitur, id est Ecclesiam, de qua, tota pulchra es amica mea.*

Blesensis ser. 48. ad Prælatos.

Ratio secunda.

27 Alteram causam legationis ad Niniuitas potiùs quàm ad alios, ita mandante Deo, à IONA obitæ, præfati auctores assignant: vt, volente mox Deo, Israëlem Assyriorum subiicere seruituti (cùm id fieri Assyriis in idololatria & sceleribus suis permanentibus, adeoque Israële ipso nequioribus videretur non commodum satis atque conueniens) ipsi mores mutarent, & si non alio fine, metu saltem temporalium, vitæq; perdendæ, pœnitentiam agerent; atque ita pateret ad oculum, dignum magis exterminio Israëlem, nec æternorum, nec bonorum temporalium amittendorum metu ad pœnitentiam, atque ad præstandum Deo debitum cultum, reuertentem.

Magnum beneficium dari à Deo alicui Reipub. virum aliquem bonum.

Lucæ c. 1. v. 58.

28 Certè magnum est beneficium, singularis Dei gratia & fauor, regno alicui, prouinciæ, ciuitati suo tempore prospici de viris sanctis & bonis, qui quasi propugnacula sint Reipublicæ. Cùm nasceretur Elizabetæ filius magnus ille Baptista Ioannes, *Audierunt vicini & cognati eius, quia magnificauit Dominus misericordiam suam cum illa, & congratulabàtur ei:* nempe toti familiæ, imò & orbi vniuerso: ab hoc enim tãquam Christi prodromo obuenturam sperare poterant & amplissimã benedictionem, & maximam felicitatem; sicuti olim tota fuit Ægypti felicitas Iosephi in eandẽ ingressus, cum quo ei obuenit in sũma annonę caritate frumenti abundantia; orbis felicitas Noë diluuij tẽpore, per hũc enim ille seruatus est, aliàs periturus; Niniuitarũ felicitas IONAS, qui hos iã morti post dies pauculos destinatos à Deo, voce contentioneq; sua ab interitu vindicauit.

29 Verùm hæc illorũ felicitas, IONÆ non paruo stetit: nam, præter cætera, quæ ei euenêre, res erat ardua, priuatum hominem, hospitem & peregrinũ, oriundum etiam ex inimica gente, mitti ad vrbem regiam, talem ac tantã qualis erat Niniue, eò grauissimum, & supra modum pauendum omnibus nuntium perlaturum; neque id hominibus tãtùm priuatis, aut paucioribus quibusdam in dignitate istic constitutis; vt Regi, Principibus, Senatui, tamquã prudentioribus ac sapientioribus; sed omni planè, quàm latè ciuitas patet multitudini; cuius varia in se iudicia, varios experturus esset animos, fortè & vniuersos in se concitaturus.

Difficultates legationis Ionæ explicantur.

30 Interim, quidquid demum ibi futurum sit, abire iubetur, & imperatã legationẽ exequi sedulò. Porrò vt in rem præsentem veniat comparatus, neque eum lateãt adeunda discrimina, priùs edocetur de statu ciuitatis. Huc enim spectat illud: VADE IN NINIVEN CIVITATEM MAGNAM. Magnã prorsus non murorum tantùm ambitu populique frequentiâ: sed & scelerum multitudine & enormitate.

Status Niniue exponitur.

Solent in maioribus ferè ciuitatibus, & in pręcipuis Regũ ac Principum aulis, quãdo ab iis Dei timor exulat, maiora quoque vitia obtinere imperium. Quod notauit etiã suo modo Aristęas scribẽs ad Philocratem fratrem suum cùm ait: *Ciuitates quacũque magnitudine excellunt, & felicitatem assequuntur, otio torpescere solent, & agros negligere, propter frequẽtes voluptates, quibus illecta iuuentus atque luxui dedita effeminatur.* Hoc cùm vel maximè factum sit in Niniue, quid mirum, si ibi obtineant vitia imperium, quando non solùm Dei timor, sed abest quoq; illius cognitio, veritas, fides, absunt vno verbo, quę ad virtutem ducere possint, omnia. *Vitiosâ,* inquit Philippus Abbas, *granditate ciuitas Niniue tumescebat, clamor eius malitia corã Deo intolerabiliter sordescebat; cùm idem Deus Ionam commoneret, vt illam malè grandem prædicatione congruâ deterreret.* Idcirco ergo de illius magnitudine IONÆ à Deo iniecta mentio est, ne illuc iret loci prorsus ignarus

Aristæas in hist. de 72. Interpretibus T. 1. Bibliothecæ SS. PP.

Philip. Abbas de silentio Clericorũ c. 79.

rus: sed nosset, saltem aliquousque, loci ad quem mittebatur conditionem & statum; atque quid in tanta ageretur ciuitate non omninò ignoraret.

vbi suprà c. 81. Tantumdem ergo est ac si audiat, secundùm Abbatem Philippum: *Cùm Niniue magnitudine scelerum intumescat, & velut pasta vento inanitate morbidâ nesciens contabescat; volo vt prædicationis tonitruo sua ei ægritudo pleniùs innotescat; & non tui sed mei puncta & compuncta verbi aculeo, detumescat. Quod autem volo, quis es tu vt valeas infirmare? eoq; infirmato tuum propositum confirmare? cùm factori suo lutum molle & inualidum non resistat; &, si fortè nititur, à suo tamen opere fictor potens & beneuolus non desistat.*

Cur hic dicatur à Deo Ionæ quòd Niniue magna sit.

31 *Vade* igitur *in Niniuen Ciuitatem magnam.* Hæc magna cùm sit ambitu, magna sceleribus, magnâ quoque indiget prouidentiâ. Et illa quoque causa videri possit, cur ad eam secundò missus, etiam secundò de eius magnitudine moneatur, simul loci, simul personæ ad eum missæ, habitâ ratione.

Profectò IONAM nequaquam ignorare volebat Deus, quâ esset animi opus magnitudine alicui tam magnã ingressuro ciuitatem; ne (quemadmodum fieri in rebus humanis solet, quando ferè attollimur prosperis, aduersis deprimimur) offerente se nouâ, inexspectatâ, multisque & magnis difficultatibus implexâ curâ, animo concidat, eum suscepti muneris pigeat, & vix hoste conspecto, ante certamen de fuga constituat.

Etiã viros generosos difficultates frangunt.

32 Non est nouum animos etiam leoninos in leporinos quodãmodò degenerare, & concidere penitus, vbi plus repererint molestiarum, quàm anteà, negotium aggressuri, præuiderant: vti etiam subducere se publico timidos, qui rerum gerendarum magnitudine nõ benè perspectâ, nimium fuerant præsidentes sibi, audaces, gloriosi: quotidiana quippe hæc sunt. Id ipsum ne nostro IONÆ accidat, tẽpestiuè illi suscipiendæ prouinciæ difficilis & molestæ labores proponuntur: quoniam *Tela præuisa minùs feriunt.*

Ampliùs explicatur legationis Ionæ difficultates.

33 Dum igitur à Deo mandatum accipit, VADE IN NINIVEN CIVITATEM MAGNAM, meâ quidem sententiâ, tantundem est, ac si ab eo audiat: Mitto te ignotum hominem, & alienigenam, vt infausta nunties, & declares certissimum exitium multitudini maximæ; aliquot, dico, centenis hominum millibus, in quibus sunt millia centum viginti & ampliùs, eorum dumtaxat *qui nesciunt quid sit inter dexteram & sinistram suam.* Ionæ c. 4. v. 11. Mitto te, vt certamen habeas cum ciuitate tam nobili, tam potente, tam vasta, tam diuite, tam instructa opibus & copiis, tam referta hominibus, vt regio potiùs videatur quàm ciuitas. Hæc forsitan incutere tibi timorẽ possent, teque facere de successu sollicitiorem: verùm ne terreare, illius aut magnitudine, aut luxu, aut potentiâ, aut hominum, qui in ea sunt, multitudine maximâ; dabo tibi vires & animos, vt ciuitatem totam, quantumuis magnam, fortem, potentem, nullo negotio expugnes, mihique subditam & tributariam constituas. Illud verò animare imprimis ad obeundum ritè munus tuum te debet, quòd sicuti ciuitas magna est, itâ quoque multa in ea sit messis, in qua quia succreuerunt vitia non pauca, & nata sunt zizania plurima, accingere gladio oris tui vtrimque acuto, sume falcem penetrabiliorem omni gladio ancipiti, & hanc messem vberrimam, cuius ego verus ac bonus agricola studiosissimus sum, mete, & in horreum meum congrega. Coge in ouile meum tot deuias & errantes oues, quarum ego pastor bonus salutem depereo. Facies autem hoc voce tuâ; hanc adhibe, & PRÆDICA IN EA: contra eam eiusque scelera detona, insulsos mores illius, atque inolitas consuetudines prauas argue, & redargue. *Volo te,* ait rursum Philippus Abbas, *eius subuersionem admonitione congruâ præuenire, vt cùm fortè pœnas dederit, quas meretur, prædicto merito inferentis iustitiam non causetur.*

Philip. Abbas lib. de silentio Clericorũ c. 79.

Ionas Niniuitis prædicat non quod vult, sed quod iubetur.

34 Sed quid prædicabit Niniuitis IONAS? an quiduis suo arbitratu? Nequaquã. Quid ergo? PRÆDICATIONEM, inquit Dominus, QVAM EGO LOQVOR, vel vt verterũt LXX. *locutus sum ad te:* primo videlicet libelli huius capite. Hoc ipsum quod aliàs à me iussus es prædicare, nec fecisti, modò iterùm iubeo; atque ita iubeo, vt te id omninò facere & exequi velim: dicere nimirum, quòd iam aucto numero peccatorum populi tam scelerati & perditi, *Ascendit malitia eius coram me. Quæ*, vt loquitur iam sæpiùs citatus Abbas, *in deterius processu temporis inualescit, & in conspectu meo clamore intolerabili iam sordescit.*

Ionæ c. 1. v. 2.

Difficultates legationis Ionæ Deus suâ gratiâ mitigauit, fortè & verbis.

35 En mandatum, en imperium Domini: ex hoc, quid prædicare vlteriùs debuerit, is qui mandatum accepit Propheta, enarrans: *Adhuc*, inquit, *quadraginta dies, & Niniue subuertetur.* Nullum est dubium quin vocem hanc futuram fuisse suis auditoribus duram satis cognouerit, quam proinde timuerit, auribus ad similia insuetis importunus declamator ingerere, nisi iam antè Dei virtute & gratiâ roboratus. Quid si igitur Dominum miscentem tristibus læta, duris mollia, amica asperis, dicentem sibi seque sic animantem audierit. Memineris IONA meo instructum imperio Moysem superasse Ægyptios; Iosuam tot regum, tot aduersantium populorum impetus meâ virtute protriuisse, Sacerdotes mearum clangore tubarum Ierichuntinæ vrbis muros subruisse funditus: paucos Gedeonis milites ardente lampade & tubæ sono Madianitas & Amalecitas vicisse; atque existima quòd etiam sic tibi eueniet. Quare ex nũc *dedi verba mea in ore tuo.* hęc erunt tamquam ignis, omnia vsque ad consumptionem deuorans; hæc erunt tamquam malleus conterens petras: his Niniuitarum saxea corda confringes, his homines illos prorsus peruicaces ac perditos in obsequium meum compelles, his ea efficies, quæ tota omnium subsequentium ætatum stupebit posteritas.

Ionæ c. 3. v. 4.

Ierem. c. 1. v. 9.

36 Interim nihil occurrentium difficultatum apud te dissimulo, propono & denuntio omnia; vt armatus venias in certamen, & generoso inuictoque animo, quæ dicta, quæ facta volui exequaris: neque ex minùs prouida periculorum aut animaduersione, aut consideratione, iis mox obuenientibus, derepentè perterritus, facias aliquid, quod nec cum munere tuo, nec cum honore meo consentiat. Tibi vrbis tanta frequentia, & quòd aduersùs eam solus milites, timorem non debet incutere; non enim solus es, qui mecum es, neque vllus vmquam minùs est solus, aut plurium fulcitur auxilio, quàm qui mihi soli adhæresit. Quare noli modò te solum esse contra tot Niniuitarum millia arbitrari, quinimò in animum tuum inducito, esse tecum plures quàm cum illis. Scias verò licet tantę hominum turbæ adeò seuera denunties, aliud non prædicaturum te, quàm PRÆDICATIONEM QVAM EGO LOQVOR AD TE. *Cùm igitur non tua sed mea verba proferre iubearis, non est quare eiusmodi prædicationem aggredi verearis: quia etsi vel Iudæis parcens, vel inuidens Gentibus, eligas iterùm conticere; meam tamen dispositionem, cassam certum est non manere.* Sic Philippus Abbas.

Philip. Abbas de silen. Cleri. c. 81.

In missionibus obeũdis opus est animi fortitudine & constantiâ.

37 Hac institutione, quâ in virum fortem IONAS euasit, & nos euadamus in athletas & pugiles CHRISTI: & ex hac discamus imprimis inuictam ad perrumpenda quæuis aduersa fortitudinem atque constantiam. Iuuabit & conferet plurimùm, meminisse quod olim dictum Apostolis, id etiam viris Apostolicis temporum nostrorum, segregatis in Euangelium Dei, atque ad illud, si non Ethnicis, certè rudibus & ignaris Christianis proponendum, vocatis (sicut sunt inter vos multi) dici ab eodem sapiẽtissimo magistro: *Ecce ego mitto vos sicut oues in medio luporum*: inter quos, sine insigni patientia, sine excelsa quadam animi magnitudine, esse tuta ac secura commoratio ac consuetudo non potest.

Matt. c. 10. v. 16.

38 Hic

Qua valet maximè in aduersis.

38 Hic proinde noster sit labor, sit conatus præcipuus, vt inter aduersitatum turbines non circumagamur cum illis; sed firmi simus & stabiles, simus inter medias velut hostium phalanges illæsi, inuicti; vt de nobis dici possit quod dixit de prodromo suo S. Ioanne Christus Dominus: *Quid existis in desertum videre? arundinem vento agitatam?* quippe qui nullis periculis, nullis incōmodis moueamur. Monebat ille Poëta ethnicus amicum suum Delium, ne se in subitis bonis nimio gaudio, in malis mœrore nimio abripi sineret, hisce versibus:

Mat. c.11. v.7.

Horat. lib. 2. Carm. Ode 3.

Aequam memento, rebus in arduis
Seruare mentem: non secus in bonis
Ab insolenti temperatam
Lætitiâ, moriture Deli.

Quid si & ego iisdem vos moneam, cùm nihil sit pronius, quàm aduersis commoueri & deiici homines, etiam illos, qui non ignorant virtutem esse sitam in arduo, nihilque circa hanc obtineri, nisi labore magno atque constantiâ, secundū quod ait Seneca.

Seneca in Hercule Furente Actu 1. Scena 3.

Non est ad astra, mollis è terris via.

Seruiat vobis pro simili fortitudinis atque constantiæ speculo IONAS rediuiuus; sic cum voco, iam è ceto & mari ad terram reducem

Virg. lib. 1. Æneid.

Per varios casus, per tot discrimina rerum.

Seruiat is vobis in prototypon, seruiat in exemplum; vt si quando infelicius aliquid, & minùs ad sensum proprium voluntatemque affluens euenerit, in eum intuentes, id confestim vincere valeatis, vnâ Dei voluntate velut operum vestrorum normâ adhibitâ, quam secuti errare nequaquam possitis.

Non fuit ex defectu sapientiæ, aut prudentiæ, quòd Ionas non potuerit prædicare quod voluit.

39 Vadit ergo vt diximus in Niniuen IONAS, sed non nisi Deo mandante vadit; ibidem prædicat, sed non nisi quod Deus iusserat. An ergo carebat prudentia, aut ita erat in munere suo peregrinus & hospes, vt quid esset dicturus nesciret, nisi de eo verbotenus moneretur? Non hoc dico. Scio quàm ei non defuerit prudentia, non sapientia, non exercitatio, vtpote multis annis in hac dicendi & prophetandi palæstra versato: nam & aliis, vt Israëlitis nominatim, iam antè prædicauerat, atque ita benè sapienterque, vt prædicatam & prædictam ab eo veritatem Deus maximis & clarissimis sub Ieroboamo Rege victoriis confirmarit. Accesserat modò diuinæ bonitatis in eum fauor aliquis singularis, tam illustri testatus prodigio, quo non tantùm rediisse cum Deo videbatur in gratiam; sed maius quàm vmquam anteà beneficium accepisse, plus ei datum fidei, & concreditum ampliùs. Verùm non idcircò ei permittitur libera quiduis, licet ad maximè sceleratos & impios, dicendi potestas; hæc certis arctatur limitibus. Audit quidem, *Prædica*, sed non quidlibet, verùm, *Prædicationem quam ego loquor ad te*, neque aliud. Quid ita? Ne muneris sui metas excedat, legatum se esse iubetur meminisse, & secundùm sui muneris rationem legantis cognoscere voluntatem, eam exequi, non prætergredi, nihil vltra sibi concessam dicere, nihil facere, potestatem. Et hoc verè boni & fidelis legati est, nihil demandatæ sibi prouinciæ addere, nihil de ea diminuere; ne, si secus faxit, domini sui imperium non secutus, irritam faciat legationem suam.

Legatus legantis imperio arctatur.

Oratoris Christiani studiū esse non debet, placere populo.

40 Hic aures arrigant Oratores Christiani, qui interdum spectantes circumfusæ multitudinis plausum potiùs, quàm eorum institutionem, morumque mutationē in melius, tantùm solliciti sunt, vel certè pro parte potiori hoc agunt, vt placeant; laborant dumtaxat ne quem offendant, cetera negligūt, velut immemores, aut certè ignari vocationis suę ac muneris. Dixit suo tempore D. Hieronymus: *Iā omissā Apostolorum simplicitate, & puritate verborum, quasi ad Athenæū & ad auditoria conuenitur, vt plausus circumstantium suscitentur, vt oratio rhetoricæ artis fucata mendacio, quasi quædam meretricula prodeat in publicum, non tam eruditura populos, quàm fauorem populi quæsitura: &*

Hieron. lib. 3. Cō. ad Gal. in Proœmio.

in modum psalterij, & tibia dulce canētis, sensus demulceat audientium. Nescio an non tantundem & ampliùs, modò dicere possimus. Videant illi in quos hæc quadrant & putent dictum sibi, æquè ac IONÆ: *Prædica prædicationem quam ego loquor ad te*; considerent quoque quàm parum debitè id pręstiterint hactenus: tunc facilè receptui canent, & ad saniora cōuertentur; tunc non ampliùs pro doctrina Euangelica venditabūt populo næ nias, pro dogmatibus sacris, Apostolicis Constitutionibus, Oecumenicorum Cōciliorum decretis, fabellas aniles; quibus suspensum detineāt auditorem, pro plausu risum moueant, pro lacrymis cachinnos & sibilum excitent; tunc non toties, etiā ad curiosiorū nauseam, resonabunt in pulpitis Plutarchus, Plinius, Liuius, Seneca, Epictetus, & similes auctores profani: sed pro iis audientur Prophetæ, Euangelistæ, Patres, & quidquid est Ecclesiasticorum scriptorum; adferentur quæ sunt ad virtutis commendationem, ad detestationē vitiorum, piè, doctè, eleganter conscripta; & ostendent illi nostri Oratores, iam non politico, sed vero Dei spiritu acti, malle se esse, vt iocosè dicam quod res est, *Veronenses* potiùs, quàm *Placentinos*. Quamquam, vti nemo diffiteri potest, viris cordatis timētibus Deum, suamque salutem amantibus, ipsa per se veritas nullo fuco adumbrata, nullis vestita verborum coloribus placere soleat. Itaque qui vera dicent, & solida; dicent quoque, peritioribus saltem, & omnibus salutis ac sanitatis suæ cupidis, placita grataque, ne dubitent.

Oratorum quorūdam Christianorum recensentur errores aliqui, seu vitia.

Veritas in iis placet sine fuco prolata.

41 Dum hîc instituo Christianum Oratorem, occurrit Auditorem non minùs instituēdum videri: etenim hic fastidiosus cùm fuerit, idque constiterit, à scopo suo Oratorem frequenter abducit, atque vt nauseabundum contineat, facit eum interdum alia comminisci ac dicere, quàm vel velit, vel debeat. Quàm sunt Auditorum prô dolor! multi, qui ad templum, audituri concionem, velut ad eloquentiæ non diuinæ sed humanę theatrū accedunt: non igitur mirū, si sic accedentes quærāt *sibi magistros prurientes auribus*, cùm hoc vnum spectent, vt suæ lubentiæ audiendi noua, curiosa, erudita, non verò sancta & pia, faciant satis: id verò vbi fecerint, omnem curam operis & exercitationis rei auditæ & commendatæ seponant; cōtra sanctum illud & salubre D. Iacobi monitum: *Estote factores verbi, & non auditores tantùm.* Et hæc est causa, cur semper sibi similes non alium referant fructum, quàm quòd domum suam reuertantur auribus saturi, corde inanes.

Auditorū vitia indicantur.

2. ad Tim. c. 4. v. 3.

Iacobi c. 1. v. 22.

42 Aliis etiam dicta pro concione & sapientissimè, & doctissimè, & spiritu magno, non sapiunt, non placent, quia infectum sceleribus palatum habent. *Quomodo*, inquit B. Ambrosius, *possunt verba Dei dulcia esse in faucibus, in quibus est amaritudo nequitiæ*: adeoque, secundùm illum, non tantùm non placent, sed nec placere possunt. Certè non sapere concionatorum dicta magnis peccatoribus, vti nec quæuis diuina, quotidiana experientia pridem fecit manifestum.

Ambros. in Psal. 118.

43 Dixit de sui temporis hominibus S. Gregorius Magnus: *Sunt plerique ad verba Dei valdè insensibiles, qui fidei quidem nomine cēsentur, verba vitæ auribus audiunt, sed ea transire vsque ad interna cordis minimè permittunt.* Nunc verò nimiū verè dicere posse videmur, esse impletum illud quod scripsit Paulus ad discipulum suum Timotheum: *A veritate quidem auditum auertent, ad fabulas autem conuertentur.* Nam *anima* multorum *iam nauseat super cibo isto leuissimo.* Nisi aliquid dicatur exquisitè doctum, pulchrè elaboratum, pronūtiatum insigni gratiâ & facundiâ, vix est quispiā qui arrigere aurem dignetur: vt Oratorem aliquem non omninò ex politioribus, tametsi nihil ei desit in spiritu, oporteat aliquando ferè lapidibus tātùm annuntiare Verbum Dei: quod signum est non accipi illud, sicuti reuerà est, vt Dei, sed magis vt hominum verbum, humanâ ratione sensuque prolatum.

Auditor libenter intelligat veritatem & sequatur.

Gregor. lib. 29. Moral. c. 14.

2. ad Tim. c. 4. v. 4.

Num. c. 21. v. 5.

Ne nimiū sit curiosus.

44 Benè Thomas Kempensis in aureo

Thomas à Kempis de Imitatione Christi lib. 1. c. 5. §. 1.

reo illo suo de Imitatione Christi libello: *Non quæras quis hoc dixerit, sed quid dicatur attende*: nimirum non verba & voces, sed rem ipsam. Porrò cùm Auditorum delicioso curiosoque appetitui nimium à nonnullis Oratoribus studetur, fit vt facilè euanescãt in cogitationibus suis, & Orator & Auditor; ille factus, quemadmodũ Apostolus loquitur, *velut æs sonans, aut cymbalum tinniens*: hic solum tinnitum illum excipiẽs; in quo sibi gratulatur & plaudit, neque ex Euangelica doctrina emolumenti plus accipit.

1. Cor. c. 13. v. 1.

Accedẽtes ad Concionem intentione non bona damnantur.

45 Nihil iam dico de iis qui Verbi Dei pabulo abutuntur; nihil de iis qui ad templum accedunt, concionem audiunt, vt tempus fallant: nihil de iis qui ne in consuetudinem peccent: sed neque de aliis haud parum ineptioribus, qui vt cariores oculos, quos alibi minùs commodè possunt, istic videãt, aut certè vt ibi aliorum in se oculi cõuertantur. Horum non modò parum religiosum; sed & parum decorum agendi morem hîc notasse, pro loci temporisque ratione sufficiat.

Secunda Ionæ in Niniuen legatio Christo applicatur variè à Patribus.
Hieron. in c. 3. Ionæ.

46 De mystico IONA CHRISTO, vt nunc aliquid dicamus, ad eũ quoque, quemadmodum loquuntur D. Hieronymus, Remigius Antisiodorẽsis, & Haymo, FACTVM EST VERBVM DOMINI SECVNDO. Quia *Post resurrectionem secundò in Niniuen mittitur, vt qui priùs quodammodò fugerat, dicens: Pater si possibile est, transeat à me calix iste, & noluerat dare panem filiorum canibus; nunc prædicet post resurrectionem, quod vt prædicaret ante passionem ei fuerat imperatum.*

Verùm quis mittere in Niniuen Dei filium potest, nullius imperio subditum, nullius potestati subiectum? Respõdet Hieronymus: *Quòd iubetur, quòd obedit, quòd non vult, quòd iterum velle cogitur, quòd Patris secũdò exequitur voluntatem; refer ad hominem, & ad formam serui, cui talia verba conueniunt.*

47 Rupertus sic primò, sic secundò factum ad Christum Domini verbum ait. *Primò dum baptizaretur à Ioanne, quando visus est super eum Spiritus sanctus in specie columbæ, & impletum est illud Isaiæ: Spiritus Domini super me, eò quòd vnxerit me Dominus, ad euangelizandum pauperibus misit me. Secundò ad eum in sepulchro quiescentem factum* inquit *vel dictum est verbum à Patre: Exurge gloria mea, exurge psalterium & cithara: subauditur ad confitendum mihi in populis, ad psallendum mihi in nationibus. Nam protinus persona Filij secundùm corpus in sepulchro iacentis respondẽs: Exsurgam, inquit, diluculo: subiungitq; confitebor tibi in populis, & psallam tibi in nationibus, quod nimirum est prædicare in Niniue ciuitate magna.* Hæc Rupertus.

Rupertus in c. 3. Ionæ.

Isa. c. 61. v. 1.

48 Aliter adhuc hanc iteratam IONÆ legationem Christo Dei filio applicat Augustinus. *Sicut*, inquit, *primò iussum est vt prædicaretur Niniuitis à Iona, sed non ad eos peruenit prophetia Ionæ, nisi post eaquam cetus euomuit: ita prophetia præmissa est ad gentes, sed nisi post resurrectionem Christi non peruenit ad gentes.* Et alibi. *Sicut Ionas è ceto quasi resurgens prædicauit Niniuitis: ita Christus post resurrectionem suam per Apostolos gentibus prædicauit.* Nostrum est in hunc IONAM prædicantem oculos mentis conuertere, illum audire, illius dictis obsequi; quod rogo facere quàm studiosissimè conemini: erit namque sua eiusmodi Auditoribus merces, erit huic Oratori obsequentibus præmium magnum, imò maximum, & æternum; quòd omnibus liberaliter proponit, & promittit, multoque liberaliùs elargitur quàm vnquam promiserit.

August. epist. 49. quæst. 6. ad Deo gratias.

LECTIO SECVNDA.

ET SVRREXIT IONAS, ET ABIIT IN NINIVEN IVXTA VERBVM DOMINI: ET NINIVE ERAT CIVITAS MAGNA ITINERE TRIVM DIERVM. *Verſ.3.*

ARGVMENTVM.

Tribulationum IONÆ *fructus, obedientia, indicatur. Peccatori ſtatim poſt lapſum redeundum ad Deum; & Concionatoribus ad eos reducendos collaborandum, oſtenditur. Exponitur magnitudo Niniue, & cur illius Deus ſpeciatim hoc loco meminerit, cauſæ adferuntur.*

1 *Poſt miſerias ſuas, pœnam inobedientiæ, ſapiens fit Ionas.*

DISCVSSIMVS Dei iubentis imperium; quid, & quâ id ratione iuſſerit inaudiuimus: nunc quis fuerit apud profugum nuper IONAM, huic imperio à reditu ſuo locus, videamus. Auidos vos eſſe opinor, vt noueritis, an ex immiſſa ſibi calamitate, & quantum profecerit: an & quantò ſub diuinæ iuſtitiæ ferula factus ſit doctior: an non ſua inſtituerit à poſteriore monitione, quàm ea à priore inſtituerat, prudentiùs longè, & ſapientiùs? Reſpondeo verbo vno, prorſus inſtituit: egit enim non tantùm ſapienter & prudenter, verùm ſapientiſſimè, prudētiſſimè, adeoque, vt mox videbitis, profecit per omnia plurimùm. Hinc *ad ſecundum Domini verbum*, vt rectè Philippus Abbas, *iterùm non contendit, caſtigatus verbere iam non fugæ præſidium apprehendit: ſed elegit bonâ potiùs duce obedientiâ prædicare, quàm læſâ obedientiâ nocenti ſilentio gaudium explorare.* En quomodo diſciplina dura, qualem IONAS à ceto & pelago acceperat, & flagelli vis, & aſſiduitas, rebellem anteà eius animum, ad magnos titulos & grandia beneficia diſpoſuerint.

Etiam fit obediens. Philippus Abbas c. 81. de ſilen. Clericorum.

2 Itaque SVRREXIT ET ABIIT IN NINIVEN, IVXTA VERBVM, ſiue, quod idem valet, iuſſum, mandatum, imperium, DOMINI: illi obediens ſine mora. Qui abierat iuxta voluntatem propriam nuper in Tharſis; *nunc eam relinquens*, vt ait Albertus Magnus; *iuxta voluntatem Domini*, ita loquuntur Hugo Cardinalis & Haymo; *abit in Niniuen.* Neque dubium eſt quin ſine metu abierit: timere enim, vti notauit hoc loco Chatardus, non poterat homines, cui non nocuerant horrendi piſces, fluctus, & abyſſus maris; Niniuen tutus luſtrare poterat, qui ad maris intima ſecurus penetrarat; nihil verò in terra formidare debebat, quem velut gremio ſuo mare benignè exceperat. Quod hic dicitur *iuxta verbum Domini*, exponit Godefridus Tilmannus: *eo modo quo præcepit Dominus.* Et id ipſum explanat ampliùs re aliquâ, ſiue ſimilitudine morali. *Si*, inquit, *des eleëmoſynam, non vt reficias viſcera indigentis, ſed vt careas tædio interpellantis, facis quidem quod Dominus præcipit; ſed non ſicut Dominus præcipit. Et ideò rem & meritum perdis.*

3 In IONA faciente nunc omnia quæ Dominus præcipit, & non ſecus quàm præcipit, ô qualis & quanta apparet mutatio dexteræ Excelſi! Is qui paullò antè in conſilium adhibuerat carnem & carnis deſideria, cuius rationibus territus, neſcio quâ ſpecie amittendæ gloriæ fugam adornarat, & fugiens in naui velut ſecurus de impendentibus malis altum dormierat: nūc Dei cognito iterato imperio, nihil vlteriùs mouet, nullum domeſticum,

cum, nullum extraneum ampliùs in consilium adhibet, de fuga non cogitat, non se iterùm ad quietem & ignauum componit otium: at surgit illicò, iter ingreditur, omnia sua ad diuini verbi præscriptum instituit. Quippe didicerat iam in mari, inter exundantes fluctus, conclusus deinde immanis belluæ ventre, atque ibi miris miserisque pressus angustiis, satius esse rideri millies, atque haberi ab omnibus ludibrio, & vitam ponere etiam innoxiam morte ignominiosissimâ, quàm iterum illis subiacere terroribus, iterum diuinam manum, diuinam experiri potentiam: quoniam nimis *horrendum est incidere in manus Dei viuentis.* (ad Heb. c. 10. v. 31.)

(*Flagella erudiunt.*) 4 IONAS ergo, neque maturam celeritatem, neque fidem, sed ulitatemque sibi deesse passus, surgit & properat, totus alacer, totus expeditus & promptus; & profectionem in Niniuen, nō benè nuper declinatam, ferè priùs aggreditur, quàm meditatur suscipere. Ecce quomodo hîc impletum sit illud Isaiæ: *Tantummodo sola vexatio intellectum dabit auditui.* (Isa. c. 28. v. 19.) IONAS ante vexationem, Domini verbum tametsi audiret, non tamen intelligere videbatur: at vbi accessit vexatio, audiuit, intellexit, secutus est.

5 Dixit aliquando Dauid, optimâ sui cognitione iam præditus, sese conuertēs ad Dominum, *Bonum mihi quia humiliasti me: vt discam iustificationes tuas.* (Psal. 118. v. 71.) Dixit Ieremias: *Castigasti me, & eruditus sum.* (Ierem. c. 31. v. 18.) Vtrumque hoc dicere verè poterat IONAS, cui & humiliari & castigari à Deo, plurimum profuit. Felices profectò & beati ter & ampliùs ij, quos vti IONAM, Ieremiam, Dauidem, propria humiliatio, quos immissa flagella erudiunt ad salutem. Ita erudiuntur quotidie multi, magistro, non iam Doctore Gentiū Paulo, aut Salomone aliquo, sed Deo ipso, verâ æternâque sapientiâ.

(*Fiūt multi post lapsum feruētiores quàm erāt antea.*) 6 Quo fit, vt reperiantur plures, etiam inter eos, quos fastis Sanctorum adscriptos sacrosancta Ecclesia præcipuo cultu veneratur, à lapsu suo moniti, castigati, probeque eruditi; qui ad instaurandum cum hoste, siue domestico, id est secum ipsis, siue illo communi totius humani generis diabolo certamen, rediêre longè vegetiores & alacriores; sic vt deinceps steterint in acie semper expediti, omni momento parati ad prælium, depugnantes, cùm ita res ferret, vel hostis vrgeret, ad mortem vsque; neque tum nisi ab archistratego iussi, è loco certaminis demigrantes, nobilibus spoliis post multas & illustres victorias diuites, triumphum acturi, debellatis feliciter hostibus, in cælo perpetuum.

7 Certè Ioannes Climachus, cùm fusè enarrasset, quæ viderat in celebri illo pœnitentium monasterio; tam multas, inquam, tam varias, tam graues pœnas, quas, sua præterita peccata lugentes, singuli de sese exigebant qui in illas se latebras sponte abdiderant, afflictiones mirabiles & stupendas, quibus priorem carnis licentiam reprimebant, vigilias, inediam, flagella, aliaque incommoda plurima, quibus atterebant inualidum corpus, neque iam ampliùs par tantis laboribus, cruciatibus tantis, prorsus excarnificabant, tandem subiungit: *Vidi, & admiratus sum, felicioresque existimaui, qui post lapsum ita lugent, quàm qui numquam lapsi sunt, & seipsos non sic deflent.* (Climach. de obed. Gradu 5.) En quomodo illi victi pugnam instaurarint, & tam diu decertarint magnis animis, donec reipsâ ostenderent, se victos olim, factos nunc esse victoribus fortiores, habitâ tam illustri de seipsis victoriâ.

8 Est hoc maximo sanè solatio ijs, qui de via seu virtutis, seu veritatis deflexerunt aliquando; est & subsidio, ne animis concidant: fit enim huius rei recordatione, vt nouis velut admotis calcaribus faciliùs in viam redeant pristinam, certi posse se accepta damna præuiâ pœnitentiâ nouis virtutum heroicarum actibus reparare, atque ita ad vitam opitulante Numine resurgere meliorem, & æternâ beatitate, in cælesti patria obtinenda, dignos effici. (*Non desperandum peccatori in viam redire volenti.*)

9 Ve-

Opus tamē ad hoc inprimis gratiâ diuinâ. 9 Verùm, vt dixi, hîc ante omnia Numinis opus auxiliis est; quibus deficientibus, neque nos excitabunt immissa flagella, neque suscepti vltrò labores, pœnæ, supplicia. Ideò dictum est de impiis: *Percussisti eos, & non doluerunt.* Prorsus sic accidit Pharaoni Regi Ægypti, qui tot plagis percussus, tot cæsus flagellis, iis ipsis quibus molliri suppliciis vehementer debuerat, magis magisque obduruit, semper incredibili peruicaciâ, si non verbo, re saltem ipsâ & opere repetens quod anteà dixerat: *Nescio Dominum, & Israel non dimittam.* Obduruisset similiter suo in scelere IONAS, nisi sancti Spiritus gratia, cum ad promptè & alacriter Deo imposterum obsequendum, mirâ quadam suauitate, tamquam vnguento optimo emolliisset; quâ fuit effectum, vt esset quamprimùm ipsius voluntas, iterùm vt ante rebellionem, cum diuina voluntate consentiens.

Ierem. c. 5. v. 3.

Exodi c. 5. v. 2.

Non sunt accumulanda peccata peccatis, quasi post lapsum sera sit pœnitentia. 10 Errant sanè vehementer ij, & in causa sunt, cur paulatim, sensim inquam sine sensu, *Cor* sibi *indurabitur tamquam lapis*, vt loquitur Iobus, *& stringetur quasi malleatoris incus*, qui post lapsum, siue ex humana fragilitate, siue etiam malitia, hoc tantùm agunt, vt peccata peccatis cumulent; idque inani eos instigāte metu, quem astutus hostis omnis doli artifex fraudulenter excitat, persuadere volens incautis, seram esse, adeoque frustraneam omnem pœnitentiam; quasi semel admissa deleri non possint, & semel peccasse, æternum sit. Quare crescentibus vitiis, & malorum patratorum cumulo nouis semper aucto sceleribus, cùm pariter augeatur hic metus; is tandem augetur in tantum, vt qui tales sunt, iam quasi pronuntiatam in se arbitrentur mortis æternæ sententiam: ex quo melius iudicantes, præsentibus saltem sæculi voluptatibus perfrui, quàm simul præsentibus, simul æternis, quæ non ampliùs sperant, sempiternum carere, voluuntur in quæuis abominanda præcipites, atque ita suâ se sponte tormentis addicunt perpetuis, & adhuc viui, quid de se vitâ functis futurum sit, statuunt, infelices planè iudices; adeoque numquam quieti, vrente eos factorū conscientiâ semper, hîc prælibant æternùm arsuros inferni rogos.

Iob c. 41. v. 15.

11 Argumentum lugubre nimis, monet vt aliò cōuertamus orationem. Ad IONAM igitur citatis passibus abeuntem, & nos properemus.

Noto inprimis, licet mittatur in Niniuen, ibidem prædicaturus; cum tamen neque de modo ad eos dicendi, neque de arte, aut eloquentia, quâ vti debeat, esse sollicitum; sed neque curiosum, quæ gens, quis sit populus ad quem mittitur, quæ illi agendi ratio, quæ lingua, qui mores, quæ cum exteris consuetudo, quo modo hi ab illis excipi, quonam haberi in pretio soleant, deque similibus, humana potiùs consilia, & politicam prudentiam quàm zelum hominis animas venantis, veramque sapientiam redolentibus parum anxium videri. Relinquit Iudicibus & Magistratibus sua, illorum se negotiis non implicat, tantùm rei sibi à Deo commissæ, valenti ad formandos in virtutem degeneres animos, totus intendit. *Ionas non est curiosus quomodo, aut ad quos dicat.* *Negotiis sæcularibus non se implicat.*

12 Sic agendum veris Dei famulis in sancta eius Ecclesia ad auxiliares operas venientibus; his solius pietatis & caritatis in dicendo habenda est ratio, minimè verò vanitatis atque iactantiæ. Laborandum est strenuè, sed in conuersione reductioneque animorum ad suum Creatorem, non in luto & paleis, id est sæculi nugis ac sordibus. Pro vnius Dei gloria cum libertate Christiana, temperatâ prudenti consilio est agendum; nihil tacendum, dissimulandum nihil, quod crescere hominum malitiam, eamque ad cælum facit ascendere. Sic enim detecta quamprimùm pullulasse videbitur, etiam euelletur, non magno labore: & hoc erit abire cum IONA in Niniuen. *Concionator zelo prudenti vtatur ad conuertendos peccatores.*

13 Vna fuit olim Niniue ciuitas Assyriorum; nunc multæ sunt ciuitates eiusmodi toto orbe, multa inquam loca & oppida, terræ multæ, quæ dici possint

possint terræ horroris, ob scelera, vastę solitudinis, ob virtutis omnis ab iis recessum: singula hęc loca ob infanda nefandaq; quibus abundãt scelera, meritò Niniuen dixeris, quibus etiam *iuxta verbum Domini* inclamare oporteat, & interminari tam præsentis quã futuræ vitæ supplicia, ni resipiscant, & viuere Deo aliquando incipiant.

In hoc negotio promptus sit & velox.

14 Neque hoc aut durum, aut videri debet molestum seruis fidelibus, qui ad annuntiandam populis voluntatem Domini sui in eius familiam adlecti, audierunt ex eo per os Isaiæ, atque adhuc audiunt quotidie: *Ite angeli veloces, ad gentem conuulsam, & dilaceratam; ad populum terribilem, post quem non est alius:* verùm conari debent, vt, sicuti ibi appellantur, se angelos veloces exhibeant: sint prætereà in arduis & difficilibus intrepidi, hilares in aduersis, non terreantur periculis, Apostolico more & spiritu, *Eant gaudentes*, si ita fieri nullâ suâ culpâ contigerit, *quoniam digni habiti sunt pro nomine* IESV *contumeliam pati.* (Isa. c. 18. v. 2.; Act. 5. v. 4.)

15 Etiam hic receptui canendum est. Nam dum IONAS Niniuen versùs iter instituit, priusquam cum illo istuc pertingamus, ne veniamus prorsus

—— *ignari hominumq́, locorumq́,* (Virgil.)

aliquid de capacitate illius & magnitudine, licet de ea ad Caput primum plura dixerimus, breuiter etiam hîc nobis erit dicendum; ne loci imaginatio nos fortè decipiat, aut fallat.

Niniues magnitudo attingitur.

Non fuisse vilem vrbeculam muris constructis ex cespite, aut gleba, opere tumultuario circumdatam, aliquot constantem tuguriolis, aut casis, satis indicat id, quod tum primo, tum hoc Capite tertio, IONÆ à Deo dicitur: *Vade in Niniuen ciuitatem grandem. Vade in Niniuen ciuitatem magnam.* Singularia quædam de eius magnitudine, splendore, potentia; de murorum ambitu, de turrium superbis substructionibus, recensui alias ex Diodoro Siculo, aliisque vetustis auctoribus, quibus modò nihil magnoperè occurrit addendum. (Ionæ c. 1. v. 2. c. 3. v. 2.; In cap. 1. Lect. 2. n. 16.)

Quid sit aliquid esse magnum Deo.

Disquiram dumtaxat, quod hic dicitur. ERAT CIVITAS MAGNA ITINERE TRIVM DIERVM. LXX. habent πόλις μεγάλη τῷ Θεῷ, *ciuitas magna Deo.* Ita etiam legitur in Hebræis. Chaldæus vertit, *Magna coram Domino.* id est verè magna; vel, vt exponit Mariana valdè magna. Certè non potuisset meliùs eius declarari magnitudo, quàm dicendo, *Magna Deo*, vel *coram Domino:* quod enim coram illo magnum est, id reuerà omninò tale sit oportet, cùm illius non fallatur oculus, omnia intuens, penetrans, recteque diiudicans. (Mariana in Notis ad c. 3. Ionæ.)

17 Modus ille loquendi satis est in Scripturis sacris frequens & vsitatus. In Genesi dicitur de Nemrod: *Erat robustus venator coram Domino.* Id est excellebat venandi industriâ. De Sodomitis: *Pessimi erant, & peccatores coram Domino.* Id est verè maximi peccatores, licet fortè aliis non ita hoc titulo noti. Apud D. Lucam ait Angelus Zachariæ, de filio Ioanne Baptista ei nascituro: *Erit magnus coram Domino.* Quod tantumdem est, ac si illi dicat, verè magnus erit: cùm enim Domino, nihil eorum, quæ nos magna dicimus, magnum sit, quod ille magnum dicit, non potest non esse magnum. (Gen. c. 10. v. 9.; Gen. c. 13. v. 13.; Luc. c. 1. v. 15.)

Cur eximia quæq; magna dicantur Deo.

18 Ratio cur eximia quæque *Magna Deo*, vel, vt loquitur Chaldæus Paraphrastes, *coram Domino*, dicantur, hæc est: vt ab eo prouenire, ad eundem referenda omnia meminerimus; cum sit ipse, *α & ω, Principium & Finis*, appellatus à veteribus Philosophis τὸ πᾶν id est *omnia*, siue *vniuersum*: eò quòd omnia, quæ aliquo modo esse participant, complectatur. Sicuti verò *Deus*, secundùm Boëtium, *Est quid bonorum omnium aggregatione perfectum:* ita quidquid in suo genere de ista Dei perfectione in tantum participat, vt sit ac dici possit suo modo perfectum, ferè diuinum nuncupamus. Sic olim nuncuparunt etiam Ethnici: nam Socrates in Memnone Platonis hanc ait fuisse Laconum consuetudinem, vt absolutos viros diuinos dicerent: neque id alia de causa, quàm (Apoc. c. 1. v. 8.; Boët. lib. 3. de Consola.)

quàm quòd etiam ipsi quidquid suis placitum erat diis, id opinarentur esse magnum atque perfectum.

19 Exponens quod hîc dicitur de Niniue: *Erat ciuitas magna Deo*, Rabbi Aben Ezra, ait hoc illi competere, eò quòd olim Deum timuerit, grataque fuerit oculis Domini; malè autem agere cœperit, ac ruere in deterius IONA viuente; quæ etiam causa fuerit missionis IONÆ in eam ciuitatem; nequaquam mittendi si ipsa semper veri Dei cognitione & cultu caruisset. Verùm hic Rabbinus fallitur vehementer: patebit enim abundè paullò pòst, quàm fuerint Niniuitæ magni cultores idolorum, & quam in veri Dei cultu semper peregrini. Verissima ergo interpretatio est, quam attulimus: *Niniue erat ciuitas magna Deo*, siue *coram Domino*, id est verè perfectéque magna.

Enarrātur varia, quæ Niniues magnitudinem ostendunt.

20 Ad magnitudinem eius ampliùs declarandam valet plurimum, quòd non solùm habuerit ea omnia, quæ sunt absolutæ atque vndequaque perfectæ ciuitati apprimè necessaria, neque in his illi defuerit quidpiam: verùm etiam, quòd in ea ad eminentiorem aliquam perfectionem Deus Optimus Maximus constituerit Monarchiæ sedem, & thronum, & quidem illius Monarchiæ quæ ceteras omnes duratione, de aliis præeminentiis taceo, multis sæculis superauit. Insuper quòd ibidem, vtpote in ciuitate magna, tamquam in maximo & amplissimo theatro magnum illustris pœnitentiæ exemplum, nec minus suæ in pœnitentes bonitatis & clementiæ specimen, exhibendum putarit.

Fuit ipsa Monarchiæ Assyriorū sedes.

21 Vlteriùs magnitudinem amplitudinéque Niniues & explicatiùs nobis propositurus IONAS, vt meliùs cognoscamus, quàm meritò dicta sit à Domino *Ciuitas magna*, protinus adiicit: ITINERE TRIVM DIERVM: quod, quo pacto intelligendum sit Interpretes disputant; quorum ferè tres sunt diuersæ sententiæ.

De magnitudine Niniues quoad iter tridui tres adferuntur sententiæ.

Prima Sentētia.

Inter ceteros nonnulli arbitrantur tantæ fuisse magnitudinis, vt transire volenti ab illius extremitate vna in aliam, rectâ per diametrum, opus fuerit itinere tridui; & sic totius ambitus ciuitatis, seu circulus, secundùm mathematicam proportionem, fuisset itineris nouem dierum. Ita censuit ex Hebræis Rabbi Dauid Kimchi, ex neotericis scriptoribus Gaspar Sanchius, Cornelius à Lapide, Iacobus Tirinus. Veterum, siue Latinorum, siue Græcorum, neminem scio, cuius fuerit illa mens atque sententia.

Non probatur.

22 Et verò fuisset prodigiosa vnius ciuitatis vastitas tanta, magisque regio nuncupanda, quàm ciuitas, mihi vt verum fatear, quia numquam auditum quid simile, non satis credibilis. Quòd autem ad faciendam interpretationis suæ fidem, dicturi videlicet securius credibiliusque quod dicunt, huius auctores sententiæ, velint ciuitatis nomine illius quoque comprehendi suburbia, saluo meliori iudicio, non rectè: hæc enim ciuitatis muris & ambitu non continentur, & ferè cùm vspiam aut ciuitatū, aut vrbium, siue maiorum, siue minorum fit mentio, ab iis suburbia secernuntur; & ita faciendum nominum ratio indicat. Sic etiam Geographi, Historici, & quidquid est eruditorum loquuntur: neque vulgus discrepat in modo loquendi; quando vrbium & suburbiorum meminit non vno sub nomine, sed diuersis.

Ciuitatem aliquam fuisse cuius diameter esset itineris tridui incredibile est.

23 Non tamen idcircò, si aliàs verum sit, minus verum erit, quod ex Ptolemæo & Strabone refert Cornelius, Niniuen Babylone, ceterisque omnibus, siue ante, siue post eam conditis vrbibus, fuisse maiorem. Quis enim dixit, aut scripsit aliquando, diametrum Babylonis, aut ciuitatis alterius intra murorum ambitū fuisse itineris tridui? Nam quod de suburbiis comprehendendis, quorum augmento Roma Claudij Imperatoris tempore in tantam excreuit magnitudinem, vt numerarit septem circiter hominum milliones, addūt nonnulli, id tamquam parergum iam reiecimus.

Secunda Sententia.

24 Alij magnitudinem Niniues iti-

itineris trium dierum, alterum extremum deligentes, interpretantur, vt talis fuerit, si quando plateæ omnes & vici obirentur. Quod ipsum quoniam quibusdam adhuc visum est ad commendationem magnitudinis illius nimiũ, non defuerũt, vti refert Theodoretus, qui iter tridui, cuius hîc mentio, nõ de ciuitate, sed de regione ciuitati tributaria & subdita acciperẽt. Ipse tamen de sola ciuitate intelligit; quã, vti vicatim à IONA Dei præconem agẽte obiri tridui spatio potuisse, ita hoc ipsum itineri illi impendendum fuisse, affirmat. Consentiunt Lyranus, Ioannes Ferus, Ioannes Chatardus, Arias Montanus, Franciscus Ribera, Christophorus à Castro.

Non probatur. 25 Verùm hanc interpretationem secuti, non rectè dicere mihi posse videmur, tam fuisse magnã, vt ciuitates omnes, etiã Babylonem, quod pleriq; volunt, superarit amplitudine. Fuerũt enim multę, atq; in his Babylon, suntque etiãnum nõnullæ, quibus obeundis facilè impendatur triduum; si quẽadmodũ est de Niniue dictum, plateæ omnes, portus, angiportus, fora, compita, mœnia obeantur. Quare nec his assentior: & sicuti non facio tam magnam Niniuen, vti prioris auctores sententiæ, ita nec tam exiguam vti auctores posterioris.

Tertia Sententia eaq; verior. 26 Magnitudinẽ ergo itineris tridui in hac ciuitate ita censeo commensurandam; vt neque longitudinis solius, neque latitudinis simul & longitudinis, quod ad probabilitatem maiorem prioris sententiæ dici posse affirmat Cornelius, neque etiam vicorum & platearum omnium, sed solius ambitus ciuitatis ratio habeatur. Igitur cùm dicitur: *Niniue erat ciuitas magna itinere trium dierum*: sensus est, interprete D. Hieronymo, *tanti ambitus vt vix trium possit dierũ itinere circumiri.* Idem sentiunt Rabbi Abraham, Rupertus, Remigius Antisiodorensis, Haymo, Paulus Palatius, Rochus Mamerotius, Emanuel Sà.

D. Hieronymus in hunc locum.

27 Hoc ob nimiam adhuc magnitudinem non satis existimauit probabile Ioannes Ferus; quòd ita habitura fuerit, vt verum est, in circuitu milliaria Germanica minimum duodecim, quę habuisse, omninò mecũ fatetur Ioannes Cotreau Doctor Parisiẽsis, & alij. Errat autem Ferus, quòd eam Babyloni, ciuitati, vt ipse vult, omnium maximæ (quæ, vt ait Aristoteles, iam triduo ab hoste fuerat occupata, antequam illius parti alteri, adeoque plurimis ciuibus id adhuc innotuisset) amplitudinem tribuendam non putet.

Cotreau Concione 19. in Ionam. Aristot. lib. 3. Politic. c. 2.

Verùm quidquid fuerit de Babylone, quod hîc non disputo, satis constat ex Diodoro Siculo Niniuen eâ fuisse capacitate, vt complecteretur in circuitu milliaria Germanica circiter duodecim: tribuit enim illi stadia quadringenta octoginta, siue millia passuum sexaginta, leucas nostrates viginti, quæ est iusta tridui via, vti & duodecim Germanica milliaria. Proinde ratio hæc Ioannis Feri non multum mouere nos debet.

28 Concludo itaque, & dico, Niniuen habuisse itineris trium dierũ magnitudinem in circuitu, eique proportionatam vnius longitudinem, quæ satis ampla capacitas & sufficiens vastitas est, vt dici possit *Ciuitas magna* Deo: id est verè synceréque magna; non tamen tanta, vt fidem excedat. Posterius hoc, quia adhuc veretur Paulus Palatius, recurrit ad præsidium quo nituntur ij, quibus persuasum est fuisse Niniuen magnam itinere tridui per diametrum. Ait itaque, quia in eam vrbem confluxerant diuites & principes viri, ideo extra eam ad duas & tres leucas in circuitu erectas fuisse domos, hortes, turres, & loca deliciarum plurima, quæ si fortè tantus non esset ciuitatis ambitus eum ampliùs dilatarent; quemadmodum Vlissipone in Lusitania, vel, vt Mariana Messanæ in Sicilia, vbi ait esse suburbium ad ortum, quod ad sex millia passuum protenditur; vel vt Leodij in partibus nostris, vbi suburbium quod Traiectum respicit, protenditur ad integram leucam, id est ad horam itineris minimum.

Hæc tertia sententia probatur.

Niniue aucta paulatim fuit ædibus.

29 Verùm quidni dicamus potiùs fuisse paulatim ædibus & plurimis, & maximis vsque eo auctam Niniuen, vt ad tantam, quantam descripsimus, excreuerit magnitudinē. Sicuti Ozachæ in Iaponia factum ex narratione Patris Petri Moreion Soc. nostræ sacerdotis, qui triginta annos Iaponiis in re Christiana istic curanda impendit, Gaspar Sanchius refert: vbi cùm tamquam in ciuitate exigua, olim mille tantùm domus numerarentur, ex quo suam regiam Taycosama Iaponiorum Imperator erexit, breui, auctâ vehementer populi frequentiâ, numerata sunt octoginta domorum millia.

Ozacha ex 1000. domibus ad 80000. breui creuit.

Sanchius ad c. 3. Ionæ.

Sic ait idem Sanchius Niniuen à tempore Nini Conditoris sui, id est ab anno ante ortum Abrahę quadragesimo tertio, secundùm supputationem Eusebij, ad tempus vsque Nabuchodonozoris producto Assyriorum imperio, id est ad annum à sui constitutione millesimū quadringentesimum quadragesimum, nouâ quotidie incolarum accessione crescentem, ad eam peruenisse magnitudinem, vt habere potuerit, atque etiam habuerit in diametro, iter tridui.

Eusebius in Chronico.

Verū tametsi admiserimus tantum hominum & ædium intra tot sæcula augmentū, quod facilè admitto, tamquam vel maximè nostræ sentētiæ seruiens; ostendi etiam debuit fuisse auctos seu potiùs prolatatos ciuitatis terminos, adeoque muros & mœnia ampliata. Nihil enim eius magnitudini accensendū diximus, quod murorum ambitu portisque non clauditur: alioquin eodem iure regiones integras ciuitates vocabimus.

31 Ad ista recurrere non est opus, in nostra sentētia: cùm murorū ambitum ciuitatis illius, iam inde ex quo est condita, tantum fuisse ex Diodoro aliisq; habeamus compertum. Fidem dicti nostri non minuit sed auget, cōtra eos qui nos quoq; nimium liberales in recensenda Niniues magnitudine arbitrantur, quod notat in Scholiis suis Ioannes Mariana, singulas domos vicorum instar hortos & prædia habuisse coniuncta, si hæc ciuitatis ambitu continebantur: sin minùs, quod ait ille, sicut nec pro nobis, ita nec contra nos facit.

32 Benè obseruauit Ioannes Ferus, hæc de magnitudine illius ciuitatis tam esse descripta diligenter; vt maiori admirationi sit omnibus, tantæ ciuitatis multitudinem tantam, tam vnanimi consilio ad pœnitentiam fuisse conuersam, quod de nulla ciuitate alia, ne de Ierosolyma quidem, accepimus. Et verò prodigij simile censeretur hoc tempore, quid simile fieri in quantumuis minima ciuitate, vbi tamen esse solet maior animorum consensio, nedum in maxima, vbi non tanta mentium voluntatumque coniunctio.

Cur hic tam accuratè notetur magnitudo Niniue.

33 Rupertus, & cum eo Palatius iter hoc tridui mysticè interpretantur, tres mūndi partes. Ruperti verba sunt: *Niniue ciuitas magna itinere trium dierum, mundus iste est, siue orbis nouissimarum trium partium, scilicet Asiæ, Europæ, & Africæ.*

Mystica interpretatio tridui.

Rupert. in c. 3. Ionæ.

Albertus Magnus moraliter tridui iter ciuitatis maximæ mundi totius vocat auaritiam diuitiarum, concupiscentiam deliciarum, ambitionem honorum, secundùm quod S. Ioannes ait: *Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ.*

Moralis interpretatio tridui.

1. Ioan. c. 2. v. 16.

34 Sed intueamur nunc illam olim tantam, tam potentem ciuitatē, Niniuen inquam tot refertam hominū millibus, quid quęso ex illius superest amplitudine? Nihil. Eheu! destructa, vastata, collapsa iam pridem, vnâ cum tota Assyriorū Monarchia, cuius fuerat caput, & sedes imperij, periit; neq; illius magnitudinis & splēdoris, aliud ferè superest monumentū quàm spatium vacuum & inane. Sic euertuntur vrbes, regna, imperia, & quotquot in ijs fuerunt, aut mortui sunt, aut morientur homines. Maiores nostri per mortem transierunt, & nos per illam transibimus. Libro Geneseos recēsitis generationibus patrū priorum, & vitæ cuiusuis tempore, tādem post singulorum

Nihil de Niniue restat, deficiunt ciuitates & regna, homines moriūtur.

Gen. c. 5. v. 5.

rum ætatē, subiungitur: *Et mortuus est.* Ita nobiscum etiam futurū de quibus dicetur similiter. *Et mortuus est. Omnes enim morimur, & quasi aqua dilabimur:* tandemque eò deuenimus, vt in dies exspectantes horam, imò momentum vitæ vltimū, versemus semper animo, versare saltem debeamus, illud Iobi: *Solum mihi superest sepulchrum.*

1. Reg. c. 14. v. 14.

Iob c. 17. v. 1.

Hormisda sapiens dictum mori omni loco homines.

35 Dixit sanè sapiēter Hormisda architectus Constātini Imperatoris Magni Constātini filij; cùm suscepto imperio Romam aureo ingressus carpēto, & ciues obuiā factos videns, animaduertit verū esse illud Cyneæ Pyrrhi Regis legati, dicētis: *Tot se videre Reges in vrbe Roma quot ciues*, atque ab eo rogaretur, quid de Roma sentiret? hoc tantū sibi placere: *Quòd didicisset Romæ aquè mori homines, ac alibi.* Verissimè Seneca: *Aequat omnes cinis, impares nascimur, pares morimur.* Sed, quod dolendū, nō id, vt par est, cogitamus omnes. Hinc in terris ędes struimus breui perituras, & struere in cælis æternū duraturas negligimus. Saniora igitur nobis captanda consilia, & erigendus animus ad mansiones supernas, in quibus nullâ rei alicuius iacturâ æternum commoremur. Nam hic

Virg. lib. 10. Æneidos.

Stat sua cuique dies: breue, & irreparabile tempus
Omnibus est vita: ——

36 Ad hoc incitarem vos pluribus, nisi cùm ipsum conatus fuerim aliás, vererer nunc actum agere, & arbitrarer istac commonitione meâ nequaquā vos indigere, quos vsus quotidianus experientiaque abundè instituit. Tātùm ergo aduertite animos, & dum nullo non orbis loco mortuos & morientes auditis, & videtis quotidie, recordemini quoque vos esse mortales, sicque vos comparantes ad mortem Christianè obeundam, simul etiam ad beatā immortalitatem comparabitis.

Cap. 1. Lect. 2. n. 23. & seq.

LECTIO TERTIA.

ET COEPIT IONAS INTROIRE IN CIVITATEM ITINERE DIEI VNIVS: ET CLAMAVIT. *Vers. 4.*

ARGVMENTVM.

Vbi, quomodo, quid, quo fructu IONAS *clamarit exponitur. Libertas Sanctorum in dicendo & clamando probatur. Moderatè & leniter monendos delinquentes, sed non indulgenter aut dissimulanter cum iis agendum ostenditur. Christi clamor Christiano oratori in exemplum proponitur.*



1 TAMETSI quàm fuerit magna, potens, superba Niniue, eminus aliquo modo videritis, nihilominùs nō ambigo quin cum IONA libenter sitis in eam aliquantò penitiùs ingressuri, atque ipsius pone legētes vestigia, quid ibidem acturus sit, lustraturi ardentius. Is, si vobis, quemadmodum dico, & esse puto, est animus, properate mecum, ne ab eo præuertamur, & properè abeuntem nec assequi, nec consequi possimus. Festinandū nobis hîc est: nam ex nunc lego, quòd COEPIT INTROIRE IN CIVITATEM ITINERE DIEI VNIVS. vel vt habent LXX. *Quasi itinere diei vnius*: quod celeritatem & promptitudinem animi, æquè ac corporis indicat, quam nonnulli, vt fuisse ostendant longè maximā, aiunt eum distantem à Niniue itinere tridui, illud vnius non plus diei spatio peregisse. Verùm non est hic illorum verborum sensus, neque vllo modo cum veritate interpretatio illa consentit, cùm à loco ad quem coniectus in littus, vsque in Niniue, non tridui, sed multorum dierum

Ionas ante ingressum in ciuitatem, tridui iter vno die non confecit.

rum peregrinationem suscepisse debuerit. Non inficior tamen cum Chatardo eum maximâ animi alacritate in Niniuen perrexisse; quantò enim primò remissior fuit in exequẽdo Dei pręcepto, tantò deindè fuisse diligentiorem facilè suspicor.

Ionas non obambulauit vno die ciuitatem antequam clamaret. 2 Vult Dionysius Carthusianus, & cum eo Ioannes Cotreau, IONAM ante auspicatum Oratoris & Prophetæ ibidem munus, ciuitatem vno die obambulasse; ac mox, vbi ad meditullium illius peuetrauerat, hominum multitudine copiosiore conspectâ, illis in locis potissimùm commorari, & conuenire ad forum, nundinas, commerciaque solitâ, clamare cœpisse. Verùm tam lenta & somnolenta agendi ratio, non satis magnum Prophetæ feruorem, tot aduersitatibus velut cote, ad Dei gloriam quàm maximè promouendam iam recens aptatum, innueret.

Intra ciuitatem iter tridui vno die etiam non confecit. 3 D. Hieronymus, Remigius, & Rupertus, volunt eum tum præcepti Domini, tum superioris naufragij memorem, viam trium dierum, videlicet intra ipsius ciuitatis ambitum, cùm iam eò peruenisset, vnius festinatione, vt propriis eorum verbis vtar, compleuisse; adeoque ciuitatem vniuersam, cui obeundæ impendendum fuisset triduum, gressum mirâ celeritate in triplum promouẽdo, vno die fuisse permensum. Sed neque hoc cum Prophetæ verbis, adeoque nec cum ipsa veritate consistit. Nam si totam vno die perambulauit Niniuen, quomodo verum erit quod dicitur: *Cœpit introire in ciuitatem itinere diei vnius.* Dicendum potiùs fuerat, vt conformiter & congruenter huic Patrum sententiæ aliquid diceretur: *Percurrit ciuitatem.*

Accedit cùm ex clamore, siue concione variis instituta locis, moram aliquam itineri ipsius oportuerit iniectam, videri non tantùm iter tridui non potuisse vno die perficere, sed pro diei vnius itinere, sic agendo, [illegible] potiùs triduo eguisse.

4 Verior igitur erit Theodoreti, Hugonis Cardinalis, Lyrani, Riberæ, Castrij, Montani, Cornelij à Lapide, Marianæ & plurium aliorum sententia, quam nec improbant Hieronymus & Rupertus, dicentium IONAM vnam dumtaxat ciuitatis partẽ, quam nimirum diei vnius spatio peragrare poterat, suis concionibus obiuisse; neque id recto itinere, sed per vicos obuios, qui ob anfractus viarum & compitorum, moram aliquam solent iniicere, trãseundo. Atque hæc idcircò ne tertia quidem pars fuerit; quoniam pro solo ciuitatis ambitu, triduum in iter desideratum fuisse diximus. *Ionas in vna tantũ parte ciuitatis, quã die vno peragrare poterat, est concionatus.*

5 Hanc expositionem innuunt nobis ipsa IONÆ verba, de seipso dicentis: *Cœpit introire in ciuitatẽ itinere diei vnius.* Sanè, si totam obiuisset, aliter ei loquendum erat, ne dissentiret à seipso: quando immediatè antè dixerat: *Erat ciuitas magna itinere trium dierum.* Sunt quidem nonnulli, qui, illum primo die primam, duobus diebus aliis partes ciuitatis reliquas duas; sunt & alij, qui diebus pluribus, quot nimirũ ad singulas partes necessarij essent, ciuitatem totam, quà monendo, quà clamando decurrisse opinentur. Verùm vno tantùm, non pluribus id fecisse, & quidem iis locis, quæ perambulare vno die potuit, magis cum verbis Christi Domini consentit; quę per hanc quam sequimur interpretationem, redduntur efficaciora. *Probatur rationibus.*

6 Magna enim Iudæis confusio est, magnum dedecus, & maius quã aliàs censeretur, illis posse à Christo obiici: Dixit semel, dixit in aliqua tantùm parte ciuitatis ad Niniuitas IONAS; & ipsos, Ethnicos licet, sic vnicâ oratione permouit; vt statim induti saccis, in ieiunio, fletu, & plãctu egerint pœnitentiam: Ego verò, filius Dei vnigenitus, non semel in vicis Ierusalem totaque Iudæa; sed sæpiùs, totis annis tribus, dixi ad populum fidelem, electum ex millibus, qui esse debebat gens sancta; &, aut paucos, aut omninò nullos, reuocare ad pœnitentiam potui. Quæ causa cur meritò quà exprobrando, quà comminando dicat Iu- *Iudæi arguentur à Niniuitis.*

Mat.c.12. v.41.

Iudæis: *Viri Niniuitæ surgent in iudicio cum generatione ista, & condemnabunt eam.*

Cauendū ne & Christiani.

7 Caueamus ne idem aliquando etiam nobis dici possit, quando longissimâ multorum annorum serie per Oratores, Doctores, Interpretes sacrarum Litterarum, spiritualium rerum Magistros, libros, & multas vias alias instructi quomodo in Christiana Republica viuendum sit, vt veri & synceri Dei famuli habeamur, & simus, nulli inferendo iniuriam; ampliùs exorbitauimus, & magis forsitan viximus dissolutis moribus, quàm vmquam vixerint Niniuitæ.

Ionas clamare & concionari cœpit in ipso ingressu Niniue.

8 Ad rem præsentem. Vt certi aliquid statuam, dico IONAM, ingressum portas Niniues, ciuitatis inquam illius, quæ tot Gentium victrix, tot subiugatrix Populorum, totius domina Orientis, protinus clamare cœpisse, & in clamore hoc prorsus eâdem vocis contentione perseuerantem, si non tertiam, saltem magnam aliquam illius partem, quantam scilicet quotidianus solis cursus vnâ luce permittebat, peragrando, docuisse, monuisse: idque, vt ait Theodoretus, *non rectà iter per vrbem faciendo; sed fora, vicos, compita circumcursando.* Vnde factum, vt in omnes ciuitatis, licet amplissimæ, partes, subitò ad vniuersam omninò multitudinem longè lateque diffitam, huius propheticæ doctrinæ, concionis, clamorisque fama peruenerit: ita vt illa tam funesta ipsius interminatio, confluenti velut ad rem nouam multitudini proposita denuntiataque; breui, fortè ante ipsum solis occasum, nullo non vrbis angulo innotuerit.

Clamor illius statim tota dispersus est ciuitate.

Ionas non fuit otiosus, ut vagabundus in ciuitate.

9 Porrò ad IONAM quod attinet: non hæsit ipse in plateis vspiam curiosus obseruator splendidarum ædium, palatiorum, officinarum, aliarumve rerum, quæ pascere in alieno solo peregrinorum oculos solent, & prætereuntium animos ad se rapere, ac plusculum detinere; sed subitò ciuitatem ingressus, legationem suam adimplere contendit; suo exemplo erudiens alios, quibus est similis cura commissa, quàm esse debeant in Dei negotio hominumque salute accuranda, post positis ceteris omnibus quibuscumque, alacres, celeres, expediti; sui muneris partes vt rectè adimplesse censeantur. Sed & obseruatione dignum est in vicis & plateis vrbis prædicasse IONAM in typum futuræ legationis Apostolorum ad Gẽtes. Sic Paterfamilias Christus Dominus, inquit Chatardus, seruo suo præcepit. *Exi citò in plateas & vicos ciuitatis: & pauperes, ac debiles, & cæcos, & claudos*, hoc est Gentes *introduc huc*, nempe ad cœnam meam magnam, fidẽ nimirum qua iustus viuit: debent igitur viri Apostolici verbum Dei disseminare in plateis, per vicos ciuitatum, super tecta, in locis publicis sine timore ac metu secundùm illud Dauidicum: *Narrabo nomen tuum fratribus meis: in medio Ecclesiæ laudabo te.* Luc.c.14. v.21. Psal.21. v.23.

Christus quomodo itinere diei vnius mundum post suam resurrectionem sit ingressus.

10 Diximus ex Ruperto Abbate & Paulo Palatio, Lectione superiore, mysticè per Niniuen, ciuitatem magnam itinere trium dierum, mundum intelligi, tribus præcipuis partibus, Asiâ, Africâ, & Europâ constantem: nam America pars mundi quarta illis temporibus non innotuerat; inuenit eam primus Christophorus Columbus anno à partu Virginis millesimo quadringentesimo nonagesimo secundo, & à se nominauit Americus Vespucius. Pergit in hac interpretatione Rupertus, & ait: *Mundum Christus* IESVS *post Passionem & Resurrectionem intrauit itinere diei vnius: id est Dei vnius cognitione illustrauit, vt Gentes, quæ multa falsorum portenta deorum sectabantur, vnum Deum cognoscentes, ab errore suo liberarentur.* In c.3. lect.2. n.33.

Americam inuenit Columbus, à se nominauit Americus Vespucius.

Rupert. in hunc locum.

Itinere trium dierum exprimi mysterium SS. Trinitatis PP. aiunt.

11 Habet hoc amplius Haymo Halberstadensis Episcopus, à D. Hieronymo mutuatum. *Iter trium dierum vna via est, quia vnus est Deus Pater, & Filius, & Spiritus sanctus. Vnde non in nominibus, sed in nomine Trinitatis, quæ vnus est Deus, sacramentum baptismi peragitur, non tam ab Apostolis, quàm à Domino quem Ionas præfigurabat.* In quam etiam

Haymo in c. 3. Ionæ.

Blesensis ser. 48 ad Prælatos. etiam sententiam Petrus Blesensis, Niniuen Ecclesiam interpretatus, ait: *Itinere trium dierum intratur in eam cùm dicitur: Baptizo te in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.*

Haymo prioribus iã recẽsitis à nobis addit & subiicit etiã quædam alia huc spectantia: verùm eadem meliùs & clariùs verbis D. Hieronymi, qui fons est, & cuius verba ipse vsurpat, referemus. Dicit ergo Hieronymus: *Notandum quòd non dixerit, tribus diebus & noctibus: vel vno die & nocte: sed absolutè diebus & die: vt ostenderet in mysterio Trinitatis & vnius Dei confessione, nihil esse tenebrosum.* (Hieron. in c. 3. Ionæ.)

12 Hæc ad mores applicans Albertus Magnus, *Dieta vna*, inquit, propriis ipsius verbis vtar, *quam facit Ionas, confessio est simplicis veritatis, & instructio*, secundùm quod ait Paulus scribens Corinthijs, *Idipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata.* (Albertus in hunc locum. 1. Cor. c. 1. v. 10.)

13 Ingressi nunc sumus cum IONA ciuitatẽ Niniuẽ *itinere diei vnius*: restat vt quid dicat, quid agat in ea, videamus & audiamus. Non est dubium quin rem tractet momenti maximi, quando tantoperè vocem intendit, qui de seipso testatur & ait: CLAMAVIT. Sic Christus Dominus de totius mundi conuersione & salute sollicitus stans in templo clamauit: *Si quis sitit, veniat ad me, & bibat.* Clamauit, inquam, ita vt raucæ factæ sint fauces eius. Eius portò prodromus Ioannes Baptista clamans appellatus est *Vox clamantis in deserto*, inquit Euangelista, vnde apparet esse Præconum Dei munus propriũ exclamare in scelera, non tamẽ debacchari aut furere. Quare nemo etiam arbitretur IONAM clamasse, adinstar furiosi aut fanatici hominis, tamque inconditâ voce & ineptis tumultuatũ fuisse clamoribus; ac nescientem quid clamaret, quid diceret, Ciues, Optimates, & ipsum Regem, magis concitasse, quàm permouisse; hoc extra omnem dubitationis aleam est, quòd clamando permouerit, non concitarit auditores. (*Ionas ex quorumdã sententia, velut Dei præco, eiusdem edictũ promulgauit.* Ioan. c. 7. v. 37. Lucæ c. 3. v. 4.)

14 Clamorem ipsius totâ perstrepentem ciuitate, vel potiùs clamantis modum exprimẽs Paraphrastes Chaldæus, ait: *velut voce præconis.* Vnde colligendũ putat Petrus à Figueiro, eum in vicis ciuitatis celebrioribus, vbi frequentior populus, quemadmodũ præcones solent, Regis æterni, cuius ipse legatus erat, vel si malueritis legatus simul & præco, edictum proclamasse.

15 Neque frustrà eum clamorem adhibuit; ostendit enim, vti est à Francisco Feuardentio obseruatum, quantâ fide diligentiaque sit executus mandata; quomodo non timidorum instar, diebus aliquot in ciuitate substiterit aut delituerit, inquisiturus quis cũ populo illo agẽdi modus plus haberet commodi, & minus periculi; quibus caperentur, quibus offenderẽtur ciues: sed omnibus quę occurrere possent sepositis, ac qualibet tergiuersatione remotâ, à primo statim portarum ingressu, sublatâ voce dixerit, missum se Dei nomine, vt Regi, Senatui, Populo nuntiaret, breui, & quidem seriò, resipiscendum; aut infelici exitu citò omnibus pereundum. Quare rebus suis maturè prospiciant, & eligant quamprimũ aut pœnitere feliciter, aut mox æternum, non reparabili damno, suam infelicitatẽ lugere. (*Ionas cur ad Niniuitas dicens clamarit.*)

16 Ostendit insuper clamore suo, quâ sit animi fortitudine rem aggressus tam arduam Rhetorum illud omne consilium est, vbi de rebus difficilibus, parum ad sensum, voluntatem, aut voluptatem facientibus agitur, primò exordio, captandæ beneuolentiæ gratiâ, deinde etiam insinuatione vti. Neque exordio, neque insinuatione vllâ IONAS hic vtitur, ex abrupto incipit: sed neque deinceps vllos adhibet oratorios colores aut flosculos, nudam & simplicem veritatem, nullo fucatam verborum ambitu, valdè crudè, syncerè tamen, proponit: etiam ipso in aditu extrema minatur, non vni alicui, aut alteri; sed omnibus, toti inquam, quantumuis maximæ, quantumuis potentissimæ ciuitati. Numquid hoc generosi est pectoris, humana omnia contemnentis? (*Oratores vt rem difficilem suadeant, & persuadeant, exordio & insinuatione vtuntur.*)

17 Sic

Sancti quia nihil sperant, nihil timent, liberè dicunt veritatem.

17 Sic facere Sancti consueuerunt: hi quia nihil in hoc sæculo sperant, nihil timent, cùm à dicenda veritate, neque opum, neque honorum, desiderio auocentur; neque magnatum timore abducantur; nulli parcunt, nullius auribus seruiunt, liberè dicunt quod sentiunt.

Id exemplis ostenditur.

Nathan Propheta potentissimo Regi David, post adulterij crimen, audacter insultat; & cùm monitum sub parabola quadā, ad proferendum in seipsum mortis sententiam compulisset; liberè, & quidem in faciem, nihil eius reueritus potentiam illi obijcit: *Tu es ille vir*. dignus nimirum morte, qui ouibus tuis pepercisti, & vicini pauperis ouem vnicam non sine ipsius morte crudeli improbè sustulisti.

2. Reg. c. 12. v. 7.

18 Elias licet pauperculus & seminudus, regem Achab increpare non veretur, & dicere: *Non ego turbaui Israël, sed tu, & domus patris tui, qui dereliquistis mandata Domini, & secuti estis Baalim.*

3. Reg. c. 18. v. 18.

Isaias seuerè de officio admonet duos Reges potentissimos Iudę, Achaz & Ezechiam.

Daniel Regi Babylonis Nabuchodonozori interpretans quòd videnat somnium, ait intrepide: *Eiicient te ab hominibus, & cum bestiis ferisq; erit habitatio tua, & fænum vt bos comedes, & rore cæli infunderis, septem quoque tempora mutabuntur super te, donec scias quòd dominetur Excelsus super regnum hominum, & cuicumque voluerit, det illud.* Audax interpretatio, vera tamen.

Daniel. c. 4. v. 22. & sequ.

Ioannes Baptista Herodiadem mulierem iratam leænā immaniorem & tigride, non metuit: Herodi quòque carnis illecebris irretito publicè dicit: *Non licet tibi habere vxorem fratris tui.*

Marci c. 6. v. 19. Baron. Annal. 5. ad annum 404.

19 Ioannes Chrysostomus in Eudoxiam Imperatricem, à se monitam, quòd Callitropæ viduæ agrum iniustè ademisset, ideoque furentem iracundiâ, atque ipsi exilium, vincula, carceres, mortem minantem, non veretur insurgere. Postmodum etiam sibi indignantem grauiùs, quòd non ferret eius statuam præ foribus Ecclesiæ super columnam porphyreticam erectam publicis saltatorum & histrionum spectaculis honorari, eo modo quo olim Cyboles simulacrum circumferri solebat ab Ethnicis; eamque non solùm Constantinopoli, sed etiam per prouincias proponi venerandam; non timens publicè carpere & damnare, conuocato in Ecclesiam populo, maiori quàm vmquam anteà fortitudine & constantiâ, dicens: *Rursum Herodias furit, rursum turbatur, rursum ab Herode caput Ioannis iniuriâ petit abscindi. Rursum Iezabel Nabuchæ vineam eripere pertentat, ac sanctum Eliam ad montes persequendo compellere.*

S. Ambrosius Mediolanensium Antistes, Theodosium Imperatorem ob cædem Thessalonicæ factam ingressu Ecclesiæ, totâ inspectante multitudine, prohibere non metuit, & illi pro sua aliquali defensione alleganti Dauidis duplex crimen, nempe & adulterij & homicidij, episcopali potestate & libertate dicere, soléni quadam commonitione: *Secutus es errantem, sequere pœnitentem.*

Baronius Annal. Tom. 4. ad annum 390.

In vita Ambrosij.

20 His atque aliis pluribus, IONAS noster communem Prophetarum zelum imitatus & æmulatus, agendi pro Deo eiusque honore & gloria liberè, viam & modum ostendit, quando non vni Regi, aut Imperatori, non vni Assyriorum Monarchæ, sed toti minatus est Reipublicæ; quando in ipsis plateis Niniues clamans ad omnes, omnes quoque, nemine immuni relicto, de suis sceleribus arguit, & redarguit, proponens etiam supplicium mox inferendum, & quidem grauissimum.

Importuna Ionæ agēdi ratio Niniuitu fuit opportuna.

21 Mirabimini forsitan hanc eius tam importunam agendi rationem. Egit peropportunè quod fuerat imperatum, licet importunior iis, quibus denuntiabatur futura clades, tam parum lætus acciderit nuntius; attamen salutaris. Et certè sic agere tali loco, ac tempore debuit, neque aliter potuit. Audite quæso B. Ephremi de hoc sententiam: hic vbi retulisset destinatum, vt ciuitatem peccatorum debitis liberaret; non se armis & hastis, sed

Ephrem ser. in Ionam Prophetam.

 præ-

præconio armasse, subiungit: *Medicus erat, missus ad incidenda illorum vulnera; & acribus atque adstringentibus medicamentis mundare volens morbos, aperiendo ostendit ipsis eorum vulnera.* Ac paulò pòst vberiùs atque enucleatiùs: *Medicus*, inquit, *erat qui morbos curaturus aduenerat, nudatumq; ensem suum infirmis exhibuit. Adspexit eum ciuitas instar lictoris consistentem, ac gladium ira tenentem, & statim conturbata est. Ex lecto ægroti diligenter ac festinanter præ timore ad pœnitentiam currebant, & vox Ionæ gladij instar diuturnas putredines atque incurabilia vlcera incidebat, medicus enim erat infirmos curans in virgâ comminationis.*

Ionas vt medicus extremis malis extrema remedia adhibuit.

22 Sicuti hîc minatus fuit interitum ciuitati Niniue, post tot tantaque scelera, IONAS; ita ciuitati Ierusalem, post Christum à Iudæis in crucem actum, quod scelerum omnium caput est, Iesus quidam filius Anani homo plebeius & rusticus, quadriennio priùs quàm bellum gereretur, significauit imminentē ruinam, *in summa*, vt inquit Iosephus, *ciuitatis pace atque opulentia.* Tunc enim confluente ad festum diem in templo agendum, vt mos est, hominum multitudine maximâ, ipse, qui cum ceteris conuenerat, derepente exclamare cœpit: *Vox ab Oriente, vox ab Occidente, vox à quatuor ventis, vox in Ierosolymam & templum, vox in maritos nouos nouasq; nuptas, vox in omnem hunc populum.* Atque hæc interdiu noctuque clamitans, omnes ciuitatis vicos circuibat: sed non eâ auctoritate, felicitate, successu, quo IONAS Niniuen. Nam & à viris præcipuis hunc clamorem indignè ferentibus correptus est, & multis affectus iniuriis atque verberibus. Nihil verò respondens in clamore suo perstitit, donec adductus est ad Romanorum Præfectum, vbi nihilo minùs conticescens, etiam ad ossa vsque dilaceratus discerptusq; verberibus, nulli factus supplex, nullasque fundens lacrymas, vocem tantùm inclinauit, respondens ad singulos ictus: *Væ væ Ierosolymis.* Rogatus autem ab Albino Iudice quis esset, vnde, & cur ista diceret, nihil addidit ad hoc suum solemne: *Væ væ Ierosolymis.* Dimissus deinde ab eo tamquam mentis impos, ad belli vsque tempus, cum nullo colloquens, hoc vnum velut orationem quandam meditatus repetebat, & ingeminabat quotidie, *Væ væ Ierosolymis.* Magis autem contendebat vocem, & clamabat solemnioribus festis; idque cùm fecerit annis septem, & mensibus quinque, *non fuit aut voce raucior, aut vmquam delassatus*, vt scribit Iosephus: donec obsidionis tempore, ipsâ re perspectis auguriis conquieuit paulisper; ac demum muros circumiens ciuitatis, voce contentâ clamans: *Væ væ ciuitati ac fano, ac populo*, & ad extremum adiiciens: *væ etiam mihi*, lapide tormento misso peremptus occubuit; *animamq;*, vt iterùm Iosephi verbis vtar, *adhuc illa omnia lugentem dimisit.*

Vrbi Ierusalem denuntiatur interitus.

Iosephus de bello Iudaico lib. 7. c. 12.

In quo etiam, quod hîc obiter noto, apparet euidenter, quàm fuerit Ierosolymitani populi, & incredulitas, & improbitas Niniuitarum incredulitate & improbitate maior.

23 Comminatus similiter, sed non tanto suo damno tantoque incommodo, fuit infausta, superiore sæculo sub annum nimirum reparatæ salutis millesimum quingentesimum decimum quintum, vrbi regnoque Valentiæ in Hispaniis rusticus quidam, qui vulgò *Petrus Sanctus* nuncupabatur. Is, vt refert Antonius Beuter Valentinus, dignitate & munere Protonotarius Apostolicus, huius rei testis oculatus, cùm Matricem Ecclesiam ibidem, ipsâ Dominicâ Palmarum fuisset ingressus, oblatis sacerdoti sacris operanti cereis duobus, altero albo, rubro altero, conuersus ad Vrbis Præfectũ, sacrorum solemniis præsentem, porrecto ei euaginato gladio intelligibili elatâque voce, à circumstantibus satis auditâ & cognitâ, dixit: *Fac ô Iudex iustitiam.* Deinde ad eum qui præerat iuri dicundo, oblatâ eidem veste suâ, non dissimili voce: *Accipe*, inquit, *& ô tu pallium meum:* demum ad omnes

Valentina ciuitatis, & regni turba prædicuntur.

Beuter. lib. Annotationum S. Scripturæ in fine.

nes

nes effatus, magnum Vrbi & Regno imminere malum, velut momento temporis è templo se proripuit, numquam pôst visus. Vulgò non creditum quod dicebatur: at, peracto vno non ampliùs lustro, apparuit prædictionis veritas in illa infelici & misera clade coniurationis plebeiæ, quæ exorsa anno vigesimo primo illius sæculi totos tres consequentes annos tenuit, stetitque plurimo sanguine; vt non immeritò Vrbis Præfectum Petrus gladio armarit.

Fructus clamoris Ionæ ægrorũ sanitas.

24 Reuertamur ad clamantem IONAM, & fructum clamoris eius videamus: apparebit statim quātò ampliùs Niniuitis ipse, quā Anani filius Ierosolymitanis, & Petrus rusticus Valentinis suo clamore profuerit. D. Ephremi hæc verba sunt: *Plus quàm ceteris pharmacis medici erga ægros blanditiis vtuntur: ac Ionas multâ austeritate ac minis; & populus ille velut ægrotus ex suo fugit lecto: cernebat enim virgam iracundiâ atque furore plenam, quæ sanabat laborantes morbis concupiscentiæ, singuliq; timore sanabantur.* En fructus medici illius, fructus clamoris IONÆ, ægrorum conualescentia & sanitas.

Sermone de Iona.

Dei lex & voluntas promulganda licet carni repugnans.

25 Ex medico hoc atque ex eius tam vtilibus, tam necessariis, licet amarioribus pharmacis, discamus & nos parare medicinam ægris mentibus profuturam; studeamus eius imitatione efficere segnes ne simus in Dei sancta voluntate ac legibus interpretandis, promulgandis, vrgendis; & nequaquam nos moueat, quòd, quia cum carne & sanguine pugnantia loquimur, parum beneuolis auribus, imò & mentibus audiamur; non terreat, quòd peruersis hominibus, quibus sæpè

—— *Furor arma ministrat.*

Virg. I. Æneidos.

sint interminanda supplicia. Gradiamur viâ regia, & quod agendum est constanter agamus, vt illustres illi sancti, de quibus suprà, nec spe victi, nec metu.

Pusillanimitas deterret à dicenda veritate.

26 Dicitis mihi, quantum intellectu cogitationeque assequi possum, magnum est & arduum quod proponis, hæc sæpiùs in mentem deliberationemque venêre, hæc non rarò à nobis sunt tractata retractataque cōsilia, hinc propellente magnitudine animi, inde repellēte pusillanimitate ac metu. Scimus quidem ita faciendum, si probè, si ex Dei gloria, si ex proximorum salute agere velimus: interim quis audeat, non modò tantum ac IONAS; sed quantum Christiana libertas à nobis suo iure deposcit? Agamus aliquantulum, etiam ex officij ratione, fortiùs, statim audimus non modò seueri, sed propè barbari, quasi inter feras educati, quibus nullum fuerit vmquam cum hominibus commercium, societas nulla; dicimur passionum nostrarum mancipia, qui tantùm irasci nouerimus, indignari nouerimus, sæuire nouerimus; cæterum nihil clementiæ, mansuetudinis, humanitatis habeamus.

Peccatis irasci licitum est.

27 Et ego ad hæc illud repono Dauidicum. *Irascimini, & nolite peccare.* Non ferunt illi zelum vestrum, aut sicuti perperam vocant, iracundiam; vos eorum ne ferte contumaciam, ne sinite impunita peccata. Dandus est suus, si vmquam, illis certè euentibus, iustæ iracundiæ locus: neque enim improbari potest, quòd quis peccatis irascatur; quando hęc ad iracundiam, bonitatem ipsam, Deum inquam, accendunt.

Psal. 4. v. 5.

In peccatores mancipia diaboli quid ni sæuiatur verbis?

28 Seruos parentis sui absque trepidatione & metu, sine ambagibus, increpant filij; eosque nunc fures, nunc ebriosos, nunc mendaces, nunc homines frugiperdas, nequam, scelestos appellant liberè, quid ita? Serui sunt in quos hæc à filiis pro auctoritate & imperio, cùm meriti fuerint, proficisci posse videntur. Quid ni igitur Dei filij his similia in peccatores mācipia diaboli pro illorum clament demeritis? Ne vereamini, quod cōducturum putetis ad iugum iniquitatis excutiēdū audacter depromere. Meticulosos tantùm facere vos potest propria consciētia, quâ ipsi argui aliquando vereamini & audire: *Medice cura te ipsum*, ab infirmis illis quos curandos suscipitis.

29 Pri-

Sancti & iusti, alios liberè carpunt, nec timent.

29 Prima igitur cura vestra sit inculpatè viuere, deinde proximo consilio, auxilio, monitione prodesse. Sanctitas maiores nostros, quamuis statu & conditione viles ac minimos, animi tamen magnitudine principibus huius mundi maiores effecit, eaque magnitudo omnem in dicendo timorem depulit, depellet etiam in vobis, si sanctè vixeritis.

Saeculares queruntur de rigore Concionatorum.

30 Hactenus ad viros in dignitate constitutos Ecclesiastica conuerti orationem, illos iam dicta concernunt: vos, qui Deo in sæculo viuitis, quique ad clauum sedetis politicæ Reipublicæ, quæ dicturus sum. Queri soletis interdum de eorum, qui aut dixerunt pro concione vobis audientibus, aliquando, aut etiamnum dicunt seueritate nimia; de rigore, quo ibi ad populum vtuntur, de sententiarum, quibus eos premere videntur, pondere, quasi homines plus satis ad virtutem ab iis vrgeantur. Ego certè de eorum socordia, lenitate nimia, atque indulgentia longè mihi queri posse veriùs videor: & quòd subinde longè minùs quàm oporteat, peccatores vrgeant, adeoque in eodem semper hæreant luto, amplius dolere. Scio non amatis Oratores feruentes, audaces, in veritate denuntianda liberales & liberos, velletis dissimulantes magis & timidos: vellent & illi Auditores minùs querulos & fastidiosos, quales hodie multi, qui, secundùm illud Marci Tullij, *In rectè factis*, addo etiam dictis, *sæpè fastidiunt*. Ego, si pro sensu meo loquar, in vtrisque aliquid etiam optauero. In Auditoribus, vt benigniùs audiant, vt promptiùs exequantur; in Oratoribus, vt fortiùs in vitia declament, pœnas denuntient, ad virtutem vrgeant: tunc hi IONÆ, illi Niniuitici populi partes agent, ambo benè, ambo feliciter, & vtrique laboris virtutisque suæ præmium ferent.

Concionatores de auditoribus fastidiosis.

Cicero Ora. pro Milone sub medium.

Lenitas placet sed non torpor & indulgentia nimia.

31 Erit fortè de gente Catonis Censorij elatiore supercilio quispiam, qui dicat, ad quid ille clamor inconditus? quorsum ea vocis animique cõtentio? meliùs lenitate suauitateque, vt quæ index est moderati viri atque compositi, res geritur; tam benè oleo vulnera, quàm vino curantur. Nemo lenitatem damnat, quin potiùs probamus eam quàm maximè, dum talis sit, quæ non in indulgentiam nimiam, ac deinde etiam in licentiam & libertatem noxiam transeat, vt fieri ferè consueuit.

Heli indulgentius agens cum filiis punitur.

32 Meminisse potestis quid Heli summo Sacerdoti acciderit, suauiter nimium, & non fortiter satis pro paterna cura filios monenti grauiùs delinquentes. Dicebat ille, cùm castigare deberet eorum incontinentiam, constuprantium virgines, quæ excubabant ad ostium tabernaculi, monitione sat placidâ & tenui: *Quare facitis res huiuscemodi, quas ego audio, res pessimas ab omni populo? Nolite filij mei: non enim est bona fama, quam ego audio, vt transgredi faciatis populum Domini.* Sed quid accidit? Profectò pœnas dedit suæ nimiæ illius indulgentiæ, & quidem magnas valdè: vno namque eodemque tempore audiit, ex Israëlitico populo, cuius ipse summus erat Sacerdos & Pontifex, desiderata fuisse in prælio triginta peditum millia, mortuos filios suos Ophni & Phinees, captam Dei arcam: quo nuntio perculsus cecidit etiam ipse de cella retrorsum, & illisis in terram ceruicibus exspirauit. Hoc qui propiùs intueatur, atque aliquantò altiùs demittat in animum, numquid iam factus cautior dicat quamprimùm:

Lib. 1. Reg. c. 2. v. 23.

——— *Quia me vestigia terrent.*

Horat. lib. 1. Epistolar. Epist. 1.

Et sicuti iustam reprehensionem ferat libenter; ita eandem quoque, his quibus ex sui muneris ratione obstringitur, suo tempore libenter impendat; præoptans videri, & esse potiùs seuerus ac rigidus cum aliorum emolumento, quam cum damno proprio diuinæ iustitiæ in se rigorem, pro impensa peccantibus præposterè lenitate præstolari, ac deinde damno non reparabili perpeti.

Hominum malitia non minuitur, sed augetur.

33 At verò fortasse, non vt olim, delinquimus modò, adeoque maiori lenitate, & minori rigore vtendum est.

O

O nimium fallimur, si nobis eâ ratione applaudimus: nam, eheu! verum experimur indies illud Lyrici:

Aetas parentum peior auis, tulit
Nos nequiores, mox daturos
Progeniem vitiosiorem.

Horat. lib. 3. Car. Ode 6.

Vt ferè opus futurum videatur iterùm locis plerisque altero IONA, qui velut ex ceto prodiens clamet, aut certè Ioãne Baptista, qui de deserto ac solitudine, tamquam nouus homo exiens, in confertam se ingerat multitudinem, luxu ac deliciis diffluentem, eique interminans dicat: *Iam securis ad radicem arborum posita est:* neque tum, vereor sanè vehementer, talis adhuc à nobis fructus proueniet, qualem sperare meritò à Niniuitis IONAS potuit. Verum quippe est de Christianis modò, non dico de omnibus, certè de multis hinc inde, quod dixit olim de Iudæis Isaias, & in eis impletum Christus asseruit: *Incrassatum est cor populi huius, & auribus grauiter audierunt, & oculos suos clauserunt: ne quando videant oculis, & auribus audiant, & corde intelligant, & conuertantur.*

Mat. c. 3. v. 10. — Isa. c. 6. Mat. c. 13. v. 15.

34 Non igitur à perpete clamore cessandum, illo nimirum, quem verbo, quem exemplo nos mysticus *Ionas Christus* edocuit, quando locutus de Spiritu sancto, *quem accepturi erant credentes in eum, clamauit dicens: Si quis sitit, veniat ad me, & bibat.* Et quando agens de concionatoribus, audiendisque concionibus sub parabola seminantis, clamauit iterùm: *Qui habet aures audiendi, audiat.* Quando demum volens ostendere quàm nostra ei curæ esset salus, quo exstaret memoria illius perpetua: *Clamans voce magnâ, emisit spiritum.* Vt ex tam pio velut legato, extremæ voluntatis suæ indice, disceret populi duces, clamare etiam ipsi, & quidem, si opus foret, ad mortem vsque, pro salute subditorũ. Hoc si fecerint benè illis erit, benè subditis, vtrisque obueniet vita felix, felicior vitæ terminus, felicissima pro præmio immortalitatis corona.

Secundum Christi exemplum, semper clamare debet Orator Christianus. — Ioan. c. 7. v. 39. & 38. — Mat. c. 13. v. 9. — Mat. c. 27. v. 50.

LECTIO QVARTA.

ET DIXIT ADHVC QVADRAGINTA DIES, ET NINIVE SVBVERTETVR. *Vers.* 4.

ARGVMENTVM.

De tempore pœnitentiæ Niniuitis assignato disputatur. Verba Prophetæ explicantur: in iis magna Dei clementia ostenditur, & in numero quadragenario mysterium.



1 PROPHETICÆ vocis clangorem audire cœpimus eminus: superest nũc vt ipsum Prophetã firmis lateribus perorantem ad cõfertam multitudinem, cominus magnâ auiditate & constantiâ audiamus. Duo sunt vitia in quæ impingere etiam magni Oratores interdum solent; alterum prolixitas nimia: alterum breuitas, & in breuitate obscuritas; in hunc scopulum, declinato priore, se impegisse cum aliis Poëta fatetur, cùm ait:

Vitia Oratorum, nimia prolixitas, & nimia breuitas.

——— *Breuis esse laboro*
Obscurus fio. ———

Horat. lib. de Arte Poëtica.

Vtrumque IONAS declinauit feliciter, paucis sua complexus, & tamen tam clarè, perspicuè, neruosè eadem elocutus, vt, quod est Oratori vel maximè optandum, non vnum dumtaxat Regem, non solos Optimates; sed vniuersam multitudinem multorum capitum belluam instruxerit, permouerit

Vtrumque Ionas declinauit.

uerit, omnibusq; suis auditoribus rem maximè arduam, pœnitentiam persuaserit; & quidem modo dicendi mirabili, nouo, inusitato. Nam sine exordio, sine vlla captatione beneuolentiæ, à narratione incipit, in narratione finit.

Ne sim longior, & quam in IONA verbis laudo breuitatem, eam re & opere damnare, & nequaquam consectari videar, moras omnes abrumpens, ipsum patiar audiatis, nequaquam offensurum, aut pariturum molestiam prolixitate nimiâ: totam enim orationem suam, doctissimam, efficacissimam, exiguâ sex tantùm verborum claudet periodo.

Emphasis vocula, adhuc, explicatur.

2 ADHVC, inquit, QVADRAGINTA DIES, ET NINIVE SVBVERTETVR. Feralis omninò vox & verba minarum plena: habent illorum singula vim maximam. Primum *Adhuc* valet idem vbicumque est sermo de tempore ac *post*. In Exodo Moyses questus apud Deum de populo ob aquarum penuriam murmurante, ait: *Adhuc paullulum, & lapidabit me.* Id est, post paullulum. Apud Aggæum dicit Dominus: *Adhuc vnum modicum, & ego commouebo cælũ,* &c. Id est post modicum tempus. Chaldæus, pro eo quod nos hîc habemus: *Adhuc quadraginta dies*, clarè secundùm datam interpretationem vertit: *Post finem quadraginta dierum.* Quid hoc est? tantundem, vt explicatiùs mentem ipsius proferamus, ac si dicat: Tametsi, quæ totâ vrbe vestrâ imperium occupant scelera lateque dominantur, iam pridem commerita sint illius interitum; tamen, quia clemens est Dominus, si volueritis, velle autẽ debetis, nisi potior vobis sit salute vestrâ interitus, erit propitius peccatis vestris. Quare, de inexhausto misericordiæ suæ thesauro, offert vobis, illâ gratiâ indignis licet, ex superabundãti *adhuc dies quadraginta*, vt interim pœnis vestrâ volũtate susceptis, hoc quod capitibus vestris impendet supplicium, propulsare studeatis: his autem præterlapsis nullum erit spatium pœnitẽdi residuum.

Exodi c. 17. v. 4.

Aggæi c. 2. v. 7.

Dei mira mansuetudo, & patientia proponitur.

Igitur in verbo *Adhuc* expressa est à Propheta cùm Niniuitis, tum nobis, Dei mansuetudo & patientia admirabilis, vti benè obseruauit S. Athanasius. Hac rectè vsi sunt illi; nos ita etiam vtamur, vt non abutamur; adeoque, quæ plurimũ nobis prodesse poterat, caueamus ne obsit plurimum.

Amplius Dei mansuetudo & patientia admirabilis declaratur.

Athanas. Tom. 3. in Passio. & crucem Domini.

3 Exiguum fortasse nonnullis videbitur concessum Niniuitis à Deo ad pœnitentiam spatium dierum quadraginta; sed magnum est, & verè multum, tantum adhuc concedi hominibus iam pridem perire commeritis. Dici solet, reos iam supplicio destinatos ob scelera, si tempus lucrentur, vitam lucrari: destinati erant extremo supplicio Niniuitæ, iam tempus lucrantur, & quidem quod censeri possit tali casu sat longum, dies quadraginta, id eis largiter concedente & donante Deo, orbis vniuersi Prætore ac Iudice, IONA verò promulgante: videbitis mox, quomodo per hoc & vitam lucrentur & delictorum veniam; & cum eo quem offenderant in gratiam redeant.

Dies 40. pro pœnitentia concessos esse Niniuitis multũ est.

4 Ceterùm nemo qui perpenderit Deum tam seueram in Niniuitas nequaquam promulgari iussisse sententiam, nisi peccatorum mensurâ iam plenâ, exiguum hoc pœnitentiæ spatium arbitrabitur. Constituit quippe diuina iustitia, vt scribit Lessius, regnis singulis ac prouinciis certam mensuram, & peccatorum numero, & grauitate limitatam, quam vbi peccando impleuerint, experiantur vindictam; seu peste, seu bello, seu fame, seu quouis alio modo pro peccatorum magnitudine castigandi. Hinc in Genesi legimus: *Necdum completæ sunt iniquitates Amorrhæorum:* vt nimirum exscindantur, & tuum semen ô Abraham (ad eum namque ibi loquitur Deus) regionem illorum obtineat. Hoc enim demum post annos accidit quadringentos, quando illorum, & omnium gentium Chanaan, mensurâ iniquitatis impletâ, Israëlitis traditi sunt vastandi. Quòd non æquè ac illi, Niniuitæ hostibus suis subruendi aut

Mensurâ peccatorũ plenâ supplicium imminet.

Lessius de Perfect. diuinis lib. 13. c. 11. n. 59.

Gen. c. 15. v. 16.

per-

perimendi sint traditi, diuinę bonitatis fuit atque clementiæ, IONAM primò mittentis, vt moneat, & suo nomine spatium illis addicat pœnitentiæ totos dies quadraginta, quibus se ad meliorem, si voluerint, frugem recipiant, & destinatam interitus pœnam euadant.

Circa dies pœnitentiæ Niniuitarum Lxx. ab aliis videntur discrepare.

5 Lxx. Interpretes concessos illis non dies quadraginta, sed tres tantùm voluerunt; nisi in eorum codices, de quo posteà, librariorum vitio mendum irrepserit. Nam pro eo quod nos legimus, *Adhuc quadraginta dies*, illi habent, *adhuc tres dies*. Quam lectionem multi Græcorum Patrum, ex Latinis etiam aliqui, & sequuntur, & ingeniosè explanant: atque inprimis ex Græcis, S. Ephrem Edessæ in Syria Diaconus, magni nominis & sanctitatis suo tempore, qui ternario numero inhærens, pulchrè illius mysterium exponit, & applicat. Huius Scholiastes Gerardus Vossius propugnans hanc Lxx. Interpretum versionem, ait eam esse veram, nec deprauatam, cùm fuerit post factum concinnata, quando iam apparuerat Niniuen non esse subuersam; sed magis, quod Hebræum nomen quoque significat, à peccatis conuersam.

Explicatur à PP. versio Lxx. interpretū.

S. Ephrem ser. de pœnitentia.

6 In quem eundem sensum S. Gaudentius, secutus Lxx. interpretū versionem. *Adhuc triduum, & Niniue subuertetur: Verum*, inquit, *prædixit; nam euersa est iniquitas eius, quia pœnituit.* Similiter Eusebius Emissenus, docens IONÆ prophetiam completam ad litteram, vt hæc sonat interpretatio. *Triduo*, inquit, *& Niniue subuertetur. Subuertetur planè, cùm calcatis deterioribus studiis ad meliora conuertetur: subuertitur, inquam, dum purpura in cilicium, affluentia in ieiunium, lætitia mutatur in fletum.* Hoc verò, quoniam ex multorum sententia factum tridui spatio, rectè eo sensu dixerit Emissenus: *Adhuc tres dies, & Niniue subuertetur.*

Gaudent. tract. 3. ad Neoph.

Emiss. homil. de pœnit. Niniuitarū.

Porrò ne quis putet breue nimis videri tempus pœnitentiæ tridui spatium; D. Basilius Seleuciæ, & ipse secutus lectionem Lxx. occurrit dicendo: *Angustis dierum terminis comminatio concluditur, lata autem via ad pœnitentiam aperitur.*

Dantur causæ ab iis qui sequuntur Lxx. cur triduum tantùm assignetur pœnitentiæ Niniuitarum.

Basilius Seleuciæ. orat. 11.

7 D. Ioannes Chrysostomus variis locis secutus Lxx. licet alibi sæpiùs sequatur textum nostrum vulgatum, de Niniuitarum pœnitentia scribens tradit causas cur vindictæ dilationem Deus tridui prout apud Lxx. legitur coarctarit angustiis. Primam: *Vt & virtutem animi gentium barbararum possis addicere, qui triduani temporis angustiis imminentia valuerunt mitigare supplicia.* Subiungit: *& Dei misericordiam admireris, qui ad pœnitentiam breuis temporis exoratus multorum laxauit veniam peccatorum.* En altera. Sequitur tertia: *Sed & tibi beneficium benignitatis ostendit, & licet ingenti peccatorum mole suppresso lenitatem remedio pœnitentiæ pollicetur.*

Chrysost. Tom. 5. hom. 1. de pœnitētia.

8 Ostendit ibidem quomodo ad pœnitentiam nec temporis longitudo conducat, nec breuitas; sed animus generosus: adeoque abundè fuisse tres dies, vt Niniuitæ, quemadmodum fecerunt, seriò pœniterent. *Sicut*, inquit, *is, cui tardus atque tepidus animus est, etiamsi multi temporis curricula ad sui pœnitentiam mereatur, nihil firmum atque robustum poterit promereri, nec Deum facilè ad misericordiam commouebit, propriis desideriis occupatus: sic vigilans atque sollicitus etiam spatij dilatione supplosa, in ipsis temporis angustiis constitutus, auxilium facilè diuinæ benignitatis agnoscit, & ingenti sarcina liberatus exultat.* Hoc autem vt probet, Petri Apostoli subitò post lapsus iteratos pœnitentis, adducit exemplum.

Generosus animus Niniuitas ad seriam pœnitentiā inuit.

Chrysost. ibidem.

9 Hanc LXX. Interpretum versionem, si sic illi vertisse dicendi sint, secutus etiā est Cyrillus Alexandrinus in Commentario, & Seuerus Sulpitius in Historia sacra, vbi ait: *Prædicauit Ionas vrbem ob peccata populi triduo perituram.* Quibus consentit quod habet Prosper Aquita-

Cyrill. in hunc locū. Seuerus Sulpitius lib. 1. Hist. sacræ.

nicus in Carmine de Prouidentia.

Sic Niniue monitis Iona sub tempore cladis
Credidit, & tribus in luctu ieiuna diebus,
Promeruit morum excidio consistere regno.

Tex. & LXX. & aliorum versiones a S. Augustino conciliantur.

Augustin. lib. 18. de Ciuitate c. 44.

10 D. Augustinus, vt faciat LXX. Interpretes, ab Hebræo, Chaldæo, & Latino textu non omninò dissidere, & excuset errorem, ad mysticum sensum recurrit. Ait namque LXX. cùm poterent prophetię dono transtulisse *tres dies* pro *quadraginta*, excitaturos eâ ratione lectorem, ad inquirendum in præsenti historia Resurgentis Christi mysterium, peractum tertio post obitum die: IONAM verò clamantem; *Adhuc quadraginta dies*, numerum dierum inter Resurrectionem illius & Ascensionem intercedentium adumbrare voluisse. Apponam hic ipsius Augustini verba: *Siue* inquit, *per quadraginta dies, siue per triduum idem ipse significatus est Christus. Per quadraginta scilicet, quia tot dies peregit cum discipulis suis post resurrectionem suam & ascendit ad cælum: per triduum verò, quia die tertio resurrexit. Quasi dicat: in quadraginta diebus ipsum quære, in quo & triduum poteris inuenire: illud in ascensione, hoc in eius resurrectione reperies: quorum vnum per Ionam Prophetam, alterum per Septuaginta interpretum prophetiam, tamen vnus atque idem Spiritus dixit.*

Augustin. Tom. 4. q. 169. in Gen.

11 Idem ad eundem ferè sensum habet ipse etiam alibi, sed nonnihil fusiùs, sic scribens in Quæstionibus suis in Genesim: *Nec* LXX. *interpretes, quos legere consueuit Ecclesia errasse credendi sunt, vt non dicerent quadraginta dies, sed tantùm triduum, & Niniue subuertetur. Maiore quippe auctoritate prædití, quàm interpretum officium est, prophetico spiritu (quo etiam ore vno suis interpretationibus, quod magnum miraculum fuit, consonuisse firmantur) triduum posuerunt: quamuis non ignorarent, quòd dies quadraginta in Hebræis codicibus legerentur, vt in Domini nostri* IESV *Christi clarificatione, intelligerentur dissolui aboleriq́; peccata, de quo dictum est: Qui traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram. Clarificatio autem Domini in resurrectione, & in cælum ascensione cognoscitur. Vnde & bis numero, quamuis vnum & eundem Spiritum sanctum dedit: primò postquam resurrexit, iterùm postquam ascendit in cælum. Et quoniā post triduum resurrexit, post quadraginta autem dies ascendit, vnum eorū, quod posterius factum est, per numerum dierum codices Hebræi significant, alterum autem de triduo, quod ad eandem etiam rem pertinet,* LXX. *commemorare, non interpretationis seruitute, sed Propheta auctoritate voluerunt.* Hæc Augustinus: quæ visa quibusdam sunt esse magis subtilia, quàm vera.

S. Iustini & Melciorum Cani lectio singularis.

12 S. Iustinus Martyr in Dialogo cum Tryphone, primus, quod sciam, vtrūque numerū copulans & coniungens, pro eo quod Hebræa, Chaldæus, Aquila, Symmachus, Theodotiō, & Vulgata habent: *Adhuc quadraginta dies*, & LXX. Interpretes *adhuc tres dies*, posuit, *Adhuc quadraginta tres dies*. Quod secuti deinde sunt alij nonnulli: inter ceteros Melcior Canus; qui, ita IONAM clamasse arbitratus, ait: omissum hîc minorem numerū, more in sacris Litteris non inusitato. Idem adiungit dies hos quadraginta tres, ab initio prædicationis IONÆ fuisse supputandos: sic vt, denuntiato per triduū lugubri illo vaticinio, dies quadraginta pleni adhuc ad agendam pœnitentiam superessent, quibus elapsis, nisi reconciliati iam essent Deo, subuerteretur Niniue. Sed quoniam caret fundamento, caret quoque veritate sententia.

Canus lib. 11. de locis c. 12. ad 12.

13 Origenes locis pluribus, vnum & alterum *adhuc tres dies*, vel *adhuc quadraginta dies*, sub disiunctione legit.

Ariæ Montani conciliatio variarum lectionum.

Vtramque lectionem Benedictus Arias Montanus conciliare nititur hoc modo: *Adhuc quadraginta dies*, sic enim propriè ex Hebræo censet legendum: *& Niniue versa.* Versa, inquit, in bonū, vel malum: in bonum, si egerit pœnitentiam; in malum verò, si pœnitentiam neglexerit: nam tunc propositis sub-

ſubiacebit ſuppliciis, & peribit. Subiicit deinde, quod paullò antè ex Voſſio S. Ephremi ſcholiaſte diximus, vidiſſe LXX. Interpretes, quòd tridui ſpatio verſa ſiue conuerſa fuiſſet in bonũ, proindeque factæ conuerſionis, non verò futuræ alioquin ſubuerſionis memores, dixiſſe: *Adhuc tres dies, & Niniue mutabitur.* Id ſi tam eſſet verum, quàm eſt excogitatum ingenioſè, & plauſum mereretur, & fidẽ: nunc pro meo ſenſu neutrum. Nam LXX. nimium manifeſtè, non de morum mutatione, ſed ipſius ciuitatis euerſione agẽtes, dixerunt, *Et Niniue ſubuertetur*; quod aliò detorqueri nec poteſt, nec debet. Quare laudo hîc Montani ingenium, non laudo ſententiam.

Non probatur.

Aliorum quorumdã conciliatio.

14 Alij non minùs dexterè, quemadmodum annotauit Christophorus Caſtrius, nouam quandã conciliandi hos dierum numeros excogitarunt rationem. Dicunt ergo IONAM nõ vno alteroue die Niniuitis ſuæ ciuitatis euerſionẽ fuiſſe cõminatum, ſed pluribus, & primo quidẽ die dixiſſe: *Adhuc quadraginta dies.* mox verò, elapſis diebus decem, atque ita priore numero acciſo & imminuto, dixiſſe: *Adhuc triginta dies.* decem aliis elapſis: *Adhuc viginti dies.* poſtmodum poſt lapſum iterùm dierũ decem: *Adhuc decem dies*, donec tandem, numero conſentiẽte cum diebus reſiduis, clamauit: *Adhuc tres dies*; quem ex veteri traditione acceptum LXX. Interpretes in ſuam verſionem tranſtulerint. Fuit illius ſententiæ inter ceteros Iſidorus Peluſiota.

Peluſiota, lib. 4. epiſt. 149.

Reiicitur.

15 Verùm, præterquã quòd de traditione illa non cõſtet, illud maximi eſt momenti hoc loco, facitque pro cauſa noſtra & rei veritate, quòd cõtrarium colligi videatur ex contextu hiſtoriæ, recenſitæ ipſius vatis ore ſacro, in qua mentionem dumtaxat facit clamoris ſiue concionis vno die à ſe habitæ, ait enim: *Cœpit introire in ciuitatem itinere diei vnius.* Vt autẽ vera ſit iam adducta Peluſiotæ & aliorum ſententia oportuerit illum non vno die, ſed pluribus ciuitatem obiiſſe, illique ſæpiùs denuntiaſſe interitum.

Niniuitæ ad vocem Ionæ ſtatim egerunt pœnitentiam.

16 Sed neque veroſimile cenſemus Niniuitas ad extremos vſque datarum ſibi induciarum dies diſtuliſſe pœnitentiam, & in eas ſe volentes lubentes conieciſſe anguſtias temporis, vt non niſi triduum ipſis curandę ſaluti, & redimendis, quæ imminebant ſuppliciis, ſupereſſet. Conformius eſt Litteris ſacris, adeoque veritati, quòd obaudientes voci Prophetæ, non procraſtinando ſubitò animos ſuos ad meliora conuerterint.

Ionas ciuitatem ingrediens non clamauit adhuc tres dies.

17 Si quis verò voluerit dicere, in aditu ſiue in primo ciuitatis ingreſſu clamare IONAM cœpiſſe: *Adhuc tres dies & Niniue ſubuertetur*: is profectò minùs amplè de diuina bonitate ſentire mihi videtur, quàm poſſit. *Sentite*, inquit Salomon, *de Domino in bonitate.* Sẽtiamus igitur, illius ſecuti conſiliũ, non ita optimum & benigniſſimũ Dominum miſeros Niniuitas pro agenda pœnitentia intra tridui ſpatiũ coarctare voluiſſe, & coarctaſſe; vt illis non dederit morã aliquam, quã poſſent reſipiſcere, longiorẽ & ampliorẽ. Accedit, quod ſtudioſè obſeruauit S. Hieronymus ternarium numerum non cenſeri numerum congruum pœnitentiæ, adeoque vel hinc, idem ſanctus Doctor putat eum nequaquam fuiſſe à Propheta in hac comminatione vſurpatum.

Sap. c. 1. v. 1.

Clamauit verò adhuc 40. dies.

18 Dixit igitur IONAS, ſecundũ D. Hieronymum, & cõmunem ſententiam, ſicut habet vulgata lectio: ADHVC QVADRAGINTA DIES ET NINIVE SVBVERTETVR. Ab hac ſoli LXX. diſſentiunt, ſi diſſentiunt. Ego certè illis aſſentior, qui arbitrantur, ita quoque olim à LXX. fuiſſe trãſlatum; irrepſiſſe autẽ in eorum exemplari vno aliquo mẽdum, librariorum vitio, vnde illud ſit etiam in reliqua ex eodem tranſcripta exemplaria deriuatum: quod fuit tactu facillimum, cùm præſertim per litteras ſiue cifras exprimerent numeros: aliis nimirum pro μ, id eſt quadraginta, legentibus ac deprauatè inde notantibus, eroſo vel minùs apparẽte altero litteræ illius apiculo, γ, quo ternarius numerus denotatur.

In verſione LXX. irrepſit mendũ.

Probatur coniecturã.

19 Mendum hoc, aut ſimile, & qui-

Probatur auctoritate.

dem librariorum, vt diximus, vitio in versione LXX. interpretum, de qua hîc nobis est quæstio, agnouit etiã Theodoretus, agnouit Theophylactus, agnouerunt alij. De eo sic Theodoretus: *Vero proximum est, Septuaginta cum his* (meminerat paullò antè aliarum versionum) *congruentem numerum posuisse: sed qui primò scripserunt in hoc errasse, deinde in omnia exempla hanc editionem permanasse.* Et hic ferè communis est omnium recentiorum scriptorum, Nicolai Serarij, Cornelij à Lapide, Iacobi Tirini, Theodoreto adhærentium sensus, & consensus.

Serarius Prolegom. Bibl. c. 17. q. 20. Cornel. & Tirinus in hunc locum.

Explicatur Ionæ ad Niniuitas oratio.

20 Perorantem ad Niniuitas IONAM quando audiuimus, & quid dixerit intelleximus; superest nũc vt sedulò eius dicta recolamus. Dixit *Adhuc quadraginta dies & Niniue subuertetur.* Explico Orationis verba: Denuntio vobis, inquit, ciuibus, incolis, accolis magnæ Niniues, datum ciuitati vestræ, & omnibus qui in ea sunt, adhuc spatiũ dierum quadraginta, non plurium, non paucioruũ; vt intereà prospiciatis vobis, consulatis saluti vestrę, resipiscere studeatis, & conuerti à via mala, quã hactenus decurristis, atq; ab ea ad viam iustitiæ & sanctitatis redire. Id nisi feceritis, actũ de vobis est, *Niniue subuertetur*: non solùm vos, qui in ea habitatis, sed quidquid vestrũ est, quidquid totius ciuitatis continetur ambitu, subuertetur; muri etiam, tecta, turres, domus, palatia, mœnia, subruentur.

Explicatur vis verbi subuertetur.

21 Exponit Godefridus Tilmannus: *Signãter dicitur subuertetur, id est subter vertetur: scilicet, quod deorsum est fiet superius, & è conuerso. Propter quod dicitur: vniuersum stratum eius versasti in infirmitate eius. Item mulier quærens drachmam, domum euertit.* Hæc ille.

Mira est Christi Domini, cùm de euersione Ierosolymorum loquitur, cõminatio dicentis; *Non relinquetur hic lapis super lapidẽ, qui nõ destruatur.* Quo, ad integrã illius indicandam subuersionem atque interitum, nihil dicere poterat significantius: & quod dixit, exitum habuit nequaquam illa prædictione meliorem. Non aliter videtur

Mat. c. 24. v. 2.

agendũ fuisse cum Niniue, in non dissimili Dei comminatione per IONAM; nisi illud quod deliquerant, incolę maturâ & seriâ pœnitentiâ emendassent.

22 Chaldęus vertit: *Post finem quadraginta dierum Niniue subuertenda est.* Hebræa propriè sonãt *Niniue subuertitur*: seu, vt alij volunt, *subuersa*: ponendo pro futuro pręsens, quod magnã habet emphasim; docet enim rem tam certò futuram, ac si fieret aut facta iam esset. Erat igitur Niniue, dierũ quadraginta iusto ad pœnitendum concesso à Deo spatio præterlapso, nullâ datâ vlteriori mora, peritura quãprimum: sed neque habitâ vlterius vlla hominum, iumentorum, infantium, aut pecudum ratione, vlli parcẽdum; omnes, & omnia, vno ibi erant inuoluenda interitu. Imò secundùm Iosephum in libris Iudaicarum Antiquitatũ, simul cum subuersione ciuitatis denũtiabatur à IONA hoc loco & tẽpore instãs ruina Imperij siue Monarchiæ Assyriorũ, diuidendę & transferendę ad Babylonios & Medos eorumq; Reges Nabuchodonozorem & Assuerũ. *Stãs*, inquit, *Ionas in medio ciuitatis, prædicauit, quia post breuissimum tempus Asia perderent principatum.*

Iosephus hic prædici ruinam Monarchiæ Assyriorũ putat.

Iosephus lib. 9. Antiq. Iudaicar. c. 11.

23 Verùm de Asiæ imperio hîc agi negat Ioannes Drusius. Et sanè si tantùm de amissione principatus Asiæ loquatur Iosephus, non verò de ciuitatis interitu, cuius non ita expressè meminit, frigidiùs loquitur. Aliud enim est ciuitatẽ aliquam in alterius trãsire imperiũ, vel eam principatũ atque imperium, quo gloriabatur, amittere; aliud eam funditus subrui & euerti; quo nihil euenire illi acerbius poterat.

Displicet opinio Iosephi.

24 Quidquid sit de Assyriorum Monarchia, cui denuntiatum à IONA fuisse interitum ex sacris Litteris non constat; hoc & verissimum, & certissimum est, elapsis quadraginta diebus, nisi intereà quod peccauerant emendarent, & commissa lugerent, Niniuitas omnes vnâ fuisse perituros, siue hostium inuasione & armis; siue terræ motu & immani hiatu, siue aquarum inundatione, tempestate, ac turbine, siue aëris infectione ac lue; siue misso

Post 40. dies, finxissent pœnitentiam, periissent certò Niniuitæ.

cæ-

cælitus igne ac fulmine; vti olim Gomorrhæi & Sodomæi perierunt, quorum cùm fuerint imitatores in opere, esse quoque poterant in supplicio participes.

Et iustè periissent.

25 Neque hæc dura Niniuitis, similem pœnam iam pridem commeritis, videri poterant, quos ipsa factorum consciẽtia arguebat: quin imò magna Dei, & numquam satis laudata clementia est, magna & singularis benignitas, post toleratam tanto tempore, tam patienter, iniquitatem tantam tantaque scelera: vt ipsi, illorum non ignari, dicere potuerint, quod dixit multis pòst sæculis Poëta, si quando ex sensu proprio ipsaque veritate loquerentur:

Horatius lib. 1. Carm. Ode 3.

Cælum ipsum petimus stultitiâ: neque
Per nostrum patimur scelus,
Iracunda Iouem ponere fulmina.

Adhuc vltrà dare tempus, & longum satis, dierum videlicet quadraginta, vt commissa eluant salubri metanæâ, reuertantur in gratiam, & nouam auspicentur vitæ melioris rationem: dare inquam illis spatium istud, non longius; ne fortè viuerent securi vt antè, neglectâque pœnitentiâ manerent qui fuerant, & perirent: non breuius; ne de diuina misericordia diffiderent, & de vitæ emendatione tantillo tempore simul concipienda, simul adimplenda, desperarent.

Denuntiatio pœnæ signum clementiæ est.

26 Hæc ergo maximè dura comminatio, maximæ est signum clementiæ. Nam si planè decreuisset Deus perimere Niniuitas, eos non monitos, & nihil minus cogitantes, prout facere poterat, peremisset: cùm verò monendos iussit, quid aliud quã eos prouocare hac ratione ad pœnitentiam studuit. Non loquitur tamen de pœnitentia, neque de ea loqui populo iubet Prophetam, & dicere: *Conuertimini, pœnitentiam agite*; vt Niniuitæ ipsi, voluntate propriâ indicentes sibi eam quam paullò pòst indixère lugendi & pœnitendi legem, maiori laude commendationeque digni censeantur; alij verò tam parum curiosi & seduli æmulatores virtutis illorum, videant quanto maiori sint digni opprobrio, pœnâ, supplicio, dum in tantis, & fortè maioribus, quàm illi deprehensi sceleribus, atque etiam de iis variè moniti non semel, sed decies, sed centies, sed millies, in iisdem computrescunt. Sed, ô Deus bone! fac & his gratiam, exhibe etiam his misericordiam tuam, educ de tam fœdo carcere, de tam turpi sordium cloaca, de ferreis vinculis peccatorum, animas pereuntium, & saluos eos fac, propter nomen sanctum tuum.

Chrysost. Homil. de Iona To. 1. in fine.

Mysteriũ habet numerus quadragenarius.

27 Ceterùm, vt ad Niniuitas reuertamur, magnum habet mysterium, quòd illorũ pœnitentiæ assignentur dies præcisè quadraginta. *Conuenit hic numerus*, secundùm D. Hieronymum, *peccatoribus, & ieiunio, & orationi, & sacco, & lacrymis, & perseuerantia deprecandi.* Et, secundùm Augustinum, numerus est pœnitentiæ. In quam mentem dixit quoque Eucherius: *Ionas Propheta Niniuitis prædicauit adhuc quadraginta dies, & Niniue subuertetur: vt per tot dies accommodatos humiliatio pœnitentium, & accepta remissio peccatorum intelligatur.*

Hieron. in c. 3. Ionæ.

August. de doct. Christiana lib. 2. c. 16.

Eucherius in Commen. in Genesim.

28 Numero quadragenario conclusisse videtur Deus, quidquid ferè vnquam, & vspiam ab hominibus exegit voluntarij supplicij, quidquid pœnarum iisdem inflixit. Cùm totus per cataclysmũ expiaretur orbis, non nisi *cùm transissent quadraginta dies, aperiens Noë fenestram arcæ, quam fecerat, dimisit coruum, qui egrediebatur, & non reuertebatur, donec siccarentur aquæ super terram.* Propheta Ezechiel diebus quadraginta, pro tribu Iuda in dexterum latus inclinatus iacuit. Libro Deuteronomij Iudicibus Israel præcipitur, vt si quem propter delicta plagis dignum repererint, illum cædi quidem iubeant, verùm non nisi quadraginta ictibus; verba legis sunt: *Pro mensura peccati erit & plagarum modus: ita dumtaxat, vt quadragenarium numerum non excedant: ne fœdè laceratus ante oculos tuos abeat frater tuus.* Hoc autem obseruantes Iudæi, & simul dare

Gen. c. 8. v. 6.

Deut. c. 25. v. 2.

volentes signum aliquod suæ in reos benignitatis atque clementiæ; vix hunc numerum attingebant. Sic secum actum Paulus testatur, cùm ait: *A Iudæis quinquies, quadragenas, vna minus accepi.*

2. Cor. c. 11. v. 24.

Numerus quadragenarius est numerus pœnitētia.

Exodi c. 34. v. 28.

29 Passim nota sunt, quæ à D. Hieronymo, Ruperto, & aliis recensentur: quomodo nimirum Moyses accepturus à Dominò legem alterâ vice in monte Sinai, ibidem ieiunarit quadraginta diebus, & totidem noctibus. Elias Iesabelem fugiens diebus quadraginta sine cibo ambularit ieiunus. Filij Israel annis quadraginta per desertum profecti sint in terrā promissionis. Christus Dominus Seruator noster, vt verbis D. Hieronymi vtar, *verus Ionas, missus ad prædicationē mundi ieiunarit quadraginta dies, & hæreditatem nobis ieiunij derelinquens, ad esum corporis sui, sub hoc numero nostras animas præpararit.* Sed & modò, si quando ob publicas Ecclesiæ necessitates solemnes instituimus preces; eas ad numerum illum reducimus; horas quadraginta quà die quà nocte, vlla sine intermissione iis impendentes constāter. Neque enim ignoramus, quòd, vt ait Gregorius Magnus, *Quadragenarius numerus ad peccatores pertinet, vnde & quadragesima tempus in sancta Ecclesia eodem dierum numero consecratum est, vt videlicet ea quæ committimus peccata, tergere pœnitendo studeamus.*

Hieron. in c. 3. Ionæ.

Gregorius lib. 4. Expositionis in lib. 1. Regū c. 2.

30 E quibus colligere est, quàm appositè tempus pœnitentiæ sit Niniuitis constitutum à Deo, & à IONA promulgatum dies quadraginta: neque plures, neque pauciores. Porrò id vbi ab eo promulgatum, vbi à populo intellectum, magnos vbique motus concitauit animorum. Neque enim erant ignari populi illi, quantumuis Ethnici, quòd

Licet haud sontes præsenti puniat irâ,
Sera tamen sumit Deus, at grauiora malorum
Supplicia: & lentum semper compensat acerbo.

Homerus Iliadc 4.

31 Sed an non ergo vltra hunc terminum dierum quadraginta, vel ad diem vnum aut horam se extendit Dei clementia, vt differri adhuc paullulū ampliùs vindicta potuerit? Potuit, at non placuit. Sic ab ea statutus est clementiæ terminus, qui esse certus aliquis debet, ne semper impunè peccetur. Olim quidem ante diluuium, quando *omnis caro corruperat viā suam,* datum est orbi perituro tempus pœnitendi anni centum & viginti; Chananæis iam à sæculo Abrahæ exterminium commeritis longè plures. Niniuitis verò dies tantùm quadraginta, tempus breue pro immensa Dei bonitate & clementia; at longum, & longum nimis pro illorum tanta malitia. Diu multumq; Deus dissimulauerat, longo tacuerat tempore, omnia sustinuerat cum diuturna & longanimi patientia; at vbi impleta fuit iniquitatum mensura, vbi iam excreuerat ferè quantum posset malitia, ita vt terram, aëra, cælos penetrans, thronum ipsius velut pulsaret, tandem tempus erat vt diceret, sicut olim per Isaiam Gentibus, quibus multis sæculis idola & vitia fuerant dominata impunè: *Tacui semper, silui, patiens fui, sicut parturiens loquar: dissipabo, & absorbebo simul*: ita per IONAM Niniuitis, qui tum pars maxima Gentium, & vti præ reliquis potentissimi; ita & insolentissimi, maximeque scelerati: *Adhuc quadraginta dies, & Niniue subuertetur.*

Nō placuit Deo dare Niniuitis longiorem terminum pœnitentiæ quam dies 40.

Gen. c. 6. v. 12.

Isaiæ c. 42. v. 14.

32 Tempus hoc, quia supererogationis erat, & diuinæ bonitatis atque indulgentiæ propter eorum demerita nimiæ, Dionysius Carthusianus longum censet; certè meâ quoque sententiâ sufficiens, vt inueterata animi sui sanarent vulnera, insolitas malas consuetudines tollerent, sibi luctu, lacrymis, pœnisque voluntariis mederentur. Vt & fecerunt; nam rectè vsi tempore, quemadmodum narrat Philippus Bonæ Spei Abbas. *Huiusmodi tonitruo vehementiùs tremefacti, ad tantam humilitatem tumore deposito sunt redacti, vt ducti pœnitentiâ, saccis se vilibus operirent, & indicto ieiunio, in sacco & cinere tam iumenta, quàm homines esurirent.* Quâ ratione effectum est, vt stete-

Dies 40. concessi Niniuitis fuerunt supererogationis.

Philippus Abbas de silent. Clericorum c. 81.

Per clamorem Ionæ conuersa & seruata Niniue.

ſteterit multo pòſt tempore ciuitas, licet tam improba iudicata, teſtis tam illuſtris obtentæ per ieiunium, cineres, ſaccum, & veram ad Deum conuerſionem victoriæ.

Per clamorem, S. Gregorij Romæ.

33 Ad Niniuitarum imitationem Romanos ſuos aliquando incitauit ad pœnitentiā Magnus Gregorius Pontifex, in dira illa mortalitate quę Vrbem magna ex parte depaſta, necdum ceſſabat: voce paternâ ſic ſuos pro concione affatus, vti à Ioanne Diacono in eius vita relatum accepimus; *Veternoſas Niniuitarum culpas triduana pœnitentia abſterſit. Mutemus igitur corda; citiùs ad precem iudex flectitur, ſi à prauitate ſua peccator corrigatur.*

Ioannes Diaconus vitæ Gregorij lib.1.c.40.

Per clamorem Epiſcopi ſui Conſtantinopolæ.

S. Auguſt. de Excidio vrbis c.6.

34 Factum etiam Conſtantinopoli, Arcadio Imperatore anno Domini trecenteſimo nonageſimo ſexto narrat Auguſtinus, vt cùm vellet Deus *terrere ciuitatem, & terrendo emendare, terrendo conuertere, terrendo mundare, terrendo mutare,* ſic ille loquitur, ſeruo cuidam ſuo fideli homini militari, reuelarit, & dixerit: *Ciuitatem venturo de cælo igne perituram, idq; Epiſcopum moneret.* Monuit, & cum fructu monuit; Epiſcopus enim conſiderato rei momento, affatus populum, effecit vt conuerſa in pœnitentiæ luctum ciuitas tota, quemadmodum olim antiqua Niniue, haſce tam graues minas euaſerit.

Ad Pœnitentiam adhortatio exemplo Niniuitarum.

Quod Niniuitis, quod Romanis, quod Conſtantinopolitanis ſtimulo fuit; ſit & nobis; atque illorum exemplo mutemus in melius, quod peccauimus; & Dominus à nobis æquè atque ab illis, in nos non minùs quàm in illos miſericors, flagella auertet. Suadeo autem ne exſpectemus, donec imminente per morbos vel ſenium vitæ exitu, dicatur nobis: *Adhuc quadraginta dies, adhuc tres, adhuc dies vnus.*

Martialis lib.11.

Sera (inquit ille) *nimis vita eſt craſtina, viue hodie.*

Viue quiſquis es Deo, tibi, proximo tuo, viue æternitati: id eſt, ſecundùm Auguſtinū, *ſic ſtude, quaſi ſemper victurus: ſic viue, quaſi cōtinuò moriturus.* Hoc Theologos, quibus loquor, decet, hoc Chriſtianos decet: & ſi factum fuerit, mors numquam importuna obueniet, numquam, quod vel maximè optandum, imparatum offendet.

LECTIO QVINTA.

ADHVC QVADRAGINTA DIES, ET NINIVE SVBVERTETVR. *Verſ.* 4.

ARGVMENTVM.

Diſputatur an ex Dei mente & imperio, an verò ex ſenſu proprio id dixerit IONAS; *deinde an hoc tantùm dixerit. Non vnam eſſe Niniuen oſtenditur. Cur olim Niniue, & nunc ſimiles ciuitates, opibus abundent & populo, rationes aſſignantur. Perituras has etiam modò ſicuti illa olim peritura erat, ni ſe ſimiliter emendent, perhibetur.*



1 CVM ex cōmuni Rhetorum ſententia Oratoris officium ſit dicere appoſitè ad perſuaſionem; finis verò perſuadere dictione: ſtudioſè illi conquirenda ſunt argumenta, quibus id faciat. Vt ergo munere ſuo rectè fungatur Orator, Auditores ſuos ſpectare eum oportet: quos ſi ita viderit comparatos, vt nullo negotio rectæ rationis ſecuturi ſint ductū, & facilè diuinis humaniſque obſecuturi legibus; tunc certè non niſi rationum vtetur momentis, quibus per ſe pronos in bonum, flectat quò velit.

Oratori, pro auditorum capacitate, aliter & aliter eſt agendum.

lit. Sin verò aduerterit eos rudiores, animo satis peruicaces, non ita dociles, aut flexiles, adeoque magis timore adigendos, quàm amore prouocandos; minis aget, & iisdem veluti quibusdã arietibus quodammodò compellet nolentes.

Quomodo cũ Hebræis egerit Deus.

2 Sic ipse Deus olim populum Hebræorum, resilire à malo, & rectè agere docuit. Erat is optimis quidem instructus legibus, non deerant Domini mãdata; sed neque proposita præmia, quibus in officio contineretur: interim parum amore actum est, ampliùs timore. Hinc, qui eos saluos cupiebat, mandauit Deus, vt Moyses, &, quorum ad id operâ vtebatur, Prophetæ, certis temporibus ad ipsos destinati, minis agerent, bella, annonæ caritatem, pestem, & nescio quæ non flagella, rebellibus & refractariis proponerent; vt sic saltem Dominum suum agnoscere, & si non reuereri & colere, timere discerent.

Quomodo cum Niniuitis egerit Ionas.

3 Prorsus ita cum Niniuitis accidit: erant illi immersi sceleribus, nec modus erat ducendi improbissimos homines ad viã veritatis & virtutis alius, quàm si quis mitteretur, qui imminentem illis interitum nuntiaret. Nuntiauit missus à Domino IONAS, & dixit: *Adhuc quadraginta dies & Niniue subuertetur.* Parum illis hic placuit sermo, sed plurimum profuit. Vereor ne & ego parum gratus Orator hoc loco multis futurus sim hodie, quando iterùm illam ipsam feralem vocem IONÆ, auribus vestris inclamare pergo, & cum eodem dicere: *Adhuc quadraginta dies & Niniue subuertetur.*

Argumentum Concionum S. Petri Martyris.

4 Dedit mihi ad id præstandum libertatem maiorem atque audaciam viri magni & sancti exemplum. Memini namque B. Petrum è S. Dominici familia Ecclesiasten egregium, qui suo etiam sanguine nobilitauit Ecclesiam, eius fastis adscriptus ad tertium Calendas Maias, hoc vno argumento, hac inquam IONÆ comminatione in thema concionum suarum assumptâ, totam commouisse Italiam; scio tam forti & efficaci dicendi ratione Mediolanum, Parmam, Cremonam, & vrbes alias opulentiores aggressum, effecisse, vt more Niniuitarum pœnitentiam, eamque publicè in conspectu omnium, agere ciues non erubescerent.

Optatur Spiritus Sanctorum Ionæ & Petri Martyris.

5 O si quis nunc, spiritus tanti viri simul & virtutis illius hæres, hanc cathedram occuparet! & Ruræmundam affatus, quâ olim ratione Niniuen IONAS, & Mediolanum, vel quam aliam ciuitatem Petrus, eos quoque, quos illi, facere posset motus animorum! Conabor saltem iteratò ad vos dicere, quod totâ vitâ suâ quauis occasione opportunâ, quouis non loco, pro concione beatus ille Martyr. Vtinam, si non eo fructu quo ille, eâ saltem quâ opto felicitate, & eo animarum lucro quod quæro.

Quomodo verax sit Ionas dicens adhuc 40. dies & Niniue subuertetur.

6 Hoc priusquam facere incipiam, Prophetæ verbis tantisper inhærendum mihi erit, dum latentem in illis eruero veritatem. Quærendum verò inprimis, verumne dicat, atque ex Dei imperio, an magis ex sensu suo motuque proprio, quod Niniuitis dicit, & clamat: *Adhuc quadraginta dies, & Niniue subuertetur.* Quæstionis ratio est, quòd diebus totidem, & longè pluribus steterit, & intacta steterit, frustrà ei denuntiante interitum IONA. Quare videndum, arguíne ex hoc capite alicuius mendacij possit.

Sententia Dionysij Carthusiani. Carthusianus in c. 3. Ionæ.

7 Dionysius Carthusianus, vt se ab hac difficultate expediat, asserit eum minatum Niniuitis, eisque quod futurum erat denuntiasse, non ex ordinatione diuina; sed ex dispositione rerum: id est, prout exigebant tam multa tamque enormia peccata, quibus inuoluti iam diu iacuerant, & iacebãt adhuc. Hic autem illorum status tam infelix & miser, cùm mutari facilè in alium potuerit, mirum videri non debere, si eius tam dira & acerba comminatio exitum nequaquam quem dixerat sit sortita; sed magis alia omnia, felicissima optatissimaque euenerint. Etenim cùm exigerent præsentia scelera ciuitatem subrui funditus, & omnes qui in ea erãt habitatores perire,

ire, nihil dixit à veritate alienum; quando rebus sic constitutis, atque in eo statu permanentibus, plectendos pro meritis ore prophetico monuit. Hæc hactenus ex Dionysij sententia.

Sententia Philippi Abbatis. Philippus Abbas de silen. Clericorum c. 81.

8 Illis conformia sunt, quæ scripsit ante annos quingentos Philippus Bonæ Spei Abbas. Ait namque explanãs illa verba: *Adhuc quadraginta dies, & Niniue subuertetur: intelligi debet eo die subuerti promeretur, & cui ex merito nequitiæ vltra eũ diem subuersio non differtur, interuentu pœnitentiæ velut nox orto solis iubare iam aufertur. Quòd ergo sermo veridicus, ciuitati quasi definitum subuersionis terminum assignauit: non interitum veraciter, sed meritum subtiliter designauit: quia scilicet tanto reatu scelerum teneretur, vt eius merito vltrà dilatio non daretur. Verùm quod illi, vel cuilibet nonnumquam peccatori infertur ex merito, cedente paulisper iustitiâ donatur gratuitò, & mens interior pœnitendi amaritudine conuenitur, & sic remissione gratuitâ vltio pridem mèrita præuenitur.*

9 Sed contrà arguere posse videmur, & quærere: numquid sciebat Deus mutatâ ciuitatis constitutione, & secutâ, quam præuiderat, populi conuersione ac pœnitentia, quid esset futurum? numquid nouerat hoc tempore Niniuen nequaquam perituram? Quid ergo, perituram, & quidem eo mandante IONAS nunc asserit? Scio Origenis sententiâ id ex suo sensu clamare nostrum Prophetã, non ex Dei denuntiare voluntate: verùm ea meritò à Francisco Ribera temeritatis damnatur. Nam, vt cetera taceam, quis credat eum tam recenti tempestate, demissione in mare, mortis tam præsenti periculo intra ceti graueolentia viscera toto triduo monitum tam seuerè, ausurum fuisse prædicare quod iussus non fuerat, neque Deo reuelante cognouerat.

Origenis sententia. Ionam ex suo sensu, non ex Dei voluntate hic loqui.

10 Philippus Abbas dubiè quidem loquitur de cognitione Prophetæ: *Fortè*, inquit, *misericors Deus proferre voluit per Prophetam, quod nec ipse proferens intellexit. Subuersionem quippe, quam in melius fieri Deus miserans ordinabat in deterius fieri Propheta lippiens æstimabat, & audito verbo non satis perspicaciter aduertebat, quia sicut in malum iustus, sic in bonum misericors subuertebat.*

Philippus de silent. Clericor. c. 81.

11 Verùm cognouisse IONAM Domini voluntatem, atque ex ea fuisse locutum nullum est dubium. Fit hoc ex verbis sacris tam manifestum, vt ambigere sit nefas. Habemus namque in decursu historiæ huius paullò pòst: *Vidit Deus opera eorum, quia conuersi sunt de via sua mala; & misertus est Deus super malitiam, quam locutus fuerat vt faceret eis, & non fecit.* Quænam hæc, quam ad IONAM, & per illum locutus est Deus *malitia*; nisi subuersio Niniue, futura post dies quadraginta illi indicata, & per illum populo dicta?

Refutatur Origenis sententia. Ionæ c. 3. v. 10.

12 At inquies: Si sic ad IONAM locutus est Deus, & hoc mandante ad populum IONAS, cur verbo suo non stetit? an sicut homines errore lapsus est? neque Niniue periit tum temporis, cùm eam crederet perituram? Non sic: nequaquam in sua Deus præscientia fallitur, decreta ipsius certum semper & infallibilem exitum sortiuntur, & *Cùm*, vt S. Gregorius loquitur, *exterius mutari videtur sententia, interius consilium non mutatur: quia de vnaquaque re immutabiliter intus constituitur, quidquid foris mutabiliter agitur.* Itaque prorsus nouerat non perituram Niniuen, neque hoc ipsum IONAS ignorabat, alioqui non tantoperè timuisset mendax videri.

Gregorius lib. 16. Moralium c. 18.

Quorsum ergo interituram, & quidem ex mandato Domini clamat?

Respondet Augustinus: *Ego puto impletum esse quod Propheta prædixerat. Respice quæ fuit Niniue, & vide quia euersa est: euersa in malo, ædificata in bono: sicut euersus Saulus persecutor, ædificatur Paulus prædicator.* Et pergit: *Quis non diceret ciuitatem istam, in qua nunc sumus feliciter euersam, si omnes illi insani nugis suis desertis ad Ecclesiam compuncto corde concurrerent, nonne diceremus vbi est illa Carthago? Quia non est quod erat, euersa est, sed si est quod non erat, ædificata est.* Alibi breuius in eâdem sententiam idem Augustinus. *Euersa est*, inquit,

D. Augustini sententia. Augustin. in Psal. 50. Tom. 8.

Augustin. lib. 21. de Ciuitate c. 24.

quit, *Niniue, quæ mala erat & bona ædificata est, quæ non erat. Stantibus enim mœnibus atque domibus, euersa est ciuitas in perditis moribus.*

Declarantur verba Ionæ secundùm cõmunem veramq; sententiã.

14 Verùm huc nequaquam recurrendo, tametsi Niniue subuersa non sit, nihil in illâ denuntiatione IONÆ est absonum, nihil est à veritate alienum, nihil Deo, nihil Dei Propheta indignum: neque enim omninò absolutam, definitã, & irreuocabilem pronuntiauit sententiã; sed mutatis mox rebus, ac secutâ morum conuersione mutabilem; adeoque cùm ex Dei præscripto dixit: *Adhuc quadraginta dies & Niniue subuertetur*; id ita dixit, vt subintellecta fuerit conditio, quam fortè tacere iussus, certè non est iussus edicere, nisi egerit pœnitentiam. Ad eundem modum Isaias Regem Ezechiam affatur: *Hæc dicit Dominus Deus tuus: Præcipe domui tuæ: morieris enim tu & non viues.* Neque tamen mortuus est; sed quia *fleuit fletu magno*, ideò Dominus vitam quam illi ad imere minatus per Isaiam fuerat, ad annos quindecim prorogauit.

4. Reg. c. 20. v. 1.

Vers. 3.

3. Reg. c. 21. v. 19.

Sic Elias genus mortis crudele Regi Achab denuntians, ait: *Hæc dicit Dominus: In loco hoc, in quo linxerunt canes sanguinem Naboth, lambent quoque sanguinem tuum.* Hoc tamen Achab à se auertit, scindens vestimenta sua, opertus cilicio, ieiunans, dormiens in sacco & ambulans demisso capite.

Chrysost. hom. 5. ad populum Tom. 5.

15 Benè D. Ioannes Chrysostomus, *Si hominibus in eadem malitia permanentibus non in opus sententia processisset, posset quis fortè dicta criminari: quòd verò mutatis ipsis, & à malitia desistentibus, etiam Deus ab ira desistit, quis ampliùs Prophetam carpere poterit, & dictorum mendacium condemnare? Etenim legem, quam ab initio Deus cunctis hominibus posuit per Prophetam loquens, hanc & tunc conseruauit. Quam autem legem? Repentè loquar aduersus gentem, & aduersus regnum, vt eradicem, & destruam, & disperdam illud. Si pœnitentiam egerit gens illa à malo suo, agam & ego pœnitentiam super malo quod cogitaui, vt facerem ei. Hanc igitur legem custodiens pœnitentes saluauit, & à vitio discedentes ab ira liberauit.*

Causa datur cur Ionas prædicat non futura.

16 Occurret fortassis alicui quod hic rursus obiiciat: Si Deus recedentes à vitiis suis & peccatis pristinis, vti nouerat recessuros, liberaturus similiter erat ab ira indignationeque sua & pœna, quorsum ista prædictio? Prorsus opportunè, vt nimirum non fiat quod futurum prædicitur, omninò nisi prædiceretur, futurum. Dico hoc, non tantùm ex meo, sed etiã ex D. Chrysostomi sensu, atque sententia: *Cur*, inquit ille, *futura prædicit, atque denuntiat, nisi vt prædicta non faciat? Ideò & gehennam minatur, vt gehennam non inferat.* Et alibi exclamat hoc Domini factum considerans. *O nouam rem, & admirabilem, denuntiatio mortem minans, vitam peperit. Sententia postquam lata fuit tunc inualida facta est, contra quàm apud sæculares iudices; apud hos enim in mediũ prolata rata fit sententia. Apud Deum contra proferri sententiam eam inualidam facit: nisi enim prolata fuisset, non vtique peccatores audissent, si verò non audissent, neque egissent pænitentiã, sine pænitentia verò pænam non repulissent, nec fuissent illâ salute potiti.* Atque hoc ipsum manifestè apparuit quando cessante hac comminatione cessauit & pœnitentia; sed non cessauit vindicta. Quippe, secundùm quod dixerat Tobias filio suo: *Propè erit interitus Niniue: non enim excidit verbum Domini*, post annos aliquot, & ipsa, & omnis ipsius gloria periit; vsque eò vt completum sit, quemadmodum loquitur Nahum Propheta, quod dixerat Dominus: *Omnis, qui viderit te, resiliet à te, & dicet: Vastata est Niniue.*

Chrysost. Hom. de Iona To. 1. in fine.

Chrysost. hom. 5. ad populum Tom. 5.

Tob. c. 14. v. 6.

Nahum c. 3. v. 7.

Quæritur an Concio Ionæ tantùm fuerit sex verborum.

17 Resumam nunc bonâ vestrâ veniâ alteram quæstiunculam, à qua me nuper vno propè expediueram verbulo. Num videlicet tota IONÆ concio tam efficax habita ad multitudinem tantam, vltra sex illa, toties iam repetita, verba: *Adhuc quadraginta dies & Niniue subuertetur*, se nequaquam extenderit? an ab illis orsus, in iisdem etiam finierit? Hoc dicere, multis videtur paradoxum, qui longè plura ab

eo

eo dicta, imperata, inculcata, in hac verò narratione breuitatis causâ suppressa silentio opinantur: existimant enim eum fusè & latè rerum, quæ sibi euenerint seriem, ad conciliandam dictis suis fidem, enarrasse; & à priori Dei imperio ac fuga sua exorsum, ad vsque impositam sibi denuò post tot pericula adita legationem, omnia recensuisse, summâ facundiâ, energiâ, & gratiâ. Putat etiam Ioannes Chatardus eum, de Dei iudicio latiùs disseruisse, eius odiũ in scelera exemplis Sodomitarum, Gomorrhæorum aut similium confirmasse, atque ita Niniuitis timorem incussisse, ne verò frangerentur animis proposuisse eisdem Dei immensam bonitatem & misericordiam.

Affirmatur. 18 Verum, quidquid ipse & alij arbitrentur, ego persto in ea, in qua nuper fui, sententia: & dico, pauculis illis, quæ hic recensentur, verbis, verè neruosis, vsum dumtaxat, non pluribus; plura enim à Domino non accepit, acceptis verò quomodo addere de suo aliquid ausus fuerit non video; nisi fortè conciliandæ illis auctoritati debitæ præmiserit solemne illud Prophetarum ad omnes ferè denuntiationes suas velut præludium: *Hæc dicit Dominus*, atque huius sententiæ est inter ceteros D. Chrysostomus. Chrysost. hom. 5. ad Pop.

Rogatum multa circa se gesta narrasse credibile est. 19 Non diffiteor tamen, admodum videri probabile, quod docent Paulus Palatius & Ioannes Treminius, quorum etiam sententiæ subscribo libenter, perbreui hac concione auditâ, plures auditorum Oratorem nostrum conuenisse, eumque ingenti cingentes coronâ, hominum vndequaque subitò simul accurrentium auctâ multitudine, &, vti mos est, multa hinc inde ad legationem eius spectantia sciscitantes curiosè, breui totâ rei gestæ seriem cognouisse: id est casus omnes, æquè aduersos ac prosperos, quos iis non enarrarit inuitus; quòd sciret id in tantum ad conciliandam sibi auctoritatem valiturum; vt sic facilè credituri essent diuinam à se causam agi, non suam; Dei monitu & iussione eum venire, non propriâ voluntate: vti & accidit. Nam cùm iis quâ mente, & quâ ratione venisset exposuit, quantis etiam ob recusatam legationem incommodis fuisset obnoxius, quantis affectus malis enarrauit; statim, ad enarrata prodigia vehementer attonitis & stupentibus, persuasit pœnitentiam, & vitæ pessimæ vitiosæque consuetudinis commutationem; eosdemque confestim deduxit à superstitione & cultu deorum inanium ad veram religionem, pietatem, virtutem: quod aliàs præstare aut nullo modo, aut non nisi admodum ægrè potuisset.

20 Ex quo etiam effectum est, vt loquitur Theodoretus, *quòd, cùm ignotum & alienum hominem rerum horribilium declarvtionem profitentem viderunt, non modò non interfecerunt; sed ne illi quidem infensi fuerunt.* Quo pacto verò non essent infensi? quomodo non turbarentur vehementer? nisi probè nossent, quâ veniret auctoritate, cuius imperio tantas ignoto sibi populo minas intentet. Profectò, non dubito, si hæc ignorassent, non aliter illos in Ionam quàm in Moysen Pharao, Iudæi in Stephanum, in Christianos Nero, Diocletianus, Domitianus, & alij exarsuros fuisse. *Cur Niniuita Iona monenti non fuerint infensi.* Theodoretus in hunc locum.

21 Durum est audire, & voluere animo, etiam viro forti, illud, quod tamen iam pridem certò euenturum nouimus, quoniam *Monitionis huius grauitas explicatur.*

Linquenda tellus, & domus, & placens
Vxor: neque harũ, quas colis, arborum,
Te præter inuisam cupressum
Vlla breuem dominum sequetur.

Horat. lib. 2. Carm. Ode 14.

Cum Ethnicis loquẽs Ethnici dictum vsurpo; sed longè durius audire, quod in id vsque temporis ignoratum, post dies paucos subuertetur domus tua, peribit vxor & liberi, famuli & ancillæ, tecum tua omnis posteritas vno eodemque tempore delebitur. Durissimum ad hæc audire, & velut iam præuidere imminentem interitum, simul suorum, simul propinquorum, amicorum, familiarium, notorum, ciuium omnium, adeoque ruinam totius ciuitatis;

tatis; ita vt ex ea, & eius incolis, mox nihil superfuturum sit, nisi rudera, bustum, & cineres.

22 *Si* enim, ita hoc exponit Chrysostomus, & oculis nostris subiicit: *Molestum est eodem temporis articulo, in vnis ædibus, pariter duos interire pueros, intolerabileq́, visum est beato Iob, quòd tectum domus super omnes liberos eius ceciderat, quid putas futurum fuisse non vnam videre domum, nec duos dumtaxat pueros; sed gentem duodecim myriadum, tectorum culminibus pariter obrutam?* In hæc denuntiantem, inter tam multos concurrentes paribus animis & studiis ciues, vt nemo efferuescat, nemo indignetur, nemo sit qui vomat flammas irarum, ægrè mihi persuasero; nisi in eo magni aliquid, & homine maius aduerterint, aut recẽsitis ab eo rebus gestis acquieuerint; arbitrantes nefas esse illi refragari veritati, cui tanta prodigia præluserunt.

Christi de Ierosolyma ruina prædictio est similis prædictioni Ionæ de Niniue.

23 Quod de Niniue IONAS, prædixit suo tempore de Ierosolyma CHRISTVS. IONAS ait, affatus Niniuẽ: *Adhuc quadraginta dies & Niniue subuertetur.* CHRISTVS ait, conuersus ad vrbem Ierusalem: *Venient dies in te: & circumdabunt te inimici tui vallo, & circumdabunt te: & coangustabunt te vndique: & ad terram prosternent te, & filios tuos qui in te sunt, & non relinquent in te lapidem super lapidem.* Luc. c. 19. v. 43.

Signum fuit Niniuitis IONAS, cùm ex eius casibus tam acerbis, & liberatione de ventre ceti tam portentosa & mira, persuasi sunt eum Dei voce non hominis loqui. Signum fuit Iudęis CHRISTVS, cùm resurgens de ventre inferi, ostendit se Dei filium, factum iam virtute propriâ rediuiuum, eundem omninò, qui anteà nuntiarat venturam mundi salutem.

IONAM de ventre ceti prodiisse, Niniuitis innotuit: Christum resurrexisse Iudæos non latuit: visus enim non vni, non pauculis aliquibus, sed Paulo teste, *plusquam quingentis fratribus.* 1. Cor. c. 15. v. 6. Et quamquam sepulchri custodes fuerint corrupti pecuniâ, vt eum à discipulis sublatum mentirentur, veritas tamen etiam apud vulgus obtinuit, mentitaque est iniquitas sibi.

24 IONAS CHRISTI figura fuit; quid si dixerimus ad eundem modum in Niniuitis exhibitos etiam nobis fuisse Iudæos. Verùm sicuti non per omnia similes fuêre IONAS & CHRISTVS; ita nec Niniuitis pares Iudæi: hi enim, longè peiores, nec crediderunt, nec egerunt pœnitentiam vt illi. Quare fuit quidem, nisi resipisceret subuertenda Niniue; fuit verò, quia non resipuit, subuersa Ierusalem, post quadraginta, non dies, sed annos: subuersa, dico, deletaque funditus, secundùm quod Christus prædixerat: *Non relinquetur hic lapis super lapidem, qui non destruatur.* Mat. c. 24. v. 2. Populus verò rapinæ hostium expositus, tam fuit victoribus vilis, vt eorum triginta, quoniam Christum à Iuda venditum triginta argenteis emerant, vno venderentur denario.

Ierosolymitana destructio quo anno contigerit.

25 Tragicum hunc tam vrbis Ierusalem quàm Iudaici populi interitum, numerum, inquam, maximum enectorum gladio & fame; alium item eorum qui sunt à Romanis in captiuitatem abducti, Iosephus describit. Iosephus lib. 2. de bello Iudaico. Accidisse verò stragem illam tantam Iudæorum, annis non ampliùs quadraginta à Domini Resurrectione, docet exacta temporum supputatio; quam, initam à Tiberij Cæsaris anno decimo octauo, quo Christus Dominus mortuus est, ad secundum Imperatoris Vespasiani, quo secundùm Iosephum est euersa Ierusalem, sic deduco. Iosephus, lib. 2. de bello c. 18.

Imperauit Tiberius annis circiter tribus & viginti; Caius Caligula annis tribus & mensibus decem; Claudius annis tredecim & mensibus nouem; Nero annis quatuordecim & mensibus septem; Galba, Otho, Vitellius, anno vno mensibus nouem; Vitellio deinde Vespasianus successit, ex cuius imperio sumendo annum vnum, & ex Tiberij imperio ab anno decimo octauo ad vigesimum tertium, quo obiit, annos quinque, conficietur numerus annorum quadraginta, atque

ita

ita Christi Principis Prophetarum, quod prædixerat, de Ierosolymorum subuersione completum monstratur oraculum.

Multæ nũc ciuitates malitiâ similes Niniue. 26 Qualis IONÆ tẽpore Niniue, & CHRISTI Ierusalem, numquid non vspiam talis aliqua adhuc ciuitas est, si non par potentiâ, de quo non est nostrum disputare, certè non dispar malitiâ? Sit vtinam vna tantùm orbe toto, & non plures. Multę sunt, heu nimium multæ! variis in orbis partibus, quibus si non Propheta, certè quis alius prophetico plenus spiritu, spectatâ illarũ prauitate, eaque, quæ ibidẽ dominatur, impunè peccandi licentiâ, meritò occlamet: *Adhuc quadraginta dies, & subuerteris*, aut certè subuerti mereris. Tales ciuitates, meras cloacas, & sordium omnium receptacula, vocauit aliquãdo Gulielmus Pepinus, ex D. Dominici familia Theologus, & Ecclesiastes percelebris, ciuitates diaboli, quas pro suo insigni zelo voluisset cum turribus, mœnibus, propugnaculis, palatiis, hortis, ædibus, amœnitatibus, balneis, deliciis, diuitiis, vniuersaque sua supellectile, quà domestica, quà suburbana, dirutas, solo æquatas, subuersasque funditus. Hinc eas tantoperè suæ vocis ariete impetit, totis quadraginta concionibus, vt ipsius clamor, & vox nobilis, datis à Deo vrbi Niniue totidem diebus pœnitentiæ respondere videatur.

Agit ipse potissimùm contra Lutetiam Parisiorum, vbi Oratorem Christianum egerat aliquando; sed illius dum insequitur sordes & scelera, satis indicat (nam

——— *ex vna*

Disce omnes) ———

quid sit in magnis ferè vrbibus vitiorum, quæ tamẽ pluribus & maioribus Deo obstrictæ beneficiis, amplius ei gratitudinis deberẽt impendere; non verò cumulãdo peccata, magis se exhibere ingratas. Habẽt hoc illę præ ceteris, quòd munitæ vallis, mœnibus, propugnaculis, nõ sint expositæ casibus illis, quibus vrbeculæ, municipia, pagi, possintq; percõmodè ciues suos ab hostiũ irruptione defendere. Verùm hãc sibi datam à Deo gratiam non agnoscunt, & pro eo, quòd illi ampliùs & fideliùs seruire deberent, magis sunt in omnem audaciam & scelus proiectæ, vtentes iis, quæ se offerunt in bonum occasionibus, magis in malum; pro virtute ambitionem, luxum, auaritiã, libidinem & mille huiusmodi vitiorum pestes sectando: quo fit vt si tales esse perrexerint, tantùm in supplicium supersint. Neque enim melius illis erit quàm fuerit olim Iericho, de qua dixit aliquando filiis Israël Iosue: *Sit ciuitas hæc anathema, & omnia quæ in ea sunt:* *Iosue c. 6. v. 17.* seriùs aut citiùs audituræ similiter à Domino, nisi cum Niniuitis resipiscant: *Sint ciuitates hæ anathema, & omnia quæ in eis sunt.* Nunc permanentes in sceleribus suis stãt quidem; sed non semper stabunt, nec stant securæ dum stant, crescant licet ciuium multitudine, opum affluentiâ augeantur, rerum omnium copiâ abundent, nihil eas stabiliet, quã stabilis & firma incolarum virtus: hac deficiente, & ipsæ deficiẽt, & dum peccata cumulabuntur, cumulabuntur ruinæ paulatim, è quibus quàm sit illarum totus in propinquo patebit interitus.

28 Mirantur nonnulli, esse ferè vrbes ad virtutẽ segniores & in vitiũ pronas, *Cur vrbes deditæ vitiis sint ferè aliis potentiores.* præ ceteris illas quæ sunt potentes & magnę. Mirũ profectò ni essent, quãdo etiam pessimum quemque admittunt, excludunt neminẽ, quando omnibus, etiã per quidquid est vitiorũ grassantibus, istic esse licet impunè. Nõ dubito *Titus Liuius 1. decadis lib. 1.* quin vestrũ multi meminerint ex Romana historia, quòd, cùm Romulus ad *Libertas Romam populosam subitò fecit.* vrbem à se conditã confugientibus, libertatẽ spopondisset; tam eam subitò hac libertatis & impunitatis spe cõcurrẽtibus magno numero latronibus, sicariis, fugitiuis, atque vniuersa perditissimorum hominum fæce, reddiderit populosã; vt cum cuiusuis etiã potentis & perantiquæ ciuitatis incolis de frequẽtia multitudineq; suorũ contenderit. Si igitur Niniue, id est quęuis soluta *Eadem libertas alias ciuitates breui auxit hominibus.* Dei legibus ciuitas, soli diabolo pessimã seruiens seruitutẽ, alioquin effrẽnis

& libera abūdet ciuibus, ne miremini: ibi enim asylū habet omnis improbitas; & non solùm viuere, liberè viuere, impunè viuere; sed & grassari, dominari per fas per nefas cuiuis licet, dūmodo nihil in Principē, nihil in Rempublicā peccetur: in Deum enim peccare susque deque est omnibus. Quare ibi locum habet illud Ecclesiastis, si vsquam: *Absque timore vllo filij hominum perpetrant mala.* Omninò absq; timore pœnæ præsentis, absque timore futuræ; quam, tamquam longè positam, ne cogitant quidem.

Eccl. c. 8. v. 11.

Libertatis amor magna illecebra.

29 Ceterùm quis nescit quàm multos, & quantâ vi trahere soleat libertatis amor, pro qua deseruntur omnia, ad quam omnes conuolant.

Non benè pro toto libertas vēditur auro, inquit ille verissimè: Nec minùs verè dicemus ex eiusdē quoque sententiâ: benè libertas quantouis auro emitur. Si igitur in Niniue, in ciuitatibus illis pessimis, libertas habetur, nec pretio emitur, cùm tam sit optata omnibus, quid mirū, si istuc, eam ibidem gratis cōsecuturi, omnes cōuolent? Optimè nouistis quotquot adestis huius nobilissimi Ducatus incolæ, quotiescūque de exactionibus, vectigalibus, tributis per Reges, aut Principes, vel impositis, vel imponendis mētio est, quā soleatis Geldricam vestrā libertatem (me, cuius non est de hoc decernere, nec probante, nec improbāte) propugnare. Est quidem hæc alterius generis libertas, ab ea de qua paullò antè egimus: interim qualiscūque illa fuerit, si libertas, magis autem si licentiosa libertas regnet; facit illius auidissimū populum, magnâ frequētiâ, ad locū aliquem vbi hęc sedē fixerit, cōcurrere, conuolare.

Raptus Sabinarū virginum Romam citò populo auxit. August. lib. 2. de Ciuit. c. 17.

30 Etenim, vt à Roma vrbe principe nō recedam; hæc cū à Conditore suo cōsecuta esset, vt liceret habitatoribus suis, quibus nō erat vxor, eā vbi, quam, qualem, & quomodo vellēt accipere; & ipsi obtentâ facultate vsi, elegantes Sabinorum filias raperent, creuit cōfestim vxore, prole, ciuibus Roma, adeoq; breuissimo tēpore, plurima capitū millia censuit. Neq; aliud quidquā Parisios, Amsterodamū, Venetias, Neapolim, Londinū, aliasq; vrbes Europę potētissimas, & maximas, ita fecit populosas & facit, vti libertas: quâ sublatâ magnam confestim multitudinē, omnem dico vulgi fæcem, aliorum quoque partem non minimam, sustuleris.

Diabolus libertate multos ad se allicit, & ad interitum ducit.

31 Similem, imò maiorē vrbis suæ incolis libertatē diabolus finit; vt quibus indulgere veneri, pergræcari, scortari, fraude, dolo malo, mendaciis, socios circūuenire, auferre aliena, ad quoduis verbum iurare, peierare, Deum & cælites maledictis lacessere, quoduis improbitatis genus verbo & opere cōplere, pro nihilo est. Obtinuit enim apud incolas vrbis illius lex principis populi, qui & dictator perpetuus: *Fac omnia quæ placēt animo tuo.* Sed quid erit tandem? quis futurus horum ciuiū exitus? Libertas exigui temporis, breui in perpetuā seruitutem mutabitur: quādo nimirū peracto vitæ huius curriculo, mittentur *ligatis manibus & pedibus in tenebras exteriores: ibi,* vt Dominus ait, *erit fletus, & stridor dentium.*

1. Reg. c. 14. v. 7.

Mat. c. 22. v. 13.

Ciuitates magnæ populosæ sunt ob potentiam, & opes.

32 Altera ratio, cur prę ceteris similes vrbes populo abundēt, hæc est: quòd in iis quoque esse soleat temporalium abundantia, quę vtinā inopiam non faciat æternorum. Experimur quotidie, eò ferè se cōferre homines, vbi est parandi victus ratio facilior, & habitatio cōmodior, magisque humanis vsibus opportuna. Vnde putatis quòd Niniue, seu quæuis diaboli ciuitas, tam sit frequens? ex multorum, deliciis, diuitiis, voluptatibus abundare cupiētium insatiabili desiderio: hæc enim multâ sollicitudine & curâ qui sectantur & quærunt, istic inueniunt.

Ciues talium ciuitatū nonnulli describuntur.

33 Ciuis eiuscemodi ciuitatis erat diues ille Euangelicus, qui referente S. Lucâ, *epulabatur quotidie splendidè,* atque his suis tam splendidis & opiparis epulis, cuius loci ciuis esset satis innuebat. Sed mensis sæculi huius amotis, intellexit statim, quod anteà ignorasse videtur, quo pretio epulatus esset, quando inter ea quæ pro his debebat flammarum stipendia, clamauit: *Pater Abraham, miserere mei, & mitte*

Luc. c. 16. v. 19.

Ibid. v. 24.

mitte Lazarū, vt intingat extremū digiti sui in aquam, vt refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma. Sed frustrà.

Sic multi eius conciues nunc *Tenent tympanum, & citharam, & gaudent ad sonitum organi: ducunt in bonis dies suos,* & parum cogitant, quòd mox *in puncto ad inferna descendent*; vbi cum vitæ, libertatisque suæ socijs vnà tot pastâ sceleribus flammâ torquebuntur æternum.

Iob 21. v. 12.

34 Nimium diu in vrbibus istis Niniuiticis hæsi, quibus doleo tot abundare prouincias, tot regna compleri, & longè magis, esse eas tot, ac tam nobilium ciuium capitibus frequentes.

Ab iis ad ciuitates animarum nostrarum transferamus nos paullulum, atque quid in iis geratur videamus. Vna est omnium maxima, secundùm Ioannem Cotreau, verè ciuitas Dei, sancta Ecclesia, cuius figuram, ait ille esse hanc Niniuen nostram, sanctificatam ieiunio, purgatam pœnitentiâ, toto orbe, non trium, sed plus quàm trium, millium dierum itinere diffusam; quæ omnes minores animarum nostrarum, ciuitates complectitur. Huic conuenire diximus ex Petro Blesensi illud Canticorum: *Tota pulcra es amica mea:* & in eam intrari trium dierum itinere, cùm dicitur: *Baptizo te in nomine Patris, & filij, & Spiritus sancti.* Ad singulas minores ciuitates, ad animas inquam nostras non deest etiam qui clamet *verus Ionas Christus* IESVS: clamet per se, clamet per suos, clamet sæpiùs, clamet vehementer: *Adhuc modicum aliquantulum, qui venturus est, veniet: Ecce venio citò:* clamet omnibus, clamet singulis, quod per Ioānem seruum suum fidelem denuntiandum curauit Angelo, siue Episcopo, Ecclesię Sardis. *In mente habe qualiter acceperis, & audieris, & serua, & pœnitentiam age. Si ergo non vigilaueris, veniam ad te tamquam fur, & nescies quâ horâ veniam ad te.* Interim nemo ad clamorem hunc aures arrigit, nemo minas eius formidat. Fortasse quia nulla formidinis causa? quia tuta omnia? O vtinam! sed aliud temporis nostri mores nunc passim loquūtur. Dixit de suo æuo Hieronymus illud cum IONÆ Niniuitas arguentis temporibus componens: *Eadem & maiora nunc, quàm tunc scelera regnant.* Numquid etiam nobis vsurpare modò illa D. Hieronymi verba liceat: *Eadem & maiora nunc quàm tunc scelera regnāt?* Sed quid iuuent, quando non est modò, vt tum, ferè quispiam qui IONAM, qui monentes, qui dicentes audiat.

Ecclesia maxima & optima ciuitas est; minores sunt anima nostra.

Blesensis ser. 48.

Cant. c. 4. v. 7.

Ad Heb. 10. v. 37.

Apoc. c. 3. v. 11.

Apoc. c. 3. v. 11.

Hieron. epist. ad Florentiū.

35 Certè multis locis abundè Oratores Christiani loquuntur, & clamāt, etiam ad confertissimā multitudinem, non secùs ac olim IONAS: *Adhuc quadraginta dies, & Niniue subuertetur.* Id est, quemadmodum Rupertus interpretatur, adhuc breue tempus pœnitentiæ datum est, post quod non erit ampliùs. Sicuti testis est Ioannes in Apocalypsi, qui Angelum fortem, nimirum filium de cælo descendentem vidit, atque id iureiurando firmantem audiuit. Sic enim ille: *Angelus, quem vidi stantem super mare, & super terram, leuauit manum suam ad cælum: & iurauit per viuentem in sæcula sæculorū, qui creauit cælum, & ea quæ in eo sunt. & terram, & ea quæ in ea sunt; & mare, & ea quæ in eo sunt, quia tempus non erit ampliùs: sed in diebus vocis septimi angeli, cùm cœperit tubâ canere, consummabitur mysteriū Dei.* Quodnam sit hoc Dei mysterium, exponit idem Rupertus appositè ad suū meumque propositū hoc loco. *Niniue subuertetur,* id est, inquit, *mundus per ignem iudicabitur, homines impij cum diabolo & angelis eius in ignem mittentur, tempus pœnitentiæ non erit ampliùs.*

Concionatores, modò non audiūtur, vt olim Ionas.

Rupert. in c. 3. Ionæ.

Apoc. c. 10. v. 1.

Ibid. v. 5.

36 Hoc pacto, etiam ad anagogicum sensum respiciens, quemadmodū hic respexit Rupertus, clamorem IONÆ interpretatur B. Petrus Damianus S. R. Ecclesiæ Cardinalis Ostiensis Episcopus, vir suo sęculo disertissimus. Ait namque: *Ionas qui ex diuina iussione ad Niniuen mittitur, imminere sibi post quadraginta dies excidium comminatur. Adhuc, inquit, quadraginta dies, & Niniue subuertetur. Quod quia tunc non legitur historialiter factum, exspectatur adhuc spiritualiter adimplendū. Per Niniuen quippe mundus iste designatur, per quadraginta*

Anagogicè Niniues interitu interitus mundi designatur.

Petrus Damianus hom. 47. de Nat. B. Virginis.

ta verò dies, omnis status vitæ præsentis innititur. Post quadraginta ergo dies, Niniue subuertetur, quia post huius mortalis vitæ decursum, completo videlicet electorum numero, mundus iste destruetur.

Insania hominum futura non credentiũ, de illis non cogitantiũ describitur.

37 Hęc, & his similia, non vnus, neque semel tãtùm, sed plures, & sæpiùs clamant etiam modò; verùm non est qui audiat, multò minùs qui, etiamsi fortè audierit, credat. Mirum nunc, vt semper, hominum genus: arbitrari plerique videntur, cũ de morte, de mundo perituro, de iudicio extremo, de tormentis inferni agitur, figmẽta esse, iis non absimilia, quæ parentes ad immorigeram prolem compescendam comminiscuntur, terriculamentis; ad speciem potiùs, quã ad veritatẽ compositis. Putant eos, qui Euangelicam loquuntur veritatem, cum Poëtis nouam aliquam Tantali sitim, Ixionis rotam, Sisyphi saxum, Danaidum cribro aquas haurientium confictos labores auditoribus obtrudere; atque ad illa, non secus atq; ad simile aliquid, aures & animos applicant; cumq; non magis etiam ad mentis intimiora penetrent, statim iterùm

Virg. 6. Æneid.

Itur in antiquam siluam stabula alta ferarum.

Reditur ad priora vitia: aut, vt veriùs dicam, in iisdẽ hæretur, nullâ morum, nullâ vitæ emendatione secutâ. Quo fit, vt pereat, si quis vmquã fuerit sensùs pietatis, nec illos moueant impendentiũ suppliciorum minæ; quę si quid possent, & animum valeant inflectere, cũ dicitur: *Nescitis diem, neque horã*, sollicitiores essẽt, & cauti magis ac prouidi, ne inueniat eos imparatos aliquando magnus ille cæli terræque arbiter. Mat. c. 25. v. 13.

Breuis est vita, & hora vltima incerta.

38 Profectò si rectè vitæ nostræ cursum perpendamus, non dantur nobis induciarũ dies quadraginta, quid dico dies, ne quidem horę totidem, imò nec hora vna & vnica. Clamat enim Ioannes: *Nouissima hora est*. Et Paulus, nec horæ, nec horarum mentionẽ faciens: *Tempus breue est*. E quibus, si benè ratiocinari voluerimus, concludemus agendã esse maturè pœnitentiã, mutanda in melius cõsilia, ne tandẽ subuersa anima locum sibi alium non inueniat quàm in camino ignis ardentis.

Ioan. 1. epist. c. 2. v 18. 1. Cor. c. 7. v. 29.

Comminatio Ionæ quàm profuerit Niniuitis ostenditur.

39 Visa fuit olim Niniuitis terribilis istæc comminatio: *Adhuc quadraginta dies & Niniue subuertetur*: sed profuit ad salutem. Nam non solùm subuersa, & destructa non fuit: *Sed*, vt loquitur D. Chrysostomus, *exaltata, & clarior facta est, & tantum tempus præteritum ipsius gloriam non destruxit; sed omnes eam cantamus adhuc quoque, & admiramur: quoniam portus quidam optimus ex illo tempore peccantibus omnibus exstitit, in desperationem cadere non permittens: sed omnes ad pœnitentiam vocans, & per ea quæ fecit, & per ea quæ per Dei prouidentiam est assecuta, persuadens numquam de propria salute desperare, sed vitam gerentes bonam, & optimam spem proponentes, de fine tamquam penitus bono futuro confidere.* Chrysost. hom. 5. ad pop. Antioch. to. 5.

Non minùs terrere nos debẽt, quàm Niniuitas, quæ nobis à Verbi Dei pręconibus, æquè ac quæ illis à Propheta, non semel, sed ferè quotidie intentantur minæ; magis autem prodesse, accedente potissimũ Niniuitarũ exẽplo, ne illud nos deinde ampliùs confundat.

Mortis memoria, tametsi amara, optima medicina.

40 Asperũ medicamenti genus est, quando ferro & ignibus vtimur: solent extremis tantùm malis, extrema hæc adhiberi remedia. Siracides medicus animorum sapientissimus sic fecit: magna in necessitate, & in vehementi ægritudine cõstitutis, quibus dulciores illæ diuini amoris epulæ fastidio erãt, timoris amariorem medicinam, & minùs gratam mentis palato, salubrem tamen, præscripsit: *Memorare*, inquit, *nouissima tua*: quid amarius? Sequitur: *Et in æternũ non peccabis*. quid salubrius? Neminem illius medicinæ pro tali vita & sanitate obtinenda pœniteat. Benè Drexelius. *Nemo prudẽs inter Oceani fluctus in tabulã ludit, nemo ab ingẽti præcipitio pẽdulus scelera meditatur, nemo inter medios armatos hostes inermis hilarescit. Stolidior his est, qui in perpetuo mortis metu, omni horâ dubiâ, omni momento incerto, ea audet, quæ æternùm infelicem adferunt mortem.* Habeat ergo mortem prę oculis semper, & non peccabit.

Eccl. c. 7. v. 40.

Sed nec amara homini bona vita & conscientia.

Drexelius Prodro. æternitatis c. 1. §. 3.

41 Di-

41 Dicetis, qui continuò cogitet se esse moriturum, is quot momentis viuit, tot moritur: & mortis imagine semper propositâ, omnem vitam acerbam ducat oportet. Mihi credite, non acerbam, sed beatam: cùm licet à foris effusus non sit in sæculi voluptates; intus tamen quia securitatem mentis habet, habeat etiam veram voluptatem, lætitiam, & gaudium spiritus. Demus autem in eo esse molestiarum aliquid: an quemadmodum cecinit, Poëta Ethnicus.

Ouid. lib. 1. de Remedio.

Vt corpus redimas, ferrum patieris, & ignes;
Arida nec sitiens ora leuabis aquâ:
Vt valeas animo, quidquam tolerare negabis?
At pretium pars hæc corpore maius habet.

Durũ licet videatur semper mortem timere; tamen timor hic omnibus vtilis est; illi verò, qui amore non ducitur, etiam necessarius. Sciebat hoc Dauid, quare pro eodem Deum quoque supplex rogabat: *Confige*, inquit, *timore tuo carnes meas: à iudiciis enim tuis timui.* Psal. 118. v. 120. Opto tamen ampliùs, & mihi & vobis timori socium amorem. Quare vt vtrũque possimus consequi, cum sancta matre nostra Ecclesia supplicibus votis dicamus: *Sancti nominis tui Domine timorem pariter, & amorem fac nos habere perpetuum:* Oratio Ecc. Dom. infra Oct. Corp. Domini. vt vtroque saucij, cum gratiarum actione vsurpare possimus illud Augustini: *Sagittaueras tu Domine cor meum.* Et postulare tandem vlteriùs cum B. Bonauentura, in Dei amore ex timore nato iam stabiles: *Da vt amore amoris tui moriar, qui amore amoris mei dignatus es mori.* Amen.

LECTIO SEXTA.

ET CREDIDERVNT VIRI NINIVITÆ IN DEVM. *Vers. 5.*

ARGVMENTVM.

Declaratur primus fructus concionis IONÆ, *Ethnicorum ad fidem & Deum verum conuersio. Hæc quo pacto acciderit ostenditur. Fidei non nudæ & mortuæ, sed viuæ & operibus vestitæ necessitas, contra Nouantes adstruitur. Notantur multa, & magna, in conuersione Niniuitarum ad fidem, obseruatu dignissima. Fructus conuersionis huius promptæ Ionæ obedientiæ tribuitur. Ad obedientiam similem Concionatores nostri incitantur.*

1 SI Quintilianum, Marcum Tullium, & alios qui rectè de Oratore arteq; scripserunt oratoria, differentes audiamus; si eorundem insistendum præceptis, si credendum doctrinæ in hoc genere existimemus; Orator vbi persuasit dictione, finem obtinuit, & consecutus quod voluit, omnia iam obtinuit. A magno Oratore semper magna & meritò pro dicentis auctoritate & gratia exspectantur. Dixit Orator vti nostis, & audistis eximius IONAS, simul & Propheta: dixit fortiter, dixit constanter, dixit firmis lateribus indefessus & imperterritus ad populum Niniue; illi voce minaci atque terribili non leuia, neque breuia intentauit supplicia: verùm quâ felicitate nunc nobis videndum; vt si meruit, debitâ sibi apud nos quoque, sicut apud omnem posteritatem, gloriâ non careat.

2 Paucis omnes perfecti Oratoris partes expleuit, vnicâ periodo, eaque breui & concisâ, sic non modò orauit, sed & perorauit, vt suis auditoribus, & conditione variis, & multitudine innumerabilibus, non modò persuaserit; sed ipsos quoque ex discipulis magistros, *Ionas magnus orator pænitentiã persuasit Niniuitis.*

 gistros,

ni. Proindeque & queror, & doleo, quòd meus propè omnis inanis fuerit labor.

Ionas de facto à se fructu gloriari potest.

Non sic IONAS, qui post habitum à se ad Niniuitas sermonem, verè gloriari & dicere poterat: quæ anteà diabolo & idolis, mihi Deoque nunc cedunt omnia. En tota ad agnitionem veritatis, ad suorum detestationem scelerum, ad fidem & pœnitentiam, ad veri Numinis & virtutis cultum Niniue rediit.

7 Videamus accuratiùs reditum illius, ac singula tam illustris conuersionis argumenta & notas, siue, quod idem est, fructus præcipuos, quos in hoc populo noster Orator suorum efficacitate verborum produxit, non alio quàm ipsius sacro ore breuiter recensitos, expendamus.

Primus fructus concionis Ionæ Niniuitarum fides.

8 Primus est. CREDIDERVNT VIRI NINIVITÆ IN DEVM. Is quanti in iis faciendus, numquam satis vel cogitatione assequemini; nisi priùs vobis ponatis ob oculos, cimmerias illas errorum & ignorantiæ tenebras, in quibus tanto tempore hæserunt. Cogitate itaque eos in illum vsque diem idolis seruiisse, quod dum dico, quidquid est malorum, quidquid est scelerum compendio enuntio, horum cultui putate inhæsisse mordicus; constitutos velut vespertiliones in denso aëre opacæ noctis, velut talpas in sordidæ telluris cauernis, magis aurum quàm lucem fidei & salutem quæritantes; donec ipsis habitantibus velut in regione vmbræ mortis, radius aliquis solis æterni per IONAM affulsit; sicque egressi de tenebris, viderunt confestim lucem magnam, quâ agnitis erroribus suis, pristina deorum suorum monstra auersati, eorumdem quoque cultum, quem olim extulerant, protriuerunt; & crediderunt in vnum Deum viuum & verum, illum solum, tamquam qui seruare potest & perdere, agnouerunt; in illum omnes suas cogitationes & spei, & metus, & adfuturi auxilij defixerunt; inducti, vti paullò antè insinuauimus, commonitione IONÆ, eiusdemque copiosiore

Cæcitas Niniuitarum ante Ionæ aduentum.

Conuersio illorum.

rerum, quæ fugienti sibi obuenerant, enarratione.

Ante conuersionem, illorum mores praui.

9 Fidem horum mirabimini ampliùs, si qui, & quales anteà fuerint, ex Theophylacto audire placuerit. *Niniuitæ*, inquit ille, *qui nihil non absurdi antè faciebant, venefici, incantatores, dæmonibus agitati*: id est homines improbissimi & sceleratissimi anteà, subitò *Crediderunt in Deum*. LXX. Sanctes Pagninus, & Vatablus habent, *Crediderunt Deo*. Interpretatur Vatablus crediderunt prędicationi IONÆ quasi Dei nuntij. Chaldæus transtulit: *Crediderunt verbo Domini*. quæ non mutato sensu omnia idem significant. Nam licet loqueretur IONAS, non suum, sed Dei verbum cuius erat Propheta, interpres, & nũtius, loquebatur. Quare dum IONÆ credunt, Deo credere, siue promulgato per illum Dei verbo dicuntur.

Nota omnibus Christi vox est: *Qui vos audit, me audit*. Sic Paulus Thessalonicenses commendat, quòd ipsius doctrinam receperint, non vt doctrinam hominis, sed Dei. Optandum ita commendari posse à diuini verbi præconibus omnes eorum auditores; certè fructus tunc esset longè quàm fuerit hactenus vberior. Verùm quid dico? nolo de re præsenti statuere, tantùm quid mihi sit in votis expono. *Luc. c. 10. v. 16.*

In quibus sita fuerit fides Niniuitarum.

10 Rursus, quod ad fidem Niniuitarum attinet, hanc, prout est ab iis suscepta IONA perorante, in tribus potissimùm sitam fuisse scribit Feuardentius.

Primò quòd crederent cultum ab Hebræis Deum Abrahæ verum esse mundi opificem, eundemque illius quoque iudicem & arbitrum, cuius manum potentem mortalium nemo possit euadere.

Deinde quòd crederent esse eum adeò in homines benignum, clementem & liberalem, vt iis, quantumuis delinquentibus grauiter, dũmodò ad mentem redeant ac resipiscãt, sit non modò futurus propitius; sed eosdem quoque nouis, maioribus, & amplioribus sit gratiis ditaturus.

Denique quòd crederent se, ob præsentia præteritaque delicta, fuisse & esse suæ ciuitatis exitium commeritos; secuturum haud dubiè post elapsos dies quadraginta, nisi intereà fructibus pœnitentiæ impendẽs supplicium redemerint. Hinc verò non esse ludicrum quid, aut ioculare; sed omninò serium, quod IONAS monuit, habere sibi persuasissimum incipiunt.

Fidem ante omnia necessariam esse exemplis probatur.

11 Puero doctrinâ & bonis moribus imbuendo, sicuti primò maximeque necessarium est, vt docenti magistro fidem adhibeat, & instituenti se acquiescat; cùm, si alienum credat à veritate quod is dixerit atque docuerit, ægrè sit applicitурus animum, vt ipsum illud percipiat atque intelligat. Et sicuti ægro sanitatem optanti, credendum est medico, cuius alioqui consilia & præceptiones nullo apud eum futuræ sunt loco, adeoque non nisi grauatè admittendæ, si admittantur: ita resurgere cupienti à morte ad vitam, & pertingere à peccati morbo lethifero ad animi sanitatem, credendum inprimis, mittere Deum magistros, à quibus ad virtutem & ea quæ salutis sunt erudiamur; his deinde tamquam ab eo missis acquiescendum; & quæ credenda Dei nomine ab eisdem proponuntur, vt certa & indubitata sunt suscipienda.

Effectus fidei mirabiles enarrantur. Ad Heb. c.11.v.6.

12 Dixit Paulus, Doctor Gentium, Magister veritatis: *Sine fide impossibile est placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se remunerator sit.* Posito semel hoc solido fidei fundamento, illi superædificare non est difficile. Multa, magna, mirabilia, quæ fidem subsecuta sunt, id est, quæ sancti ex fide sunt operati, enarrat Paulus loco citato integro ferè capite: atque copiosiùs tractans hoc argumentum Hugo Victorinus. *Quicumque ab initio*, inquit, *mare præsentis sæculi salubriter transfretauerunt, quicumque pericula eius euaserunt, quicumque ad portum salutis peruenerunt, omnes naui fidei nauigauerunt & transierũt.* Pergit idem auctor, idipsum inductione ostendere, dicendo: *Fide gratiorem hostiam Abel obtulit Deo quàm Cain, per quam testimonium consecutus est esse iustus, & per illam defunctus adhuc loquitur. Fide Henoch placuit Deo & translatus est. Fide Noë aptauit arcam in salutem domus suæ. Fide qui vocatus est Abraham obediuit exire in locum quem accepturus erat. Fide Sara sterilis accepit virtutem conceptionis. Fide Isaac singulos filiorum benedixit. Fide Ioseph moriens de reuersione in terram promissionis filiorum Israël memoratus est, & de ossibus suis illuc asportandis mandauit. Fide Moyses natus occultatus est. Fide se filium filiæ Pharaonis negauit. Fide pascha celebrauit. Fide filij Israël mare rubrum transierunt. Fide muri Iericho corruerunt. Et quid adhuc dicam? deficiet enim me dies narrantẽ de Sanctis antiquis qui per fidem vicerunt regna, operati sunt iustitiam, adepti sunt repromissiones. Quorum alij obturauerunt ora leonum, vt Dauid: alij extinxerunt impetum ignis, vt tres pueri: conualuerunt de infirmitate, vt Iob, Ezechias: Fortes facti sunt in bello, vt Iosue, Iudas Machabæus: acceperunt mulieres de resurrectione mortuos suos, vt per Eliam & Eliseum: alij distenti sunt, non suscipientes à morte temporali per transgressionem legis redemptionem, sicut septem fratres, qui in libro Machabæorum passi leguntur: alij lapidati sunt, vt Ieremias in Aegypto, Ezechiel in Babylone: secti sunt, vt Isaias: in occisione gladij mortui sunt, vt Vrias, Iosias: circuierunt in melotis, vt Elias, & alij eremicolæ. Et ij omnes, & multi alij, fide pericula præsentis sæculi transierunt, eò quòd testimonio fidei probati inuenti sunt.* Hactenus Hugo Victorinus.

Hugo S. V. in Natiu. B. Mariæ Virginis.

Mirũ tam citò credidisse Niniuitas.

13 Fidem Niniuitarum, sicuti omnium iam dictorum, imò multò magis quàm vllius illorum, cùm essent anteà nulli non vitio, iniquitati, & sceleribus ita assueti, vt hæc quasi in naturam transisse eis viderentur; & tam subitò, & tantam, & quidem ad vnicã IONÆ vocem, meritò maximoperè admiramur: quando præsertim

Tarda solet magnis rebus inesse fides. Ouid. Epist. Heroid.16.

Dici poterat de ipsis, tum temporis à

Do-

Domino Iudæis, quod dictum deinde fuit à Christo de Centurione sequentibus se: *Amen dico vobis, non inueni tantam fidem in Israel.*

Mat. c. 8. v. 10.

Vnde hæc in Niniuitis fides? vnde tam illustris & subita conuersio?

Causa conuersionis tam subitæ Niniuitarum à varijs variæ assignatur.

14 Rabbi Dauid Kimchi existimat nautas, testes oculatos eorum quæ IONÆ acciderant, ex itinere suo Niniuē properantes, omniaque, vt gesta fuerant, recensentes ex ordine, dum ipse vaticinans totam impleuit clamore suo ciuitatem, conciliatâ in auditorum animis ad clamorem illius suâ narratione maiori attentione, ad hæc plurimùm contulisse. Subscribit eidem sententiæ cum aliis nonnullis Dionysius Carthusianus.

Non fuit sociorum de rebus Ionæ narratio.

15 Verùm nautas illos, aut quoscumque alios, nostri Prophetæ in illa sua prodigiosa nauigatione socios, venisse aut cum illo, aut ante illum Niniuen, adduci non possum, vt credam; quando IONAS scriptor rerum à se, & circa se gestarum accuratissimus, ne verbulo quidem id, quod aliàs futurum erat præ reliquis memorabile, vspiam indicauit.

Taceo nautas non potuisse istuc nauigio appellere; cùm à Mediterraneo mari, quod cum IONA ingressi aliquādiusper decurrerant, Niniue sit quàm remotissima. Et quamquā potuissent, certè non eâ potuissent celeritate, quâ IONAS ceti beneficio fuit in proximius littus deuectus; è quo deinde, quiete nullâ aut morâ interpositâ, accepto secundo Domini mandato, ad legationē suam quàm citissimè, quàm promptissimè obeundam properauit. Aio igitur fieri nullo modo potuisse, vt quo die dixit ad populum IONAS (dixit enim vno dumtaxat) illi eius concioni præsentes se sisterent, & confertæ multitudini immisti, suos atque illius casus, diuinæque argumenta prouidentiæ, quæ viderant, quæque audierant, recenserent.

16 Fateor quidem, IONÆ dicta, fulta graui & seriâ valdè rerum circa se gestarum narratione, apud Niniuitas fidem non difficilè reperisse: cùm præsertim vita, mores, & tota hominis cōpositio, formaque exterior, à dictis non dissentirent; videreturque à natura totus ad virtutem factus. Verùm non fuit hæc, licet conferre non parum potuerit, conuersionis illorum causa potissima.

17 Quid igitur? forsan miracula, portenta, atque prodigia, quæ illic ad permouendos animos illorum, passim, populo spectante & admirante, ediderat? Valent quidem hæc, secundùm D. Paulum, plurimùm ad faciendam de Deo hominibus Ethnicis fidem. His Moyses, ipso imperante Domino, est Pharaonem aggressus; vt eum ad dimissionē Israëlitici populi compelleret, eosque à tot annorum tam aspera seruitute, in libertatem vindicaret. His Apostoli, missi à Christo Domino ad disseminandum orbe toto Euangelium, vsi sunt ad multarum Gentium salutē feliciter. Verùm non dederunt conuersioni Niniuitarum causam IONÆ miracula; cùm nulla ipse, quātum quidem constat, ediderit. Et hoc magis eorum laudanda fides, commendanda cōuersio, extollenda pœnitentia, excitata ad vnicam ignoti hominis concionem, nullo nobilitatam prodigio, nullo firmatam miraculo: quâ tamen, & ad flagitiorum suorum detestationem, & ad timorem Domini maximoperè exarserunt.

Non miracula à Iona edita.

18 Animos Niniuitarum in illud vsque tempus asperos & intractabiles, assuetos malis, flexit & mouit inprimis Dei gratia singularis, quę & illustrando illorum intellectui, & permouendæ seruiit voluntati; quâ factum, vt quod iam hac opitulante nosse incipiebant, idem quoque optare & velle inciperent, & mox in cupito bono cōquiescere. En illustria conuersionis illorum initia. Factum hoc non sine mysterio censet Dionysius Carthusianus; vt nimirum indicaretur eâ ratione gratiæ cælestis conferendæ aliquando Ecclesiæ Christi per Apostolorum prædicationem ex conuersis ad fidem gentibus adunandæ, vbertas mirabilis.

Vera causa cōuersionis illorum.

In conuersione Niniuitarum exhibetur nobis conuersio Gentium ad Ecclesiam.

19 Por-

Gratia diuina opus est ad conuersionem, & ad omne opus bonū.

19 Porrò ſicut nobis modò, ita tum cùm ibi dixit IONAS, tam neceſſaria fuerunt diuinæ gratiæ auxilia, vt ſine illis neque crediderint, neque credere etiam potuerint: hæc enim, & tum, & modò ſunt, fuerunt, & erunt adeò requiſita in omnibus, & ad omnia; vt ſi defuerint, irritus noſter ſit omnis conatus futurus; ſed nec ſine illis vllus conatus eſſe poſſit. *Deus eſt enim*, ita ſcribit Philippenſibus Paulus, *qui operatur in vobis, & velle, & perficere, pro bona voluntate.* Quò ſpectat etiam monitum illud apud S. Ioannem à Chriſto Apoſtolis datum: *Sine me nihil poteſtis facere.* Nihil omnino, vt nequis ſibi vllo caſu perſuadeat, ſe diuinę gratiæ auxiliis non egere, & ampliùs ſibi quàm poſſit, aut debeat arroget.

Ad Phil. c.2. v.13.

Ioan. c.15. v.5.

Non tantū gratiâ ſed etiam vſu liberi arbitrij opus eſt ad meritū.

20 Verùm nemo exinde arbitretur, ad bonum & vitam æternã, ſolam ſibi diuinam gratiam, ſe etiam ne minimum quidem conferente ex ſui arbitrij libertate, ſufficere. Seipſum decipit qui hoc putat & errat. Exigitur planè pro boni operis merito, ad diuinam gratiam cooperatio noſtra, vt aliquando patriæ cæleſtis ſcribamur hæredes; &, quemadmodum S. Petrus loquitur, *Benedictionem hæreditate poſſideamus.* Quare non dubium eſt, quin Niniuitæ, cùm eos per IONAM vocans & monens Deus ſuâ præuenit gratiâ, monentem ſuâ voluntate libenter audierint, dederintque diuinis inſtinctibus locum: atque ita ex infidelibus fideles effecti, in Dei caſtra tranſierint.

Fides eſt bonorum operum fundamentum.

21 Enarrat hoc IONAS, cùm ait: *Crediderunt viri Niniuitæ in Deum.* Certè ſine fide cùm nihil præſtare boni poſſent, ante omnia oportebat vt crederent. Fides quippe lapis eſt angularis, baſis & fundamentum virtutis omnis & boni; ſine qua nihil eſſe Deo gratum, nihil eſſe acceptum poteſt, dicente Paulo, vt ſuprà monuimus, quia *ſine fide impoſſibile eſt placere Deo.* Hæc ergo inprimis quærenda, hanc quam diu quis non habet, turpiter cæcutiens, multum à via ſalutis aberrat, vitam illam felicem & beatam ad quam cõditi ſumus, nequaquam conſecuturus. Sine fide quemadmodum Niniuitis nec ieiunium profuiſſet, nec ſaccus, nec cinis, nec quis alius corporis habitus aſper & luctuoſus; ita nobis nulla proderit inedia, nulla corporis caſtigatio, nulla exercitatio virtutis, nulla bonorum operum, fide Catholicâ, Romanâ, Apoſtolicâ deſtitutis; vtpote ſine hac æternum perituris.

ad Heb. c.11. v.6.

Sola fine operibus non ſufficit ad ſalutẽ.

22 Quamuis autem tam ſit ad ſalutem fides, vti diximus, neceſſaria: ſola tamen ad eam atque ad beatæ vitæ conſecutionem non ſufficit. Quare Niniuitæ fide per adhortationem noſtri Prophetæ, qui fuit primus illius fructus, ſuſceptâ, ad alterum in bonorum operum exercitatione poſitum proceſſerunt. Nam, vti hîc ipſe enarrat: *Prædicauerunt ieiunium, veſtiti ſunt ſaccis.*

Damnantur per Niniuitas heretici aliter ſentientes.

23 Mira res, & vera tamen, Niniuitæ ſacros Codices non legerant, imò nec habuerant; fuerunt nihilominùs noſtris Nouantibus, qui omne ſtudiũ, & ætatem omnem, in illis, vt quidem iactant, lectitandis, ſcrutandis, conuertendis; ſed potiùs, vt ego cenſeo, deprauandis, mutilandis, euertendis conſumunt, longè ſapientiores: cùm illi arbitrentur ſolam ſufficere fidem, & paſſim iactitent, quin & profiteantur, factis non minùs quàm verbis, velle ſe credere, operari nolle: hi verò, non minùs de operibus, quàm fide ſolliciti ſint.

Profectò illi dum fidem volunt, & adhibere ad eam opera nolunt, hoc ipſo etiam à fide deficiunt, & in veros fideles ac Orthodoxos prorſus immanes ac barbari, ſicuti contra Deum Diuoſque impij, ſæuire incipiunt: velut de numero eorum (quemadmodum dixit aliquando pro concione ad Neruios Ioãnes Cottreau Pariſiẽſis Theologus) quorum Chriſtus Dominus extremâ Paſſionis ſuæ nocte, cum diſcipulis agens, meminerat, dicens: *Venit hora, vt omnis qui interficit vos, arbitretur obſequium ſe præſtare Deo.* In eum enim modum, velut homines ſine fide, ſine lege, ſine Deo ſæuire ſolent in maximè innoxium ſanguinem, & in

Cottreau concione 20. in Ionam.

Ioan. c.16. v.2.

eo

eo quodammodo ludere, atque in illorum acerbissimis tormentis & morte, quam vel ipsi inferunt, vel procurant ignominiosissimam, nefariè gloriari.

24 Non sic Niniuitæ, non sic; cum fide enim placidos mores induunt, & mansuescunt: fidei iungentes opera bona, à cibo potuque abstinent, se armant cilicio, aspergunt cinere caput, toti soluti in luctum & lacrymas, ciuitatem obambulant, peccata sua deplorant, non ab illicitis modò, sed à multis etiã licitis abstinent, memores se multa quoque illicita perpetrasse: cum D. Paulo corpus suum castigant, & in seruitutem redigunt, atque ex tunc cum Christo pati incipiunt, vt cum illo conglorificentur.

Hæretici fidem viuã non habẽt, sed mortuam, ideoq; inutilem. 25 Ad Nouantes nostros quod attinet: dicunt quidem illi se fidem habere, sed quis illis id affirmantibus credat. Esto tamen fidem habeant, cuius illa virtutis erit & virium? cùm enim bona opera non admittant, non viua illorum fides esse poterit sed mortua: nam ex D. Iacobi doctrina certa & infallibili, *fides sine operibus mortua est:* (Iac. c. 2. v. 20.) mortua verò fides, quid efficere poterit? Omnino nihil. Quæro ergo dicite nobis Heterodoxi, qui fidem vos habere iactatis, vbi sunt opera vestra? Dicunt: Opera non habemus. Et ego subiicio: Ergo nec fidem; hæc enim se operibus proderet. *Credidi*, inquit Dauid, *propter quod locutus sum*. (Psal. 115. v. 10.) Ecce quomodo statim à radice fidei fructus verborum & operum prodierunt: eiusmodi fructus, quia nulli in vobis, nullum etiam fidei lumen; sed sola infidelitatis, cæcitatis & tenebrarum apparent vestigia, illis omnibus, quæ esse possent alicuius veritatis & lucis indicia, subrutis ac deletis. Et hæc causa est, cur nullã partem habere velimus vobiscum; ne, quemadmodum: *Cæcus si cæco ducatum præstet, ambo in foueam cadunt:* (Mat. c. 15. v. 14.) ita socij vestri effecti, in nocte profundissimi erroris vobiscum ambulantes, vobiscum etiam in profundissimas & æternum duraturas inferorum tenebras, simul & supplicia, deuoluamur.

26 Relictis igitur Heterodoxis, cum quibus nihil nobis esse debet commune, melius erit cum Niniuitis habere negotium, illorum vitam moresque spectare, simul & imitari: atque imprimis illorum in excipiendo hoc tam salutifero Dei verbo alacritatem atque constantiam. *Suscipite*, inquit Apostolus, *cum mansuetudine insitum verbum, quod potest saluare animas vestras.* (Iacob. c. 1. v. 21.) Sic nobis faciendum, rumpendæ sunt moræ, formidanda inprimis cunctatio atque ignauia; cumque fides sit ex auditu, auditus autem per verbum Dei, sit quoque, vt inquit S. Iacobus, *Omnis homo velox ad audiendum.* (Iac. c. 1. v. 19.) Quare libenter Dei præcones audiamus, conciones citi, & alacres adeamus, nitamurque ex iis fructum percipere.

Pulchrum in Niniuitarũ cõuersione ordinẽ D. obseruat Hieronymus, obseruemus & nos. *Præcipit*, inquit, *Deus Prophetæ, Propheta prædicat ciuitati, prius viri credunt, & illis ieiuniũ prædicantibus omnis ætas sacco induitur.* (Hieron. in c. 3. Ionæ.) Ecce quomodo ad illorum fidem sequantur opera. Mirabilis quidem est ipsorum ad fidem conuersio, non minùs tamen mirabilis, operum fidei stabiliendæ confirmandæque subseruientium, tam prompta, tam facilis, tam expedita susceptio.

Cõuersionis Niniuitarum impedimenta, eam facilẽtia illustriorem. 27 Habuerunt Niniuitæ non pauca, spectatâ tam eorum conditione, quàm personâ IONÆ, quæ fidei susceptionem, agendam pœnitentiã, vitæ ac morum mutationem in melius, retardarent atque impedirent potiùs, quàm promouerent. Nam parẽtibus, auis, proauis, atauis, tritauis, omnique progenie, impiis & publicis idolorum cultoribus geniti, longâ maiorum serie veri Dei cognitione in id vsque tempus, semper caruerant; insuper elati opibus, eminebant præ ceteris sicut potentiâ, ita & gloriâ; seque dicebant principes nobilissimi imperij, & illius Monarchiæ, quę steterat æquè semper potens & florens, totis annis mille trecentis. Erat denique vrbs illorum, Metropolis regni Assyriorum longè amplissimi; vt vel hoc nomine læta,

læta, fausta, pacata, & secura omnia, non minùs quàm antè, polliceri sibi posse viderentur.

28 Cùm ecce subitò ipsis nihil minus quàm de interitu suo cogitantibus, IONAS homo exterus & peregrinus, oriundus de gente Iudæa, hostili, & inuisa Assyriis, nulli aut amicus, aut notus, superuenit: non externo splendore, non coronâ nobilium, non famulitio vllo aut comitatu spectabilis, non ornatu vestium, aut rarâ vultus specie decorus: sed solus incedens, vestitu tenui, victu vtens parcissimo; quem, si quid commendaret, commēdaret virtus, modestia, morumque innocentia, columbinis expressa oculis. Hic, inquam, venit, & vtens publico, in frequentioribus ciuitatis locis, promit, omni timore posito, nuntium sicut auribus iam pridem ad molliora condocefactis peracerbum; ita, prout videri tali ratione constitutis poterat, parum consonum veritati.

Cōditiones Ionæ & qualitates describuntur.

29 Etenim quis eo loco ac tempore fidem haberet ignoto homini, affirmanti ciuitatem florentissimam, plenam populo, annonâ instructam, auro, argento, vtensilibus, omnique rerum copiâ abundantem, amplitudine maximam, nullis vallatā hostium copiis, nullis territam in id vsque tempus aliunde minis, breuissimo tam paucorum dierum spatio, in eas adigendam angustias, vt velut fortunæ ludibriū, orbi prodigiosum spectaculum, sceleratis omnibus terror, subruatur funditus, atque esse quę fuerat desinat. Hoc inquam quis mortalium crederet?

Argumēta cōtra Ionæ prædicationem facientia.

30 Quod fortasse nemo alius, credūt Niniuitæ, credunt ij, quos istæc fortuna concernit; sicuti

Credunt tamen illi Niniuitæ.

Semper timori est facilis in malum fides.

Porrò vt quàm syncerè, & quàm id meritò credant, sit manifestius; suos singuli mores discutiunt, omnes à se actæ vitæ rationes in memoriam reuocant: adhæc priorum temporum annales percurrunt, veterum iudiciorum exempla scrutantur; cumq; Gentes alias, pares sibi opibus, nobilitate, potentiâ; sed neque dispares moribus, clade, qualem eis comminatus fuerat IONAS, affectas recordantur; similem quoque sibi imminere, nisi vitam mutauerint, non obscurè intelligunt.

31 Hinc noster Propheta, quantumuis ignotus, ita suadet, simul & persuadet, hoc vnico argumento ipsis omnibus, vt consensu vnanimi erigantur animis, & prona in interitum ciuitas assurgat vniuersa: singuli verò peregrinum Oratorem, licet trementes ac pauidi, non modò benignè excipiant; verùm etiam venerentur & colant, atque eum tamquam supremæ præconem veritatis agnoscant. Vnde plus apud illos verbo vno potuit, quàm Moyses, vir tantus, legislator populi, Dei intimus & innumeris clarus prodigiis, apud Regem Ægypti Pharaonem tot verbis, tot minis; quoniam hunc ipse nequaquam inflectere, vllis aut precibus, aut etiā flagellis ac plagis, quantumuis grauissimis, potuit ad diuinæ obsequendum voluntati, ad populum dimittendum, dicentem semper: *Nescio Dominum & Israel non dimittam.*

Ionæ verba efficaciora sunt signis Moysis.

Exod. c.5. v.2.

32 Dicetis forsitan, quid nobis cum Moyse & Pharaone? quorsum tam antiqua recolere? scimus quòd nullus nunc sit vspiam Moyses, aut Pharao. De Moyse non disputo; hoc autem dico, quòd post tot annorum millia multi sunt vbique adhuc Pharaones, hæredes, inquam, improbitatis illius, & obfirmati in scelera animi, ac rebellionis in Deum. Neque enim desunt qui dicant cum illo etiamnum: *Nescio Dominum*; quique non aliam propè vocem, quàm illam prorsus barbaram loquantur: quos proinde rarò, aut omninò numquam, fieri videas meliores; tum quod vocē Domini ac seruorum eius non audiant; tum verò, & longè ampliùs, quòd tametsi audierint; non credant, illi non obsequantur.

Hodie multos adhuc esse obduratos in malo vnde proueniat.

33 Hominibus eiuscemodi, non sufficeret modò, sicut olim Niniuitis, IONAS vnus: videntur enim esse de genere illorum, quorum pater Abraham meminit, agens cum diuite epulone,

Luc. c.16. v.31.

lone, qui tametsi quis etiam resurgens ex mortuis illis prædicauerit pœnitentiam, hunc vel audituri non sint, vel, si audituri, nequaquam dictis eius credituri.

Cur non modò fiat is fructus concionibus, qui factus est concione Ionæ.

34 At quænã est ratio, cur sicut aliquando ad IONÆ vocem, ita modò ad vocem alicuius Oratoris Christiani, non se accingant passim homines operi meliori? Cur mutationem vitæ in melius non actutùm suscipiunt? Quomodo non redeunt præuaricatores ad cor, & recedunt ab iniquitatibus suis? Vbi nunc illi Niniuitarum gemitus, vbi lacrymæ, vbi inedia, vbi saccus & cinis? Hæc quòd desint hoc tempore, facit tantus, qui vbique est, diuinarum rerum neglectus, ne dicam contemptus, bonorũ futurorum non magna existimatio, præsentium æstimatio nimia, vno verbo cura æternitatis exigua.

Lumen accipiunt veritatis Ethnici; Christiani illud suâ malitiâ deperdunt.

35 Quare, si liceat animi mei sensa pandere, timeo oppidò vehementer, ne accidat nobis, nisi alicubi iam acciderit, quod olim Israëlitis, de quibus ait hoc loco Hieronymus: *Credidit Niniue, & Israel incredulus perseuerat: credidit præputium, & circumcisio permanet infidelis*: ne, inquam, credentibus Ethnicis, Gẽtilibus, barbaris; soli Christiani, infideles aut certè nutantes in fide permaneant. Numquid hoc multis iam annis vidimus, & etiamnum videmus? Credit Ecclesię, credit missis à Deo ad se Oratoribus, instructoribus, animorum magistris, Indus, Iapõ, Brasilus, Abassynus: solus inter omnes, nõ quod Ecclesia, sed quod vult ipse, aut credit, aut se credere simulat, pseudo-Christianus, sibi vni vitæ norma & fidei: etiam tantò, quouis deterior Ethnico, quòd non veritatis ignoratione; sed merâ peccet improbitate atque malitiâ, in ipsa luce meridiana caliginem quærens ac tenebras.

Fructus factus apud Ethnicos collatus cum eo qui fit apud Christianos proponitur.

36 Quod Christum sequentibus se dixisse de Centurione, quod dicere potuisse de Niniuitis IONAM paullò antè asserui: *Non inueni tantam fidem in Israel:* (Mat. c. 8. v. 10.) id ipsum dicere possunt, qui Euangelij disseminandi gratiâ in nouum orbem commigrarunt, & ex illo nouali Ecclesiæ tantos referunt animorum manipulos, quos Christo lucrifecerunt, & quotidie lucrifaciunt, vt deficientibus in tanta messe operariis, rogare debeant *Dominum messis, vt mittat* plures *operarios in messem suam* (Mat. c. 9. v. 38.); atque eminus annuere sociis, vt opitulentur & adiuuent. Dicere planè hi possunt, non inuenimus tantam fidem in Italia, non in Hispania, non in Lusitania, non in Gallia, non in Germania, Polonia, Belgio. Quare cum Paulo dicimus Europæis: *Vobis oportebat primùm loqui verbum Dei: sed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad Gentes.* (Act. c. 13. v. 46.) Ad Gentes prorsus ignotas & efferas, quæ hactenus semper sederunt in tenebris, neque viderunt vmquam lucem veritatis.

Zelus multorum in conuersione Gentium.

37 Multis, si quàm bona est voluntas, & promptus animus in Dei obsequium, pro conuersione Gentium, & reductione aberrantium à fide, veritate, & virtute, tam liceret per maiores iis se impendere suo arbitratu, ipsi certè non cunctarentur, viris illis Apostolicis, alium orbem cum Alexandro Magno quærentibus, sed fructu longè maiori, se iungere, & ire inrrepidè (Horat. lib. 1. Ode 22.)

Siue per syrtes iter æstuosas
Siue facturi per inhospitalem
Caucasum, vel quæ loca fabulosus
Lambit Hydaspes.

Tales in variis religiosorũ ordinibus, tales in Societate nostra, non pauci, quibus, cùm *viuere Christus sit, & mori lucrum* (ad Philip. c. 1. v. 21.), hoc potissimùm curæ est, vt plures secum Christo viuant, tametsi vel sic ipsi moriantur citius, & morte occumbant violentâ, sed nõ ingloriâ. O pectora verè generosa! quibus vtinam sociari mereamur aliquando, simul in acie milites, victores in prælio, participes in corona.

Quærunt & dubitãt quidam quod maius miraculũ sit Ionæ conseruatio in ceto, an Niniuitarum conuersio.

38 Reuertor iterùm ad primum propheticæ concionis fructum, qui est veræ fidei inter homines Ethnicos promulgatio, atque ab iis agnitio, & susce-

ſuſceptio, cuius occaſione hæc dicta ſunt hactenus. Eum conſiderãs Paulus Palatius, ait dubitari meritò poſſe, vtrũ è duobus ſit maius, an quòd IONAS commoratus in ceti aluo triduo, inde prodierit ſanus, illæſus, incolumis; an quòd, vno die declamãs in Niniuitas, tantos in eis concitarit motus animorum, tam multos ibidem ad fidem, tam facilè, tam citò conuerterit.

Fructum concionis Ionæ omnium concionum fructum ſuperaſſe oſtenditur.

39 Hoc ſcio nullos veterum ſcriptorum, nullos recẽtiorum, nullos præteritorum temporum annales; talis, tantæ, tam celeris, tam illuſtris, tam multorum ſimul conuerſionis meminiſſe. Sunt quidem valdè illuſtria, quę non'à multis ſæculis in hoc genere de S. Vincentio, & S. Petro Martyre Ordinis S. Dominici; quæ de Sanctis Antonio de Padua, & Bernardino Seneſi, ex D. Frãciſci familia; de Sancto Frãciſco Xauerio Indiarũ Apoſtolo, & Gaſpare Barſæo Belga, noſtræ Societatis hominibus aliquantò poſteriùs, accepimus. Longè adhuc illuſtriora ſunt, quæ de Apoſtolis poſt acceptum in Pẽtecoſte Spiritum ſanctum, multis antè ſæculis, in primo nempe Chriſtianæ Eccleſiæ exortu accidiſſe nouimus: quãdo vnus Petrus, ſacri Collegij princeps, adhortatione vnicâ, tria animarum millia conuertens ad fidem, Chriſto eiuſque gregi adiunxit Sed ne hæc ipſa quidẽ, quæ tamen tanta ſunt, cum fructu pręſentis IONÆ concionis poſſe componi videntur.

40 Illuſtriſſimum omninò eſt, die nõ ampliùs vno, ſupra decies, aut duodecies centena hominum millia, ſi non plura, tot ſaltẽ fuiſſe in Niniue nullum eſt dubium, ab eo ad fidem, virtutem ac mores bonos fuiſſe traducta. Hoc magis mirum videbitur, & magnum, attentè conſideranti, quomodo nobis perſæpè in vno ſolo cõuertendo ſit laborandũ. Magno igitur IONAM ſpiritu fuiſſe cenſendum eſt, cuius voces, ipſas medullas cordium tantâ virtute ita repẽtè penetrarẽt. Agnoſcite in eo, ſicut & in Apoſtolis, & in viris Apoſtolicis Deum operantem: & ſi quãdo exurgat in Eccleſia ſimilis aliquis thaumaturgus, dicite: *Digitus Dei eſt hic.* Exodi c. 8. v. 19.

Conuerſio Niniuitarum fuit fructus obedientia Ionæ.

41 Eſt hîc quoq; obſeruandus fructus ſimplicis promptæque obediẽtiæ pręclariſſimus. Vnde putatis tanta fuit in IONÆ verbis vis, tantum põdus, auctoritas, & gratia in conciliãdis Deo animis tanta? ex vna & ſola obediẽtia. Hîc omninò cõprobatur eſſe veriſſimum illud Sapientis: *Vir obediens loquetur victoriam.* Prou. c. 21. v. 28. Obediuit IONAS, & ecce ſubitò illuſtrem victoriam, nobiliſſima à Dei hoſtibus ſpolia reportauit. In certamen deſcendit ſolo inſtructus *gladio ſpirit us; quod* Paulo teſte, *eſt verbũ Dei:* Ad Epheſ. c. 6. v. 17. ſolâ voce pugnauit, eâque tot & tã ſubitò proſtrauit hominũ millia. Anteà cũ obedire nollet, ceſſit victus, & turpiter fugit: neque tãtùm, vt inquit ille,

Relictâ non benè parmulâ; Horat. lib. 2. Carm. Ode 7.

ſed relictis, aut etiam abiectis armis omnibus; nolens, vt multi volunt, ampliùs prophetare, id eſt Deo militare. Neque tamen ita fugit, vt manus hoſtium potuerit euadere: nam ei in hac fuga à Deo, cui militant omnia, recedenti, omnia hoſtis erãt, atque ab omnibus velut in ſe conſpirantibus elementis, tamquam hoſtibus ſuis vincitur, capitur, & ab immani bellua detinetur captiuus. Sed cùm iterùm obedire incipit, fit, & reuertitur victor, neque id ab hoſte imbelli; verùm omninò forti, feroci etiam ac barbaro, deque illo, adeoque de tota Aſſyriorum gente, tot animarum ſpoliis diues triumphat.

Proprium ſenſum ſequi non eſt vtile, vtilius ſequi alienum.

42 Hæc recolant, qui ſuam Deo voluntatem obtulerunt, & voto ſacrarunt; atque exſpectent aliquando fructum aliquem obedientiæ ſuæ, ſicut in IONA iam vident. Certè ſi ille, nequaquam ab immiſſa tempeſtate præpeditus, curſu facili, vti deſtinauerat, abiiſſet, atque ita feciſſet animo ſuo ſatis; quid eum nunc magnoperè commendaret, quanta ſe laude & gloria, quanto bono priuaſſet, nequaquam ſalutis tot millium animarum auctor futurus; neque, niſi fortè ob improbitatem ſuam & neglectam turpiter legationem celebris. Non aliter etiam modò accidere ſolet.

Is

Is qui sensa animi sui, & ductum propriæ sequitur voluntatis, atque ita neglectâ maiorum lege obedientiæ iugum excutiens, tantum cui vult, & quantum vult, & quousque vult, operi incumbit; videt persæpè quàm sit irritum & inane omne quod fecit; quàm verò, quod facturus erat è superiorum arbitrio, vtile, gratum Deo, & hominibus acceptum futurum, cessurum etiam, & longè minori labore atque maiore gaudio in multorum commodum & salutem.

43 Norma igitur, sicuti rectè viuendi, ita & agendi cum proximo, maximè autem dicendi ad populum, sit maiorum voluntas, sit eam explendi promptitudo atque alacritas: hic qui non errat, vtiliter operatur, & collaborat feliciter summo illi architecto, in exstruendo templo illo augustissimo, quod fit ex viuis & electis lapidibus in cælis. Quare cùm illorum imperio, quorum est saluti prospicere subditorum, Orator ad alios mittitur, magno sese & generoso animo ad opus tantum accingat, aduersos, si qui fortè exspectandi sint, casus & successus, vti subinde euenit, parum prosperos ne formidet: *Dominus dabit verbum* sic *euangelizanti virtute multâ*. Cùm verò eorundem iussione, illi etiam ad perorandum comparato iam atque ad dicendum expedito, silentium imponitur, nihil idcircò detractum gloriæ suæ, non hic suo derogatum honori quidpiam putet: verùm sicut anteà dicturus erat libenter, ita tum libenter etiam ponat frenum ori suo: memor, siue dixerit, siue tacuerit, sibi parendi legibus subdito, tam esse in lucro silentium, quàm sit oratio docta, & sapiens, aut verba benè meditata & perpensa, atque ad animos permouendos maximè comparata, atque composita.

Concionari ex obedientia, & ex eadem silere vtrũque vtile est.

Psal. 67. v.12.

44 Verùm quid si quis moderari sibi non possit, & in tempus opportunum, quod fuerat meditatus differre. Dixit ad Iobum Eliphaz Themanites: *Conceptum sermonem tenere quis poterit?* Illi ante omnia discendum, deinde etiam vsurpandum siue exercendum existimo præceptum Catonis Christiani: Iob c.4. v.2.

Virtutem primam esse puta compescere linguam. Cato in distichis.

Non enim sufficit velle loqui vtilia tantùm, quia etiam hæc loqui, tantùm in suo tempore, magna virtus est. De sententia Salomonis *omnia tempus habent: Tempus tacendi, & tempus loquendi.* Certè qui suo tempore tacere non potest, etiam benè & vtiliter loqui suo tempore non potest: sed neque faciet loquendo in auditoribus fructum, qui in se eum non fecerit antè prudenter tacendo. Ait idem qui suprà Cato Christianus: Eccl. c. 3. v.1.& 7.

Proximus ille Deo, qui scit ratione tacere. Cato in distichis suprà.

Porrò is suo tempore loquitur, qui in publico missus loquitur & iussus, non aliàs. Sic fecit Ionas, hunc Orator imitetur, missus & iussus loquatur, non iussus sileat; populus verò sequatur Niniuitas: ab his discat ille, quâ fide, reuerentiâ, & metu religioso debeat excipere diuini verbi præconem legitimum. Benè sic erit vtrisque, ambo mercedem, hic sanctorum laborum suorum, illi virtutis, huius laboribus partæ, vitam æternam accipient.

LECTIO SEPTIMA.

ET PRÆDICAVERVNT IEIVNIVM. *Verſ.5.*

ARGVMENTVM.

Ieiunium alter fructus concionis IONÆ *explicatur. Id quomodo, per quos, & quale, indictum ſit quæritur. Chriſtianos conuerſionem & vitam meliorem à ieiunio auſpicari ſolitos oſtenditur. Cur ieiunium potiſſimùm vſurpandum docetur. Vtilitas quæ inde obuenit Niniuitis, & magna ex SS. Patribus eiuſdem commendatio, recenſetur.*

1 POSTQVAM populus Niniue, anteà rerum omnium, adeoque ſummæ æternæq; veritatis ignarus, IONA perorante, Deũ vti malorum vindicem, ſic etiam bonorum remuneratorẽ cognouit: ſine cunctatione, ſine tergiuerſatione vlla, oſtendit quàm primùm, ſibi quàm vtilis eſſet illa cognitio, atque ad conceptam animo fidem *Ieiunium*, quod teſte D. Baſilio Magno, *eſt pœnitentiæ initium*, protinus adiiciendum putauit; ipſis ſtatim ſuæ conuerſionis initiis ſatis aſſecutus, profuturam haudquaquam fidem, quantumuis firmam ac ſtabilem, bonis ſanctiſque operibus deſtitutam.

Ieiunium fidei iunxerunt Niniuitæ. *Baſil. ſer. 2. de ieiunio.*

2 Inter iſtæc verò opera, quibus eam ſociatã voluit, primum meritò ſtatuit & vſurpauit ieiunium; cùm ob datam ex D. Baſilio rationem; tum etiam, *Vt*, ſecundùm D. Ambroſium, vel potiùs D. Maximum Epiſcopum Taurinenſem, cui illam homiliã ex plurium iudicio adſcripſimus, quotquot in ciuitate erant, *ex iis remedium perciperent, vnde eis perditio contingebat: hoc eſt, vt iram diuinitatis quam luxuriãdo prouocauerant, abſtinendo lenirent; & offenſam, quã in eos ſuperbia contraxerat, humilitas mitigaret.* Siue, vt ait hoc loco D. Hieronymus, *vt qui offenderant Deum luxu & ambitione, eorum damnatione placarent, per quæ priùs offenderant.*

Cur hoc primò.

3 Eſt igitur ſecundus Oratoris noſtri, & habitæ ab eo orationis fructus ieiunium; recenſitus ab eodẽ duobus verbulis: PRÆDICAVERVNT IEIVNIVM. Hoc quomodo, quãdo, per quos, prædicatum, promulgatum, decretum ſit, præſentis argumenti erit diſcutere: exordio facto à promulgationis forma & ordine.

Fructus ſecundus Concionis Ionæ ieiunium, Niniuitarũ.

4 Ne quis verò miretur præceptum hoc cadere in Ethnicos potuiſſe; ipſos etiam ſubinde ieiunare alibi ſolitos Titus Liuius nobiliſſimus hiſtoricus teſtatur. Huius propria verba reddo: *Eorum prodigiorum causâ*, inquit, (narrauerat immediatè antè, quæ vno eodemque anno euenerant Romę, Tarracinæ, Amiterni, & Minturnis prodigia) *libros Sibyllinos ex S. C. deceuiri cùm adiiſſent, renuntiarunt ieiuniũ inſtituendum Cereri eſſe, & id quinto quoque anno ſeruandum.* Si id conſulto Sibyllæ oraculo fecerunt Romani, quid mirum conſulto per IONAM, aut ſaltem per illum intellecto diuino oraculo, feciſſe Niniuitas; quando hi ſummo fructu id facere potuerunt, & fecerunt, quod Romani nullo.

Ethnici etiam ieiunarunt interdum. *Liuius lib. 36. Hiſtoriæ, ſiue Decadis 4. lib. 6.*

5 Itaque Niniuitæ *Prædicauerunt Ieiunium.* Hebræa habent *Clamauerunt.* LXX. ἐκήρυξαν, id eſt, *clamauerunt voce præconis.* Vt nimirum omnibus, quid ſibi faciendum, & clariùs, & certiùs innoteſceret: atque ita factum fuiſſe Druſius & Mariana cenſuerunt; ego non affirmo, non nego. Quidquid ſit de hac denuntiati ieiunij ratione, fuiſſe denuntiatum quocumque demum modo, & quidem ciuitate totâ, ſiue per angulos platearum, ſiue per loca celebriora & crebriora, certiſſimum

Denuntiatum fuit, Niniuitis ieiunium.

mum est: cuius verò auctoritate atque imperio prorsus incertum.

Denũtiati ieiunij modus varius à variis assignatur. Hieron. in hunc locum.

6 D. Hieronymus non putat factum publico vllius imperio; sed curâ dumtaxat priuatâ singulorũ patrumfamilias, quibus ius erat in suos; lege nimirum ab iis positâ vxori, liberis, totique domesticorum suorum turbæ: idque ex salutis eorũ desiderio. *Priùs*, inquit, *viri credunt, & illis ieiunium prædicantibus, omnis ætas sacco induitur: viri non prædicant saccum, sed tantùm ieiunium.* Hæc ille. Adstipulatur Hieronymo Dionysius Rikelius. Verùm id cum textu Hebręo, & LXX. interpretum trãslatione minùs consentit. Quid enim in priuata familia, quid inter septa domestica, aut clamore, aut voce præconis est opus?

Non est per patresfamilias decretum ieiunium.

7 Rabbi Dauid Kimchi, vir inter suos eximius habitus, opinatur hanc legem ieiunij proprio quodam instinctu consensuque ciuiũ, eorum nimirum plurimis hinc inde capita inter se conferentibus, sicuti rebus turbulentissimis fieri cõsueuit, nullâ Regis, nullâ Procerum, nullâ Senatus ciuitatis interpositâ auctoritate, dictam, edictã, promulgatam. Verùm id, meâ quidem sententiâ, faciliùs dixerit quàm probauerit. Non enim video quî hoc fieri potuerit in benè cõstituta Republica, atque in ea ciuitate, in qua Rex erat & regia, in qua aula & Proceres, in qua Senatores regij & Magistratus, in qua certis legibus viuebatur, neq; cuiuis quiduis suo arbitratu licebat. Profectò nõ arbitror ciues istic vllos tam proiectæ futuros fuisse audaciæ, vt conspiratione inter se initâ, non veriti fuerint, aliquid toti proponere, aut denũtiare multitudini, quo sciuerint, aut suspicari saltem potuerint, plurium animos conturbãdos, nisi id à maioribus iam antè cognitum probatumque cognouerint.

Non pertines inter se conuenientes.

8 Ex hac Rabbini sententia, si magis solido niteretur fundamento, gauderẽ commendare me posse zelum populi pœnitentis, tametsi nonnullis fortasse videri possit aliquo modo pręposterus, faceret enim nõ parum ad institutionẽ nostram: quoniam vel inde appareret, quàm etiam nobis Catholicis non sint differenda ieiunia, quoad propositis à Deo eiusque Ecclesia pœnis, ad ipsa quodammodò cõpellamur; sed magis sint vltrò suscipienda, cùm pro delictis præteritis, tum ad vitę rationẽ nouam, meliorẽ, tutioremque ineundam; aut certè iniuncta præscriptaque non inuito animo admittenda.

9 Censent Benedictus Arias Montanus & Petrus à Figueiro, prioribus probabilius, fuisse prædicatũ & indictum hoc loco ieiunium, nõ a singulis patribusfamilias inter suos, neque à cõcurrente populo; sed à Magistratibus, illarum ciuitatis partium pręsidibus, quas Ionas paullò ante concionando obierat. Vix ambigo quin Niniue cũ esset ciuitas spatiosa admodũ, & vasta, hinc & inde ad latus fluminis Tigris procul excurrẽs, atque velut brachiis quibusdam fusè & latè vtrimque protensa, habuerit pro commoditate populi, & faciliore administratione directioneque Reipublicæ, variis locis Magistratus priuatos; vt Tribunos plebis, vicorum præfectos, Censores, aut similes, quocumque demum hi nomine vocarẽtur; quorum potestas, licet esset certis iudiciorum locorumque definita terminis, hoc casu, qui prorsus rarus & nouus, ex præsenti necessitate pręsumpta maior, etiam extensa fuerit ad statuendum, quod in tam dubio & periculoso negotio, moram non patiente, optimum videretur: hoc autem illis visum fuerit solemne ieiunium sine vlla vlteriori cunctatione decernere.

Sententia quorumdã decretum fuisse ieiunium per Magistratus priuatos.

In Niniue multos fuisse Magistratus particulares credibile est.

10 Nec obstat, quòd in ciuitate tam dissoluta, tam deprauata, tam perdita, id statuere nouum videri possit, nullâ præsertim supremæ potestatis auctoritate intercedente, nullo Regis interueniente imperio; quia æquè & magis nouum videri poterat, intelligere ipsam post dies pauculos, quanta quanta erat perituram funditus. Imò multa, vt ait Arias Montanus prudenter ac verè, interdum fuêre tempora, quibus magis celeritate, quàm auctoritate regiâ, magnoque molimine, consuli ciuibus totique Reipubli-

Illos in tanta necessitate hoc potuisse statuere etiam credibile est.

Nonnumquam res celeritate indigẽt, & non datur multis deliberationibus locus.

cæ, ob vrgentem & moras non ferentem necessitatem, conueniebat. In illis hæc quoque numeranda ipse existimat. Quare sic ratiocinatur: *Niniuitæ cùm primum, præcone Ionâ, certum atque maturrimum sibi rebusq; suis exitium palàm prædicari audierunt, illam prædictionem diuinam interpretati, procurari, & expiari potiùs, quàm ad Regiam Maiestatem referri oportere intellexere; neque enim facti ipsis vicatim præconij rationem & curam, minùs ad se, quàm ad Regem spectare putauerunt: & cùm causa communis omnium esset, ab iis primùm suscipi debere, ad quos primùm præconis voce fuisset delata. Igitur per eorum virorum tribunos, & minores magistratus apud quos prima die proclamatum præconium fuerat, res ipsa procurari cæpta est. Satis enim in communi causa, quæ cuique vel priuato curæ esse debuerat, horum virorum auctoritas & imperium esse debuit.* Hæc Montanus: cuius verba referre placuit, vt ex iisdem magis etiam de eius mente constare posset atque sententia.

Arias Mōtanus in hunc locū.

11 Vt verò stabiliat ampliùs quod dixit, obseruat idem Montanus consueuisse Hebræos suorum populorum Magistratus, aliosque in Republica præcipuos, nullo certo muneris alicuius publici insignitos titulo, communi Virorum nomine censere; vti apud Romanos Duumuiri, Triumuiri, Decemuiri dicebantur. Aitque huc spectare quod hoc loco dicitur: *Crediderunt viri Niniuitæ in Deum, & prædicauerunt ieiunium.* Idem obseruauit Gregorius Mastrillus, in suæ obseruationis illius cōfirmationem adducens, quod libro Geneseos dicitur, Isaacum, cùm maneret in Geraris, fuisse interrogatum *à viris loci illius super vxore sua.* Verùm istic agi de iudicibus, aut loci illius magistratibus non constat. Ego id minùs certò affirmare ausim, quia subditur, Isaacum fuisse veritum, *Ne fortè interficerent eum propter illius pulchritudinem.* Nam hoc à Magistratibus, præ ceteris minùs videtur fuisse metuendum.

Nomine Virorum Hebræi Magistratus innominatos censebant.

Gen. 26. v. 7.

Ibidem.

12 Figueiro in prædicatione seu promulgatione ieiunij per minores Magistratus arbitratur latere mysterium: designari nempe feruorem fidei Ecclesiæ congregandæ ex Gentibus; quando hanc suscepturi erant plurimi, vti reipsâ susceperunt tot iam sæculis, non modò non consultis, sed inuitis etiam regibus & principibus; in Christum, non carnis delicias, non voluptates, non corporis commoda; sed contemptum honorum, deliciarum, & bonorum sæculi huius proponentem, credentes.

Allegorica superioris sententiæ expositio de decreto ieiunio per Magistratus priuatos.

13 O quàm esset optandum, vt modò id etiam fieret orbe toto! maximè verò in Germania; vbi subditi à suorum Principum placitis, etiam erroneis, & quidē in materia fidei ac religionis, in qua maximè noxius est error, & si vsquam esse deberet libertas, desciscere nefas arbitrantur; adeoque ad errorem illorum sectandum, nisi vltrò accesserint, propè compelluntur inuiti: si verò voluntate propriâ cum iisdem consenserint, tametsi sciant errare se, hoc etiam malunt, quàm ab iis desciscendo rectè sentire; non tam libenter deinde suo tempore sui erroris pœnam cum iisdem luituri.

Optandum vt in Germania etiam multis Principibus hæreticis subditi conuertantur ad fidē Catholicā.

14 Tandem, ad quæstionem propositā vt dicam quod sentio. Arbitror cum Emanuele Sà, & aliis, Niniuitis neque priuatâ patrumfamilias auctoritate, neque tumultuantis populi clamore, neque minorum Magistratuum edicto; sed ipsius imperio regis, indictum, imperatum, promulgatum fuisse ieiunium. Docet nos hoc, nisi vehementer fallor, sacræ contextus Historiæ, in qua post verba illa: *Prædicauerunt ieiunium, & vestiti sunt saccis à maiore vsque ad minorem,* cùm subiungitur: *Et peruenit verbum ad regem Niniue,* rationem indicti ieiunij, & vestitus asperioris assignari existimo: ita vt vocula *Et*, sit causalis, atque idem valeat quod *Nam*; Ac si dicat: Quia ad Regis peruenit aures, easque non parum perculit verbum asperum, durus clamor, seuera increpatio comminatioque IONÆ; ex illius voluntate & iussu, prædicatum est ieiuniū. Id verò per

Indictū est Niniuitis ieiunium ex imperio regis.

per præconem vt fieret, nemo meliùs, commodiùs, faciliùs ipso Rege curare potuit, nemo iubere efficaciùs: vt cui præco, cui ciues in omnibus subditi, nullo modo contradicere, aut reluctari auderent; sine cuius assensu fortassis etiam nemo id populo denuntiare præsumeret.

Cur hic fiat mentio ieiunij, & iterùm postea.

15 Regis decretum quale fuerit paullò pòst dicitur. Hîc verò non alia de causa indicti ieiunij mentio est, quàm vt seorsim conuersionis, & actuum pœnitētiæ populi vniuersæque multitudinis, seorsim verò ipsius Regis meminerimus: alioquin illud ipsum quod hîc succinctè, & breuiter, narratur deinde iterùm copiosiùs.

Niniuitæ ieiunij legem non sunt prætergressi.

16 Dum de data Niniuitis ieiunij lege agimus, statim occurrere videtur, qui dicat: Quid iuuat eam fuisse conditam & promulgatam, si non etiam seruata. Nobis quoque similes leges conduntur frequenter, vtinam seruarentur. Ad nos quod attinet, non habeo quod vniuersim respondeam: hîc seipsos discutiant singuli, sicuti sunt violatæ legis pro se singuli rationem reddituri. De Niniuitis hoc videor posse asserere, indictam iis semel hanc legem neminem prætergressum fuisse. Nam, vt verbis vtar Chrysostomi: *Statim viri atque feminæ, serui & domini, senes & iuuenes, iudices & ministri, graues & pueri, vno concursu, vnâ mente, vnâ lamentatione, ad auxilium ieiunij conuolarunt.* Illius nimirum, quo vtebantur olim, de manè in vesperam ab omnibus abstinendo. Atque hoc ipsum deinde edicto regio manifestè exprimitur, in quo hæc inter cetera: *Homines, & iumenta, & boues, & pecora, non gustent quidquam: nec pascantur, & aquam non bibant.*

Chrysost. hom. in Ionam.

Rigidè ieiunarunt.

Ionæ c. 3. v. 7.

Ratio in ieiuniis seruata à primis Christianis.

17 Sic quondam primi Christiani esuriales ferias agebant. At tam sancta laudataque eorum consuetudo, iam pridem apud plerosque in dissuetudinem abiit, quando indulto benignissimæ matris Ecclesiæ, suorum filiorum imbecillitati consulentis; ne, quos hac lege velut fræno coërcitos cupit, penitus eneruare & proterere velle videatur, iam ante D. Hieronymi tempora (nam & ipse huius indulti meminit) id est ab annis mille trecentis, cœnam in prandium commutare consueuimus; legi ieiunij facientes satis, cùm refecti semel dumtaxat de die, siue ad meridiem, siue ad vesperam, frugaliùs viuimus.

S. Antonius ante vesperam non comedebat.

Athanas. vitæ c. 6.

18 Alioquin magnus ille Antonius Ægyptius, quemadmodum à S. Athanasio auctore vitæ ipsius narratur, nihil ante solis occasum cibi potionisq; vnquam gustabat: tum verò, non nisi ad nudum panē salis aliquid & aquæ pro obsonio adhibebat. S. Hilarion ad paucas ficus succum herbarum, neque ante vesperam, ad illud vsque tempus etiam ipse ieiunus. Factitarunt id plures prioribus sæculis, & etiamnum locis quibusdam feruētiores Catholici, Dominicę Natiuitatis peruigilio, feriâ sextâ Parasceues, Sabbato sancto, & fortasse aliis solemnioribus vigiliis facere pro sua priuata pietate admodum religiosè instituunt.

Nec S. Hilarion

S. Hieron. in vita Hilarionis c. 3.

Multi etiā nunc in vigilia Natiuitatis & aliàs.

Niniuitæ orsi sunt conuersionem suam appositè à ieiunio, & quare.

19 Ceterùm, vt de Niniuitis, quod huius est loci, agamus: rectè illi vitæ emendationem à ieiunio, quemadmodum initiò diximus, ordiuntur: quia Dei spiritus, qui ad synceram conuersionem prouocat, statim ad ieiunandum instigat; vt caro, quæ luxu peccauerat, ieiunio castigetur. Porro sicut cor alicuius verè pœnitens esse non potest, quamdiu adhuc cibo & potu capitur, atque escis delectatur carnalibus: ita illud prorsus immutatum apparet, quando eiuscemodi sollicitudine positâ, & voluptate contemptâ, diuinis inhians, hæc prorsus aspernatur & proterit; atque in se sæuire voluntariâ inediâ magno nisu conatuque incipit.

Est deinde inedia hæc ad rebelles carnis impetus coërcendos & comprimendos præsentissimum subsidium, atque ad superādas occultiores subtilioresque veteratoris insidias efficacissimum remedium. Quæ causa ur dicat hoc loco Albertus Magnus de Niniuitis: *Ieiunium prædicauerunt vt fomenta libidinis subtraherent.*

Emendationē vitæ omnes exorsi sunt à ieiunio.

20 Hinc quotquot æuo Christiano, de vitæ emendatione seria, maturum suscepêre consilium, excogitare studuerunt modos, quibus ante omnia corpus macerarent ieiuniis, atque ipsum ita commodiùs rationis ac virtutis imperio subiugarent; & hoc velut forti fræno cohiberent, ne recalcitrare deinde posset. Intelligebant nimirum, quàm omnibus per vitam meliorem ac sanctiorem aspirantibus ad Deum, proterendus sit hostis ille domesticus, ventris inquam ingluuies; qui nisi semel generosè sit superatus, & quasi debellatus, omninò hominem sublimiora molientem, id quod agit agere securè, & sine metu non patitur: sed saniora altioraque disturbās consilia, facit semper imis inhærere; quibus ita cum inuoluit & implicat, vt expedire se deinde, sæpiùs, & sæpius victus, licet vincere nō vinci velit, quàm ægerrimè possit. Impetendus est igitur, lacessendus, & fatigandus tam diu armis ieiunij, donec prorsus succubuerit; vsque eò attenuatus, eneruatus, & spoliatus viribus, vt ad eas resumendas ampliùs redire, nobiscum pugnaturus, vix possit.

Primus hostis viro spiritnali occurrit gula, eaq; vincenda.

21 Memorabile est, quod fidem nobis facit potentiæ & astutiæ hostilis, nosque debet mirum in modum ad pugnam cum eo ineundam, obtinendamque victoriam animare: primum hostem, cùm quo confligendum fuit populo Israel ex Ægypto egresso, & ad terram promissam properanti, vti est à D. Gregorio obseruatum, occurrisse Amalech. Est autem Amalech, secundùm eiusdem interpretationem Gregorij, idem quod populus lambēs seu lingens ollas nimirum & pocula. Quid sibi vult quòd populus assuetus ollis, culinæ, dapibus, poculis, pugnare contra Israelem, electum Dei populum primus incipiat? Profectò hoc non aliud quàm spiritualem pugnam designat, ineundam omnibus, qui Ægyptum, id est, hoc sæculum nequam, consuetudinem sęculi, atque eiusdem oblectamenta deserunt; vt securiùs in Chanaan, beatam illam promissionis sedem, verè melle & lacte manantem, fructuum vberem, cęli dico regionem placidissimam, patriam omnium nostrûm pertingant. Pugna enim eiusmodi nobis ab Amalech carne nostra, hoste est inchoanda domestico, hic primò in certamen prouocandus, hic superandus est; vt sub iugum missus, nostræque potestatis effectus, ad omnes alios hostes vincendos spiritum adiuuet: quò deinde illis superatis, nobilem suo tempore agamus triumphum.

Gregor. in 1. Reg. c. 15.

Sancti pluribus diebus continuis ieiunarunt.

22 Maiores nostri, quibus propositum erat toto pectore in virtutem incumbere, in eam, vt vaferrimum & periculosiorem ceteris hostem, depugnarunt fortiter; omnibus, non modò superfluis, verùm etiam necessariis; neque ad vnum, sed ad plures etiam dies, sibi interdicentes.

Simeon Stilites septem. Heriber. in vitis PP. vita Simeonis c. 2.

Simeon Stilites post obortum sibi lumen diuinitus, cognitionéque boni melioris, secedens in claustri abdita, ita vitæ conuersionem commutationemque in melius est auspicatus; vt semel de die cibum gustantibus, reficientibusque se ceteris, ipse semel tantùm per hebdomadam reficeretur, subinde etiam totas sine cibo hebdomadas duceret.

S. Gerlacus arctè ieiunauit etiā peregrinus in itineribus, & quidem quotidie.

B. Gerlacus Iuliacensis, & miles, & dux militiæ, ac morte vxoris ad aliam à Deo euocatus militiam, tyrocinium illius in ieiunio posuit; & quidem peregrinus inter itinera permolesta. Romam enim cùm abiisset nudus pedes, amictus cilicio, toto etiam reliquo corporis cultu inornatus, ac magis sordidus quàm decorus, legem sibi quotidiani indixit ieiunij: mox in Vrbe ad Pontificis Maximi prouolutus pedes, postulataque ab eo pro culpis præteritis pœnâ, vbi Ierosolymam petiit, ieiunium non intermisit; sed neque reuersus ad suos, imò pro eo quod tum ipsum mitigaturus esset nonnihil, magis in se effectus asper & rigidus, solo hordeaceo pane cineribus misto, & aquâ pro potu adhibito, quod erat vitæ reliquum duxit, sanè tenuiter.

23 Nihil dico de S. Gulielmo Aquitaniæ

S. Gulielmus atro pane & aquâ contentus fuit. Surius in vita c. 14. ex Theobaldo Episcopo.

taniæ duce, quem facilè meminisse potestis, non nisi à ieiunio meliorem vitam fuisse exorsum. Nimirum anteà assuetus deliciis, ac rerum omnium abundantiæ volebat in aditu melioris negotiationis, ac magis illustris & securæ nobilitatis quam meditabatur, quamprimùm assuefieri voluntariæ inopiæ, atque pane nigerrimo contentus ac frigidâ inter opes inops vitam ducitare.

S. Romualdi fabis, pane & aquâ, atque ter hebdomade tantùm hac sumens. B. Petrus Damia. vitæ c. 5.

Taceo S. Romualdum Abbatem, quem, cùm primùm ad Marinum eremi cultorem se contulisset, ab eo religiosæ vitæ instituendum præceptis, nouimus corpus suum ita rigidè habere cœpisse, vt ad panem & fabas, tribus per hebdomadem diebus, potum tantùm frigidæ adhiberet.

Ieiunia mirabilia à variis exercita visa à Climacho. Ioannes Climachus Gradu 5.

24 Recensita iam, longè superant quæ de cibi potionisque rigore mirabili, velut à se visa vsurpataque oculis, in celebri, cuius ipse ibi meminit, pœnitentium monasterio, Ioannes Climachus narrat. *Quando sine vlla carnis cura*, sic ille, *obliuiscebantur comedere panem suum, potumq; aqua cum gemitu miscebant, & cinerem cum pane manducabant.* Adiungit: *Adhæserunt illorum ossa carni, ipsiq; vt fœnum exaruerunt.* Et paullò pôst: *Vidisses in illis æstuantes linguas instar canum ex ore procedentes. Quidam modicum aquæ degustantes, ne omninò siti exarescerent, ita quiescebant. Nonnulli, cùm panis exiguum quid accepissent, reliquum manu longiùs proiiciebant, indignos se, qui rationali cibo vescerentur asserentes, quippe qui irrationabiliter egissent.*

25 Vetera quidem sunt hæc, gesta à mille & ampliùs annis: sed non idcircò minori commendatione, atque etiam imitatione digna. Dabo tamen pro iis, qui recentiora petunt, nonnulla quoque temporum nostrorum, nec minùs prioribus illustria, voluntariæ inediæ exempla, si iis fortassis ampliùs moueantur.

S. Ignatius quotidie in pane & aqua ad dies aliquot, & semel totis 7. diebus ieiunauit.

S. Ignatius auctor & parens Ordinis nostri, vbi sæculo & sæculi honoribus valere iussis, ex regis Iberi militia, in æterni Regis feliciorem militiam transiit, Manresæ ipsis cõuersionis suæ initiis totâ ieiunauit hebdomade tam seuerè, vt præter emendicati panis exiguum frustulum, & aquæ paullulum; idque semel dumtaxat de die, gustaret nihil. Aliàs etiã, molestiis anxiæ conscïẽtiæ diuexatus, sic, vti putabat, facturus pro malo medicinam, consilio feruenti magis quàm prudenti, nulla re gustata, totis septem continenter diebus abstinuit: & perrexisset abstinere pluribus, nisi is, qui eius animum moderabatur, secùs faciendum censuisset.

Ribadineira lib. 1. vitæ c. 5.

Idem lib. 1. c. 6.

S. Xauerius semel 4. semel septem diebus ab omni cibo abstinuit.

26 Franciscus Xauerius suâ sanctitate notissimus, miraculis rebusque præclarè gestis celeberrimus, cùm primùm, duce Ignatio, ad Christi castra transiret, inter mentis exercitationes, cõmentationesque de rebus diuinis, spiritus oblectamenta non carnis, toto quatriduo sibi ab omni cibo potioneque temperauit: ampliùs, diebus nimirum septem, cùm in Indiis ad sepulchrum S. Thomæ Apostoli peregrinationem susciperet. Ceteri primi octo Ignatij socij, in deliberatione circa vitæ imposterum instituendæ rationes, saltem triduo. Adiecit Iacobus Lainius, qui deinde in comitiis Societatis creatus est primus ab Ignatio Generalis, dies quindecim, quibus vnicâ refectione contentus quotidie, solo pane & aqua, sine vllo obsonio vitam tenuit. Petrus verò Faber, illo ipso tempore ad sex dies perpetuauit ieiuniũ.

Horatius Tursellinus lib. 1. vitæ c. 2. Idem lib. 2. c. 14.

Aliorum S. Ignatij sociorum abstinentia.

Scottus vitæ Lainij t. 1 c. 1. Historiæ Societatis lib. 1. n 82.

27 Et ne domestica tantùm adferre videar, B. Thomas Villanoua Archiepiscopus Valentinus è D. Augustini familia per Aduentum & Quadragesimam, itemque feriâ quartâ & sextâ, ac profestis Sanctorum, solus reficiebatur, non vt lautiùs se haberet, sed quia præter panem & aquam nihil adhibens obsoniorum, id facere volebat occultè.

Baxius vitæ illius c. 14.

Abstinẽtia Camilli de Lellis & sociorum. Sanctius Cicatellus vitæ lib. 1. c. 17.

Camillus de Lellis, Fundator religionis Clericorũ infirmis ministrantium, vitam vnà cum sociis suis inter labores tamen continuos, & pœdores nosocomiorum maximos, in tanta sustinuit paupertate, tantaque inedia, pri-

primis præſertim initiis & eorum religione necdum confirmatâ, vt ſi modò panem ſimplici aquâ concoctum haberent, eo contentiſſimi viuerent.

Francisci Borgiæ Gandiæ Ducis.

Quid dicam de Franciſco Borgia, non iam Præpoſito Generali Societatis IESV ab Ignatio ſecundo, ſed adhuc Gandiæ Duce? Hic cùm Protegem ageret Catalauniæ (audite Proceres & imitamini) præterquam quòd ita paucis eſſet contentus, vt interdum herbis, & coctis leguminibus, interdum ſolo pane & frigidâ magis victitaret quàm viueret, omnes lautitias & meliora fercula reſpuens; mox vnicâ duntaxat ſumptâ refectione, idque ſub prandij tempus, ſic corpus ſuum macerauit, vt cutem illius, aliquando ſatis obeſi, duplicaret; &, vt ſcribit vitæ auctor Andreas Scottus, pellem quò vellet togæ inſtar referret.

Scottus lib. 1. vitæ c. 8.

Gonſalui Sylueriæ. Godignus vitæ lib. 1. c. 1. & 7.

28 Taceo Gonſaluum Sylueriam inſignem in vrbe Monomotapa martyrem, cuius abſtinentia, & ieiunij ratio, fuit, ſi non omninò ab ætate ineunte, ſaltem à ſeptimo ætatis anno, prorſus admirabilis.

Andreæ Ouiedi. Godignus lib. 3. de Rebus Abaſſiæ c. 14.

Andream Ouiedum Æthiopiæ Patriarcham non memoro; quem refert is, qui eodem cum illo vſus eſt tecto annis pluribus, ſolitum adhibere in refectionem ſuam quotidie neſcio quod ſemen amarum & inſipidum, cuius ex farina ad morem inopis vulgi placentulas formans alebat ſeſe, melioribus cibis, ſi qui mitterentur, erogatis in pauperes: ceterùm toto illo tempore nihil omnino carnis edibilis, non modò non in os ſuum, ſed nec in domum quidem, admiſiſſe.

Aloyſij Gonzagæ. Virgilius Ceparius vitæ lib. 1. c. 6.

29 Reticere non poſſum B. Aloyſij Gonzagæ Marchionis Caſtilionenſis prorſus admirabilem, de hoſte vix vires ſuas adhuc in eum, vt nobis perſuadere poſſemus, propter ætatis imbecillitatem exerturo, victoriam. Laceſſiuit ipſe hunc vltrò iam inde ab anno ætatis ſuæ duodecimo, & laceſſiuit armis pœnitentiæ tam validis, ieiunij præſertim; vt cum propè hoc in genere exarmarit, & fecerit impotentem ad aliquid contra ſe moliendum, quòd ex legibus ſuſceptæ inediæ non eſſet. Vnde ſi quando ouum integrum ſumpſiſſet in cœnam, tum certè lautè ſibi epulatus videbatur. Exacto deinde biennio, ternum per hebdomadas ſingulas vſurpare ieiunium illi erat familiare: in his binum tam arctè, vt vltra panem & frigidam nihil admitteret.

Ioannis Godefridi Episcopi Bambergensis.

30 Ioannem Godefridum Bambergenſem & VVurtsbergenſem Antiſtitem, illum ipſum, qui anno milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo ſecundo obiit in Electorum comitiis Ratiſbonæ, refert Ieremias Drexelius ex funebri laudatione pro defuncto habita, à prima pueritia omni Veneris & Sabbati die in Chriſti patientis & Virginis puerperæ honorem ieiunaſſe; ſæpiùs in anno totis diebus extra panem & aquam, nihil penitùs libaſſe, ante Chriſti natalem toto Aduentus ſacri tempore abſtinuiſſe carnibus, Quadrageſimâ totâ non ſolùm carne, ſed & piſce, omnique alio animante menſæ ſuæ interdixiſſe, ſolis cicere, rapis & olere contentum. In Diuorum peruigiliis tã tectâ ſanctimoniâ ieiunaſſe, vt ad menſam velut cœnaturus accumberet, hilaris ac lætus cum aſſidentibus colloqueretur, partes ciborum acciperet, eas tamen ſubitò, cùm minùs obſeruaretur, famulo adſtanti redderet.

Drexelius lib. 2. de ieiunio c. 2. §. 3.

Antonij Mariæ Vbaldini.

31 Recentiſſimũ eſt, quod de Antonio Maria Vbaldino Vrbinate Monteæ Comite, anno milleſimo ſexcenteſimo vndetrigeſimo ad quintũ Idus Iulias Romæ in nobilium adoleſcentum ſeminario defuncto, cùm ageret ætatis annum octauum decimum, retulit in vitæ eiuſdem à ſe conſcripto Breuiario Iacobus Bidermannus: ſolitum ab anno ætatis duodecimo, quo primùm ad Euchariſticum epulum accubuit, quoties id faciebat, præter cibarij panis buccellam, nihil ſumere, cibo autem reliquo ſic abſtinere, vt eum ipſe omnem, bonâ parentum veniâ ad pauperes deferret. Sed & ſolitum, honeſto quodam titulo, paternæ ſe

Bidermãnus Breuiarij vitæ §. 7.

se mensæ subducere, & quasi seorsim pransurum aquâ purâ paneque victitare. O angelicum adolescentem!

Omni tempore fuerũt multi, qui sibi arctã legem ieiuny posuerunt.

32 Vt hîc finem faciam dicendi, hoc scitote non deesse centena, imò millena exempla eorum, qui quouis sæculo, in Christi transscripti militiã, statim ab ipso tyrocinio, sibi fortiter & generosè cum hoc hoste, domestico dimicandum putarunt, eumque prouocaruntin certamen, etiam non prouocati, vt vincerent; ne ipsi segnes & inermes, aliquando serius ocyus ab eo vincerentur. Horum nos insistamus vestigiis, & magnam felicitatis securæ & perennaturæ partem in hoc positam arbitremur, vt ebullientes carnis & appetitionis noxiæ impetus, qui vbi inualuerint durã in nos exercent tyrannidem, vltroneo ieiunio corporisque maceratione voluntariâ, maturè frangamus.

Nobis hoc adeò arduum & difficile videri non debet, quando non nisi viã, à tam multis tam diu antè calcatam & tritam, calcabimus; quando tam multos hac lauro redimitos, nos ad eandem suo exemplo prouocantes, incitantes, stimulantes victoriam & coronam videmus; & sequi tantùm debemus præeuntes, vt cum ipsis vincamus & coronemur.

Ieiunium Niniuitarum quia sine exẽplo magis mirabile.

33 Aliud erat in Niniuitis, quando eiusmodi exẽpla ignorabantur, quando ipsis sacræ Litteræ quibus erudirentur non innotuerant, quando ignaros hoc modo placari iratũ Deum nemo monuerat. Interim tamen & ipsi ad vnam IONÆ vocem, agnoscentes quàm luxu nimio, quàm deliquissent intemperantiâ, ad ieiunium conuertuntur, nobis certè in magnum opprobrium, audituris aliquando à Domino, aut, vt meliùs dicam, spectaturis & percepturis, grauiori nostro damno quod audiuerunt olim Iudæi, *Viri Niniuitæ surgent in iudicio cum generatione ista; & condemnabunt eam, quia pœnitentiã egerunt in prædicatione Ionæ*, pœnitentiam omnibus sæculis memorandam, omnibus imitandam gentibus, pœnitentiam non tantùm priuatam, sed publicam: neque enim puduit illos solennissimum toti ciuitati ieiunium ex Regis imperio indicere, atque indictum consentientibus omnibus explere, inchoando ab eo, quod, vt ait D. Ioannes Chrysostomus ita tribus diebus & noctibus durauit, vt toto illo tempore nec homines, nec pecudes, quidquam cibi aut potus libarint: adeò vt ipsis infantibus, adhuc in cunis inter fascias degentibus, toto triduo lacte fuerit abstinendum. Excepit deinde hoc ieiunium aliud minùs rigidum, sed magis diuturnum, dierum scilicet quadraginta, quibus vesperi dumtaxat panis cum aqua pro refocillatione necessaria in alimentum admittebatur.

Mat. c. 12. v. 41.

Quomodo institutum initio, quomodo in decursu dierũ 40. ex D. Chrysostomi sententia.

Periculum nobis creat nimis benigna corporis tractatio.

34 Nunc dum longè mitiùs ipsi nobiscum agimus, etiam nobis applaudimus, & quia ex sensu voluntateque nostra agimus, agi omnia feliciter arbitramur. Miseri, sed miseriã nostram ignorantes, & idcircò parum prouidi periculorum velut anguem in sinu fouemus; corpus deliciis pascimus, vt aliquãdo mentem pascat opprobriis. Audite monitum Sapientis, & secundùm illud quid sit vobis faciendum decernite: *Qui delicatè à pueritia nutrit seruum suum*, inquit Salomon, *postea sentiet eum contumacem.* Animi nostri seruus est corpus hoc miserum, quod vbi lautiùs fuerit enutritum, vbi fartum epulis vinoque repletum, contumax erit; neque animi domini sui obsecundabit imperiis, liberè, proteruè, insolenter repugnabit, & suæ conditionis iura præuertens, ipsi domino, non iam vt seruus, sed vt dominus imperare contendet.

Prou. c. 29. v. 21.

Corpus nostrum instar equi indomiti est, cùm opletur cibis lautioribus.

35 Equus principis viri, nõ nisi benigniore enutritus pabulo, & quotidie ad saturitatem fartus auenâ, neque vllis assuetus laboribus, sed tantùm velut commodis suis factus, semper est inquietus,

Stare loco nescit, micat auribus, & tremit artus, Virg. 3. Geor.

recalcitrat, sessorem non patitur, non fræno, non virgâ, non calcaribus coërcetur. Quid remedij? Pabulum subtrahe,

trahe, & simul illi omnem suam ferociam, insolentiam, procaciam subtraxeris: stabit namque exinde ad nutum domini sui immotus, frænum, lora, calcaria patietur, vel ad motum virgulæ regi facilis, excipiet quietus dominum suum, illum deuehet in quemcumque locum etiam per vndas, per valla, per montes firmo & stabili gradu. Non aliter cum corpore nostro, subinde etiam vltra quemuis equum indomitum lasciuiente, subsultante, ferociente & recalcitrante agitur. Foueatur illud ab animo principe aliquantò benigniùs, curetur lautiùs, liberaliùs alatur, foueatur, nutriaturque cibo potuque meliore; quamprimùm mirè recalcitrat, & excutiens rationis imperium, insolescit egregiè, mox etiam despumat in libidinem. Quid consilij? Dixit ille.

Subtrahe ligna foco, si vis extinguere flammam.

Ieiunio coercendū est. Deme corpori nimium insolescenti primò cupedias, lautitias, & quidquid suprà necessitatem est: deinde aliquid etiā deme de necessariis; vt quantum anteà supererat, tantum sibi deesse sentiat; tum finet se quamprimùm, & quidem facilè rationis frẹno cohiberi, ac paulatim deferuescet, quæ feruebat & bulliebat anteà in intimis pectoris penetralibus concupiscentia. Nam *sine Cerere & Baccho friget Venus*, debilitatum verò & subiugatum inediâ corpus, se quoque facillimè socium animo ad virtutem dabit, atque illius, non segni ac lento gradu, sequetur imperium. *Terent. in Eunucho.*

36 Nemo non videt quantū intersit inter anseres pane saginatos domestico, & volucres alias quæsito viuentes pabulo: illi obeso iam corpore ægrè se in altum attollunt, aut si id fecerint ingenti conatu, statim deorsum eos trahente saginâ, vixdum adhuc satis libratis pennis, mole suâ cadunt: hæ verò prorsus agiles, expeditæ, & leues, nullis saginati corporis detentæ atque arctatæ molestiis, nullâ mole graues, per medium aëra pernici volatu, sursum, deorsum se librant, agunt, circumagunt. Quantum inter hæc, tantum est inter homines illos discrimen, qui corporis commodis innutriti, sunt mera ventris sui mancipia, & illos qui eiusdem domini, talium contemptores esse consueuerunt. Priores namque, etiam diuinis acti inspirationibus vix mentem in Deum erigunt, vel si pauxillum erexerint, demum pristinis pellecti, carnis deliciis & corporis commodis, quā primùm iterum corruunt secundùm illud Sapientis: *Corpus quod corrumpitur, aggrauat animā, & terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem.* Posteriores verò, toti expediti & alacres, quouis instinctu bono, lectione, alloquio, commonitione, velut alis pernicibus feruntur in cælum, cælestia cogitant, defixi in illam viuorum regionem, vbi mox, corporis ergastulo exutis, viuere licebit liberiore spiritu, gaudio pleniore. Talis fuit S. Edmundus Cantuariensis Archiepiscopus, qui sæpiùs spretis nobilioribus ferculis, solâ frigida & pane cibario victitans, rogatus abstinentiæ tam insolitæ causam, dicebat: Quia curæ mihi non est saginare corpus, sed sustentare. Ideò *cibauit illum* Dominus *pane vitæ & intellectus, & aqua sapientiæ salutaris potauit illum.*

Abstemij sunt vt pernices volucres: helluones & bibones, instar anserum præ sagina volare nescientium.

Sap. c. 9. v. 15.

Eccles. c. 15. v. 3.

Obsertus in eius vita.

37 Hæc dum recolo in Sāctis, etiam in mentem mihi venit illa Lacedẹmoniorum sollicita cura; quâ, cùm olim nullam disciplinam abstinētiâ potiorem haberent, adolescentes obesi corporis inediâ vexabant, vt sic eos ad gracilitatem reducerent. Sed & Pythagoram insignem inter Ethnicos philosophum ferunt discipulo cuidam suo nimium curando corpori intento dixisse: *Hic non desinit sibi carcerem molestiorem struere.* Intelligebat nempe vir sapiens, quantumuis Ethnicus, corpus esse velut animi custodiam, quod, si ampliùs farciatur, arctiorem sibi faciat, magisque difficilem ac molestam custodiam qui farcit.

Lacedæmones vexabant obesos inediâ.

Dictum Pythagoræ de adolescēte nimis benè corpus suum curante.

38 Valet philosophi dictum pro omnibus: pro fidelibus tantum, quod in sacris Litteris legimus, non philosophi alicuius, sed ipsius Dei pronūtiatum. Hic

Causa idololatriæ populi Israel fuit saturitas & abundantia.

Hic causam cur populus Israël post deos abierit alienos, fuisse cibi potionisque abundantiã, crapulam, & ventris ingluuiem, quæ sanam illi mentem sustulerint. Verba sunt querelarum plena ipsius Dei ad populum suum: *Incrassatus est dilectus, & recalcitrauit: incrassatus, impinguatus, dilatatus; dereliquit Deum factorem suum, & recessit à Deo salutari suo.* Quasi dicat: Quia vobis non desunt neque defuturæ sunt in terra Chanaan, quam vobis liberaliter promisi, deliciæ & diuitiæ; ideò vos illis nimium addicti, magis corporis quàm animi lucra spectantes & commoda, mei, qui vos de Ægypti seruitute liberaui, obliti, ad deos conuertimini alienos. *Sedit populus manducare, & bibere, & surrexerunt ludere.* Atque ita fieri etiam aliàs ferè consueuit, quando abundantiã temporalium obliuionem inducere nouimus æternorum.

Deut. c. 32. v. 15.

Exodi c. 32. v. 6.

39 Quis scit an non hæc ipsa causa malorum in Niniue? Certè hunc mihi non alium illorum fontem imaginor: eundem nimis copiosè adhuc multis locis scaturientem, quisquis in se obstruxerit, operæpretium præstiterit. Hunc obstruxerũt Niniuitę ieiunio, & id benè illis feliciterq; cessit, obstruamus & nos, & non minùs nobis cedet feliciter. Quos enim recolimus fructus cum Ecclesia dicentes ad Deum, diebus singulis verni ieiunij ad aras: *Qui corporali ieiunio vitia cõprimis, mentem eleuas, virtutem largiris & præmia,* eos quoque gustabimus.

Eadẽ causa malorum Niniue.

In Præfat. Missæ in Quadragesima.

40 Porrò vt videamus quid sperare magnoperè & quid consequi ieiunio nostro possimus, percurramus ieiunij Niniuitici fructus præcipuos, è quibus de nostris erudiamur. Primus fuit, isq; maximus totius conuersio ciuitatis. D. Basilius Magnus ponit duplex circa Niniuitas decretum, vnũ Dei de subuertenda ciuitate, alterum ipsorum de suscipiendo ieiunio, quod præualuisse ait. Verba ipsius sunt: *Hoc decretum de ieiunio suscipiendo, illud diuinum de exscindenda Niniue reuocauit.* Quasi ieiunium Deum quodammodo vicerit, & promissam euersionem, facta per illud in Niniuitis conuersio immutarit. Videtis quantam impetrandi efficacitatem sortiatur ieiunium.

Fructus ieiunij Niniuitici duplex.

Basil. ora. 15. de Ieiunio.

Alter fructus, qui nos concernit propiùs, est: quòd memoriã Niniuitici ieiunij, erudiamur simili ratione auertere mala, quæ possent fortè nobis impendêre. Hunc assignat Eusebius Emissenus: *Quàm felix,* inquit, *abstinentia, cuius prædicanda deuotio in illa plebe felicissima, diuino semel quidem est approbata iudicio; sed quotidiano multiplicatur, & celebratur exemplo. Specialem quondam prætulit fidem, nunc generalem operatur salutem. Nam quoties per lectionem profectus eius auditur, fructus illius dilatatur. Quàm felix abstinentia, quæ actione temporaria fuit, & nunc vtilitate perpetua est!*

Hom. de Pœnit. Niniuitarũ.

41 Sicuti duplex hic fructus Niniuitici ieiunij longè maximus est atque amplissimus: ita neminem ieiunio abstinentiæque deditum fuisse, nullo suo emolumento, certius est quàm vt longâ probatione indigeat. Etenim in variis, quæ fuerit illius vtilitas, ipsæ sacræ Litteræ abundè loquuntur. Ex illis habemus quomodo Dauid regum maximus, in ieiunio humiliet animam suam, atque ita obtruncet superbiam. Iudith ieiunio iungat cilicium, & sic corpori frænum iniiciens, domet libidinem. Iacob fratri decoctam lenticulam vendat, & ita gulam euincat. Paulus multis se castiget ieiuniis, atque ita repugnantis carnis insolentiam proterat.

Vtilitates ieiunantium varia.

Adhæc solitarium quendam, producto per hebdomadam totam ieiunio, rogatum quid ageret, respondisse accepimus: *Occido, ne me occidat.* Optimè & verissimè: nam qui corpus mactat inediâ, quot hostes à carne in animam irruunt, tot conculcat & proterit, qui fructus est maximus.

Ex his hostibus duos præcipuos Tertullianus enumerat, quos vocat digno operibus nomine, *duo dæmonia*, gulam & luxuriam, solo superandos ieiunio.

Gula mala enarrãtur.

nio. Cum his est acriùs certandum; nam si semel superiores fuerint, nobisque dominentur, subuertent omnia.

42 Vicerat gula protoparentes nostros Adamum & Euam, & quid non inde malorum? ne Iliadem texã multa dico, imò omnia dico, cũ dico, eos paradiso expulit. Vicerat Noëmum, & prô dedecus! eius pudẽda nudauit. Vicerat Sodomitas & Gomorrhæos, & infandis eos contaminauit sceleribus. Quid dico? *Tabulas legis*, sic loquitur B. Ambrosius, *quas accepit abstinentia, conteri fecit ebrietas*. Nec alteri tribuendũ quàm gulæ quòd Loth incestum commisit, quòd Esau primogenituræ ius vendidit, quòd populus Israëliticus tãto numero periit in deserto, quòd filij Heli sacerdotis hostili gladio necati sunt, quòd Ammon sororis suæ pudicitiam violauit, quòd Absalom cædem fratris patrauit. Intuebatur hæc & his similia incommoda, magnus sanctitate, magnus meritis, Abbas Hilarion; veritus igitur, ne quid simile sibi aliquando contingeret, teste Hieronymo, corpus suum vrgebat, re non minùs quàm verbis dicendo: *Ego te aselle faciam vt non calcitres; nec te hordeo alam, sed paleis, fame te conficiam & siti, graui onerabo pondere, per æstus indagabo, & frigora vt cibum potiùs quàm lasciuiam cogites.*

Ambros. lib. de Elia & Ieiunio c. 6.

Hieron. in vita Hilar. c. 3.

43 Ad Niniuitas nostros vt nunc denuò reuertamur: *Prædicauerunt* illi *ieiunium, vestiti sunt saccis*, vt verè dolore se de peccatis, & resipiscere velle ostenderent. Nam, vt rectè Hieronymus, *saccus & ieiunium, arma sunt pœnitentiæ, auxilia peccatorum. Ante ieiunium, & sic saccus: ante quod occultũ est, & posteà quod palam.* Vtq; ostẽdat idem Hieronymus quis esse debeat istorum vsus, subiungit: *Hoc semper Deo, illud interdum exhibetur & hominibus.* Expositurus verò quid de vtroque sentiat, addit: *si è duobus necessariis vnum est subtrahendum, magis ieiunium absque sacco, quàm saccum eligam absque ieiunio.*

Niniuitarum ieiuniũ index resipiscentiæ fuit.

In hunc locũ Ionæ c. 3.

44 In nullo mihi videntur eloquentiores, tametsi eloquentes in omnibus, SS. Patres, quàm in commendando ieiunio. Excederem limites præstituti temporis, si eorum vellem commendationi, vel ex minimâ parte insistere. Suffecerit mihi, quod in eius laudem ab vno alteróue est recensitum, paucis complecti. Audite quid dicat eloquentissimus Cyprianus, Carthaginensis Episcopus, totius Africæ Primas, nobilis Martyr. *Ieiuniis*, inquit, *vitiorum sentina siccatur, petulantia marcet, concupiscentiæ languent, fugitiua abeunt voluptates, extinguitur ardentis Aetnæ incendium, & flammiuomi fornax Vulcani exstincta intrinsecùs, montes conterminos non adurit. Ieiunium, si discretione regatur, omnem carnis rebellionem edomat, & tyrannidem gulæ spoliat, & exarmat. Ieiunium extraordinarios motus in cippo claudit, & arctat, & appetitus vagos distringit & ligat. Ieiunium, si humilitate ornetur, seruos Dei mundi efficit contemptores. Ieiunium carnes azymas mundat, & solidat; & putredines quæ ex adipe prodeunt consumit, & siccat. Ieiunium scripturarum deliciis pascitur, contemplatione reficitur, gratiâ stabilitur, cælesti pane nutritur. Danieli interpretatio somniorum reuelatur ieiunio; & tres pueri de Babylonio illæsi egrediantur incendio. Moyses in monte quadraginta diebus cum Domino perseuerans, & Dei familiare colloquium, & legis ministerium ieiunio promeretur. Elias quoque eodem dierum numero abstinens in eremo conuersatur.*

SS. Patres ieiunium valdè commendant.

Cypr. oratione de Ieiunio & Tentationibus Christi.

45 En quantoperè, & in quã multis laudet S. Cyprianus & cõmendet ieiunium. Sed & illius non vtilitatẽ modò, verùm etiam necessitatẽ exponit, cùm subiicit: *Quotquot viros virtutum vidimus sine ieiunio nõ legimus ascendisse; nec aliquid magni moliti sunt, nisi priùs pœnitentia præcessisset. Quoties aliquid à Deo obtinere conati sunt, ieiuniis incubuêre & lacrymis.* Quod viri sanctissimi pronunciatum, sicuti verissimum est, ita non minùs verum, nullos propè Sanctos vllo sæculo claruisse rerum præclarè gestarum gloriâ & miraculis, nisi qui vitæ austeritate & ieiuniis sese etiam præclarè

Nulli ferè Sancti celebres qui non dediti ieiunio.

clarè exercuissent. In quē sensum dixit quoque D. Basilius Magnus: *Omnes Sāctos, quotquot fuerunt, ad vitā Deo dignā per ieiunium fuisse institutos reperies.* Vt proinde singulis vobis dicere posse videar, ex ore Chrysostomi, verbis ipsius propriis: *Mirare ieiuniū, & illud cū omni auiditate tuis amplexibus festina suscipere, quando enim & in flamma prodest, & in lacu leonū subuenit, & spiritus propulsat immundos, & diuinam sententiā mitigare nouit, & ad libertatem reuocare consueuit. Quis huius insaniæ reperitur, qui velit ieiunij tantorum bonorum materiam declinare?* Hæc Chrysostomus.

Basil. de laudibus Ieiunij.

Chrysost. hom. in Ionam tom. 1. in fine.

46 Est illo multò adhuc copiosior in recensendis ieiunij laudibus D. Basilius: sed, vt dixi, me singula enarrātem non hora tantùm, sed etiam dies deficiet. Quare pro multis quæ adferri possent, hoc valeat: ad salutē, ad gloriā immortalem, viam sibi sternenti, ieiunium tamquam optimum & securissimum itineris comitem cooptandum. Nouimus, quòd quātum procedere, & se promouere spiritus nititur, tantū retrocedere, & se subducere caro conetur, semper aduersa moliēs: etenim vetus est, quòd *caro cōcupiscit aduersus spiritum, spiritus autem aduersus carnē: hæc enim sibi inuicem aduersantur.* sed, quod nō debet tolerari vllo modo, caro cùm præesse velit ęquè ac spiritus, certè nolit subesse; continenda, premenda, flagellanda est pœnitētiæ loris, & ieiunij repagulis coërcenda, ne spiritū in cælestem patriam properare volentem, aut impediat, aut retardet.

Ieiunium comes itineris ad cælum.

Ad Gal. c. 5. v. 17.

47 Ventrem & mentem qui dixerit esse velut Iacob & Esau, rectè dixerit: fratres enim videntur, sed parū cōcordes, cōditione & moribus, si vlli, valdè dissimiles: hi velut in eodē matris vtero, semper contendunt, luctantur, & pugnant. Quod questus Gregor. Nazianzenus ait: *Inimicus est mihi beneuolus, & amicus insidiosus. Prô copulā & dissidium! Quod timeo, foueo; & quod amo, metuo: priusquam bellare incipio, concilior, & antequam pax fiat dissideo.* Atque adeò hîc illud verissimum est.

Caro & spiritus sunt velut Iacob & Esau.

Greg. Nazian. ora. de Pauperum cura.

Nec tecum possum viuere, nec sine te.

In hac tamen pugna supplantatur ieiunio Esau, vincit Iacob; spiritus imperat, tenetur vinculis caro.

Martial. lib. 12. Epig. 47.

Sicuti ad hāc obtinendam victoriam Niniuitis est prædicatum ieiunium, sic ipsum nobis prędicatum putemus; atque eadem, si sapere volumus, fide seruemus; ex quo non pauciora nobis, quàm illis, bona prouenient.

48 Finio si priùs S. Zenonem Episcopum Veronensem, doctrinę, sanctitatis, & martyrij gloriâ celebrem, vos meque commonentem induxero. *Malè*, inquit, *habemus & ægrotamus per cibum peccati, curemur & sanemur per ieiunium pœnitentiæ. Per cibum offensus est Deus, per ieiunium mitigetur: manducando in hoc quod sumus ventum est, quid mala nostra velut gloriam ducimus? quid pœnam delicias facimus? quid condemnationem ducimus voluptatem? expulsi sumus de paradiso, quia non ieiunauimus, ieiunemus nunc, vt ad paradisum reuertamur.*

Ieiunium medicina est ægritudinibus animi.

S. Zeno serm. de Ieiunio.

Hoc agamus SODALES, ieiunio animum purgemus, eundem ieiunio roboremus, vt ad virtutis & perfectionis montem, ex eo verò ad montem montiū omnium sublimissimum gloriæ æternæ, vbi est paradisus perpetuæ voluptatis, & fons bonorum omnium semper scaturiens, neque vmquam deficiens, citis passibus veniamus; ad quem, qui se peruenire posse existimat sine ieiunio, is medius fidius vehemēter errat. Etenim *difficile est, imò impossibile*, sic loquitur D. Hieronymus, *vt præsentibus quis & futuris fruatur bonis, vt hîc ventrem, & ibi mentem expleat.* Careamus igitur tantisper præsentibus bonis, si hæc bona nuncupanda sint, quæ cum pecudibus habemus communia, vt æternis fruamur: hîc ventrem arctemus ieiunij legibus, vt ibi dilatatam mentem cælestibus gaudiis repleamus.

Adhortatio ad ieiunium ex necessitate illius.

Hieron. epist. 34. ad Iulianum.

Mm 2 LECTIO

LECTIO OCTAVA.

ET PRÆDICAVERVNT IEIVNIVM. *Vers. 5.*

ARGVMENTVM.

Disputatur contra hæreticos de ieiunio, quod illi damnant licet vsurpent Niniuitæ, laudent sancti Patres, commendet verbis & exemplis Scriptura sacra, & ipsum plurima bona pariat. Hinc quàm in hoc contra S. Scripturam, Patres, Sanctorum consuetudinem, vitam & mores, pugnent ostenditur.

Ionas legatione peractâ sedit extra ciuitatem 40. diebus, vt exitum videret vaticinij sui.

1 AVCTORES sunt Theodoretus, Lyranus, Dionysius Rikelius Carthusianus, Christophorus Castrius, & alij, neque inuitus assentior, IONAM suâ illa tã celebri ad Niniuitas functũ legatione, denuntiatoq; illis, ex Domini imperio, ab euolutione proximorũ quadraginta dierum exitio, egressum ciuitate, loco nõ admodum ab ea remoto, diebus totidem rei exitum, qualiscumq; demum futurus esset, præstolaturum cõsedisse ad Oriẽtem: his deinde præterlapsis, vbi nihil actum vidit, sed salua, vt antè, omnia; questum quasi expostulauisse cum Deo, ieiuniis populi, luctu, ciliciis, ceterisque pœnitentiæ operibus non modò mitigato, sed prorsus etiam placato; quòd imposterum tamquam impostor facilè omnium mentibus, oculis, digitis signaretur, adeoque si cautum sibi velit, deinceps carere publico debeat.

Causa datur cur non in ciuitate.

2 Enim verò quid agat IONAS in illa ciuitate, cui tãtum miseriarũ & infelicitatis imminere dixerat; totis diebus quadraginta continuò in ciuium incurrens oculos, quibus ob denuntiatum interitum non poterat non esse inuisus. Certè multò meliùs & tutiùs, extra conspectum multitudinis præstolaretur foris, visurus ibidem quid de ea decernere Domino placeret.

Neque obstat, quòd hoc cum rerum hîc narratarum ordine minùs consentiat. Nam prætermissis tantisper iis, quæ eum tamquam Legatum & Oratorem spectabant, quæque proinde scire non tantopere intererat, operæ pretium erat nos legationis ipsius fructum, inchoatã nimirum fide, promotã ieiunio & pœnitentiâ, vitæ morumque mutationem totâ ciuitate, quamprimùm cognoscere; facilè deinde cognituros, quid de Legato, huius tam sancti operis administro, factum fuisset.

Indicitur certamen hæreticis de ieiunio Iona arbitro.

3 Ego, dum *sedet contra Orientem ciuitatis Ionas*, atque ibi in suo tuguriolo sub vmbra delitescit, præstolator & spectator euentus futuri, ad eius tribunal, Dei ac veritatis hostibus hæreticis nostris bellum indico, non alio quã ipso, vtpote viro sancto, Propheta, veritatis amante & gnaro, iudice & arbitro. Erit autẽ in bello hoc, quod cum illis suscipio, non armis aliis, quàm ex armamentario nobilissimo Scripturæ sacræ depromptis, vtrimque vtẽdum. De ieiunio disputabimus, impugnabũt illi & damnabunt; ego propugnabo & laudabo. Non metuo ne victor nõ sim, tantò futurus fortior, quò maioribus amplissimæ ciuitatis Niniues instructus copiis procedam in aciem: nemo enim nunc in ea est ciuitate, qui non libens volensque hæc ad sui defensionem arma arripiat.

4 Sed forsan illi, vti præfidentes sunt & superbi, nec tantam multitudinem verebuntur, & cum hac æquè ac mecum audebunt congredi: vti & cum Israe-

Saul indicto ieiunio superauit Philistinos. 1. Reg. c. 14. v. 24.

Israelitis, quibus Saul aggressurus Philistinos indixit ieiunium; licet hi istius præsidio hostes euaserint, Niniuitæ cælũ expugnantes, Deo arma, quibus eos debellaturus erat, & deleturus funditus, quasi de manu extorserint.

S. Leo ser. 1. de. 40.

Dicit de Israelitis S. Leo Pontifex: *Hebræorum populus, & omnes Israëliticæ tribus, cùm propter peccatorum suorum offensiones graui Philistinorum dominatione premerentur; vt superare hostes suos possent, vires animi, & corporis indicto sibi reparauêre ieiunio. Intellexerant enim duram, & miseram illam subiectionem, neglectu se mandatorum Dei, & morum corruptione meruisse, frustraq; se armis certare, nisi priùs vitiis repugnassent. Abstinentes ergo à cibo & potu, seueræ sibi castigationis adhibuere censurã, & vt hostes suos vincerent, gulæ illecebram in se ipsis antè vicerunt.*

Rex Niniue eodem indicto ciuitatem ab interitu liberauit. S. Ephrem Oratione de Pœnitentia Niniuitarũ. Hieron. lib. 2. contra Iouinianum. *Heretici non amant ieiunium.*

5 De Rege autem Niniuitarum loquens S. Ephrem: *Adhibito*, inquit, *ieiunij pharmaco ciuitatem curauit.* Et D. Hieronymus, *imminentem iram Domini, ieiuniorum miseratione detorsit.* Verùm hæc arma, hæc medicamenta, non curant hęretici, amaritudinem eiusmodi pharmacorum formidant & respuunt, ad has loricas gestandas parum prompti & habiles onus detrectant: imò cùm de lucta agitur, quâ cũ corpore animus pugnet, vinci malunt à carne vt serui, & inferiori succũbere; quàm vincere, & esse cum spiritu superiores vt domini. Neque hoc mirum, cùm non sapiant nisi quæ carnis sunt, nullo autem modo quæ spiritus. Et verò quid inde exspectandũ aliud, quàm vt cuticulæ curandæ intenti, quidquid illi aduersum, ieiunium vel maximè, procul ablegent, neque illius vel solam admittant memoriam. Non sic Niniuitæ, qui illud summâ veneratione suscipiunt, eo carnem affligunt & macerant, diuino ipsos docente spiritu, quod hactenus ignorauerant, his corporalibus pœnis, his voluntariis suppliciis, posse Deum ad misericordiam commoueri. Surgant illi nunc in iudicio hoc, sicuti surrecturi aliquando sunt extremo orbis periturí die in iudicio altero, & mecum pugnent cum generatione hac pessima, IONA arbitro, & facilè videbitis, ex qua sit parte futura victoria.

Pronocantur Niniuitæ vt contra hereticos pro ieiunio pugnent.

Ieiunium licet sine fide nullius sit meriti suum tamen meritum ex sola fide nõ habet.

6 Dum in arenam descendimus, de nostro Christianorum ieiunio decertaturi, & ego, vt illud propugnem, Niniuiticum allego; audebit fortè hæreticus dicere, nec illud pluris faciendum quàm nostrum, cùm meritum, gratia, delictorum remissio, illorum ieiunium consecuta, non à ieiunio, sed à fide processerint. Agnoscimus quidẽ, quemadmodum iam sæpiùs diximus, sicuti bonorum operum fundamentum in Christianis est fides; ita fuisse in Niniuitis: & sicuti sine hac opera nostra non valerent; ita nec illorum ieiunium, dicente Paulo cùm de Iudæis loquitur, & idem censendum de Gentibus: *Israel sectando legem iustitiæ, in legem iustitiæ non peruenit. Quare? Quia non ex fide, sed quasi ex operibus.* Itaque tametsi Niniuitis fuerit necessaria, sicut modò nobis omnibus, fides; non sunt tamen ipsi illâ solâ seruati, sicut nec nos seruabimur fide solâ, sed fide, quam per se nudam, bona opera vestierunt, & vestiunt, atque inprimis ieiunium; quo se rectum gloriabatur Dauid cùm diceret: *Operui in ieiunio animam meam.*

Ad Rom. 9. v. 31.

Ieiunium optimum est operimentum, quo carent heretici. Psal 68. v. 11.

7 Certè qui non ieiunat, secundùm Prophetam regium, veste spoliatur, & nudus hostium ictibus patet. Tales nostri Nouantes, in quorum vnum de principibus benè lusit hoc Epigrammate Andreas Frusius.

Frusius Epigram. 17.

Caluus es, absque comis, operum Caluine bonorum,
Dum nudam Christi, vis satis esse fidem.

Non mirum igitur, si nudus ipse, si nudi eius asseclæ, in manus hostium lapsi, multis contrucidati vulneribus, temeritatis suæ pœnas, morte & quidem æternâ exoluerint. Etenim si temeritatis est militem inermem congredi cum armato, multò magis hominem epulantem cum diabolo ieiunante. Noluit hoc facere Christus ipse,

Christus congredi noluit cum dæmone nisi ieiunasset diebus 40.

ipse, qui tentari se ab eo non permisit, antequam diebus quadraginta & totidem noctibus ieiunasset. Quod rectè expendens D. Basilius: *Dominus noster*, inquit, *non priùs in carne quam pro nobis aßumpserat diaboli insultus excepit, quàm eam ieiunio communisset*. Ac si nobis ostendere voluerit, non habere sufficientem ad confligendum cum dæmone fortitudinem eum, qui ieiunij armis nequaquam instructus incedit. Quod clariùs exponens D. Ambros. *Dominus*, inquit, *diabolũ, posteaquã quadraginta diebus ieiunauit, euicit; non quòd nõ & ante ieiunia eum vincere potuisset; sed vt ostenderet nobis, tunc nos diaboli posse eße victores, cùm per quadraginta dies victores ieiunando desideriorum carnalium fuißemus; eum autem, qui hunc numerum consecratum gulæ intemperantiâ violasset, tamquam imbecillem & miserum, facilè ab inimico poße superari.*

S.Basil. hom.1. de laudibus Ieiunij.

Ambros. lib.4. Cõmen. in Lucam tom.5.

8 Verùm illi, quibuscum hîc nobis negotium est, nec Niniuitarum, nec Sanctorum, imò nec ipsius Christi exemplo erudiri cupiũt; semper enim antiquum obtinent, nec dimoueri se de sententia sinunt, consentientes in eo cum spuriis Ecclesiæ filiis priorum temporum, quibus illud proprium erat, odisse castitatem, odisse ieiuniũ. Vnde iam tum apud sanctos Patres vulgata hæc erant: *Raro hæreticus diligit Castitatem: Raro hæreticus diligit ieiunium*. Neque verò minùs nobis nunc dicere licebit, quàm olim Tertulliano, hæreticorum nostrorum vitam moresque intuentibus: *Mirarer si solâ luxuriâ tenerentur hæretici, si non etiam ingluuie ducerentur; monstrum videlicet haberetur libido sine gula; cùm hæc duo tam vicina, atque concreta sint.*

Hæretici semper fuerunt osores castitatis & ieiunij.

Alij legunt cognata sint.

9 Et hæc est causa, cur sublatum vellent ieiunium, neque vmquam vsurpatum, auditum, nominatum vspiam. Nunc tametsi debeant confiteri, recedere se à maiorum sanctissima consuetudine, atque ipsius Dei lege, &, quod ægrè admittunt, se diuinis Paginis repugnare; tantum tamen ventri & carnis voluptatibus concedendum putant, vt illis cedere omnia patiantur.

Diffitebuntur, negabunt, pernegabunt quàm diu poterunt, sat scio, quod dicimus: verùm negent, & pernegent millies, satis est manifestum sacra Volumina pro nobis contra illos stare. Proponunt ista ieiunium, laudant, commendant, præcipiunt; quo sit semper in pretio habitum, quantæ virtutis, & quãtarum sit virium, quantis in necessitatibus, & à quibus populis, quàm feliciter, quantoque fructu cultum ostendunt. Econtrà laborant hæretici non segni conatu, vt quod est istis propositum, commendatum, laudatum; vituperando, cõtemnendo, damnando euertant. Verùm nihil agunt.

Sacræ Litteræ commendant ieiunium.

10 Ad rem: Quæramus ieiunãtium exempla; & quidem ex ipsis Voluminibus sacris, quæ pro nobis contra eos pugnent. Filij Israël vindicaturi illud tam turpe, quod patratũ fuerat, adulterium, pugnabant ex Dei voluntate contra tribum Beniamin, bis quidem parum feliciter; nam primo cõgressu ceciderunt ex ipsis viginti duo millia virorum, altero millia octodecim; tertiò verò longè felicius. At quo subsidio? Solius ieiunij. *Omnes quippe filij Israël venerunt in domum Dei, & sedentes flebant coram Domino: ieiunaueruntq́; illo die vsque ad vesperam.* Quid tum actum? Audite fructum huius ieiunij, en quàm sic eorum mutata citò fortuna: qui anteà bis cæsi, bis victi, statim victores effecti sunt; atque ita præclarè, vt percusserint vno die ex Beniamitis supra viginti quinque millia, & ciuitatem Gabaa illorum domicilium ferro flammâque vastarint, occisis ibidem mulieribus, paruulis, omnique populo, de tota verò tribu illa non superfuerint nisi viri sexcenti, qui copiis omnibus totoque suorum exercitu dissipato, fugâ euaserant. Causa tam excellentis & præclaræ pro filiis Israël victoriæ, quodque ita superati & victi turpiter Beniamitæ fuerint, est ab Israëlitarum ieiunio.

Filij Israel Beniamitas superarunt adiuti ieiunio.

Iudic. c. 20.v.26.

Huius

Saul Philisthaos. Huius quoque vires, quòd nosset primus Hebræorū Rex Saul, moturus in Philisthæos, vniuersæ multitudini, vti paullò antè diximus, solenne indixit ieiunium: *Maledictus vir*, inquit, *qui comederit panem vsque ad vesperam, donec vlciscar de inimicis meis. Et non manducauit vniuersus populus panem*: idque tam strictâ religione, vt cùm in saltu mel flueret, seque oculis transeuntium offerret, nemo ausus fuerit vel intinctum in eo digitum lambere. *1. Reg. c. 14. v. 24.*

11 *Dauidis ieiunia describūtur.* Quantus verò fuerit amator ieiunij Dauid nō obscurè indicant verba ipsius dicentis: *Humiliabam in ieiunio animam meam.* *Psal. 34. v. 13.* Ac si dicat: Arma mea, quibus tectus valdè mihi videbar securus, fuêre ieiunium. Iis quàm vteretur constanter satis apparet ex hoc quod ait: *Genua mea infirmata sunt à ieiunio.* *Psal. 108. v. 24.* Certè non diei vnius atque alterius; neque enim ita debilitat paucorum dierum ieiunium; sed temporis haud dubiè longioris. An non ista te Dauid debilitas terruit, & effecit, vt quam voluntate tuâ inediam assumpseras, tuis iterùm commodis seruiens, præterires? Nequaquam. Alia illi mens, alia longè consilia; cogitabat, vt solent Sancti, natam ex neglectâ commodorum propriorum curâ debilitatem corporis, valere ad fortitudinem mentis.

Item Danielis. Propheta Daniel vir desideriorum, exspectans, secundùm quod intellexerat, vt complerentur desolationis Ierusalem septuaginta anni: *Posui*, inquit, *faciem meam ad Dominum Deum meum, rogare & deprecari in ieiuniis, sacco, & cinere.* *Dan. c. 9. v. 3.*

12 Quid alios memorem, quibus ieiunij arma in perpetuo vsu fuêre, & quibus per ea illustris obuenit, siue ab externo, siue ab interno hoste victoria?

Iosaphat pugnaturus indixit ieiunium. Certè Rex Iosaphat pugnaturus cōtra Moabitas & Ammonitas, sciens quantum in iis esset præsidij, aduenientium hostium *timore perterritus, totum se contulit ad rogandum Dominum, & prædicauit ieiunium vniuerso Iuda.* *2. Paral. c. 20. v. 3.*

Esther in difficultate cum Amano. Esther, cùm Aman ex mandato Assueri litteras mitteret ad vniuersas prouincias, vt occiderent atque delerent vniuersos Iudæos; non solùm ipsa cum ancillis suis ieiunauit; verùm etiam mandauit Mardochæo, vt Iudæis omnibus tridui ieiunium indiceret: *Esther c. 4. v. 16.* *Vade*, inquit, *& congrega omnes Iudæos, quos in Susan repereris, & orate pro me. Non comedatis, & non bibatis tribus diebus & tribus noctibus:* Orare eos iubet, & à cibo potuque abstinere. Quorsum ad orationem addi cupit ieiunium, atque duo illa ferè semper iungi iubentur? Causam tradens vno verbo Chrysostomus, dixit eleganter: *Miles sine gladio, oratio sine ieiunio.* Fructus porrò ieiunij Estheris & Iudæorum fuit, magna illa rerum mutatio, quâ factum inter cetera, vt crucem quam Aman parauerat Mardochæo, ipse subierit: Mardochæus verò, equo vectus regio gloriam maximam, pro insigni, quâ notandus videbatur, infamiâ, sit adeptus.

Iudith in obsidione Bethuliæ. Cùm vrbem Bethuliam graui obsidione premeret dux Assyriorum Holophernes, notum est quàm clamarit omnis populus ad Deum instanter, & præter adhibitas preces humiliarint in ieiunio animas suas, & ipsorum singuli & mulieres eorum; quomodo verò tandem per Iuditham, non modò tum, verùm etiam *omnibus diebus vitæ suæ, præter sabbata, & Neomenias, & festa domus Israel* ieiunantem, Holopherne interfecto liberati, atque ab interitu vindicati, victores euaserint, ciuitate seruatâ. *Iudith c. 8. v. 6.*

13 *Carolus Magnus pugnaturus aduersus Auares.* Quid plura? eiuscemodi exemplis referti sunt passim omnes Libri sacri. Sed nec talia desunt ærâ nostrâ Christianâ. Consulantur Annales, erit in iis repetire Carolum Magnum Imperatorē, qui cùm aduersus Auares moueret copias ad flumen Auisum, toti exercitui suo triduanum indixit ieiunium; quo etiam adiutus pugnauit feliciter. *Regino lib. 2 Historiæ.* *Otto Imperator aduersus Vngaros.* Erit ibidem reperire Ottonem Imperatorem, qui cum Vngaris pugnaturus, totis castris ieiunium præcepit. O si sic etiam modò *Witichindus lib. 3. Hist.*

 ante

ante aciem à Christianis Principibus Dei causam tuentibus & agentibus indiceretur ieiunium, fortè quòd subinde pugnaretur feliciùs.

Zeno Imperator in electione Episcopi Constantinopolitani. Niceph. lib. 6. hist. Eccles. c. 18.

Sed & de Zenone Imperatore narrat Nicephorus, eum eligendo Episcopo Constantinopolitano quadraginta dierum ieiunium edixisse. En quàm omnia & profana, & sacra benè ominatum auspicium accipiunt à ieiunio.

Deus per Prophetas ieiunium præcipit.

14 Audiamus nunc Prophetarũ & ipsius Prophetarum principis Christi Domini nõ ignotas voces omni exceptione maiores, quibus ad ieiuniũ sæpiùs incitamur, prouocamur, vrgemur.

Ioël. c. 2. v. 12.

Clamat Ioël Propheta ex mandato Domini, verbis etiam illius: *Conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio*, &c. Clamat Zacharias, similiter ex ore Domini: *Ieiunium quarti, & ieiunium quinti, & ieiunium septimi, & ieiunium decimi*, scilicet mensis, *erit domui Iuda in gaudium, & lætitiam, & solennitates præclaras*. Fuisse ieiunia hæc symbolum indictorum deinde ab Ecclesia ieiuniorum certis quatuor anni temporibus, auctor est D. Leo Pontifex re & nomine Maximus.

Zachar. c. 8. v. 19.

Deus Iudæos per Isaiam, Christus Christianos per se docet ieiunare. Isa. c. 58. v. 3.

15 Ieiunandi modum debitum docet Deus Iudæos per Isaiam toto penè capite prophetiæ ipsius quinquagesimo octauo; vbi etiam illorum ineptam ieiunandi rationem damnans, ait: *In die ieiunij vestri inuenitur voluntas vestra, & omnes debitores vestros repetitis. Ecce ad lites, & contentiones ieiunatis, & percutitis pugno impiè.* Christus Dominus discipulos suos exactius in hoc genere ore proprio instituens: *Cùm ieiunatis*, inquit, *nolite fieri sicut hypocritæ tristes.* Quid faciunt hypocritæ? Subdit: *Exterminant enim facies suas, vt appareant hominibus ieiunantes.* A similibus non multum absunt modò, qui ferè ad horam vndecimam de strato surgunt, ne ventrem oblatrantem sentiant, mox verò ad mensam eduliorum varietate instructam accedunt, in qua nihil piscium, nihil ouorum, nihil oleris, bellariorum nihil, aut ad saturitatem, aut ad lautitiam deest; cumque esuriem non sentiant, ieiunare tamen se putant, idque aliis ad externam speciem persuasisse se eâ ratione arbitrantur. Horum & similium hypocritarum ieiuniũ postquam Christus recensuit, præscribens laudati probatique ieiunij formam: *Tu autem*, inquit, *cùm ieiunas, vnge caput tuum, & faciem tuam laua, ne videaris hominibus ieiunans.* Deinde ostendens alio loco non tantùm esse vtile, sed subinde quoque apprimè necessarium ieiunium: *Hoc genus*, inquit, dæmonij scilicet, quod obsidebat lunaticum cuius eo loco fit mentio, *non eiicitur nisi per orationem & ieiunium.* Paulus Gentium Doctor Christum secutus, sicut hic discipulos, ita ille suos instituens Corinthios, postquam eos fuisset ad patientiam cohortatus dicendo: *Exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros, in multa patientia*, eosdem etiam ad ieiunium hortatur cùm ait, *in vigiliis, in ieiuniis.*

Mat. c. 6. v. 16.

Ieiunium hypocriticũ damnatur.

Ibid. v. 17.

Mat. c. 17. v. 20.

Paulus docet ieiuniũ Corinthios.

2. Cor. c. 6. v. 4.

Vers. 5.

Ieiunauit Christus.

16 Si quis autem scire vlteriùs desiderat, quàm fuerit ieiunium à Christo Domino & discipulis eius, non tantùm commendatum, sed etiam seruatum & cultum; recolat de Christo inprimis referri apud Matthæum, quòd ieiunarit quadraginta diebus & quadraginta noctibus. Et ab ipso dici apud eundem de prodromo suo: *Venit Ioannes neque manducans, neque bibens.* Addo quod ait Lucas de Anna prophetissa filia Phanuelis: *Non discedebat de templo, ieiuniis, & obsecrationibus seruiens nocte ac die.*

Mat. c. 4. v. 2.

Ieiunauit Ioannes Baptista. Mat. c. 11. v. 18.

Ieiunauit Anna. Lucæ c. 2. v. 37.

Ceterùm aliunde habemus, nimirum ex Clemente Romano & Gregorio Nazianzeno, Petrum Apostolum ferè perpetuò ieiunasse: ex Clemente Alexandrino Matthæum solis victitasse oleribus, carne abstinuisse: Ex Ægesippo, Epiphanio, Nicephoro, Iacobum fratrem Domini Alphæi filium carne, vino, siceraque non vsum. Nouerant nempe hi sancti, & quotquot eos secuti, ieiunium, vt ait Hieronymus, non solùm perfectam esse virtutem, sed virtutum omnium fundamentum: quod insuper secundùm D. Chrysostomum, *Est schola precum,*

Clem. Rom. lib. 7. Recog. Apostolicarum.

Ieiunarũt Petrus, Iacobus, Matthæus.

Hieron. ad Demetriadem.

Chrysost. tom. 1. ho. 1. in c. Genesis.

precum, animæ cibus, oris frænum.

17 Hactenus exempla & præcepta ieiunij ex Litteris sacris deprompta adduximus; quibus nemo habet quod opponat, imò hæc meritò omnes laudant, omnes probant: damnant tantùm ij, qui si dîs placet, Biblici videri volũt, & vel pro vno illius apice certare: meliùs dixero, qui nullum volunt illius apicem seruare; saltem nullum non impugnare, nullum non infringere satagunt. Hi sunt homines illi noui, qui nuper ex spelæis Lutheri, aut Caluini gurgustiis prodeuntes, magistris suis per omnia similes, ita ieiunium ore damnant, vt tamen ipsum multò magis opere violent; & fortassis idcircò ampliùs damnant, vt violare liberiùs possint.

Non probant, nec exempla, nec doctrinam de ieiunio, heretici.

18 Studeamus nunc; sicuti paullò antè ex Scripturis de ieiunio Spiritus sancti mentẽ manifestè cognouimus; cognoscere ex propriis eorum scriptis, de hoc ipso Nouantium sensum atque sententiam. Lutherus *Hodie*, inquit, *sic ieiunatur, non vt caro mortificetur.* Ieiunari verum est, licet hoc satis displicuerit Luthero: sed quod dicit, *non vt caro mortificetur*, falsissimum est. Vna enim inter præcipuas, si non omnium præcipua, Christiani ieiunij ratio est, vt subiiciatur spiritui caro, atque abstinentiæ arctioribus legibus velut fræno, vt aliàs diximus, cohibeatur. Docuimus hoc suprà ex S. Cypriano copiosè: sed & testimoniũ nobis dabit de hoc ipso sat locuples in exemplo Pelagius Græcus interpres; qui narrat ad religiosum senem venisse iuuenem, seipsum accusantem & dicentem: Mi Pater mea me caro trahit ad vetita, nec dæmon feriatur, impura semper suggerit, non sum ferendo cogitationes tam prauas. Senem verò dixisse: Hæc numquam mihi facessiuere negotium; ex quo enim monachus sum, nec panis, nec aquæ, nec somni vmquam satis admisi, hinc talibus cogitationum molestiis non vrgeor. Adhibuit ergo illi ieiunium, vt vinceret, &, contra quàm dicit Lutherus, mortificaret carnem. Quò etiam tendit responsum Macarij, dicentis: ieiunium cicurem & mansuetam reddit carnem, cuius rei gratiâ est à sanctis omnibus adhibitum, & etiamnum suo tempore adhibetur à nobis.

Iudicium Lutheri de ieiunio Ecclesiastico.

Lutherus in Respon. ad Ambro Catarinum.

Idem refellitur.

Lectione 7. in c. 3. n. 44.

19 Pergit Lutherus, ac postquam dixit, ieiunari à nobis, *non vt caro mortificetur*, subiungit: *sed quia bonum opus sit, hoc die ieiunasse, isto vel isto cibo abstinuisse.* Fateor hanc esse alterã vsurpati à Christianis ieiunij rationem. Quid habet hic quod opponat Lutherus? dicit quidem: *Quid hoc aliud quàm impia fraus Antichristi.* Multa dicere non magno molimine potuit, sed probandum erat quod dixit. Dico ego potiori ratione: Quid hoc aliud quàm hominis impij & insani præposterum iudicium. Et verò vbi legit ipse inducendum ab Antichristo ieiunium? qui hoc tollere magis, quam inducere molietur? Taceo nunc quòd ita ipsius sensu diu ante natum Christum, Antichristus prodire debuisset; cùm nimirum certis diebus, & rationibus cœptum prædicari ieiunium. Numquid hæc docta sunt, erudita, & conformia Litteris sacris contra ieiunium argumenta?

Negat Lutherus ieiunium esse bonũ opus.

Dictum illius exploditur.

20 Infelices profectò Niniuitas, quòd cùm tanto in vitæ ac salutis versarentur discrimine, hoc tam impium, vt censet Lutherus, de ieiunio dogma admiserint, illudque totâ ciuitate prędicari promulgarique sint passi! Si prò IONA ibi tunc fuisset Lutherus, longè faciliorem magisque commodam diuinum Numen placandi rationem docere eos haud dubiè voluisset. Suasisset credo, vt litarent Cereri, & Baccho genialiter, & dormirẽt in vtramque aurem securi secundùm illud

—— *Dissipat Euius*
Curas edaces ——

Numquid dolendum quòd tali & tanto prophetâ tempora illa caruerint? Numquid miserum quòd non fuerit notus Niniuitis Lutherus?

Lutheri iudicio malè fecerint Niniuitæ prædicando ieiunium.

Horatius lib. 2. Car. Ode. 11.

Verùm, quid adhæc, lectus à nobis veri arbiter, & in hac disceptatione iudex IONAS? Felices, inquit ille, ieiunio suo Niniuitæ, quo nisi se tam strenuè

Iona iudicio benè fecerunt.

nuè fuissent tutati, perierant funditus.

Caluini de ieiunio iudicium.

21 Caluinum alterum aduersarium nunc audiamus. Hic suam de ieiunio, quasi ex tripode, prolaturus sententiam, attentionem vobis conciliet. Est hoc Nouantibus proprium, vt nouitates suas tegant, dicere sua constanter & asseueranter, quasi sententias primæ ac infallibilis veritatis, quibus omnes statim, sine mora ac tergiuersatione vlla, assẽtiri oporteat nihil vlterius indagando; sed dicendo dumtaxat: αὐτὸς ἔφα. Hic ergo: *Alterum*, inquit, *malum*. Hoc primum: ieiunium malum vocat, quod nos, quod Ecclesia Catholica, quod Christus eius sponsus, summum censet bonum. Pergit Caluinus: *Summoperè cauendum, ne pro opere meritorio, aut specie diuini cultus censeatur.* En quid illo auctore cauendum: qui ergo aliter senserit, & ieiunium, vti opus magni meriti, ita futurum & præmij dixerit, qui fuerit arbitratus, hoc ad diuinum honorem & cultum spectare, is Caluini iudicio grauiter errat.

Caluinus lib. 4. Institutio. c. 12. §. 19.

Illius iudiciũ diuino iudicio damnatur in Niniuitis.

Arguit ergo hîc ipse æquè ac Lutherus, Niniuitas magnæ cæcitatis, ignorantiæ, & laboris inutilis; vt qui ea fecerint, & magno quidem studio, quibus nihil mereri potuerint. Sed damnatos à Caluino & Luthero absoluit Deus, qui hæc illorum tam sancta & pia opera intuens, vitam & salutem quantumuis anteà sceleratis impertit.

22 Iterùm Caluinus, notate verba, signate mysteria: *Alius error* (anteà ieiunium alterum malum, hîc vsurpationem illius alium errorem vocat) *non quidem adeò impius est, periculosus tamen; tamquam vnum ex præcipuis officiis morosius exigere, ac immodicis encomiis sic extollere, vt homines se aliquid eximium fecisse putent, quando ieiunauerint.*

Cur quæso periculosus error, Caluino nominatim, censetur ieiunium? Dicam: fortassis ventriculo suo metuerit, ne si non satis saginatus, magis etiam fuerit maceratus inediâ, vitæ aliquod periculum incurreret. Verùm hoc eum metu & periculo medici liberarunt iam pridem, apud quos hoc censetur oraculum, velut ex tripode: *Pharmacum pharmacorum omnium abstinentia & ieiunium.* Quod ipsum experientia testatissima loquitur, per quam extra controuersiam est, quòd omnis penè inualetudo à repletione oriatur. In quam sententiã dixit Chrysostomus: *Si diligenter scrutari volueris, inuenies ieiunio corpora validiùs roborari, & si meum sermonem respuis, medicorum te doceat disciplina, qui parcitatem salutis nominant matrem. Nam pedum dolores, capitis vertiginem, subitaneas mortes, quibus febris atque languores corporis comparantur, ex luxuriis atque voluptatibus aiunt generari, & tamquam de fonte noxio, riuos ad corporum læsionem, & ad animarum perturbationem commeare testantur.* Hactenus Chrysostomus.

Ieiunium non lædit, sed sanat ex medicorum sententia.

Ex doctrina S. Chrysostomi.

Chrysost. hom. in Ionam.

Sed quid Caluino cum D. Chrysostomo, qui dicere audet hoc ipso loco, cùm Catholicorum perstringit ieiunium, non de S. Chrysostomo tantùm; sed de veteribus omnibus, quòd eos excusare in totum non audeat, *quin superstitionum quadam semina iecerint:* quod est honestis verbis dicere, satis tamen impudenter, fuisse, & sanctos Patres, & omnes nostros maiores, in ieiuniis nimium superstitiosos; qui non modò ieiunarint ipsi, sed nos quoque ieiunium docuerint.

Caluinus veteres omnes ob ieiunium superstitionis dãnat.

23 Ex quo longè quàm anteà apparet manifestius, quis fuerit Caluini de ieiuniis sensus, quando ea *superstitiones* nuncupat. Velim autem scire, quosnam ipse veterum nomine intelligat: num Patres, & Doctores Ecclesię tantùm; an verò omnes, æquè Moysaicæ ac Euangelicæ legis viros, sanctitate & meritis celebres. Si verba spectemus, & solitam ipsius licentiam, simul & impudentiam, omnes omninò eum hac loquendi formulã complecti arbitrabimur. Nec mirũ videbitur ab eo, damnante insigni quadam audaciâ, sed non illi inusitatâ, viros Dei spiritu plenos, ipsum quoque Paraclitum argui, eidemque ore impio, impuro, blasphemo ab eo impingi, quòd superstitionum

Ostenditur impudẽtia Caluini.

tionum quædã semina iecerit, errarit, aliosque in errorem induxerit, non secùs ac veteres, tantùm ne errarit ipse. Verùm quis æquus iudex, vel vnum è Patribus, iisve, quorum exstat beata in diuinis Litteris per ieiunium aliáue pietatis opera memoria, imò quemcumque Ecclesiæ iudicio probatum scriptorem (neque enim hîc opus est veritatem æternam cum falsitate, lucem conferre cum tenebris) Caluino, & centenis Caluini ministellis non anteponat?

Ipsius iudicium & verba refelluntur.

24 Ad verba autem ipsius vt reuertamur, nullus est error, multò minùs *error periculosus*, vt vult ille, in ieiunio. Testabuntur id Niniuitæ, qui si errassent, non habuissent ex facto suo meritum, non præmium: sed quod tam solemniter instituerant, malè illis & infeliciter cessisset. Quoniam verò benè, beatè, feliciter, cessit, quàm non errauerint manifestum est. Certè ieiunando non modò nullum adierunt periculum; sed quod anteà, satuti, in luxu & abundantia viuentes, discrimen adierant, euaserunt, adeòque quidquid eis impendebat malorum inediâ illâ, quam sibi indixerant, à corpore, à capite, à vita, ab animo quoque suo quàm longissimè propulsarunt. Etenim hac non modò non vitam, non sanitatem perdiderunt; verùm iis conseruatis, salutem multi illorum, vt credibile est, æternam lucrati sunt: omnes verò, toti se fecerunt orbi terrarum aliquot annorum millibus commendabiles.

25 Erroris porrò partem aliquam in eo sitam existimare, quòd *immodicis encomiis extollamus ieiunium*. Similiter, quòd *homines aliquid eximium fecisse se putent quando ieiunauerint*, Caluini errores sunt, & certi errores. Nam tametsi ieiunium esse opus bonum norint omnes, & benè laudabiliterque egisse se sciant, cùm illud expleuerint; nemo tamen inter Orthodoxos tam hoc putat eximium, quin actus virtutum internos longè esse potiores, magisque eximios probè intelligat.

26 Neque verum est, quod dicit ibidem Caluinus: *Ieiunium immodicis encomiis à nobis extolli*, cùm illud numquam satis commendari posse, nedum suprà meritum, SS. Patres vno ore pronuntient. Notũ est quid hîc senserint Basilius Magnus, Chrysostomus, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, Cyprianus, Leo Pontifex, aliique innumeri. Sanè Tertullianus prioribus omnibus antiquitate superior (vixit enim paullò post annum ducentesimum à nato Christo) ait: *Ieiunium in Deum reuerentiæ opus est*. Quàm hoc diuersum ab eo quod ait Caluinus, *Cauendum ne specie diuini cultus censeatur*. Cui credemus, Tertulliano, an Caluino? B. Ephrem, qui viuere desiit non multò post annum Domini trecentesimum sexagesimum quintum, magnâ vir sanctitate, totâ Syria, imò orbe toto celeberrimus, *Ieiunium* vocat *vehiculum ad cælum*. Quàm hoc dispar ab eo quod ait Caluinus, *Cauẽdum ne pro opere meritorio censeatur*. Si non opus meritorium, neque erit vehiculum ad cælum. Non errat S. Ephrem, qui ait esse vehiculum ad cælum; errat ergo Caluinus, qui negat esse opus meritorium, per quod solum esse ad cælum vehiculum potest.

SS. PP. laudant suprà modum ieiunium.

Tertull. lib. de Ieiuniis aduersus psychicos c. 7.

Caluinus contrarius est Patribus in doctrina de ieiunio.

S. Ephrem ser. de Ieiunio to. 1. operum.

27 Quare hîc sileat, & B. Ephrem loquatur, nobisque promat nobile ieiunij encomium: non erit illud immodicum, aut vlli videbitur nimium, nisi soli Caluino. Ephrem igitur, postquam de ieiunio dixisset pro fundamento commendationis amplissimę, quòd sit *vehiculum ad cælum*, subiungit pro eiusdem commendatione ampliore: *Ieiunium Prophetas suscitat, legislatores sapientiam docet. Ieiunium bona animæ custodia, & corporis securus cohabitator. Ieiunium strenuis militibus telum, athletisq́; exercitium. Ieiunium tentationes retundit, ad pietatem inungit, sobrietatis comes, temperantiaq́; opifex. Ieiunium fortitudo viri est in bellis.* Et post pauca: *Ieiunium orationes in cælum dirigit, ieiunium mater sanitatis, ieiunium iuuentutis disciplina, ornamentum senibus, ieiunium optimus itineris comes viatoribus. Ieiunantis corpus venustum est, & anima*

S. Ephremi de ieiunio laus.

Ambr. & 25.

anima pretiosa. Et S. Ambrosius: *Murus* inquit *est Christiano ieiunium, inexpugnabilis diabolo, intransgressibilis inimico. Quis enim vmquam Christianorum ieiunauit, & captus est?*

Dissentire ab eo Caluinus ostenditur.

28 En quàm illa à Caluini dictis dissentiant, qui rem præclaram præstitisse se putat, si persuaserit multitudini imperitæ, cui id persuadere, quoniam carni & sensui admodum arridet, difficile non est; nihil opus esse eiuscemodi corporis incommodis & molestiis, non teneri nos Ecclesiæ legibus de ieiunio, in cibo potuque sumendo, aut temperatè, aut largiter, nullo non die cuique quod libuerit licere: quod tamen numquam opinata est antiquitas, rectiùs sapiens ac sentiens quàm homines hi nouelli; alioqui stolidi fuissent maiores nostri, sibi vltrò tam arctas ieiuniorum leges præscribere, ad quas non tenerentur præcepto; ita se macerare inediâ, à qua nihil in eos redundaret boni; & cùm hanc sine merito susciperent, etiam essent præmio carituri.

Iona de ieiunio iudicium cõtra Caluinum & Lutherũ.

29 Ad arbitrum veniamus, ad tribunal iudicis nos sistamus. Decernat IONAS inter Caluinum & nos. O si se nobis sisteret rediuiuum, quantâ constantiâ pro Catholicis contra Caluinum, Lutherum, & omnes eorũ assectas pronuntiaret ac diceret: Nullus est error seruare ieiunium, nihil in hoc superstitionis, nihil periculi est; qui illud laudat rectè facit, & longè adhuc meliùs, qui illud obseruat. Sic Niniuitæ fecerunt, qui si ieiunando errassent culpam auxissent, non minuissent; illisque tam seuera à cibo potuque abstinentia, pro eo quod iuuare debebat, nocuisset. Verùm prouidi, & non ignari quid possent opera bona, quidquid erat veterum superstitionũ, quidquid impietatum, quidquid errorũ, constituto semel fidei fundamento abolendum sperabãt ieiunio: sciebant illo non modò nulla creari noua pericula; verùm etiam vetera adimi, & securitatem certam prouenire.

Libenter Niniuitæ ieiunium suscipiunt, & illius susceptio cõmendatur. Ionæ c. 3. v. 7.

30 Hinc tam libenter admittebant illam Imperatoris sui mandato totâ ciuitate personantem vocem: *Homines, & iumenta, & boues, & pecora, non gustent quidquam: nec pascantur, & aquam non bibant.*

Sed neque, si Deo eorum ieiunandi ratio non fuisset probata, vt iam à IONÆ iudicio abstrahamus, & conuertamur ad commune iudicium sæculorum omnium, tot quouis tempore imitatores habuissent, tot in re tam ardua, qualis censetur à plerisque ieiunium, æmulos & sequaces.

Rara & praclara multorum ieiunia referuntur. Aug. epist. 86. ad Casulanum Presb.

31 Propè supra fidem sunt quæ in hoc genere inter res à Sanctis præclarè gestas memorantur. Scribit S. Augustinus Hipponensis Episcopus fuisse quosdam in Africa, qui nullâ refectione interpositâ, vltra hebdomadam perpetuabant ieiunium, vt essent eâ ratione Christo ieiunanti diebus quadraginta propinquiores. S. Hieronymus de seipso ad Eustochium scribit quòd secedens in desertum Syriæ pœnitentiæ gratiâ, ibidem repugnantem carnem hebdomadarum inediâ subiugarit.

S. Hieronymus hebdomade integra ieiunat. Hierõ. ad Eusto. de custodia virginitatis.

Vitæ Romualdi c. 9.

De S. Romualdo B. Petrus Damianus, quòd cùm aliquando librum de vitâ Patrum legens, in illum locum incideret, vbi continetur, quòd quidam fratres per continuã hebdomadam singulariter ieiunantes, sabbatorum die pariter conuenirent, ipsoque & Dominico die ieiunij rigorem interponerẽt, & remissiùs victitarent; eundem viuendi ordinem statim arripuerit, & in eo quindecim annis, & eò ampliùs continuâ austeritate permanserit.

S. Simeon Stylita 40. diebus integris nihil comedit. Theodor. hist. Eccl. c. 26.

De Simeone Stylita Theodoretus, quod longè mirabilius est, & non nisi diuinitus fieri potuit, eum sæpius absque vllo cibo totos dies quadraginta transegisse, eo dumtaxat gustato, post sumptionem corporis Domini, die Resurrectioni illius sacro, siue in solemnitate Paschali. Quod ipsum idem de mulieribus sanctis Marana & Cyra affirmat, quæ id saltem triennio præstiterint.

Etiã Marana & Cyra.

32 In altero genere non minùs mirum,

Alia exempla varia & multiplicia ieiunantium & abstinentium. Hieron. in vita Hilarionis c. 6. Lib. 1. vitæ Bern. apud Suriũ c. 4. P. Balingem in Kal. 25. Ianuar.

mirum, quod legimus B. Hilarionem pauperrimum monachum, numquam lucente die comedere visum, totis annis octoginta & quatuor; Paphnutium solo pane & aquâ victitasse annis pluribus; Bernardum Clareuallensem Abbatem, ita fuisse ieiunio deditum, vt quoties ei cibus sumendus erat, toties tormentum sibi subire videretur; Henricum Susonem tantoperè ediâ, siti, perpetuisque corpus macerasse vigiliis, vt aliquando neque cibum capere, neque potum potuerit, nisi Virgo Deipara, cuius erat cultor eximius, eum cælesti liquore recreasset. Franciscum de Paula institutorem Ordinis Minimorum, numquam nisi post occasum solis refectum, & tum quidem pane & aquâ tantùm. Et, quod in his omnibus auget admirationem, eos tantis ieiuniis licet corpus macerarent vehementer, ætatem non minuisse, sed auxisse.

Ieiunium Christianũ quale esse debeat describitur ex Ecclesia vsu. In vitâ apud Suriũ c. 19. Surius in vita S. Amati Abbatis Romarici c. 6. Fortunatus in vita apud Suriũ c. 25.

33 Horum imitatio, plerisque nostrûm futura difficilis & ardua, licet ægrè, ab imbellibus præsertim, sperari possit (tales enim non sumus, qualis olim fuit B. Sabas qui quauis hebdomade sine cibo & potu dies quinque transigebat; vel qualis D. Amatus, qui toto triduo nihil gustans, reliquis verni ieiunij diebus, pro cœnula vesperi quinque tantùm dactilorum nucleos, & modicum aquæ stomacho reficiendo adhibebat; vel qualis S. Maurilius Episcopus, qui tertio solùm die vesperi, panem aridum & tepentem aquam restaurandæ fami solitus erat admittere) præstari tamen potest & debet ab omnibus, quos ratio non excusat, quod Ecclesia præcipit; vt nempe ad Christi, Apostolorum, & Sanctorum aliorum imitationem, diebus quadraginta verni ieiunij pisce, tamquam cibo minùs succulento & robusto, vnaque per eum refectione in die contenti viuamus; sic Deo ac Domino nostræ vitæ decimas offerentes.

34 Illud vti & cetera minùs benignis oculis iterùm vident hæretici nostri, veræ noctuæ, qui in solâ luce caligant. Quare à Catholicis contemni delicias non sat æquâ ferentes mente, nouo commento, & futili satis industriâ, persuadere illis conantur, non in ciborum delectu, sed in sola abstinentia, positam esse veram ieiunij rationem; adeoque matri nostrę Ecclesiæ Catholicæ, nec tempus, nec modum seruandi ieiunij, nobis præscribere licuisse.

Obiectio hæreticorum Ecclesia non licere ieiunij tempus & modũ præcipere.

35 Verùm quis illos statuit Ecclesiæ iudices? quis illos operum eius, quis legum ab ea conditarum decreuit censores? vnde illis arma, quibus eam oppugnent. Arma habere se putant, & valida quidem, ex armamentario S. Scripturæ deprompta: sed vehementer falluntur; his enim pro, non contra Ecclesiam pugnatur. Sed audiamus argumenta illorum. Numquid, aiunt, scribit ad Titum Paulus? *Omnia munda mundis.* Numquid loquitur Christus Pharisæis, illos instituens? *Non quod intrat in os, coinquinat hominem.* Si ergo cibi omnes mundi sunt, si illi homines non coinquinant, cur illis vesci Ecclesia prohibet? quando præsertim id Christus permittit. Respondeo: Non permittit Christus quod Ecclesia prohibet, neque Ecclesia prohibet, quod Christus permisit. Paulus etiam neque Christi doctrinæ, neque pręcepto Ecclesiæ, quidquam dicit contrarium. Quid igitur? Docet Christus contra Phariseos, existimantes pollutũ cibum animam quoque polluere, esse id à veritate alienum: Paulus verò, contra Iudæos & Manicheos aliquando futuros, omnem Dei creaturam esse bonam & mundam.

Probare id conantur ex Scripturis. Ad Tit. c. 1. v. 15. Mat. c. 15. v. 11.

Ex quo non sequitur hominum arrogantiâ, diuinorum præceptorum contemptu, malitiâ, inobedientiâ, gulâ, & similibus in ciborum vsu peccari non posse, illis mentem non infici; cùm tametsi ipse per se cibus non displiceat Deo, displiceat tamen præcepti Ecclesiæ sponsæ suæ, siue id fiat in modo, siue in qualitate, siue in quantitate cibi vsurpati, transgressio.

Nn Neque

Neque olim aliter inquinabant cibi lege vetere vetiti comedentes.

Adamus esu pomi nequaquam deliquisset, nisi intercessisset hoc Dei præceptum: *De ligno scientiæ boni & mali ne comedas.* Carnes suillæ Iudæorum tempore non minùs bonæ erant, quàm modò, tamen quia illis vetitæ, comedi tū sine peccato non poterant. Esus coctionis illius rufæ, quam Iacob parauerat, non tam malum creauit Esau quàm contemptus iuris primogenij. Non erat mortiferum mel quod degustauit Ionathas, nisi quia pater vetuerat; neque propter panem quem comederat, & aquam quam biberat, à leone decerptus fuit Propheta, sed quia mandato diuino cautum illi fuit ne ederet: neque Iudæos sanguinis suffocati, & simulacris immolatorum esus, peccato astrinxisset, nisi dixisset Apostolus: *Abstineatis vos ab immolatis simulachrorum, & sanguine, & suffocato.*

Gen. c. 2. v. 17.

36 Vrgent aduersarij: Vbinam in Litteris sacris vspiam præscripta ciborum ratio certa? cur abstinere volenti, non liceat illi vnâ, quâ contentus esse cupit refectione, id deligere, in escam quod placet? Cur quæso non possit sumere cibos magis gratos, magis sapidos, magis arridentes palato? Nouitium Pontificiorum inuentum est ciborum delectus, & illa, quâ vti passim solent, eorumdem commutatio. Hæc illi.

Hæreticorum oppositio altera.

Repono: bonâ illorum veniâ, non est inuentum nouitium, sed planè peruetus consuetudo, imò præceptum ab initio ferè orbis conditi promulgatum à Deo; ab omni æuo, cùm à Iudæis, tum à Christianis, cùm illi esse cœperunt, seruatum: ex quo ipsum etiam nunc suo modo seruandum, habendumque ciborum delectum aliquem, Patres probant.

Solutio quâ ostenditur ciborum delectum esse antiquissimum.

37 Et verò, si meminisse placet primorum temporum; quis ignorat, quòd Deus homini de victu prospiciens, qui tamquam omnium conditor, *vidit cuncta quæ fecerat: & erant valdè bona;* de eo tamen quod erat optimum, edere protoparentes nostros vetuerit? Adamo præcipiens: *Ex omni ligno paradisi comede; de ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas. In quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris.* Sed nec ante diluuium vllus carnium esus in Scriptura permissus legitur: hic deinde concessus Noëmo, at non sine delectu: nam & illi prohibitum comedere carnem cum sanguine. *Omne, quod mouetur & viuit, erit vobis in cibum: quasi olera virentia tradidi vobis omnia; excepto quòd carnem cum sanguine non comedetis.*

In lege naturæ vsurpatum ex Dei iussu.

Gen. c. 1. v. 31.

Gen. c. 2. v. 17.

Gen. c. 9. v. 3. 4.

38 In lege quoque Moysaica, quò appareat fuisse etiam tum temporis secretos in esum hominum cibos, constat vetita fuisse animalia immunda, quæcumque demum ea essent. Sed & peculiaris ieiunij obseruantiam tunc viguisse docent nos Danielis, & plurium aliorum, quæ suprà recensuimus, exempla. Nihil nunc dico de Nazaræis, quos velut nostrates religiosos, arctioribus legibus, & à vulgi consuetudine abhorrentibus, vsos fuisse reponi forsitan posset. Ioannem Baptistam præcursorem Domini non memoro, qui præterquam quòd instar Nazaræi vinum & siceram non biberit, non aliâ vsus est escâ, quàm locustâ & melle siluestri.

Etiam in lege Moysaica.

39 Statim ab initio legis gratiæ, si vmquam antè, vel maximè ieiunium viguit, exorsum à Christo legis huius institutore, ab eoque in ipsius discipulos deriuatum; de quibus dixit ipse discipulis Ioannis, murmurantibus quòd sui non æquè ac ipsi ieiunarent: *Venient dies cùm auferetur ab eis sponsus: & tunc ieiunabunt.* Atque ita factum est. Quàm ieiunarint Petrus, Iacobus, Matthæus, hac ipsâ Lectione recensui. Adiungo ex Philone, Eusebio, & Nicephoro, D. Marci discipulos Alexandriæ, quò erat à S. Petro Episcopus destinatus Marcus, præter panem, & aquam, & pro obsonio salem, diebus ieiuniorum nihil prorsus gustasse, numquid hoc est ciborum delectum habere?

Maximè verò in lege gratiæ.

Mat. c. 9. v. 15.

num. 16.

40 Præ-

40 Præter hæc particularia, illud commune fuit, & vsitatum veteribus Christianis, vt seuerioris in ieiunio disciplinæ studiosi, non modò ab esu carnium; verùm etiam piscium, atque vini potu abstinerent, quemadmodum testatur in sua Ecclesiastica historia Eusebius. Quam consuetudinem ait Chrysostomus ita inualuisse, fuisseque tam expeditam, & facilem, vt nullis exhortationibus & suppliciis, tempore ieiunij quis induci potuerit ad vinum delibandum, aut quid aliud ieiunij lege prohibitum. Quò spectat illud quod habet Nicephorus, Iustiniano Imperatore cùm Bisantij fames increbuisset, & ieiunij tempore carnes in foro venales proponendas promulgasset; populum mortem potiùs perferendam censuisse, quàm quidquam de patriis moribus & traditionibus immutandum. Hoc ampliùs habent Tertullianus, Epiphanius, Hieronymus, quòd nonnulli solis aridis victitarint. Horum ieiuniorum reddens rationem D. Cyrillus Hierosolymitanus: *Ieiunamus*, inquit, *à vino & carnibus abstinentes; non quòd hæc tamquam abominationes oderimus* (Notent verba hæc hæretici nostri, neque rogent vlteriùs an carnes malæ sint) *sed quòd præmium expectamus, vt sensibilia despicientes spirituali deinceps mensâ fruamur, & nunc seminantes in lacrymis in futuro sæculo in exultatione metamus.*

Christiani olim ieiunantes abstinebant carnibus, piscibus, vino.
Euseb. lib. 5 c. 6.
Alij solis vescebātur aridis.
Chrysost. hom. 6. ad Populum.
Niceph. lib. 17. hist. Eccl. c. 3.
Cyrill. Hierosol. Catechesi 4.
Ratio cur ieiunetur vna à S. Cyrillo traditur.

In eundem sensum loquens S. Augustinus: *Cessent*, inquit, *lauacra, vina, vel carnes; non quòd creaturam Dei indicemus esse damnandam: sed qui toto anno nobis viximus, saltem per paucos dies viuamus Domino.*

Alia ab Augustino.
S. August. ser. 65. de Tempore.

41 Hæc dum audire nolunt Nouantes, neque Catholicæ Ecclesiæ, & Sanctorum Patrum stare iudicio, cuius sint spiritus satis ostendunt: quàm verò eosdem sua obcæcarit malitia, ampliùs fit manifestum ex eo, quòd ne quidem videant, quàm non solùm à nobis, sed à seipsis quoque dissentiant.

Ostendam hoc iis meridianâ luce clarius, dummodò vel oculos tantùm aperire velint, vt videre possint. Dicite mihi quæso verbi Ministelli: alibi clamatis ad rauim conantes euincere per fas & nefas, in homine lapso nullam esse arbitrij libertatem, à solo Deo geri omnia, nullo nostro aut merito, aut demerito: hic verò contenditis, ieiunandi propositum, & à quibus quis voluerit cibis abstinendi, spontaneæ ac liberæ cuiusuis permittendum esse voluntati, ne alterius imperium propriæ officiat libertati. Quomodo quæso illa consistunt. Profectò fateamini oportet homini aut suam esse libertatem, aut si non sit, illi ieiunium ab Ecclesia præscriptum nequaquam officere, neque esse, quasi noxium libertati, quod vos contenditis, contemnendum.

Ostenditur hæreticos sibi ipsis in impugnando ieiunio contradicere.

Ad hoc, quoniam quid respondere vel in speciem possint, non satis apparet, dico & concludo cum Paulo, vel inde constare; *Quia subuersus est, qui eiusmodi est, & delinquit, cùm sit proprio iudicio condemnatus.*

Ad Tit. c. 3. v. 11.

42 Relictis nunc Heterodoxis, qui ferè crapulam pro ieiunio prædicant musto pleni: nos aliam viam inibimus, & Niniuitarum exemplo, ore sicco ac latrante præ inedia ventre, ieiunium prædicabimus; non à cibo tantùm & potu, sed multò magis à vitiis. Præeuntem ad hoc sequemur Augustinum dicentem: *Qui rectè ieiunant* (non excludit hic ille vsitatum in Ecclesia à cibis ieiunium, sed vel maximè commendat, commendamus & nos) *debent esse in oratione continui, in iudiciis iusti, in amicitia fideles, in iniuriis patientes, in contentionibus temperati, turpiloquia fugientes, aduersùs iniqua constantes, in conuiuiis continentes, in caritate simplices, inter subdolos cauti, condolentes tristibus, in suspicionibus parci, inter maliloquos taciti, inter humiles coæquales.*

Ieiunandū non tantū à cibo & potu, sed magis à vitiis.
August. lib. de spiritu & littera.

43 Vtinam omnes modò sic ieiunemus, vel potiùs, quemadmodum D.

Omnia corporis membra ieiunare debent. D. Bern. ser. 3. de ieiunio 40.

Bernardus loquitur, sic vt nulla non pars corporis nostri ieiunet; imò nec anima ipsa à ieiunio sit immunis. *Ieiunet*, inquit ille, *oculus qui deprædatus est animam, ieiunet auris, ieiunet lingua, ieiunet manus, ieiunet etiam anima ipsa. Ieiunet oculus à curiosis aspectibus, & omni petulantia, vt benè humiliatus coërceatur in pœnitentia, qui malè liber vagabatur in culpa. Ieiunet auris nequiter pruriens à fabulis, & rumoribus, & quæcumque otiosa sunt, ad salutem minimè pertinentia. Ieiunet lingua à detractione & murmuratione, ab inutilibus, vanis, & scurrilibus verbis, interdum quoque ob grauitatem silentij ab ipsis quæ videri poterant necessaria. Ieiunet manus ab otiosis signis, & ab operibus omnibus, quæ non sunt imperata. Sed & multò magis anima ipsa ieiunet à vitiis, & à propria voluntate sua.*

44 Taliter ieiunasse Niniuitas non ambigo: nam, si ad ieiunium oris & ventris non adiecissent etiam (loqui sic liceat cum SS. Patribus) ieiunium cordis, neque tam citò, neque tam facilè, apud Deum tantoperè, & tam iustè adeò enormibus illorum peccatis offensum, locum misericordiæ & gratiæ reperissent.

Ieiunantes quod sibi subtrahũt dent pauperibus. Leo Papa ser. 2. de ieiunio x. mensis.

45 Præter illa, quæ D. Bernardus ab omnibus, hoc ampliùs à vobis desidero, vt secundùm D. Leonis postulatum, quod omninò æquum & iustum mihi videtur, facere studeatis. Putate ergo illum vobis nunc dicere, quod dixit olim Romanis suis, eorum optimus pater & pastor. *Ieiunium nostrum misericordiis pauperum suppleamus. Impendamus virtuti, quod subtrahimus voluptati. Fiat refectio pauperis, abstinentia ieiunantis. Studeamus viduarum defensioni, pupillorum vtilitati, lugentium consolationi, dissidentium paci: suscipiatur peregrinus, adiuuetur oppressus, vestiatur nudus, foueatur ægrotus.* Caussam cur hoc faciendum sit, simul quâ fiat vtilitate, tradens Petrus Chrysologus: *Manus pauperis*, inquit, *Abrahæ sinus est, vbi quidquid pauper acceperit, mox reponit. Thesaurus cæli est manus pauperis, quod suscipit ne in terra pereat, reponit in cælum. Thesaurisate*, inquit, *vobis thesauros in cælo. Manus pauperis est gazophylacium Christi: quia quidquid pauper accipit, Christus acceptat. Da ergo homo pauperi terram vt accipias cælum. Da nummum vt accipias regnum. Da micam vt accipias totum. Da pauperi vt des tibi: quia quidquid pauperi dederis, tu habebis: quod pauperi non dederis, habebit alter.* En quomodo secundùm Chrysologum, & ipsam rei veritatem, & vobis, & aliis plurimum prodesse possit ieiunium vestrum: eo enim inprimis conseruabuntur multi, viuent multi, & commodè viuent, aliàs fortè præ egestate & miseriis morituri.

Chrysol. ser. 8.

46 Vos verò audituri estis suo tempore, euocandi ad accipiendam mercedem, operæ & impensarum benè & feliciter collocatarum, à Domino, qui retributor est omnium, vocem illam suauissimam: *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi. Esuriui enim, & dedistis mihi manducare: sitiui & dedistis mihi bibere: hospes eram, & collegistis me: nudus, & cooperuistis me.* Porrò ne obstupefacti de rei nouitate, immemores in quem hæc beneficia contuleritis, superiores voces esse inanes arbitremini, audite quod additur: *Amen dico vobis, quàm diu fecistis vni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis.*

Sic facientibus merces proponitur.

Mat. c. 25. v. 34. & seq.

Vers. 40.

Ceterùm, non vos pœniteat aliquando, corpus hoc nimium suorum amans commodorum, voluntario afflixisse ieiunio, & ei vim aliquam intulisse, quando secundùm D. Paulum: *Quod in præsenti est momentaneum & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.*

2. Cor. c. 4. v. 17.

Cõmonitio & excitatio sui ipsius ad suscipiendum ieiunium.

47 Igitur si nondum telam hanc orsi estis, quâ vos corpus vestrum non tam vestire, quàm spoliare deliciis & commoditatibus suis percuperem, ordimini eam tandem aliquando, atque cum D. Petro Chrysologo viro diser-

Chrysol. ser. 23. disertissimo vobis ipsis dicite: *Tempus est, quo carnis otia, quo mentis ignauia, quo ventris cura est & tota familiaris obsequij deponenda torpedo: tempus est, quo in armorum cælestium meditatione, animæ & corporis exercendæ sunt vires: tempus est, quo residente Christo, adstantibus angelis, nostra luctaminis exercenda est fortitudo. Tempus est, quo gula cum ieiunio, abstinentia cum crapula, cum luxuria castitas, cum perfidia fides, pietas cum impietate, patientia cum furore, cupiditas cum libertate, misericordia cum auaritiâ, humilitas cum superbiâ, sanctitas cum reatu, Christo remunerante confligit.* Arbitremini igitur, his tanti viri verbis, velut buccinâ quadam, vos ad hoc prælium contra vos ipsos generosè suscipiendum, incitari. Audiuistis quomodo ille, ad quod, & quale ieiunium inuitet: & licet loquatur de solenni illo quadraginta dierum, in omni tamen alio ieiunio locum habet quod dicit. Necessitatem deinde illius exponens: *Si quis*, inquit, *spectante Deo, cælesti resonante iam tubâ, angelico insistente occursu, cubiculi irretitus illecebris, eneruatus mollitie plumarum, resolutus in totum iugalibus blandimentis, ad exercitium virtutis venire neglexerit; perdet luctaminis præmium, virtutis gloriam, certaminis palmam, iustitiæ coronam, desertoris etiam crimine mulctabitur in futurum.*

48 Ad arma igitur Milites Christiani, ad arma ieiunij, SODALES. *Gula*, inquit S. Ambrosius, *nudos facit, ieiunia operiunt & exutos: vnde Dauid: Operui in ieiunio animam meam. Bonum operimentum quod animam tegit, ne à tentatore nudetur.* Hoc operimento, velut loricâ fortissimâ instructi, ad pugnandum, & vincendum hostem accurrite; properate ocyùs, ocyùs, hostis, contra quem armari ad pugnam vos desidero, domesticus quidem est, sed non idcircò minùs metuendus, imò etiam ampliùs: agit enim nobiscum vt amicus, & vt inimicus occidit & perimit, nisi priùs perimatur. Hunc igitur vos priores, vt sic potiores sitis, aggredimini, non ferro, sed ieiunio: sic eius contundentur vires, sic suis spoliatus armis, spoliatus potentiâ, non difficulter vincetur: victus verò impedire non poterit, quò minùs expediti viam mandatorum Dei curratis, & tandem liberati compedibus hisce, petatis feliciter illam beatorum regionem, vbi omnium certaminum finis est, & datur corona gloriæ immortalis vincentibus, secundùm quod scriptum est: *Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo; sicut & ego vici, & sedi cum Patre meo in throno eius.* Quàm hoc optandum, tam etiam laborandum & connitendum, vt consequamini, & optatis frui aliquando beatissimè liceat.

Cohortatio ad ieiuniũ ex fortitudine illius. Ambr. lib. de Elia & ieiunio c. 4.

Apoc. c. 3. v. 21.

LECTIO NONA.

ET VESTITI SVNT SACCIS A MAIORE VSQVE AD MINOREM. *Vers.* 5.

ARGVMENTVM.

Proponitur tertius fructus concionis IONÆ *habitus scilicet pœnitentiæ statim eius concione à Niniuitis assumptus. Vsus pœnitentiarum commendatur. Qualis fuerit olim pœnitentium amictus atque lugentium, quàm is Deo gratus, quàm vsurpatus à Sanctis exponitur. Horum temporum superbia & luxus damnantur.*

Assumptũ à Niniuitis cilicium fructus est concionis Ionæ.

1 ROGREDIMVR ad tertium nostri Oratoris ex concione tam seria & feruenti fructũ denuntiandum. Est is vestis inculta & horrida, ab vniuersa multitudine totâ Niniue assumpta, magnum mœroris, luctus, pœnitentiæ argumẽtum. Hæc quidẽ ipsa, testatum fuit eorum, quod iam antè memorauimus, ieiunium; sed intra domesticos tantùm parietes, saccus quo amicti incedunt, de quo nobis hîc sermo, etiam foris & in publico; neque enim ignorari voluerunt luctum suum. Fuerit ieiunium pœna grauior, saccus sanè res longè molestior, magis etiam ad externam speciem incomposita, & ad aspectum terribilis. Benè autem hæc iungunt salutis suæ amantes Niniuitæ: *Vt*, quemadmodum D. Hieronymus loquitur, *inanis venter, & habitus luctuosus, ambitiosiùs Dominum deprecentur.*

Ieiunium & ciliciũ benè coniunguntur.

Hieron. in c. 3. Ionæ.

2 Sacco induuntur omnes, pueri, puellæ, feminæ, viri, iuuenes & senes, nobiles & ignobiles, omnis aulicorum, ciuium, incolarum, accolarum turba, cuiuscumq; sexus, cõditionis & ordinis, proceres omnes, adeoque Rex ipse. Nemo in conspectum venit, nemo vtitur publico, nisi sic sordidatus: *Vbique saccus, vbique cinis, vbique lacryma, vbique gemitus*, inquit Chrysostomus. Soli quidem viri prædicauerunt ieiuniũ: sed sicut non soli ieiunarunt; ita communi consensione pari omnes feruore ieiunio saccum iunxerunt: *vt* scilicet, quemadmodum notauit Albertus Magnus, *delicias mutarent in asperitatem.*

Chrysost. hom. in Ionam tom. 1.

Cur omnes omninò induti sacco.

3 Sacer Textus habet: VESTITI SVNT SACCIS A MAIORE VSQVE AD MINOREM. *Maior ætas incipit*, inquit Hieronymus, *& vsque ad minorem peruenit; nullus enim absque peccato est.* Si nemo absque peccato, cur quisquam sit absque ieiunio, sacco, pœnitentia? Ecce quàm meritò omnes lugeant, omnes in se sæuiãt, quando omnium causa agitur, omnes de bonis, vita, salute periclitantur. Porrò quid aliud est operiri sacco, quàm se peccatorem, reum, morte dignum ostendere? hoc dum faciunt Niniuitæ, illo demissionis actu, actuq; pœnitẽtię, à se peccatum arcent, & mortem peccati pœnam euadunt. Non poterant cautiùs, non poterant prudentiùs agere, si rebus suis sibique consultum opportunè vellent, quàm dum omnem ætatem grauis incursat terror, omnes Deum vnâ voce, vt imminens periculum ab illis arceat, sollicitâ prece, habitu humili compellando.

Operiri sacco est se peccatorẽ agnoscere.

Proponitur facies luctuosa ciuitatis ex habitu.

4 Hic nemo non statim assequitur, quàm fuerit luctuosa facies ciuitatis, tam potentis, tam splendidæ, tam superbæ: quando in ea passim omnes, nullo excepto, apparebant deiecti, mœsti, sordidati, lugentes; opum, auri, gem-

gemmarum, omnisque pretiosæ vestis contemptores, saccis deformes & rigidi, non vno, sed omnibus corporis artubus afflicti, facie pallente & marcidâ, vix trahentes membra languentia; æquè illi qui vultu paullò antè fuerant prorsus decoro & liberali, qui gradiebantur extento collo, ornati sericis, attalicis fulgidi, vestiti purpurâ, qui auro, gēmis, vnionibus, omnique lapide pretioso graues, in diuitiis suis ac potentia gloriabantur; ac alij cuiuscumque illi essent conditionis & ordinis.

Incitare hæc Deum ad misericordiam & homines poterat. Hæc spectata oculis, cuius tametsi saxeum pectus aut adamantinum non prorsus emolliăt? quis puellas, & pueros, etiam imbellis ætatis, ignaros adhuc malorū quæ lugent, amictos cum multitudine promiscuâ saccis horridis, siccis valeat luminibus intueri?

Mos reorū coram iudicibus prodeuntiū in sordibus. 5 Solebant in conspectum iudicum rei prodire sordidati, vt eos ad misericordiam inflecterent. Sic Lucius Piso Eques Romanus à Senatu damnatus capitis, fœdato vultu & madentibus oculis, suis se sistens Iudicibus, illos ita permouit, vt absoluerint, commutatis sententiis, quem antè damnauerant. *Similis mos eorum qui victi fuerant coram victore.* Similiter facere consueuerant, qui aduersâ fortunâ victi, & fracti bello, calamitosissimis temporibus, vel in hostium potestatem iam venerant, vel mox se venturos præuidebant; vt à victoribus pacis conditiones æquiores, aut gratiæ clementiæque benigniores leges possent deposcere. Quò autem maior erat lugentiū, complorantium, & sordidatorum multitudo, eò magis commoueri solebant eorum animi, quorum opus erat fauore & gratiâ: maximè si in ea multitudine & turba, censerentur multi innocentes, vt paruuli; si multi imbelles & ferendis laboribus impares, vt senes & anus.

Syri induti saccis regi Israel ad ignoscendū sibi permouerunt. 6 Huius industriæ non ignari Syri, ab Israëlitis victi ingenti prælio, consilium ex necessitate captantes, dicebant: *Ecce audiuimus, quòd Reges domus Israël clementes sint: ponamus itaque saccos in lumbis nostris, & funiculos in capitibus nostris, & egrediamur ad Regem* *3.Reg.c.20.v.31.* *Israel, forsitan saluabit animas nostras.* Hoc autem consilium quod meditati fuerant, reipsâ alacriter executi: *Accinxerunt saccis lumbos suos, & posuerunt funiculos in capitibus suis, veneruntque ad Regem Israël, & dixerunt ei: Seruus tuus Benadab dicit, viuat oro te anima mea.* Vers. 32. Quod ipsis tam benè, tam cessit feliciter, vt Regi suo ab hoste obtinuerint vitam, remissionem, & gratiam, dicente illis Rege Israël: *Si adhuc vivit, frater meus est*, sibi etiam misericordiam. Ibid.

Deus similibus cum homines delictorum suorum pœnituerit etiam permouetur. 7 Hæc & similia, si flectere potuerunt aliquando elatos victoriis & gloriâ tumidos Reges ac Principes, atque efficere vt hostibus, quibus fuerant multo tempore, magno conatu, impensis ingentibus interitum machinati, se exhiberent clementes, iisque & condonarent vitam, & libertatem largirentur: nil mirum, apud Deum benignissimum Dominum, & patrem clementissimum, ea tantumdem & amplius potuisse. Etenim sicut *vultus eius superfacientes mala*; ita etiam super facientes bona. Psal.33. v.17. Mouetur ille tantò ampliùs, vt quos verè viderit pœnitentes, quos sibi factos supplices, recipiat & admittat in gratiam, quò sollicitior est, vt etiam tardantes venire, pro cura sua paterna, inuitatione benignâ quodammodò ad se trahat, & rapiat; vtens ad hoc suauibus & fortibus diuini amoris sui verbis, velut iaculis, quibus cor feriat. Talia sunt illa quæ loquitur apud Zachariam: *Conuertimini ad me, & conuertar ad vos.* Et Zachariæ c.1.v.3. illa quæ Christus Dominus apud Matthæum: *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos.* Mat. c.11. v.28. Ex quibus apparet quàm etiam improbis quibusque, pœnitere & syncerè redire atque conuerti volētibus, largiter misericordiā suam spondeat; numquam, tamquam verè bonus, benignus, & clemens, nisi peccatis quodammodò compulsus & adactus, descendens ad inferendum sceleratis supplicium.

8 Sponsionis illius effectum expertus est inter ceteros etiam Achab rex

Achab pœnitens in ieiunio & sacco euasit intentatũ sibi supplicium. licet scelestissimus, qui ab Elia monitus, cuius metuebat minas, *Scidit vestimenta sua, & operuit cilicio carnem suam, ieiunauitq́ & dormiuit in sacco, & ambulauit demisso capite.* Quod ita
3.Reg. c. 21. v. 27. placuit Deo, vt dixerit Eliæ, quem miserat monitorem ad Achab: *Nonne*
Vers. 29. *vidisti humiliatum Achab coram me? quia igitur humiliatus est mei causâ, non inducam malum in diebus eius, sed in diebus filij sui, inferam malum domui eius.*

Niniuitæ in eundem finem saccum assumunt. Ad nostros Niniuitas quod attinet, illi etiam, non secus ac Achab permotus fuerat minis Eliæ, terribili IONÆ comminatione de totius interitu ciuitatis permoti, vt resipiscere se velle, & componere ad meliora animos suos, ostendant, induuntur sacco; vel sic palã testaturi, quem intus mœrorem de prioribus delictis conceperant, & quam pro iisdem pœnam voluntate propriâ susciperent, secundùm quod
Paulinus ad Seuer. Sulp. Epist. 10. ait Paulinus: *Pallia camelorum pilis texta, nos in conspectu Altissimi stratos vilibus stimulis admonere, dum asperitate setarum compungimur, & peccatorum nostrorum horrore compungi, atque intus spiritu conteri, dum extrinsecùs terunt habitum.* Seruit compunctioni mirum in modum, si quid aliud, saccus; non tantùm incultum quid & sordidum, sed asperum etiam & horridum in spe-
Isidor. lib. 2. de offic. ciem contuentibus exhibens; vnde Isidorus in cilicio docet asperitatem, & compunctionem peccatorũ designari.

Quo sacci genere vsi sint Niniuitæ. 9 Nunc cùm sacci genus varium sit & multiplex, disquirendum est nobis, quonam vsi fuerint Niniuitę. Saccum à cilicio sic distinguit Alardus Ga-
Gazæus in Cassiani de institutis Cœnobio. lib. 1. c. 3. zæus, quòd cilicium intrinsecùs & super nudo indueretur, causâ afflictionis & macerationis carnis; saccus verò vt vilis & sordidus habitus extrinsecùs gestaretur, dumtaxat humilitatis & confusionis ergô, præsertim à personis illustribus. Ego nequaquam distingui existimo: quare Niniuitas de hircorum aut camelorum contextos pilis saccos, aptos cruciandis & deformandis magis, quàm exornandis corporibus adhibuisse non ambigo: hos enim in vsu apud Iudæos, atque etiam alios, illis temporibus in luctu & pœnitentia fuisse accepimus. Itaque, quod hîc dicitur: *Vestiti sunt saccis*, idem est, ac si diceretur, se ciliciis induerunt: &
sic Cassianus de Niniuitis loquens, Cassianus de Habitu Monach. c. 3.
pro eo quod dicit Scriptura *vestiti sunt saccis*; ait eos fuisse *cilicij asperitate velatos.* Suffragatur quoque huic sententię
Ioannes Lorinus in Psalmos, vbi ait, Lorinus in Psalmi 34. v. 13.
certum videri, cùm narratur saccis Niniuitas indutos, id de ciliciis intelligi.

10 Quoniam verò saccus indumentum est luctui propriè seruiens, illique *Sacci vsus in luctu.* tempori vel maximè accommodum; valet non solùm eius vsus; verùm etiam recordatio, ad mœrorem indicandum, qui aliquando fuerit, aut futurus sit. Quare sacco se vsurum suo tempore, quo ad terrorem & planctum populi, subductis cæli luminaribus ipsum cælum obnubat & vestiat,
Dominus apud Isaiam testatur: *Induã*, Isa. c. 50. v. 3.
inquit, *cælos tenebris, & saccum ponam operimentum eorum.* Quod impletum
in Passione Christi Tertullianus affir- Tertull. lib. 4. contra Marc. c. 42.
mat, quando ad terrorem Iudæorum tenebrę fuerunt palpabiles, sicut olim Moysis tempore in Ægypto, & quidem super vniuersam terram. Ioannes
quoq; in sua sacra Apocalypsi, prospi- Apoc. c. 6. v. 12.
ciens quid futurum sit diebus nouissimis, *Sol*, inquit, *factus est niger tamquam saccus cilicinus*: hoc videlicet amictu tam lugubri, suum testaturus dolorem, quòd seruierit tanto tempore, tam fideliter, tam constanter, hominibus adeò sceleratis, adeò Cõditori suo, Redemptori suo, Deo ac Domino suo, rebellibus & ingratis. Nec dubium quin talis apparebit tum temporis, vt suâ improbitate id rectè commeritis, maiorem horrorem metumque incutiat. Verùm de his fusiùs posteà.

11 Ceterùm non tantùm ad luctum, *Etiam in pœnitētia.* verùm etiam ad pœnitentiam, & quidem quàm maximè, valuisse saccum, vel hic IONÆ locus nos docet. Porrò sicut luctu cessante nullus vlterius sacci vsus erat, eo confestim vel deposito, vel conscisso, secundùm quod

Dauid

Psal.29. v.12. Dauid ait: *Conuertisti planctum meum in gaudium mihi: conscidisti saccũ meum, & circumdedisti me lætitiâ:* ita præterlapsis pœnitentiæ diebus, ad vestitum veterem redibatur, abolito sacco, ciliciòque deposito.

Niniuitæ & vt lugẽtes, & vt pœnitentes induuntur sacco.

Nostri Niniuitæ vtroque titulo, & vt mœsti, & vt pœnitentes, saccis induuntur; sic testaturi, se & quàm maximè lugere, & ad Deum solidè, syncereque conuersos, odisse peccata præterita, pœnitentiaque omnimodâ ductos, corpus, quod in partem culpæ venerat, in partem quoque supplicij vocare. His autem cessantibus, non dubium quin habitum illum, & quà lugentium, & quà pœnitentium est, confestim sustulerint.

Cilicij & sacci vsum esse antiquissimum ostenditur.

12 Hîc prorsus apparet quàm antiquus sit sacci & cilicij vsus, qui iam tum tali in vrbe, inter tot quæ ibidem grassabantur scelera, vsurpatus. Neque tum primùm cœpit, etiam diu antè ortum habuit, quem nonnulli in ipsa protoparentum nostrorum tempora referunt, de quibus dicitur: *Fecit Dominus Deus Adæ & vxori eius tunicas pelliceas, & induit eos.* *Gen.c.3. v.21.* Has tunicas tamquam cilicia datas à Deo, illis seruiisse ad necessitatem, non ad delicias & corporum commoditatem, censet inter ceteros Cornelius à Lapide: S. verò Irenæus Adamum foliis ficus durioribus pro cilicio vsum affirmat; velut condigno suæ inobedientiæ amictu.

Adamus vestitus fuit duriore amictu. *Corn. in 3. cap. Gen. Iren. lib.3. c.37.*

Iacobus Patriarcha vsus fuit cilicio.

Quidquid hac de re sit, illud omninò certum, Iacobum Patriarcham, cùm filium suum Iosephum, quem à fera pessima deuoratũ arbitrabatur, lugeret, multo tempore, scissis vestibus, amictũ cilicio processisse; quemadmodum liber Genesis apertissimè, tot penè quot hîc posui verbis, enarrat. *Gen.c.37. v.34.* Secuti deinde idipsum Israëlitæ complures, adeoque modus ille lugendi, si non antè, tum saltem paullatim in consuetudinem transiit.

Dauid iussit suos eo vti.

13 Quàm autem deinde viguerit Dauidis temporibus, vel hinc apparet, quòd cùm esset occisus Abner, Dauid ipse suos quoscumque habebat domesticos indui cilicio iusserit, sicque in illius funere comparere lugentes. *Scindite*, inquit, *vestimenta vestra, & accingimini saccis, & plangite ante exequias Abner.* *2.Reg.c.3. v.31.*

De cilicio, quo ipsemet vsus, cuius etiam occasione non vnâ, meminisse eum sæpius in Psalmis & alibi legimus, longus esset sermo. Hoc tamen scitote, habitum hunc pro temporum necessitatibus variis, quà priuatis, quà publicis solennem Dauidi fuisse; vti ipsemet non obscurè insinuat, præsertim cùm ait: *Cùm mihi molesti essent,* *Psal. 34. v.13.* aduersarij scilicet mei, inter ceteros me crudeliter persequens Saul, *induebar cilicio:* Mea arma potiora tunc erant ieiunium & saccus; his ego tamquã loricâ munitus & galeâ, hostium cuneos penetrabam securus, his velut duabus alis subleuata ferebatur in cælum oratio mea, eratque mihi propitius Dominus.

14 Quoniam verò armis hisce maximum inesse præsidium, & ad hostiles sustinendos impetus robur, expertus fuerat aliquando, occurrente necessitate qualibet, eadem resumebat, iisdem induebat se iterum; hinc illæ eius voces: *Operui in ieiunio animam meam: Et posui vestimentum meum cilicium.* *Psal. 68. v.11.12.* Neque aliter fecit, quando vidit Dei Angelum ob numeratum à se populum grauiter peste immissâ in Israëlem sæuientem, eundemque vrbi regiæ iam imminentem: vidit inquam eum, vt sacris verbis vtar: *Stantem inter cælum & terram, & euaginatum gladium in manu eius, & versum contra Ierusalem:* *1.Paral.c. 20.v.16.* Etenim *ceciderunt* tunc protinus, *tam ipse, quàm maiores natu, vestiti ciliciis, proni in terram.*

Prophetæ cilicium cõmendant & assumi iubent.

15 Quam verò fuerit Deo gratum genus pœnitentiæ eiusmodi, vel ex eo patet; quòd hoc, Prophetæ peritissimi animarum medici, suis temporibus tamquam omnium malorum antidotum, & præsentissimum certissimumque ad quasuis imminentes calamitates præsidium vehementer commendent; idemque cùm opus fuerit, constanter præscribant. Magna erat cùm

viueret

uiueret Ioël causa luctus non populo tantùm; sed & ministris altaris ac sacerdotibus, quam ipse cum sensu, & quidem vehementi exponens: *Periit*, inquit, *sacrificium, & libatio de domo Domini.* Quid grauius esse poterat, magisque dolendum, Dei gloriam salutemque suã amantibus, quàm cultum Dei neglectum iacere per sacrificia sublata, nec esse iam ampliùs per hæc rationem reconciliationis cum Deo quæ solebat. Verùm quid opis, quid remedij suggeris sancte Propheta? Videor illum mihi audire dicentem, suggero tale remedium quo nullum præstantius, nullum opportunius, nullum vobis melius, efficacius, certius futurum. Audite igitur consilium meum & secundùm illud, *Accingite vos, & plangite sacerdotes, vlulate ministri altaris: ingredimini, cubate in sacco ministri Dei mei.* Prouocarat primò ad planctum ebrios, deinde diuites, aliosque in deliciis enutritos, tum vniuersum populum, ad extremum ipsos etiam sacerdotes inuitat, & monet; vt si benè sibi, benè consultum populo velint, saccis induti, in communi calamitate communis boni se patronos ostendant, & corporibus per pœnitentiam castigatis, erectisque ampliùs in diuina mentibus ardentiùs Dominum deprecentur; quò redeat aliquando exoptata priorum temporum felicitas atque tranquillitas.

Ioël. c. 1. v. 9.

Ioël. c. 1. v. 13.

16 Ieremias quoque non semel admonet populum, vt propulsandæ arcendæque indignationi diuinæ, cilicium induat: quod signum est, hoc indumenti genus, ad illud maximoperè ex ipsius etiam sententia conduxisse, *Accingite*, inquit, *vos ciliciis, plangite, & vlulate.* Quorsum hoc? Quia nulla tam grandi malo aptior medicina. Existimate ergo Ieremiam sic ad populum loqui: Dicam quo vestræ res apud Deum sint loco, est omninò quod timeatis: *Quia non est auersa ira furoris Domini à vobis.* Hanc itaque si vultis auertere, velle autem debetis, nisi præ felici vita & gaudio, arrideat infelix interitus, luctusque perpetuus, quod iubeo alacres facite. *Eia accingite vos ciliciis:* hæc via placandi iratum Deum ceteris melior erit, eritque securior. Eandem propterea non omittit etiam aliàs maximoperè commendare. *Filia*, inquit alio loco, *populi mei, accingere cilicio, & conspergere cinere.*

Ierem. c. 4. v. 8.

Ibid. v. 8.

Ierem. c. 6. v. 26.

17 Porrò quàm hanc inire viam, & non aliam solerent, quotquot de ineundis vitæ melioris rationibus certa suscipiebãt & deliberata consilia, non modò insinuat; verùm etiam declarat manifestè supremus spiritus magister Christus Dominus; cùm apud D. Lucam asserit, acturos fuisse in cinere & cilicio pœnitentiam Tyrios atque Sidonios, si eam agere tot signis, quot facta in vrbibus Corozaim atque Bethzaida, fuissent edocti.

Cilicium assumebant ferè ij omnes qui melius viuere cupiebant.

Luc. c. 10. v. 13.

18 A præceptis vt reuertamur ad exempla, quæ nõ minùs imò ampliùs, certè efficaciùs nos possunt instruere; Dici enim solet, longa via per præcepta, breuis & efficax per exempla: certum est, in quibusuis ferè rebus arduis tentandis, perficiendisue, datum ab optimis & sapientissimis quibusque suum huic indumento, tamquam collaturo in rem præsentem aliquid, non segniter locum.

Meministis, opinor Iuditham, molientem Holoferni principi exercitus regis Assyriorum Bethuliæ imminenti, pro libertate & liberatione Iudaici populi interitum, opere sanè arduo, difficili, periculoso; ad illud aggrediẽdum, exequendum, & obtruncandum tantum ducem non nisi armatam cilicio processisse; quo, vti & ieiuniis, iam à viduitate sua annis tribus & mensibus sex seipsam afflixerat.

Iudith armata cilicio vincit Holofernẽ.

Iudith c. 9. v. 1.

19 Mathathiam similiter & filios eius, videntes sæuiente Antiocho desolationẽ ciuitatis sanctæ, & suæ gentis mala plurima, sese operuisse ciliciis, multum indulsisse mœrori, multum planctui, prior Machabæorum liber testatur. Posterior verò Iudam Machabæum & socios, in publica necessitate; cùm nimirum semel victus Timotheus, equitatu Asiano congregato aduenit iterùm, quasi totam tunc debella-

Mathathias & filij eius Antiocho sæuiente indutus est cilicio.

Machab. lib. 1. c. 2. v. 14.

Iudas quoque Machabæus & socij cùm contra Timotheum pugnarent

bellaturus Iudæam, præcinctos ciliciis ad altaris crepidinem prouolutos iacuisse, sic postulaturos efficacius consilium & robur, tantis hostium copiis potius, & potentius. Quod & obtinuerunt: nam adfuerunt, vbi ventum est ad manus initumque prælium, protinus de cælo, qui & aduersariis apparuerunt, equites quinque aureis frænis decori, quibus auxiliantibus cæsa sunt ex ipsis aduersariis millia peditum viginti & quinque, equites verò sexcenti; cessitque Iudæ Machabæo hæc, vti & alia, quæ hanc excepit, contra tantos hostes, quibus, vt sacra Scriptura loquitur, *Dux belli animus erat*, victoria. Ex qua apparet precum & pœnitentiarum in necessitate præsertim & periculo minimè negligendarum fructus vberrimus.

Habitus veterum Prophetarum fuit cilicium.

20 Ad Prophetas legis antiquæ quod attinet, nullum est dubium, eos gentem Iudæam ad vsum cilicij non tantùm fuisse cohortatos; sed ipsum etiam vsurpasse, vt quod verbo docturi erant, id priùs docerent exemplo. Inter ceteros D. Hieronymus arbitratur, Zachariam prophetam explanãs, vix alio habitu, aut saltem hoc tamquã maximè sibi conueniente & proprio, potissimùm vsos. Sed & Ioanni dicitur in Apocalypsi duos testes, qui prædicaturi sunt contra Antichristum temporibus nouissimis, ij ex communi Patrum sententia sunt Elias & Henoch, vestiendos saccis: *Dabo duobus testibus meis, & prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta, amicti saccis.* Illum Prophetarum habitum æmulatos etiam quandoque Pseudoprophetas, vti & ipsorum oracula, quò faciliùs imponerent populo, multorum opinione, vt dixi alibi, satis constanter & verè asseritur.

Apoc. c. 11. v. 3.

Lect. 1. Proœm. n. 45.

Etiam S. Ioannis Baptistæ. Mat. c. 3. v. 4. Marci c. 1. v. 6.

21 Ad hæc etiam Ioannem Baptistam Christi Domini prodromum, legimus apud Matthæum & Marcum Euangelistas, *habuisse vestimentum de pilis camelorum*, quod erat cilicio, de pilis caprarum confecto, aut contexto è setis equorum, qualia modò, edomandis frenandisque corporum animorumq; illecebris ac voluptatibus, adhibent virtutis & perfectionis amantes, longè asperius.

Paulus maiorum exemplo Hebræos inuitat ad habitum asperum. Ad Heb. c. 11. v. 37.

22 Primis deinde nascentis Christi Ecclesiæ temporibus, Paulus, pro suo feruore proponens Hebræis veterum cùm rigorem tum vigorem imitãdum, ait: *Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis*, quæ pro ciliciis valebant, *egentes, angustiati, afflicti*: designans hac ratione Eliam, Eliseum, & alios, qui Achab, Antiochum, ac se persequentes tyrãnos fugiendo; villas, pagos, oppida peragrarunt; vt, si quo modò possent, aberrantem à via veritatis & iustitiæ populum, ad vitam sanctam, moresque incorruptos reuocarent.

Vsus ciliciorum fuit tempore Tertulliani.

23 Vetera quidem sunt hæc; sed vetustas in negotio de quo agimus maximoperè commendabilis est: non desunt tamen recentiora. Dabo quæ æuo Christiano in hoc genere obseruata sunt, è multis pauca. Imprimis Tertullianus quàm essent in vsu suo tempore, id est anno circiter Domini ducentesimo, asperiora hæc corporis integumenta, satis declarat manifestè cùm ait: *Exomologesis prosternendi, & humilificandi hominis disciplina est, conuersationem iniungens misericordiæ illicem. De ipso quoque habitu atque vestitu mandat sacco & cineri incubare, corpus sordibus obscurare, animum mœroribus deiicere, illa quæ peccauit tristi tractatione mutare.* Inter opera exomologeseos eadem, tamquam vsurpanda præcipuè, enumerat quoque S. Cyprianus. Cùm enim dixisset: *Orare oportet impensiùs & rogare, diem luctu transigere, vigiliis noctes ac fletibus ducere, tempus omne lacrymosis lamentationibus occupare.* Subiungit: *Stratos solo adhærere cineri, in cilicio volutari & sordibus, post indumentum Christi perditum nullum iam velle vestitum; post diaboli cibum, iam malle ieiunium.*

Tertull. lib. de Pœnitentia c. 9.

Notus etiã Cypriano. Cypr. ser. de lapsis.

Vsurpatus in monasterio pœnitẽtium secũdum Climachum. Climach. Gradu 5.

Ioannes Climachus inter ea quæ in celebri illo monasterio pœnitentium, cuius meminit Gradu quinto, narrat à se conspecta, habet: *Vidi nonnullos in pauimento strato cilicio & cinere sedentes, ac faciẽ genibus operientes, frontemq;*

in terram collidentes. Vnde apparet etiam ibi vsum fuisse cilicij.

Monachi multùm vsi ciliciis vti & eremicolæ.

24 Hoc non tantùm ad exomologesim & pœnitentiam; sed etiam tamquam conducturum plurimùm ad sui victoriam, vitæque sanctitatem, viri quantumuis integerrimi & innocentissimi, & libēter, & liberaliter assumpserunt. Monachi autem & eremi cultores vel maximè. Meminit D. Basilius Magnus, ciliciorum ab illis vsurpatorum, quà interdiu, quà nocte. De seipso autem loquens S. Hieronymus. *Horrebant*, inquit, *sacco membra deformia, & squalida cutis situm Aethiopicæ carnis obduxerat; quotidie lacrymæ, quotidie gemitus; & si quando repugnantem somnus imminens oppressisset, nudâ humo vix ossa hærentia collidebam.* Celebratur in Romano Martyrologio, atque etiam in Menologio, Theodorus confessor, cognomento Trichinas, ab aspera cilicij veste, die vigesimo Aprilis.

Basil. in Regulis Minorib. Reg. 90.
S. Hieronymus eo vsus.
Hieron. epist. 22. de Custodia virg. ad Eustochiū.
S. Theodorus.

De Sancto etiam Paulo primo sacrę solitudinis incola memoriæ proditum est, eum fuisse tunicâ de palmæ foliis in modum sportarum contextâ, quæ quouis cilicio longè erat asperior, longè molestior, vsum assiduè; quam proinde tanti fecit Magnus Antonius, vt eâ, à morte Pauli acceptâ, velut veste pretiosissimâ, bis dumtaxat in anno, diebus nimirum solennissimis Paschæ & Pentecostes, & quidem religione summâ ac veneratione, vteretur. Quæ si cedere aliquando potuisset Beato Hieronymo non minori apud eum, quàm apud Antonium in pretio fuisset. Ait namque in calce vitæ Pauli à se conscriptę: *Si mihi Dominus optionem daret, multò magis eligerem tunicam Pauli cum meritis eius, quàm regum purpuram cum regnis suis.* Ex quo satis apparet quanti eam fecerit quoque Hieronymus.

S. Paulus primus eremita similiter & alij vsi.
Hieron. in vitâ S. Pauli c. 13.

25 Idem Hieronymus de Hilarionę refert sacco tantùm membra texisse, super nudam humum stratumq; iunceum vsque ad mortem cubitasse, saccum siue cilicium, quo semel fuerat amictus, numquā exuisse, numquam lauisse, numquam mutasse, cùm superuacaneum esse diceret munditias in cilicio quærere. Addit, eundem anno ætatis suæ octogesimo absenti Hesychio testamenti vice per breuem conscriptam propriâ manu epistolā, omnes diuitias suas, id est Euangelium, tunicam saccineam, cucullam, & palliolum, reliquisse.

S. Hilariō. Hieron. vitæ Hilarionis c. 3. & c. 5.
Vitæ c. 38.

De S. Abrahamo, illo inquam, qui ex amplissimo patrimonio, parentis sui admodum opulenti hęres ex asse, præter cilicium, stoream, poculum ligneum, nihil sibi retinuit, se ceteris abdicauit, narrat S. Ephrem eum vestem cilicinā totis annis quadraginta, vti iam de Sancto Hilarione diximus, numquam deposuisse, numquam mutasse.

S. Abrahā eremita.
S. Ephrem in vitâ S. Abrahæ c. 3.

26 Magis stupendum, quod de Sancto Simeone Stylita memorat Theodoretus, eum in columna stantem, cilicio indutum, totis annis octoginta, sic fune ex palmarum foliis contexto constrinxisse lumbos, vt quamcumque is premeret corporis cutem, eandem etiam fœdè laceraret, adeoque ex vulneribus non nisi sanguis putridus & corruptus, simul etiam, vt solent ex vlcere purulento, vermiculi scaturirent.

S. Simeon Stylita.
In vita c. 3. apud Rosvveydum.

Sanctum etiam Iosaphatum scribit Damascenus, non tātùm cilicio vsum assiduè; verùm illi cilicio quod à parente in aula acceperat, eiusdem defuncti corpus, cui vt Regi debebatur purpura, inuoluisse, & hoc in eodem tumulasse. Scilicet meliùs arbitrabatur ille, ornatum patrem cilicio & sacco, quàm ornamentis nobilissimis, nihil ad regnum æternum cælique gloriam valituris.

S. Iosaphat. Damasc. vitæ Barlaā & Iosaphat c. 40.

S. Dominicum Loricatum perhibet Petrus Damianus, tribus circiter annorum lustris vestitum loricâ ferreâ ad carnem, vnde & Loricatus dictus est, duobus item ferreis circulis in corpore cinctum, duobus per armos arctatum, Deo & sibi viuentem hæsisse in solitudine.

S. Dominicus Loricatus. Damianus lib. 1. epist. epist. 19. ad Alex. II. Pōtificem.

27 Multa diximus hactenus, sed ferè de solitariis tantùm; quare forsitasse putabitis hæc nota dumtaxat, & vsitata

Cilicij vsus vbique fuit.

vsitata iis quibus eremus & solitudo placuit, atque illa, quæ coli solebat inter aspera montium, siluarum condensa, profunda vallium vitæ austeritas & rigor. Audite quæso, & aduertite animum, ad ea quæ dicturus sum modò; videbitis nequaquam in vna tantùm Syriæ solitudine sacci siue cilicij vsum fuisse: verùm vix dari, aut non dari omnino, vllum orbis angulum in quo culta aliquando est virtus, in quo non sit etiam culta istæc virtutis exercitatio.

Etiam in aulis principum & regum. Ducam vos paullò pòst ad magnatum & Principum aulas, atque etiam, si placet, ad augusta Regum palatia, ibique locum inuenisse, neque tantùm in scriniis, sed & in ipso penetrali pectoris eorum commonstrabo.

Verùm Procerum Ecclesiæ domos priùs paulisper subeamus.

In Africâ apud S. Eugenium. 28 In his inter ceteros mihi fit obuius loco remotiore, nimirum in Africa, libet enim etiam eo exspatiari, S. Eugenius Carthaginensis Episcopus de quo hæc Victor Vticensis: *Victor Vticens. lib. 3. de Persecut. Wādalica.* *Eugenius sanctus dum nostra persecutionis defleret incommoda, & asperitate cilicij senile attereret corpus, nudamque super humum cubitans, stratum sacci sui rigaret imbribus lacrymarum*,&c. Ex quibus verbis apparet quàm esset cilicij vsus familiaris Eugenio.

In Gallia apud S. Martinū. Occurrit inter Europæos in Gallia S. Martinus vrbis Turonæ Episcopus, cui non suffecit vsus cilicij in vita, secundùm quod ait S. Paulinus: *S. Paulinus l. 2. vitæ S. Martini.*

Quin & contexto setis coopertus amictu,
Exesa assiduo compunxit acumine membra,
Vt tereret tenuem vestis nimis aspera pellem.

nisi eidem quoque immoreretur: sic nos suo docturus exemplo, quàm sit eo perpetuò vtendum.

In Angliâ apud S. Thomam Cantuariensem. Occurrit in Anglia, olim sanctissimorum virorum ferace, inprimis B. Thomas Cantuariensis Antistes, qui pilosam vestem deductam ad genua gestare solitus, dicebat: *Si corpori meo præesse nequeo, quomodo tot aliis præero?* hac ratione insinuans, quod benè notandum, cilicium appositè vsurpatum, valere ad obtinendam de se victoriam plurimùm.

Apud S. Edmundū. Surius in vita cap. 2. & 9. 29 Occurrit deinde ibidē S. Edmundus, D. Thomæ eâdem in Cathedrâ aliquando successor; cui, cùm non sufficerent missa à matre Parisios cum lotis indusiis lota ciliciola (Audite parentes, atque de filiorum salute profectuque in spiritu, quàm de eorum temporalibus commodis sollicitiores, quod dico imitamini) placuit aliud sibi construere, non ex pilis, aut setis, sed ex funiculis ad modum retis inter se consertis & contextis eo modo, vt nodi quibus funiculi nectebantur altiùs eminerent; atque vt hi corpus ampliùs stringerent, triplicato de setis equorum à scapulis ad renes fune, ita illud circumdare, vt erectus vix se inflectere, incuruus vix erigere, aut obuertere in partem alterutram, nisi summo cum dolore posset. Addebat his vir ille sanctissimus proprium quoque collo & manibus cruciatum, cùm de die non posset, nocte saltem, quâ hæc non minùs quàm corpus reliquum tegebat cilicio. Nec deerant illi ad vsum quotidianum femoralia caligæque cilicinæ. His accedat per Aduentus & Quadragesimæ sacras ferias vestis plumbea, nouum genus de se sumendi supplicij. Porrò quàm Deo placerent hæc arma, quibus sui victor egregius de seipso triumpharat, obseruare est ex eo, quòd cùm attrita ex assiduo vsu, illa de quibus egimus, femoralia cilicina, in ignem velut non ampliùs opportuna vsibus mitterentur, eadem allambens flamma consumere, velut sanctitatem spirantia, nequaquam potuerit; fortè nec tangere, cùm ab igne prodierint prorsus illæsa.

Apud Cardinalem Roffensem. Sanderus lib. 1. de schis. Anglicano. 30 Occurrit & tertius in Anglia Ioannes nimirum Cardinalis Roffensis Episcopus, quem narrat Nicolaus San-

 derus

derus, ita fuisse voluntariæ afflictionis studiosum, vt inter ipsius supellectilia, cùm vinctus publicæ mancipparetur custodiæ, à satellitibus, omnia lynceis oculis perlustrantibus, arbitrantibusque in arcâ, quam habebat domi ferreis laminis præclarè munitam, seris quoque, ac pessulis septam, ingentes latere thesauros, nihil repertũ sit præter vestem cilicinam, & flagellum, veros quidem thesauros, sed parum cognitos & amatos, quibus ipse corpus suum, senio & laboribus fractum, insigniter castigabat, totumque animi subiiciebat imperio. Hæc nimirum erant illustri martyri ad martyrium præclara præludia.

Apud Episcopos aliquos in singulis orbis partibus.

31 Longum esset Italiam, Hispaniam, aliaque Christiani orbis regna peragrare, conquirendis hisce athletis, Ecclesiarum, inquam, Præsulibus, qui cilicio & sacco, additis etiam ad hæc flagellis & loris, bellum carni suæ numquam non indixerunt: satis est quòd abundè constet, nullo non tempore, in hac re, & quidem in omni ferè regione, aliquos fuisse eximios. Magis mirum erit, & rarum, si obeuntes aulas Cæsarum, Regum, & Principum, ibi inuenire potuerimus, in eorum ditissimâ supellectile etiam cilicia & saccos.

Reges & principes cilicia gestarunt.

32 Eiuscemodi habuisse & vsurpasse Carolum Magnum Imperatorem memorant, qui res ab eo præclarè gestas scripserunt.

Gaufridus in vitâ cap.5.

His vsum S. Ludouicum Galliæ regem, non solùm certũ est: sed ita vsum constanter, vt numquam, licet corporis ægritudine prępeditus, nisi de consilio eius, quem suæ conscientiæ arbitrum delegerat, statutam à se pœnam suppliciumque illud deposcere intermitteret; & tum quidem adhuc neglectũ illius, alio aliquo bono opere compensaret: vt nõ tam intermisisse, quàm commutasse videri possit. Constat similiter S. Casimirum regis Poloniæ filium, ad vltimum vsque vitę virginem, ex horridis equorum setis frequenter cilicium gestare, fortè tamquam castitatis amuletum, consueuisse. S. Elzearum Comitem illud sub veste pretiosa occultare, atque in ipso quietem nocturnam ferè sine quiete capere. S. Guilielmum Aquitaniæ Ducem, loricâ ferreâ nudo appresśâ corpori, pro cilicio se castigare. B. Franciscum Borgiam Gandiæ Ducem, nostrâ memoriâ, cùm sui adhuc iuris esset, numquam adire feminas, nisi hirsuto armatum cilicio, quo velut clypeo, ante exortum lasciuientis carnis retunderet insolentiam. Hæc ferè scriptores vitæ singulorum de singulis.

Surius in vitâ c.10.

Theobaldus Episcopus in vitâ c. 10. Scottus in vitâ lib.1. c.3.

Feminæ cilicinâ veste illustres & decoræ.

33 Fortassis in viris fortibus & generosis, atque ad summa natis, quibusdam hæc non adeò videbuntur eximia: nemo saltem eximia negauerit in sexu fragili, in mulieribus deliciosè enutritis, in tenellis virgunculis. In his certè notandus maximoperè animus sui contemptor, & laudanda in illarum membris imbellibus fortitudo virilis. Talis eluxit in S. Henrici Imperatoris, viri sancti vxore non minùs sancta Cunegunde, quando superstes viro, cum quo vixerat in coniugio virgo, religioni Deoque se deuouens, sic assumpsit cilicium, vt illi & indormire, & immori, &, si sic loqui licet, intumulari voluerit. Erant illius hæ voces, dignæ Imperatrice tam sancta, cùm cerneret regales sibi parari exequias, & aurea feretro obtendi velamina: *Amictus ille non est meus, auferte hinc, hic alienus est. His terreno sponso, istis cælesti copulata sum; istis vilem miseræ carnis materiam inuoluite.* Videlicet nouerat quàm hoc laborioso & luctuoso habitu Deo esset ampliùs placitura, quàm splendido & inani, quæ alium omnem iam pridem illius amore, & studio virtutis contempserat.

In vitâ apud Suriũ 3. Martij cap.14.

Talis eluxit in Sancta Radegunde Francorum regina, quando purpuram cum cilicio commutauit.

Fortunatus Episcopus in vitâ cap.3.

Talis in Hedvvige Ducissâ Poloniæ, quando ad id quod gestare solita erat cilicium, adiecit contortam de setis equorum zonam, nodis pluri-

Surius in vitâ c.4.

pluribus rigidam, ita lumbos arctantem & constringentem, vt non nisi carnibus miserè laceris, & sanie taboque fluentibus, à cute posset diuelli.

34 Quid memorem sanctas toto orbe nominatas & celebres, prioribus fere ætate superiores, Cæciliam, de qua Ecclesia canit, *cilicio membra domabat*, Euphrosinam, Pelagiam, Margaretam, Elizabetham, & alias, quibus similis exercitatio semper in promptu fuit? Quid S. Paulam, quæ sibi etiam in ægritudine non pepercit. Narrat de hac Hieronymus in Epitaphio: *Mollia etiam in grauissima febri lethali strata non habuit; sed super durissimam humum stratis ciliciolis dormiebat*. Quid Diuam Claram, æquè genere ac virtute nobilem, quæ S. Francisci Assisinatis institutum complexa, totis annis octo & viginti hirsutum ex corio porcino cilicium induta, obuersis ad carnem setis, eandem sic prorsus hebetauit ac triuit? Quid Eustochium S. Claræ patronæ suæ æmulam, quæ eiusdem cum illa instituti ac moris, non secùs etiam ac illa, adhibuit coërcendo corpori ex pelle suilla, & hoc ampliùs quàm illa, quòd erat hæc pellis spinis acutis infarta, cilicium horridum, præter quotidiana flagella.

In officio festi illius.

Hieron. in Epitaphio Paulæ.

Surius in vitâ c. 12.

An harum cuipiam aliquid ad animi fortitudinem, aliquid ad has corporis, quantumuis graues, molestias subeundas roboris defuit? nihil omnino: idque quia planè statuerant esse hac ratione dese, esse de hostibus victrices, triumphatrices. Tantum est velle, & prorsus atque ex animo velle. Et sanè sic faciant oportet, qui se tutari cupiunt, atque ab hoste defendere, vbi aduerterint suæ pudicitię ab eo strui insidias; his enim nequaquā conueniunt mollia indumenta secundùm quod rectè monet Tertullianus: *Vestium pompa de proximo curant luxuria negotium, & obstrepunt pudicitia disciplinis*.

Contra impudicitiam optima arma ciliciū.

Tertull. lib. de cultu feminarū c. 9.

35 De virorum religiosorum aspero incultoque habitu, de eorum ciliciis & saccis, de castigationibus corporis variis sæpiùs ab eis vltrò, & nimium fortasse liberaliter assumptis, nihil attinet dicere; quando illi passim in hoc negotio à maioribus suis magis continendi freno aliquo, quàm stimulandi monitis, & eo velut calcaribus adigendi fuerunt. Ex vno fit coniectura de reliquis.

Religiosi viri magis continendi quàm vrgendi fuerunt ad cilicia & flagella.

Refertur in Chronicis Ordinis Minorum, cùm mentio fit Capituli illius perceIebris, cui à storeis nomen (quia illis, velut parietibus, religiosorum cubicula qui conuenerant in mediis campis, in his erat etiam B. Dominicus, ad quinque ferè millia, discriminabantur) tantum fuisse omnium ad exercitationem operum pœnitentiæ studium & ardorem; vt Sanctus Franciscus, postquam cognouit multos thoraces, & loricas squammatas, circulos ferreos, catenas, & his similia ad nudam carnem pro cilicio gestare, atque ex illo tanto rigore non paucos debiliores in grauem incidisse morbum, alios etiam contabescere, & factos iam ad laborem inutiles consumi paulatim, sub sanctæ obedientiæ præcepto iniunxerit omnibus suis vt si quos eiuscemodi thoraces & orbes ferreos gestarent, eos depositos ad se quàm primùm deferrent: delatos autem aiunt plures quingentis.

Chronica Minor. Par. 1. lib. 1. c. 53.

Religiosorū rigor etiā in capitulo de storeis.

36 Recensere possem, nec pauciora, nec minora, quæ fuerunt æquè studiosè nouissimis hisce temporibus à variis omnium ordinum religiosis (exceptis Carthusianis, quos ex institutione sua & regula, vti quotidiano cilicio notissimum est) atque olim ab antiquis illis magno feruore vsurpata: sed sistā in vno alteroue. Primus sit quem produco Gonsaluus Sylueria nobilis Lusitanus, natus patre Comite, eodēque custodiæ Lusitaniæ Regis præfecto. Is aliquando Societatis IESV Præpositus Prouincialis in India, præter cilicium, quod gestabat continuò in modum thoracis efformatū, alligato desuper lineo collari indusiū mentiente, & alterum cilicium longè asperius,

Rigor Gonsalui Syluerią in cilicio.

Nicolaus Godig. vitæ lib. 3. c. 4.

quà ex ferro, quà ex aurichalco minutatim puncto, quod, obuersis in carnem punctiunculis, superinduebat interdum; seipsum diebus singulis, cędebat crudeliter, vnâque parte corporis sauciâ, flagella in aliã deriuabat; quò factum vt lacer toto corpore, vix aliter quàm stando posset consistere.

Maffeius ep. lib. 1.

Hic est ille, qui Regem Monomotapæ baptismo cum matre & trecentis Proceribus lustrabat, permotum aspectu Deiparæ (quam secundùm quietem quinque noctibus viderat quidẽ; sed, quòd nõ esset Christianus, eius sermonem non intellexerat) mox tamen ab eodem, onerato cuiusdã Mahumetani antistitis, & trium aliorũ scelestis mendaciis, mori iussus, à barbaris strangulatus est, & in Mosemgessem præterfluentem proiectus, cùm eodem die quinquaginta fecisset Christianos, anno superioris sæculi sexagesimo primo Idibus Martij: fortassis consecutus coronam martyrij, ob voluntaria illa de se iam antè sumpta supplicia, certè ad eam per hæc insigniter comparatus.

Similiter Simonis Bucceri.

37 Sinite quæso adducam nunc illi socium ex nostra Europa, altera orbis parte, eiusdem Societatis Simonem Bucceri, natione Siculum, patriâ Mineensem. Erat hic Gradu Coadiutor temporalis, Syluerię in vsurpãdo omni pœnitentiarum genere non absimilis; pro indusio quippe quod nũquam gestauit, indutus cilicio per totos annos quadraginta, collo, vt erat suæ virtutis occultator egregius, collare lineum, quemadmodum ille, quasi subuculæ annexum circumdabat. Ipsus ille, ferreis sæpè se cingebat catenis, quarum vna è collo ab vtroque humero decurrens ad latera, crucem medio in pectore scapulisque effingebat, tum verò vinciebat medium; nec tibias, ceterosque artus simili priuabat cruciatu. In corporis sui verberatione erat assiduus, adeoque crudelis, vt terrorem incuteret, strepitum audientibus, vsus flagello ex duro fune filis ęreis imâ parte aduncis contexto, neque habitâ vllius partis corporis in diuerberando ratione. Probatam autem Deo hanc eius austeritatem fuisse, vel hoc indicare videtur, quòd cubiculum, in quo Panormi est mortuus in domo tyronum Societatis non sine opinione eximiæ sanctitatis, sæculi huius anno vigesimo septimo, decimo sexto Kalendas Iulij, eximium quemdam & rarum odorem, perceptum à pluribus, multo tempore retinuerit.

Fredericus Comes Bergicus feriâ 6. semper cilicio vsus Sodalis B. V. existens.

38 Fortassis hæc, quia sunt hominum, qui mundo, mundi deliciis, corporis commodis, & sensuum voluptatibus se penitùs abdicarunt iam antè, minùs miramini; causæ istic sit aliquid, homines certè fuerunt, vti nos, & alij: saltem non potestis non mirari vestri Consodalis viri Principis factum. Nemini ignotus est, quem hîc sæpè considere vobiscum vidistis, non ita nuper, piissimâ vitâ functus, Excellentissimus Comes Fredericus Bergicus, totius exercitus regis Catholici in Belgio aliquando Imperator, recentissimè verò Ducatus huius Geldrici pro eodem Rege Gubernator; is ex quo vestri cœtus esse cœpit, de priori tempore nihil dico, quia certi nihil audeo polliceri, nullâ non sextâ feriâ, in Dominicæ Passionis memoriam, duro ex setis equinis vsus cilicio sibi ipsi egregiè molestiam creare consueuerat, vt vel sic suæ virtutis, inter alia plurima, illustre nobis monumentum, & ad imitandum exemplum, reliquerit.

Proponitur Niniuitarũ ad cilicium gestandum ardor.

39 Possem, etiam ex non ignotis, plura fortassis eiuscemodi recensere: sed tempus est, vt Niniuitas reuisamus, quos vtinam imitari sit animus. Erant illi enutriti in deliciis, assueti bysso, ostro, purpuræ; erãt ad omnem quasi comparati mollitiem, facti ad luxum, & tamen subitò, omni corporis curâ neglectâ, ad saccum & cilicium conuolant, vt inueniant gratiam in oculis Domini, & non pereant. Numquid sapienter & benè? Omninò optimè. Dictum Chrysostomi est: *Sola est compunctio, quæ facit hominem horrescere purpuram, desiderare cilicium, ama-*

Chrysost. de Compunct. cordis.

amare lacrymas, & fugere risum. Hoc in Niniuitis hîc patuit? pateat etiam in vobis, mox eandem à Domino accepturis mercedem, peccatorum præteritorum veniam, vberiorem deinceps gratiam, atque ad extremum gloriam immortalem? Multum est tentare, & quod agendum est, agere animo generoso & forti, verùm hic Rhodus, hic saltus.

De ciliciis & pœnitentiis loquentes concionatores nũc non audiũtur libenter.

40 Subuereor ne modò non sit reperire facilè, vtinam fallar, & vanus atque inanis meus ille sit metus, tam facundum, eloquentem, potẽtem inter Christianos Oratorem, qui quod rudi, insolenti, superbo populo Niniues, IONAS pauculis verbis persuasit; etiam multis, in quacumque demum ciuitate, suo persuadeat Auditori. Profectò pro veste serica, holoserica, vndulata, aurea, coccinea, saccum & cilicium quibusdam proponere, aliud non esset quàm eos à diuini verbi auditione, & quauis institutione Christiana auertere, à bono opere dimouere potiùs, quàm in illis eadem promouere. Interim, si dixero esse alicubi etiamnum aliquos, qui Niniuitici populi luxum veste & dapibus æquent, aut etiam superent; reuerà non mentiar. Peccarint illi copiâ, splendore & sumptu in vestes nimium profuso & liberali, nunc eodem in genere, & circa eadem, quantum possum coniicere peccatur ampliùs, aut certè non minùs.

Describitur luxus horum temporum quoad vestitum.

41 Circuite mecum, si placet, & obambulate vrbes plerasque, totius Europæ maximè celebres, inuenietis quàm in illis non tantùm Domicellæ nobiles, de Principibus feminis non loquor, quibus præ ceteris aliquid fortè ampliùs indulgendum; sed etiam ignobiles, & quod magis indignum, subinde etiã plebeiæ opulentiores, ita vestibus ad ornatum compositis abundent, vt non solùm quauis vnius hebdomadis die; verùm etiam mensis integri, ne quid dicam ampliùs, velut ad spectaculum prodeuntes, cum exorto sole nouo, nouum habitum induant.

Ornatus mulierum varius & vanus quoad vestes.

Vt verò nihil ad splendorem desit, sed neque ad vanitatem, quam summoperè affectant, & luxum; conuenire ad propositum sibi finem non parum existimant, si singularũ Gentium ornatum & cultum varium, pro temporum varietate æmulentur. Quare sic se comunt & ornant, vt quas primâ luce intuitus, Italas diceres, alterâ Germanas, tertiâ Hispanas, quartâ Gallas, diebus aliis deinceps Britannas, Polonas, Heluetas, nostrates Belgas arbitreris.

Quoad capillos.

Nihil iam dico de capillis, quos etiam ad ornatum suum penè ad superstitionem vsque plurimæ aut emendicant à mortuis, ac suffurantur; aut cùm id fieri non potest, non tenui pretio conquirunt: gaudent scilicet quouis modo comptulæ comparere, non tantùm in publico, sed etiam in Ecclesiis, licet dicat Apostolus, prodire velatas propter angelos debere. *Debet*, inquit, *mulier potestatem habere suprà caput propter Angelos* per *potestatem* intelligi velamen, constat ex communi omnium Interpretum sententia. 1. Cor. c. 11. v. 10.

Mastrill discursu 27. in Ionam. *Alienis capillis se comere antiquis inusitatum.*

42 Quærit Gregorius Mastrillus, hâc illarum perstringens vanitatem, quid de capillis alienis futurum sit in iudicio, & ait iis reddẽdos quibus priùs vt proprij erant auctore Deo dati, adimendos aliis, quò turpi caluitie sordidæ, maiori opprobrio & contemptu ad debitas sibi pro vanitate sua pœnas rapiantur: hoc ego hoc loco non disputo. Dico tamen, quò magis illa damnetis, nullo modo notã fuisse maioribus nostris istam agendi comendiue rationem; & si nouissent, ab iis nequaquam probandã: multò verò minùs probandos quos videmus quotidie mollicu-los & prorsus effeminatos virorũ atq; adolescentiũ mores, qui nescio à quo tẽpore irrepserunt paulatim, certè in opprobriũ sexus virilis, dũ illi prodeũtes nõ solùm criniti; sed & cincinnati, crispati, calamistrati fronte totâ, iubis etiam ad similitudinem canis aquatici hinc inde ad tempora defluẽtibus, degenerare paulatim in feminas satis vecorditer velle, prô pudor! videntur.

Cincinni virorum & adolescentum illis etiã non probati.

 Pro-

Ouid. epist. 4. Heroi. Profectò non tulissent hoc olim Ethnici, quando inter eos Poëta, satis aliàs lasciuus, dicit audacter & liberè.

Sint procul à nobis iuuenes, vt femina, compti:

Fine coli modico forma virilis amat.

Iam ferũt Christiani: & quod nequius est, quidquid hoc in genere ferè maximè aut barbarum, aut ridiculum, aut inconcinnum, ne dicam lasciuum, singulari studio imitantur, atque in eo quodammodò gloriam suam ponunt.

Damnatur vanitas feminarum in vestiũ. 43 Ceterùm, vti forma vestium varia, multiplex, curiosa; ita est modò etiam materia: linum, lana, byssus apud plerosque pro nihilo sunt: aurum & purpura, olim ornatus regum, quibusdam iam viluerunt: tantùm gemmæ, vniones, margaritæ ex orbe nouo quæruntur, illis collum, ceruix, aures, pectus, manus, imò & crines exornantur, vt sit in singulis quod rapiat, quod intuentes oblectet, quod sic ornatas & comptas in superbiam eleuet. Sed audiant, qui sic aliorum oculis seruire volunt, quod ait, scribẽs Nepotiano, S. Hieronymus: *Si vir, vel mulier se ornauerit, & vultus hominis ad se prouocauerit, & si nullum inde sequatur damnum, iudicium tamen patietur; quia venenum attulit, si fuisset qui biberet.* Quid tunc erit de illo, ex cuius ornatu damnum sequitur: certè hic multo maius patietur iudicium.

Isa. c. 3. v. 16. Dixit aliquando Isaias de filiabus Sion: *Ambulauerunt extento collo, & nutibus oculorum ibant, & plaudebant, ambulabant pedibus suis, & composito gradu incedebant.* Hoc longè nunc verius. Quid si nunc etiam veniat alter Isaias? quàm meritò occlamet hominibus tam vanis, superbis, amentibus, quod ille olim Israëlitico populo: *Auferet Dominus ornamentum calceamentorum* (non deest hoc cothurnatis nostris, non tantùm puellis, sed etiam adolescentibus) *& lunulas, & torques, & monilia, & armillas, & mitras, & discriminalia, & periscelidas, & murenulas, & olfactoriola, & inaures, & annulos, & gemmas in fronte pendentes, & mutatoria, & palliola, & linteamina, & acus, & specula, & sindones, & vittas, & theristra.* Totum istum mundum muliebrem auferendum, postquam, vt audistis, recensuit, quid illo iam ablato sit futurum subiungens, ait: *Et erit pro suaui odore fætor, & pro zona funiculus, & pro crispanti crine caluitium, & pro fascia pectorali cilicium*; ab illis qui se tam sollicitè & vanè compserunt, meritò velint nolint tunc assumendum, quando nunc illud sponte & vltrò non faciunt, quando quæ superflua & superuacanea sunt non resecant, neque ponunt suis vanitatibus modum. Resecantur hæc idcircò suo tempore à Deo, & sic resecta magis cruciant, sed in bonum eorum qui reflectunt, & proficiunt; fiuntque sapientiores ex illo quod sibi obuenire putant incommodo, quod non tam incommodum, quàm commodum magnum magnaque felicitas est.

(Isa. c. 3. v. 18.)

44 Altum ingemuit aliquando Abbas Pambo, vberibus atque amaris perfusus lacrymis, visâ muliere theatrali, admodum, sicuti solent eiusmodi, ornatâ & comptâ, quę ob ornatum, vt ait Ambrosius, *domus est omnium dæmoniorum.* Causam rogatus, respondit: ratio doloris mei est, vna quidem illius perditio, altera verò mea socordia: quòd ego non tantùm placere Deo, quàm ipsa turpibus hominibus, studeo. Eadem nobis doloris, eadem est quotidie causa lacrymarum, videntibus quantum temporis mundi obsequiis famuli illius, quàm parum nos Dei famuli, eius honori & cultui impendamus. *Abbas Pambo luget & lacrymatur visâ muliere theatrali ornatâ.* Ruffinus In vitis Patrum l. 3. c. 164.

45 Sapienter sanè Leonora, Beati Francisci Borgiæ quondam vxor, virtutum mariti sui æmula, superfluorum ornatuum contemptrix, aliquando rogata à nobilissima femina socia sua, cur adeò simplici & attrita veste vteretur. Respondit: *Méne byssinis, sericis, aureis, indui vis, cùm dominum meum*, sic virum appellabat, *cilicium gestare sciam?* Volebat nempe hac ratione maritum suum humana despicientem aliquantisper imitari. *Leonora vxor B. Borgia ornatum respuit.* Scottus lib. 1. vitæ c. 12.

Longè

Melania contemptu vestiū & rerum humanarum Volusianū iuuat ad conuersionem.

Baron. to. 5. ad annū Domini 434.

Longè adhuc sapientiùs Melania iunior, à patruo Volusiano, qui creatus Romanæ ciuitatis Præfectus missusque legatus Byzantium ad Eudociam Imperatricē, ibidem in grauem morbum inciderat, euocata; vbi in eius conspectum venit, ipseque illius habitum miratus, formæque, & vestitus, incredibili ex inopinata stupefactus mutatione magnâ voce exclamauit: *O qualem ex quali te video Melania carissima.* Respondit: *A me disce ô beate patrue, & accipe iudicium futurorum bonorum. Nam nec ego tantam despectui gloriam habuissem, nec pecuniam, nec abiecissem curam ipsius corporis, nisi persuasum haberem, me his propediem longè maiora accepturam.* Valuit & exemplum, & commonitio Melanię patruo ad salutem: ipse enim non multò pôst, abiuratâ Gentilium opinione, ad Christum traductus est.

Exhortatio ad pænitentiam.

46 Agite & vos aliquando, & relictis illis nugarum nugis, atque immundo mundo amatoribus illius, & super hos, & super vos ipsos, tam hactenus amentes, lugete: accingimini saccis à maiore vsque ad minorem; exhibete nouum vrbi vestræ, & orbi spectaculum, & quod amicis, propinquis, parentibus hac mortalitate functis impenditis, vobis ipsis, per peccatum destitutis beatâ immortalitate, paullò etiam liberaliùs impendite. Proderit vobis hic luctus, & plurimum proderit, alius verò, quantumuis acerbus & grauis, neque prodesse vobis, neque amicis, quibus impenditur, aut potest, aut poterit.

Magis in morte animæ nostræ spiritali quàm in aliorum corporali lugendum.

Libet hîc exclamare: Bone Deus! in quam, eheu, cœcitatem deuenimus! in aliorum morte lugemus, exultamus in propria: alios deplorantes extinctos, pullis induimur; & nostrum dolorem obductis atrâ veste etiam parietibus ipsis ampliùs testamur: non damus auro, gemmis, monilibus in ornatu corporis locum; interim in re propria incurij & segnes, inter ipsas, quibus ita obruimur calamitates propè vt suffocemur, & demergamur, velut ad pulsum citharæ gaudemus; vt quàm splendidè miseri esse velimus appareat. Hoc si sapere, nescio certè quid desipere est. Pulchrè in hanc rem Augustinus: *Monstrum est, quòd plangis quādo anima discedit à corpore, & non plangis Deo discedente ab anima.*

Aug. de Pœnitētia.

Religiosi velut sacco induuntur & lugent.

47 Non sic omnes desipiunt fateor, sapiunt præ ceteris religiosi, dum ad imitationem veterum monachorum, qui olim dicti Lugentes, sua componunt. Veteres illi, ostensuri quantam haberent rerum humanarū despicientiam, saccum, is enim fuit primus illorum habitus, induebant, radebant caput, in alterum luctus & mœroris indicium; religiosi modò similiter incedentes raso vertice, veste pro instituti sui ratione, non commoditatis, multò minùs splendoris, aut nitoris; sed vnius necessitatis & decentiæ gratiâ, vtuntur paupere & vili.

Interior habitus esse debet saccus humilitatis.

48 Ridiculum videtur hoc multis: sed hominibus, quibus virtus vilescit, quibus illa quæ contemptibilia & abiecta humanis apparent obtutibus, licet coram Deo magna sint, desipiunt, qui cogitationes suas in sublime non erigunt. Illis si sacco, aut vili habitu corpus tegi indecorum videatur; placeat saltem saccus humilitatis optimum animi indumentum, hoc illi vestiantur; sic vestiti prodeant, & ad sacerdotis se pedes abiiciant, pallio simulatæ probitatis exuto, vt delictorum veniam consequantur, *Expoliantes vos,* inquit Apostolus, *veterem hominem cum actibus suis, & induentes nouum, qui secundùm Deum creatus est, in iustitia & sanctitate veritatis.*

Ad Coloss. c. 3. v. 9.

Inde facilè ad exteriorem venitur.

Corporis castigatio assumenda cum cōsilio & ex consilio ducis spiritualis.

49 Ab interiore habitu bono & sancto, facilè deinde erit ad exteriorem venire, & saccum assumere, lugere priorem statum peccati, subire voluntariam pœnā, & sic se coram Deo reum agnoscere. Verùm hoc fortasse minùs placebit, quod tamen magis necessarium: in vno, & in altero, perito duce & magistro est opus ne cespitet, ne aberret etiam dum bona cogitat, dum magnas pœnitentias & corporis castigationes meditatur, is qui has meditatur, & illa cogitat. Dixit Cli-

Climach. Gradu 4. de Obedientia.

Climachus: *Qui cæcum duce, pastore gregem, via ignarum ductore, infantem patre suo, ægrotum medico, gubernatore nauem destituit & fraudat, vtrisq; periculum parat. Qui verò sine patris auxilio, contra spiritus nequam pugnare nititur, ab illis occiditur.*

Quiuis aliquas pœnitentias facilè subire potest.

50 Porrò vbi de subeundis, ex boni & periti magistri spiritus directione, voluntariis suppliciis agitur, nemo se facilè excuset, & dicat: Ætas mea, aut tenerior, aut prouectior; valetudo mea, aut infirmior, aut fractior; vires debiliores, rigorem illum non patiuntur. Caro nostra verè vulpecula est, se morbidam, se infirmam simulat, vt incommodum aliquod, quod diffugere vellet, euadat: sed illi fides nequaquam habenda. Itaque illam aggredere, & contra illam sic te anima: Non potes tu, quod potuit tanta iuuenum & senum etiam decrepitorum multitudo in Niniue? quod infantes, qui necdum lallare didicerant, quod tenellæ virgunculæ in purpura enutritæ & croceis potuêre? Potes, omninò potes, si velis; quare vide ne dum impotentiam tuam honesto titulo & decoro velamine incusas, voluntatem tuam condemnes.

Illa quàm Deo placeat, ostenditur.

51 At, forsan istac tibi corporis afflictione opus non esse arbitrabere? Caue, sic sentiens, ne te decipias. Audi B. Fulgentium, aliud te ille docebit: *Sponsus, inquit, carnem tuam maceratam vult videre, non nitidam; animæ connubio vtitur, nec carnis, sed animæ pulchritudine delectatur. Quocircà castigatione corporis acquire pulchritudinem cordis, vilibus caro tegatur operimentis, & pretiosis anima vestibus induatur: ne quæras vt placeas oculis hominum, sed vt Christi non offendas aspectum. Ille in te quod diligit videat, quod dedit inueniat, quo delectatur agnoscat. Concupiuit enim rex speciem tuam, sed omnis gloria filia regis ab intus.* Tuum est igitur studere, vt veris teipsum virtutibus, quæ animi sunt ornamenta, expolias; & neglectis iis, quæ ad exteriorem ornatum corporis spectant, ad interiorem pulchritudinem parandam diligenter incumbas. Quare ne verearе foris sacco vestiri, vt intus auro fulgeas caritatis: tum certè ad modum pœnitentium Niniuitarum Deo acceptus, tibi viam parabis in cælum, ibi pro veste cilicina stolam accepturus immortalitatis & gloriæ.

Foris sacco vestiri, & intus ornari auro caritatis vtile est.

Ob irrisiones quorundam non omittenda pœnitentia.

52 Alius fortè vtilitatem quidem illius boni operis, atque subinde etiam necessitatem videt abundè; verùm quò minùs illud vsurpet, facit quòd derideri metuat, si hæc sibi in promptu, atque vsu aliquo esse, ab amicis, à consodalibus resciatur. Resciant, & rideant illi, quid inde? non hoc te moueat: erit aliquando tempus, quo & ipsi rideantur: interim nunc risus illorum spernendi sunt; neque idcircò quidquam, aut de bonis propositis, aut operibus, aut omittendum, aut remittendum. Nihil sarcasmus, nihil insolens risus cuiusquam nocere tibi poterit, prodesse autem plurimùm, si & hunc pro virtutis illius, quam per hæc intendis, consecutione æquanimiter patiaris.

Dolendum cilicia alicubi non ita esse in vsu.

Dolendum quidem, eius farinæ homines vspiam reperiri, licet illi ferè quisquiliæ sint & fæx orbis Christiani, Catholicorum certè nullus, aut vix vllus, qui hoc saltem agat seriò: verùm dolendum magis, etiam apud Catholicos esse eò deuentum, vel salutis securitate nimiâ aut neglectu, vel amore propriorum commodorum, vel metu humanorum iudiciorum, vt hæc virtutis arma in perpetuum relegata exilium non vno loco videantur.

Licet omnia venalia in nundinis, nusquam tamen cilicia, aut similia.

53 Videmus in nundinis expositum totum mundũ muliebrem, quidquid est crepundiorum, quidquid vanitatum, quidquid nugarũ; vestes lineas, laneas, byssinas, sericas, holosericas, argenteas, aureas, omnis generis, omnis farinæ, vasa figlina, vitrea, crystallina, cuprea, ærea, argentea, aurea; nihil vt ad necessitatem, ornatum, splendorem, copiam, cuipiam desideranti aliquid, deesse posse videatur; sola desiderantur arma, quibus iuuetur quispiam in neglectum proprium & contemptum. Nam quis vmquam vidit,

etiam

etiam loco aliquo celeberrimo, puta in præcipuis totius Europæ nundinis, venum exponi funes cilicinos, pectoralia, armillas, zonas, flagella, & quidquid est eius generis instrumẽtorum, scilicet nullus emptor has in forum merces euocat, quisque has emere reformidat. En quàm sumus à maioribus nostris degeneres, quibus de his longè maior erat sollicitudo, quàm de zona aurea, & quacumque pretiosa fascia pectorali.

54 Fuerunt aliquando tempora, vtinam hęc semel redeant, quibus omne instrumentorum genus exercendo, diuexando, affligendo corpori quærebatur, vsurpabatur; hæc erant munuscula, quæ sancti mittere intimioribus suis & familiarioribus amicis, quibus erant in Domino maximè coniuncti, pro deliciis & cupediis solebant. Sic D. Hieronymum legimus, cùm à Lucinio Betico locuplete viro & pio munuscula accepisset, eidem & vxori, cum qua, vt cum sorore castè viuebat, vicissim quatuor ciliciola dono misisse. *Ego*, inquit ille in litteris ad Lucinium, *insignia paupertatis, & quotidianæ symbola pænitentiæ, tibi & sorori tuæ misi, quatuor ciliciola, apta proposito & vsibus vestris:* Similiter Paulinus Nolanus Episcopus sanctitate & scriptis celeberrimus, cùm à Sulpitio pallium accepisset cilicinum, prolixâ epistolâ ei gratias agit. Qui nunc hæc mitteret, scilicet magnum donum misisse crederetur, & insignem, à nobis præsertim molliculis & delicatis, iniret gratiam. Mutantur, vti videtis, sæcula, & sæculorum mores; sed, quod dolendum, non semper in melius.

D. Hieronymus Lucinio & vxori cilicia dono mittit. Hieron. ep. 28. ad Lucinium.

Sulpitius S. Paulino. Paulinus ep. 10. a Sulpitiũ. d

55 Vos quæso, SODALES, reuocate aliquando in vsum virorum sanctorum mores pristinos; atq; exemplo vestro, vti fecistis aliquando, agentes solennes Christi passi ferias, ad saccum, pœnitentiam, luctum, ciuitatem hanc, imò totam prouinciam Geldricam, in eo genere plus satis senescentem, stimulate. Erit aliquando, cùm magnam ab iis, quibus ita auctores fueritis, resumendæ auitæ pietatis, vitæ melioris, sanctiorisque, atque adeò à Deo ipso bonorum omnium fonte, gratiam inituri, hoc vos præstitisse gaudebitis.

Sodales reuocare velint in vsum pœnitentias antiquas monentur.

LECTIO DECIMA.

ET PERVENIT VERBVM AD REGEM NINIVE: ET SVRREXIT DE SOLIO SVO. *Vers. 6.*

ARGVMENTVM.

Quartus fructus concionis IONÆ, Regis nimirum illustris conuersio declaratur. Quis fuerit Rex ille inquiritur. Celeris & expedita cognitio, quàm habuit de gestis in ciuitate, laudatur. Adulatores damnantur. Eiusdem Regis surgentis de solio suo præclara demissio commendatur. De regum soliis copiosè disseritur.



1 RECENSVIMVS fructum varium ac multiplicem, qui ex feruore atque eloquentia Oratoris nostri, paucis verbis, perbreui concione expressa, in populũ Niniuę dimanauit. Modò inquirendum, num quis etiam, qualis, ac quantus in Regem, Principes, nobilitatemque præcipuam sit deriuatus: num, inquam, aulam ac regiam, æquè ac priuatorum ædes, & pauperum casas, eius clamor, & quo emolumento peruaserit.

2 Non est dubium Regem nequaquam latuisse quid actum, quid dictum,

Rex Niniuæ de concione Ionæ fit certior.

ctum, quænam fuerint à IONA ciuitati intentatæ minæ. PERVENIT enim, vt ipsemet Propheta loquitur, VERBVM AD REGEM NINIVE. Non quòd hoc ipse dicentem IONAM audierit; sed illud ab eo dictum, fortassis aliquantò ceteris serius suorum ore alicunde cognouerit. Tantò hîc igitur suo Rege feliciores fuêre subditi, quò prius illo, & quidem ex ipsius ore Prophetæ, non aliunde, cognitâ veritate, animum suum composituri ac mores, veteribus studiis vanitatum sepositis, in noua luctus & melioris vitæ studia exarserunt.

Reges & principes ferè vltimi sciunt, quæ ad bonum publicum spectant.

Causa illius.

3 Etiam nunc infelicitas eiuscemodi propè indiuidua regum & principum socia est. Hi ferè intelligunt vltimi quæ salutis communis, quæque boni sunt publici; dubium an alienâ magis culpâ, quàm propriâ, certè non rarò & propriâ, & alienâ. Propriâ, quando neque de se, neque de suis admodum anxij, magis agunt ea quibus oblectentur, quàm quæ magnoperè profutura videantur, præcipuè animis, quorum si quæ est cura, illa omninò exigua. Quare neque se, vti promiscua multitudo, distineri audiendis sacris eloquiis Deique verbo magnoperè patiuntur. Alienâ, quando ij, quorum est talibus adesse consilio, iisdem suadere saniora, suggerere quæ profutura, diuertere ab iis quæ obfutura videantur publicæ rei; ne quid offendant, ne quid adferant triste, ne quid ingratum, ne quid plenum sollicitimetus, idipsum facere pertimescunt: atque ita dum tales, à quorum nutibus salus patriæ & bonorum ciuium pendet, continuâ rerum scitu necessariarum ignoratione laborant; miseri incautè in grauissimas calamitates, vtinam non subinde in ærumnas perpetuas, & præcipitantur ipsi, & suos ignari præcipitant.

Mala quæ inde oriuntur.

Iidem conciones vix adeunt, non monentur libenter.

4 Norunt quidem, sibi etiam, quantumuis potentibus, à potentiori timendum; pauendam semper Domini vocem; ad Dei minas per debitam submissionem descendendum de solio; agnoscendam illius potentiam; &, si quidem peccauerint, assumendū pœnitentiæ saccum, sedendum in cinere, de morte deq; reddenda administrati regni, aut principatus ratione cogitādum: verùm quotus quisque, vt voces has audiat, sollicitus, alacer, promptus accedit; aut, si alicui nequaquam accedenti vltrò eiusmodi à quopiam ingerantur, is eas admittit facilis & benignus.

Ionæ concio intellecta per alios à Rege, valdè illum commouit.

5 Admisit Rex Niniue, vnus ex mille, imò ex decem fortasse millibus, & magno suo suorumque bono admisit. Grauissima IONÆ oratio, sicut multorum aures coram perculit; ita ad absentem Regem alienâ voce delata (quemadmodum deferri in aulam, & regiam noua pleraque licet rarius quæ ad terrorem, frequētiùs ferè & promptiùs, quæ ad plausum & hilaritatem sunt composita, per aulicos solent) eum mirificè cōsternauit; permouitque vt de morum vitæque commutatione in melius, & seriò cogitaret ipse, & subditos, quà exemplo, quà lege latâ, ad idem induceret. In signum quod, vt ait Palatius, per sacri Euangelij promulgationem, non vulgus modò; sed principes quoque ac reges, adeoque imperatores orbis terrarum, relicto gentilitatis errore, atque excusso tyrannidis diabolicæ iugo, ad agnitionem veritatis, ad consuetudinem vsumque bonorum cælestium, ad libertatem filiorum Dei, magnâ alacritate & studio, aliquando concurrerent.

Conuersio Regis Niniue, symbolum fuit conuertendorum aliquando regū ad Christianam religionem.

Paul. Pala. Cōment. in hunc locum.

Proponitur quæstio, quis fuerit Rex Niniue concionante ibi Ionâ.

6 Priusquam de Regis huius tam admirabili conuersione agamus, ne debitâ laude careat, qui hanc est suâ virtute commeritus, disquirendum nobis, quis perorante IONA Rex Niniue, siue, quod idem, quis illo tempore fuerit Assyriorum Monarcha: hic enim est speculum illud pœnitentiæ, quod nobis à Propheta proponitur.

Regem Niniue quidā dicunt esse diabolum.

7 Apud D. Hieronymum sunt, qui Regem hunc interpretantur diabolum, in fine mundi de sua superbia velut de solio descensurum, acturumque pœnitentiam; vt restituatur in regnum & gradum pristinū; ad instar

Nabu-

Nabuchodonosoris, qui post septennij exilium, actamque in laboribus beluinâ formâ annis totidem pœnitentiam, sibi regnoque est redditus. Verùm præterquam quòd hic grauis sit error in fide; neque enim reprobis angelis, aut damnatis hominibus, vllus superest pœnitentiæ locus, licet id aliquando perperàm putarit docueritque Origenes: *Cùm sciamus*, vt D. Hieronymus loquitur, *peccatores in Euangelio mitti in ignem æternum* (æternum omnino) *qui præparatus est diabolo, & angelis eius; & de his dici: vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur:* nullo etiam modo consentit cum hac historia, in qua de Rege Niniuitarum agitur, qui ipso facto, vitam moresque suos mutans in melius, quà edicto, quà exemplo, conuersionis totius multitudinis vniuersæque ciuitatis, fortè etiam imperij, causa fuit. Quod habere tum in Lucifero locum nec potuit, nec aliquando poterit.

Reiicitur sententia, vt erronea & inepta.

8 Remigius Antisiodorensis, & Haymo Halberstadensis Episcopus, per Regem hunc Niniue Gentium philosophos, Platonem, Aristotelem, Pythagoram, & similes suâ sapientiâ velut hominum reges, vtpote qui ab eorũ institutione præceptisque tamquam à diuinis oraculis penderent, intelligunt. Difficiliùs enim, & ferè post ceteros crediderunt, quòd nimis stultum illis videretur, pati pro hominibus, & pro iisdem mori hominem Deum. Crediderunt tamen aliquando tandem, & depositis ornamentis verborum, & sæcularium dogmatum pompis, simplicem piscatorum doctrinam secuti, surrexerunt de solio suo; atque omnem humanam sapientiam diuinæ subseruire facientes, induti saccis, damna præteritę vitæ luxerunt. Sed quàm nec hoc seruiat præsenti historiæ in aperto est.

Alij per hũc Niniue Regem intelligunt Gentium philosophos.

9 Rupertus Abbas, quæ hîc de Rege Niniue dicta sunt, non inuenustè applicat Constantino Magno Romanorum Imperatori, quem ait, à S. Siluestro Pontifice Maximo sacri ablutum vndâ baptismatis, surrexisse de solio suo; quando ei, eiusq; successoribus Romanis Pontificibus, in alma Vrbe sedem suam cessit, Italiæ, & omnium regionum Occidentalium prouincias largitus est; detractum sibi diadema eidem imposuit, equum illius fræno duxit; & illum principem Occidentis constituẽs, ipse in Orientem, ne quo ampliùs Romanæ sedis ac solij teneretur desiderio, commigrauit; vbi etiam vrbem nouam, à se Constantinopolim dictam, condidit, raro sanè exemplo, cum plurium admiratione quàm imitatione, quo facto etiam lugentem, pœnitentem, & abiicientem vestimentum suum Regem Niniue superauit.

Per Niniue regem Rupertus Cõstantinum Imp. intelligit.

10 Verùm nihil hoc quoque ad genuinum sensum huius, quod tractamus, argumenti, neque pro eo à Ruperto proponitur: nimis enim est euidens non vixisse tum, sed neque adhuc post annos mille Constantinũ; quando ipsum Romanum imperiũ, demum à Caio Iulio Cęsare, paullò ante Christi nascentis tempora inchoatum, septingentis & quinquaginta annis hac vaticinatione posterius est. Et quamquam multò antè ipsum ortum fuisset, nihilominùs patet euidenter, hîc non de illius imperatore, aut rege, sed de rege aliquo alio, monarcha inquam Assyriorum, ad quem IONAS missus fuerat, cuius erat in ciuitate Niniue sedes imperij; factam mentionem. Quare Rupertus dum Magni Constantini hîc meminit, illi dumtaxat accommodat, quod à Rege Niniue factum narratur; non verò illi tribuẽdam censet huius historiæ veritatem; cùm nec res, nec tempora, in illum quadrent atque conueniant.

Ostenditur id ad litteram dici non posse.

11 Quæramus igitur, cuinam ex regibus Assyriorum, pręedicante IONA Niniuitis, summum fuerit in illos imperium, & res de qua disputamus erit manifesta. Regnasse tum Phul-Belocum, vel quem alium eius nomine cum vicaria potestate legatum in ciuitate Niniue, ipso Beloco agente Babyloniæ, sunt qui existiment; inter hos est Ioannes Drusius; Leonardus Krentz-

Rex Niniue non fit tũ Phul Belocus.

Krentzheimius Ascrapacem, alij alium imperasse eo tempore opinantur; sed minùs solidè.

12 Ego illorum recensendis, examinandis, confutandisque sententiis moras non traham; cùm nullum mihi sit dubium, quin hic de Sardanapalo agatur, ad cuius laudem & gloriam spectant ea, quæ à IONA nostro cum tanta commendatione sub nomine Regis proponuntur. Etenim quo tempore floruit Ieroboamus secundus rex Israël, & regnabat iam altero anno Azarias siue Ozias rex Iuda, in quod etiam tempus solennis hæc IONÆ legatio incidit, ipse imperabat Assyriis. Habemus ergo pro proposita veritate imprimis argumentum, quo nullum certius, concordiam temporis. Accedit deinde vnanimis præcipuorum Patrum, Doctorum, Chronologorum sensus atque consensus: puta D. Hieronymi, Eusebij, Iacobi Saliani, Augustini Tornielli, Christophori à Castro, Emanuelis Sà, Cornelij à Lapide, qui hanc quæstionem accuratè tractat, Iacobi Tirini, & omnium propè neotericorum.

Fuit Sardanapalus.

Probatur ex ratione temporum & auctoritate DD.

Euseb. in Chronico.

13 Scrupulum aliquem nonnullis mouit, ne cum his consentiant, quòd vita illius tam profligata, tam perdita, nō satis videatur cum tam illustri pœnitentia consentire. Fuit enim Sardanapalus, vti in confesso est apud omnes, ferè præ ceteris, quorū veterum historię meminerunt, maximè effeminatus: imò, vt Iustinus loquitur, *vir muliere corruptior, quem præfectus ipsius Medis præpositus, nomine Arbactus, cùm admitti magnâ ambitione ægrè potuisset, inuenit inter scortorum greges purpuram colo nentem, & muliebri habitu, cùm mollitiâ corporis, & oculorum lasciuiâ, omnes feminas anteiret, pensa inter virgines partientem*; vt proinde illi ægrè inducere in animum suum possint, & persuadere sibi hominem Sybaritas mollitie, & Heliogabalum ac quemcumque alium luxu ac inolitâ nequitiâ superantem, ad hæc, sæpè simulantem se mulierem, quò liberiùs ac licentiùs sub ficta veste lasciuire posset, tantum impetrare à seipso tam exiguo tempore interposito potuisse, & ita subitò illas veteres suas delicias in tantam inediam, luxum & vestium tantam mollitiem in squalentem & horridum saccum, tam solenniter, toto inspectante populo commutare.

Obiectio: ex moribus Sardanapali parū consonis cum pœnitentia hic indicata.

Iustinus lib. 1. Historiæ.

14 Quibus vt faciat satis, respondet Salianus, Sardanapali pœnitentiam, cuius hîc IONAS meminit, ad regni ipsius initia, quando necdum adeò erat deprauatus ac perditus, pertinere. Verùm demus id ita non esse, & eum iam inde ab exordio regni sui improbissimis fuisse moribus vitęque corruptæ, numquid abbreuiata erat manus Domini, vt tum minùs quàm aliàs posset efficere ex pessimis optimos, ex peccatoribus iustos & sanctos? Imò sicuti Deo magno imprimis honori & gloriæ fuit; ita Sardanapalo quoque non exiguæ laudi, potuisse eum tam repentè, ex magistro omnis improbitatis atque nequitiæ in magistrum & præconem pœnitentiæ suis, posteris in exemplum commutari.

Obiectioni respondet Salianus.

Aliter respondetur.

15 Certè sicut illius luxu, mollitie, sordibus, nullæ memorantur maiores; ipsa illius conuersione nulla quoque celebratur, nulla decātatur orbe propè toto illustrior. Quis enim regum, vno Dauide dempto, qui tamen suis non tam seueras vmquam pœnitentiæ leges, aut vulgauit, aut condidit, fecit aliquando quod ille? Id me loqui & dicere forsitā liberaliùs quàm veriùs, ne quis vestrûm existimet, & ex mea vnius quæ hîc dico prolata esse sententia, audite S. Ephremum notæ sanctitatis virum, & inter antiquiores Patres celebrem: *Quis sic orauit?* inquit ille, *quis ita deprecatus est? aut quis sic coram Deo humiliatus est? aut quis ita repentè suas & manifestas & occultas actiones detexit? quis tenui nudaq; voce permotus cor suum ob scelera disrumpere studuit? quis audito verbo mox mente concussus ac vulneratus est? quis à miserabili voce morte correptus est? aut quis ante oculos suos amatorem hominum Deum per pœnitentiam contemplatus est?* Meritò igitur potuit, atque etiamnum potest, & poterit

Nulla illustrior conuersio, conuersione Regis Niniue.

S. Ephrem Ora de Pœnitētia Niniuitarum paulò ante medium.

poterit semper, Rex hic, tam seriò pœnitens, proponi omnibus delinquentibus, atque aberrantibus à via iustitiæ, virtutis & veritatis, in limpidissimum perfectissimumque speculum luctus, doloris, pœnitentiæ, vitæque melioris. Hic vt esset omni ex parte verè perfecteque beatus, vnum maximè desiderabatur, quod aliquando defuit; nimirum, vt qualis IONÆ comminatione euaserat, talis etiam perpetuò permaneret.

16 Posito nunc, quod certissimum autumo, Regem Niniue, cùm ea in ciuitate præconem veritatis à Deo missus IONAS ageret, non alium quàm Sardanapalum fuisse; paullatim progredior ad vlteriùs recensenda ea, quæ ibidem, siue Regem, siue nobilitatem præcipuam, siue etiam promiscuam multitudinem ac vulgus ignobile spectent, virtute verbi diuini magis illustria acciderunt.

Populus Niniue laudatur quòd nihil moliatur in Ionam tam seuera denuntiantem.

17 In quibus occurrit primò, suspicere & admirari in ciuitate tam magna, tam vasta, tàm conferta hominibus, ita compositam plebem, quæ IONÆ extraneo homini, liberrimè dicenti, & extrema comminanti nullo discrimine omnibus, nec minas intentat, nec verbera; sed neque ignotum monitorem aut scommatibus impetit, aut sarcasmis lacessit; non eum turbarum, non illius tragœdiæ, quæ præ manibus est, auctorem appellat; multò minùs, quod verendum erat, illi aquâ & igni interdictum cupit, non ad supplicium hominem deposcit; non tamquam læsæ Maiestatis reum ad iudicem & iudicium vocat, non in publicum pertrahit compedibus vinctum: verùm, præterquam quòd dicentem, quæ in rem erant præsentis temporis, benignè excipit, & dicta illius in aures non grauatè admittit, etiam mentibus suis illabi profundiùs admonitionem, quantumuis seueram ac plenam minarum, sinit; atque de hac edocendum quamprimùm Regem suum putat; vt quid sibi, quid subditis faciendum, maturè decernat.

Regem Niniue citò sciuisse denuntiatum ciuitati interitum, signum est boni ordinis politici.

18 Occurrit deinde indicium fuisse ordinis politici boni, regiminis quoque non mali, sed accurati satis & seduli, quòd tam citò impendens ciuitati tempestas tanta, comminatum ei tam graue malum, renuntiatum sit Regi: hoc enim ad eius conseruationem & tutelam valere solet plurimum. Certè omnino expedit, si quid aliud, omnia grauioris momenti negotia, ea præsertim quæ regni statum aut stabilire, aut labefactare magnoperè possunt, per senatores, magnates, & quosuis alios, quouis titulo maximè regibus ac principibus intimos, ad eosdem deferri, vt illi, tamquam patriæ patres, ne quid patiatur detrimenti Respublica, pro sui muneris ratione maturè prospiciant. Nec refert quòd eos hæc paululùm subinde afflictura videantur; redimitur enim tantillâ afflictione subinde clades, quæ imminebat, maxima.

Quæ circa Rempub. aguntur bona & mala sciant Principes.

Aulici malè occultare solent, sæpè cum graui Reipub. & principũ suorum damno.

19 Hoc quod dixi, tametsi proprium sit eorum, qui regibus, qui principibus adsunt quotidiè, illis ab obsequio, illis à consilio sunt, cum illis commorantur (monet enim hos dignitas quam obtinent, monet fauor & gratia quâ valent apud suos, vt dent maximè sana consilia iis, quibus sunt sacramento fidelitatis tã arctè obstricti) sæpè tamen, quod dolendum, illi nihil minùs agunt, meri palpones, adulatores, sycophãtæ; dum student magis iis, quibus seruiunt, verbis delicias facere, quàm nudam apertamque edicere veritatem, tametsi maximoperè profuturam. Itaque quæ magis arcana, tametsi subinde ad regnorum aut principatuum vergant interitum, eò quòd luctum illis aut maiorem aliquam allatura sint curam dissimulant; aut si id de toto non possint, rem maximam minimam faciunt, quasi nihil incommodi, nihil periculi habituram. Dixit appositè in hanc rem Seneca Philosophus: *Monstrabo tibi cuius rei inopiâ laborent magna fastigia, quid omnia possidentibus desit. Scilicet ille qui verum dicat. Non vides quemadmodum illos in præceps agat exstincta libertas, dum nemo ex animi*

Seneca lib. 6. de Benef. c. 3.

sui sententia suadet dissuadetq́, & vnum amicorum omnium officium est, vna contentio, quis blandissimè fallat.

Aulici curant principibus recreationes patriâ laborante, vt id nesciãt.

20 Quare sinũtur, ampliùs dico, propè cõpelluntur, talium hominum vafrâ directione ac subdolâ, reges ipsi ac principes, quorum res maximè agitur, celebrare conuiuia, instruere epulas, ad venationes solennes taurorum, aprorum, ceruorum, animũ adiicere; ludos agere, choreas ducere, genio suo, effusi in omne voluptatum ac deliciarum genus, absque timore vllo, absque sollicitudine, absque cura largiter indulgere; vt hisce iocularibus intenti, minùs de seriis, de sibi, regno suo, ac subditis profuturis, obfuturisue cogitent; aut, si obiter cogitent, mentem eiusce modi præoccupatam nugis, feriis nequaquam intendant.

Qualia sint modò; quæ ad Reges & Principes ferè deferũtur.

21 Itaque prô pudor! quod hodie ferè defertur ad eorum aures, quibus tanta negotiorum moles ex officij ratione incumbit; quippe quibus datum diuinitus regnorum & prouinciarum imperium, est nouum & facetũ aliquod ludi genus in oblectamentum; sunt recens inuēta ferarum, pugilum, gladiatorum certamina; tragœdorum, mimorum, histrionum spectacula; sunt excogitati ad speciem & splendorem ac pompam stadiarij cursus, in quos ærarium, necessitatibus deseruiturum Reipublicæ exhauritur; sunt subinde, quod turpius est, nescio quæ nouæ libidinum faces, vt iuuencularum formæ venustiores propositæ, inculcati impuri amores, molliores citharæ pulsatæ. Certè vereor vehementer, ne sicut Pharaoni Ægypti regi Saræ peregrinæ feminæ formam pulchritudinemque eius olim aulici prodiderunt; ita alibi nonnumquam aliquarum iuuencularum venustatem, simul & pudicitiam, nunc etiã aulici, & aulę proci regibus suis ac principibus hoc modo prodant: vtinam non simul vtrosque perdant, & perimant.

Qui Regibus & Principibus oblectamenta procurant, sæpè præ aliis grati iis esse solent.

22 Interim hæc & his similia qui faciunt, grati sunt, audiuntur benignè, excipiuntur festiuè, plausum inueniunt, illis assurgitur, illis de opibus, de honoribus prouidetur. At si in regiam venerit, religonis, iustitiæ, pietatis, virtutis cultor, atque his instructus amator aliquis patriæ, qui regem, qui Rempublicam, qui ciues omnes saluos cuperet; hic quia ab improbis illis timetur, quasi technas, & fraudes illorũ, atque omnem conatum subdolum detecturus, protinus inde vt exulet, iurene an iniuriâ nil interest, magno molimine agitur. Sciunt enim homines illi versipelles non aliter rebus suis fore consultum, quàm si arceantur omnes, quibus alia mens est, quibus meliora ac saniora domi consilia. Sed neque ignorant, sat esse facile illi, qui boni communis zelo ardet, vtiturque libertate quadam dicendi quæ in rem sunt præsentem bona & sancta, nihil timens, nihil sperans, sed esse omnino desiderans, sicuti reuerà eiusmodi solent,

Hi procurãt vt alij exulent.

—— Multis in millibus vnus,
Virtutem pretium qui putet esse sui; Ouid. lib. 2 de Põto Eleg. 3.

detegere aliquando tectos pallio aulico mores improbos, & illorum non admodum salutaria consilia euertere; atque ita efficere, vt qui exulare ab aula cum virtute omnes virtutis studiosos voluerant, ipsi tandem aliquando iusto Dei hominumque iudicio exulent.

Fraudes & nequitia adulatorũ explicantur.

23 Accidit autem nonnumquam, ita disponente Deo in bonum multorũ, vt viâ aliquâ modoque mirabili, habeat accessum ad regem vel principem, aut ignaris & insciis, aut etiã nolentibus & inuitis, nec impedire valẽtibus ęmulis (tametsi ipsi velut argi centum propè oculis id ne fiat inuigilent) vir aliquis eiusce modi probus. Quid tunc ipsi? eò quòd sibi magnoperè timere incipiãt, vereanturq; ne mox cogantur aut cõsiliorum suorum atque administratæ nõ satis feliciter Reipublicæ reddere rationem; aut quod subinde fit, ne in affectati principatus suspicionem veniant, virum optimum atque innocentissimum, nihil simile cogitantem, vtpote aulicarum fraudium ignarum, per suæ improbitatis administros & socios, pro defēsa cõmuni salute bonoq;

pu-

publico conseruato, pro causa regis aut principis sui fortiter iuxtà ac fideliter acta, ipsi è contra in suspicionē vocant, aut tentatæ proditionis, aut similis mali grauissimi, vt cùm iustā & sanctam libertatē illius coërcere non possint æquitate, eiusdem virtutē iniquissimâ morte, si possint, cohibeant. Moliuntur itaq; seu regem, seu principem, seu, quisquis is fuerit, caput Reipublicæ, in nouum errorem prioribus longè deteriorem inducere; virum hunc fortissimum solâ virtute constātię nixum, omnia virtuti bonoque patriæ posthabentem, velut eiusdē euersorem accusando, vrgendoque vt, quantumuis innocentem probè nouerint, ne quid sit deinceps quod metuant, cōdemnetur.

24 Taceo nunc clandestinos dolos, taceo fraudes, nō in vnius excogitatas perniciem, sed plurium, quibus hoc ab eiusmodi aulæ cultoribus agitur studiosè, vt si quid ab aliquo excogitatum prudenter, suggestum sapiēter, id non minori cautelâ, dexteritate, fallaciâ, subruatur; nec antè cesset ur quàm iam re ipsâ subrutum fuerit, & deuentum iterùm ad errores atque incommoda pristina. Vnde, quod est malorum omnium pessimum, sanioribus cōsiliis aditus omnis deinceps præcluditur; dum nemo non sibi volens consultum, meliùs putat silere, quàm benè agendo, & quod æquum est proponendo, calumniis maleuolorum, quas facilè sibi subeundas hac ratione videt, aditum aperire; & sic, ob propugnatam regis & regni fortunam, in continuo metu versari, atque nullo non tempore subiacere hominum improborum, siue venenatę linguæ iaculis in calumniam, siue ferri ictibus in mortem.

Pro dicta veritate malè habiti sunt olim Prophetæ.

25 Non sunt hæc noua. Quàm olim facta, quàm mox etiam futura meritò timeantur, nemo ignorat. Iam enim, æquè ac quondam, locum habet illud Comici: *Obsequiū amicos, veritas odium parit.* Quid olim à Dario Daniel, quid à Nabuchodonozore tā Daniel quàm socij, quid ab Herode Ioannes Baptista, quid ab Eudoxia imperatrice Ioannes Chrysostomus, liberè dicentes pro muneris sui ratione veritatem, sunt cōsecuti? Exilium, vincula, carceres, minas necis necemq; ipsam quam Ioannes Baptista constanter etiam subiit; præter hæc nihil. Pergo non ignota referre. Pro mercede veritatis dictę Ioas regi, Zacharias Ioiadæ filius lapidibus obrutus est; Amos, ob monitum Ieroboamum, à Pontifice reprehensus est pulsusque regiā; Michæas ob edoctum à se Achabum de falsitate suorum prophetarum in maxilla à Sedechia percussus est; Elias Thesbites in exilium actus; Ieremias in cisternā coniectus, & morte dānatus est. Et, vt etiam suus sit prophanæ historię locus, Præxaspes, cùm dixisset Cambysi regi Persarum, malè eum apud subditos propter temulētiam audire, pro mercede filium suum petitum telo, & quidem ipsius Cambysis manu, aut mortuum, aut morientem, pro viuo & sano recepit, additâ monitione non satis accommodâ: *Vide deinceps, quid temulentus Rex possit.* Quid nostrâ tempestate in hoc genere factum sit aliquando, nil opus est recensere.

Terentius.

Adulatores aulâ pellendi.

26 Horum & similium facinorum auctores sunt potissimùm ij, qui, adulantes regibus, illis persuadent, quidquid libet licere, & impunè licere; illorum voluntati neminem neque debere, neque posse obsistere. Quoniam verò tales, omninò pestes sunt Reipublicę, qui & reges, & regna euertunt, prorsus eliminandi erunt ex aulis, & in perpetuū mittendi exilium, si, qui pręsunt, saluos se, & subditos suos esse cupiant, conseruatumque regnum & principatum. In hoc pręcessit & exemplum dedit Alexāder Macedo, qui fertur philosophū quemdam, quo anteà familiariter vtebatur, à suo consortio repulisse, quòd numquam se regem obiurgasset, rectè ratiocinans in hunc modum: *Si mala quæ facio non intelligit, est insipiens; si intelligit, & non arguit, est maleuolus adulator; vtrouis nomine planè dignus qui à regis familiaritate arceatur.* Sequantur hoc alij principes atque omnes adulatores tamquam maximè sibi noxios missos faciant, & rem magnam præstiterint.

Fecit Alexander Macedo.

Aristæas in Hist. de 70. Interpretibus Tom. 1. Bibliothecæ SS. PP.

Adhibeant verò illorum loco in consilium viros prudentes & sinceros, sciantq; secundùm dictum Ptolemæi Philadelphi regis Ægypti, in hoc magnum regni esse tutamē, & robur, circa se quam plurimos eiusmodi viros habere, qui quocumque casu in amicorum commodum consulant. Quod omninò faciendum apud Aristæam Eleazarus Pontifex audiuisse se ex ipso asserit Ptolemæo.

Fecit hoc nostro tempore Ferdinandus II. Romanorum Imperator semper Augustus, cuius manu propriâ conscriptum vidisse se ait, is qui illi à sacris Confessionibus ad extremum vsque fuit, Guilielmus Gezmæus de Lamormaini: *Odisse se in consilio canes mutos: non probare qui auctoritate cuiuspiam abripi se sinunt in sententiā, quam ceteroqui non probant: amare qui candidè, sincerè, liberè, modestè tamen enuntiant quod sentiunt.*

Lamormaini in lib. de virtu. Ferdinandi II. c. 20.

27 Fecit ante eum Frāciscus Borgia Gandiæ Dux IV. qui nunc ad aras colitur, cui adulatoribus pulsis, sēper placuerunt viri graues & innocentes, nūquā nō liberè verum dicere ausi. Quare inter monita filio in abitu suo ad religionē data, fuit etiam hoc: *Consiliarios prudentes & fidos adhibe, qui verum liberè dicant, non assentiendo blandiantur.* Sciebat nempe viris principibus, nisi errare turpiter velint, audiendam suo tempore veritatem, velut prudentium consiliorum directricem.

Scottus vitæ lib. 1. c. 17.

Turba adulatorum, quæ indies augetur magis quàm minuitur, & necessitas tanti mali auertendi, fecit me, quàm optabam, prolixiorem: ignoscite, quæso, si quid in hoc genere erraui. Cōsilij mei fuit, indicare dumtaxat originem mali, & quærere illi, si quę apta inueniri posset, medicinam, adhibere illam non est meum; sufficit mihi, si ij quos hoc spectat, quid sibi sit faciendum ex hac doctrina intelligant.

28 Occurrit hoc loco aliud quoque, & erit tertium dignum obseruatione, dignumque memoriâ: quod cùm tardi sint reges & principes ad monita, quæ illis suggeruntur audienda, multò tamen sint ad hæc eadē credenda, iisque obsequendum, tardiores. Certè IONÆ prædicatio sermoque propheticus totam iam compleuerat ciuitatem, cùm demum ad Regis Niniue aures peruenit. *Ex quo*, inquit D. Hieronymus, *perspicuum est, prædicationem Christi reges mundi audire nouissimos.* En quàm ad excipienda tardi sint monita. Quantò verò sint ad iis credendum tardiores, docet idem Hieronymus; doctos ac sapientes sæculi eiusdem etiā culpæ insimulans, dicendo: *Difficile homines potentes, & nobiles, & diuites, & multò his difficiliùs eloquentes, credunt Deo: obcæcatur enim mens eorum diuitiis, & opibus, atque luxuriâ, & circumdati vitiis non possunt videre virtutes; simplicitatemque Scripturæ sanctæ nō ex maiestate sensuum, sed ex verborum iudicant vilitate.*

Reges & principes solent esse tardi ad bona monita audiēda, tardiores ad exequenda.

Hieron. in c. 3. Ionæ.

Ibidem paullò pòst.

29 Quò magis mirum, magisq; laudabile, Regē Niniue, regum omnium, qui tum toto erant orbe terrarum, maximum & potentissimùm, Dei verbum nō audisse tantùm, ceteris seriùs licet, sed auditum etiā continuò credidisse, adeoque hac fide instructum, ex medio diuitiarum & gloriæ, aliò animum conuertere protinus, ac repudiatis turpium voluptatū sordibus, in Deum viuum & verum omnes suas curas cogitationesque transferre, illius honori, propriæque tam sedulò saluti seruire potuisse. Addit Palatius: Regem hunc maiorem pœnitentiā ostendisse, tum quia maiorum criminum aculeis pungebatur, tum quia plebi suæ illustriora exempla tenebatur ostendere.

Laudatur Rex Niniue & à fide, & ab operibus.

30 Fateor fortasse non defuturos etiam modò, si ad similia præirent reges & principes, sicut tū Rex Niniue, qui eos imitarentur ciues & subditos. Dico ampliùs, & polliceri audeo complures futuros, qui Niniuitis quātumuis exenteratis ieiunio, sacco horridis, sordidatis cinere, non cederent, æquè bonorum operum quàm nunc pessimorum æmuli. Sicut enim

Si Reges imitarentur modò Regē Niniue, subditi etiam imitarentur Niniuitas.

—— *Velociùs & citiùs nos*
Corrumpunt vitiorum exempla domestica, magnis
Cùm subeunt animos auctoribus: ——

Iuuenalis Satyra 14.

Sic

Sic& exempla virtutum à magnis profecta, non segniter trahunt in bonum. Verùm quid hæc iuuat sperare, aut etiam polliceri, quando pauci reges aut principes Regis Niniue exemplum sequuntur: vnde nil mirum, si nec subditi subditorum illius pœnitentiam imitentur. De subditis aliàs, nunc Regis facta intueamur adhuc aliquantò propiùs.

Quæ concurrunt ad commendationem facti Regij exponũtur.

31 An igitur ille res tam egit eximias, tamque est amplam ex iis commendationem promeritus? Egit, meritusque est commendationem amplissimam. Etenim nullâ splendoris, potentiæ, dignitatisque suæ recordatione, quæ reuerà esse solet in agnoscendis delictis & infirmitatibus propriis, est effectum quò minùs ad diuinam misericordiã, & ipse confugerit supplex & suo alios cùm verbo tum exemplo ad idem faciendum prouocarit atque impulerit.

Admisit Dei verbũ Rex Niniue, quod nõ omnes Reges & aulici eorum facere solent.

32 Neque, vt cetera taceam, parum; sed omnino multum, & magnum censeri debet, quòd tametsi ad ipsum tardè peruenit Dei verbum, aditum tamen inuenit, quem non semper inuenire apud reges solet; cùm ipsi ferè, sicut & plerique eorum aulici (quod vitium multis quoque humilioris conditionis & ordinis commune est) non tantùm aures, sed ianuas quoque eidem occludant, & omnes obstruant aditus, ne quo modo penetrare ad se possit, quasi hilarioris lucis ac voluptatum sæculi gaudia sublaturum. Sed nesciunt, sic agentes se etiam Deum excludere; &, cum Deo suæ salutis auctore, se etiam salutem suam, & omne bonum exterminare longeque propellere.

Nec facere solẽt omnes docti.

33 His non multũ absimiles sunt quidam doctiores, qui quòd multa hinc inde legerint, quasi iã facti sint omniscij, nihil opus sibi Dei verbo aut concionibus putant, easq; aut negligunt, aut contemnunt; certè non audiunt: at prorsus insipiẽter & stolidè. Sapientissimus erat rex Dauid, præceptorem in plurimis habebat Spiritũ sanctum, probè sciebat vetita esse adulteria & homicidia, & tamen priùs pœnitentiã non egit, quàm de ea Nathan Prophetam disserentem audiit. Herodes licet multis clarus sceleribus, tamen non fuit tam fatuus quin concionatorem suum aulicum S. Ioannem & libenter audiret, & audito illo multa faceret. Quid ergo persuadent sibi hi homines nil opus esse concione?

Dictum fuit aliquando à Samuele Sauli: *Pro eo quòd abiecisti sermonem Domini, abiecit te Dominus ne sis Rex.* Terribilis sententia: ne similem aliquando audiant, cum regibus & principibus malis, etiam ipsi accipiant sermonem & Verbum Domini, à quocumque demum pronũtiatum, à quocumque propositum, tametsi nec Samuel sit, nec IONAS, nec Propheta quispiã, multo cum honore, timore, ac reuerentia. *1. Reg. c. 15. v. 23.*

Fructus diuini Verbi in Rege Niniue.

34 Sic fecit Rex Niniue, id suis operibus abundè testatus: auditi enim, & crediti ab eo Verbi diuini effectus fuerunt. Primò, quòd *surrexit de solio suo.* Secundò, quòd *abiecit vestimentum suum à se.* Tertiò, quòd *indutus est sacco.* Quartò, quòd *sedit in cinere.* Quintò, quòd communicato cum primoribus ciuitatis & regni consilio, edictum solenne confici, & præconis voce vulgari iussit in hæc verba: *Homines, & iumenta, & boues, & pecora, non gustent quidquam: nec pascantur, & aquam non bibant. Et operiantur saccis homines, & iumenta, & clament ad Deum in fortitudine, & conuertatur vir à via sua mala, & ab iniquitate quæ est in manibus eorum.* Quod proprium edictum ipse & primus, & ceteris exactiùs seruauit.

Tilmãnus in hunc locum.

35 Notans in hoc Rege ordinem pœnitentiæ, & progressum insignem Godefridus Tilmannus Carthusiæ Parisiensis alumnus: *Primò*, inquit, *surrexit Rex per compunctionem, deinde abiecit vestimentum per confessionem, posteà indutus est sacco, & sedit in cinere per humilem satisfactionem.* En quo modo per omnia veri pœnitentis partes impleriti vt mirum non sit, sic prçeuntem Regem subditos non cunctanter secu-

Exemplum regis mouit subditos magis quã lex à Rege lata.

tos fuisse. Mouere illos potuerit ad vitam rectiùs instituendã lugendaque errata præterita, lata lex: at dubio procul longè permouerit ampliùs instigaritque vehementiùs ipsius Regis forma, habitus, moresque mutati. Nam hîc vel maximè locum habet, quod antè narrauimus dici solere: *Longa via per præcepta, breuis & efficax per exempla.*

Principes multum obesse & prodesse subditis exemplo suo possunt.

Scilicet in vulgus manant exempla potentum:

Regis ad exemplum totus componitur orbis.

Claudian. V. Con. Honorij.

Cicero lib. 3. de Legib. Dixit aliquando de magnatum & principum moribus loquens Marcus Tullius: *Non tantum mali est peccare principes, quamquam est magnum per se ipsum malum, quantum illud, quòd permulti etiam imitatores Principum existunt. Non solùm enim vitia concipiunt ipsi; sed ea infundunt in ciuitatem; neque solùm obsunt, quòd illi ipsi corrumpuntur; sed etiam quòd corrumpunt, plusq. exemplo quàm peccato nocent.*

Quoniam verò contrariorum contraria est ratio; & sicuti malorum exemplum in malum, ita bonorum in bonum ducit, & trahit; dico, vice versâ, illis ipsis propè Marci Tullij verbis: Nõ tantum boni est rectè agere principes, quamquam est magnum per se ipsum bonum, quantum illud, quòd permulti etiam imitatores principum existunt. Non solùm enim virtutem concipiunt ipsi, sed etiam infundunt in ciuitatem; neque solùm prosunt, quòd illi ipsi perficiuntur, sed etiam quòd alios perficiunt, plusque exemplo quàm virtute ipsâ prosunt. Etenim verissimum est illud Siracidæ: *Qualis rector est ciuitatis, tales & inhabitantes in ea.* Illique non absimile dictum Platonis: *Quales in Republica principes, tales ferè reliqui solent esse ciues.*

Ecclesiast. c. 10. v. 2.

Fructus apud Niniuitas ex Regis exemplo secutus.

36 Porrò quid in Niniuitis operatum sit hoc sui Regis exemplum, ex B. Ephremo accipite: *Egressus*, inquit, *est Rex, & seipsum populo exhibuit:* quid deinde est consecutum? Subiicit: *Consternataq. est ciuitas cernens eum sacco amictum.* Videlicet puderet ciuem quemcumque, puderet subditum, rege suo lugente, comptũ ornatumque prodire in publicum: cùm eiusmodi ornatus eo casu illi nequaquam ornamento, sed magis sit futurus opprobrio. Pergit idem Sanctus, motus animi concitatos in Rege ad conspectum populi, in populo quoque ad Regis intuitum recensere. *Vidit*, inquit, *etiam Rex totam lugentem ciuitatem, & ab inspectione eorum lacrymis oppletus est. Lacrymata est ciuitas super suum Regem, cernens super caput eius terram & cinerem. Plorauit Rex super totam ciuitatem, aspiciens eam in luctu sacco amictam. Omnes pariter flebant atque lugebant; ita vt etiam lapides eius, ad lugendum cum ipsis prouocarent.* En quàm ad Regis exemplum tota in luctu est Niniue; quæ, etiam ex decoro tantùm, tametsi nequaquam ex mœrore & pœnitentia, nihil minùs facere poterat, quàm cum lugente lugere, flere cum flente, cum pœnitente agere pœnitentiam.

S. Ephrem ser. de Iona & Pœnit. Niniuit.

Ibidem.

Actus externi Regis Niniuet. quia ab humilitate prouenerũt, maximè sunt commendabiles.

37 Verùm tantine est lugere hunc Regem? eum de solio surgere, vestem abiicere, sacco indui, sedere in cinere? Nolite existimare, hæc ab impotenti animo fuisse profecta. Ne arbitremini argumenta fuisse alicuius iracundiæ, furoris, aut impetus vehementis, non satis personâ regiâ digni. Ne putetis tantum Monarcham insanorum more, abiectâ veste in saccum prorepsisse, in eo latuisse; ad focum accedentem, adinstar hominum abiectorum & vilium, in mediis cineribus sibi sedem delegisse. Hæc profectò tanti non essent, neque commendationem vllam, aut plausum, sed magis sibilum mererentur. Tota hæc exterior forma compositioque corporis, ille eius luctus & pœnitentia, illius quæ latebat compositionem mentis, luctum, & demissionem nobis proponunt; eò pluris faciendam, quò fuit ipse ceteris gloriâ, dignitate, potentiâ maior. Hac effectum, vt iustâ Dei in se suosque sententiâ cognitâ, nullâ ampliùs habitâ, aut potentiæ, aut dignitatis, aut prioris gloriæ ratione; sed neque commodorum corporis, se totum

tum libens volensque in terram prostrauerit, pectus contuderit, genua flexerit, corpus horrido sacco vestierit, caput cinere sordidarit; nihilque, quà priuatim, quà publicè prætermiserit, quò se Deo subditum, mortalem, ærumnis, atque etiam sceleribus plenum, omni indignum gratiâ, dignissimum pœnâ fateretur; conuerterit quoque mala in bonum, splendorem in luctũ, delicias in lacrymas, gloriam in contemptum, ad posteritatis documentum; vt similiter faciant, qui se aliquando Deum grauiter offendisse sciunt & erubescunt.

38 Ad singulos virtutum & bonorum operum Regis huius actus penitiùs discutiendos nunc conuertamur; neque enim tam heroica tãti viri opera, tam leuiter sunt transcurrenda. Mox videbitis quàm penitiorem inspectionem exigant singula: nam præterquam quòd ipsa nos erudiunt & instituunt, etiam admirationem parient maximam, iis præsertim, qui & quanta sit imbecillitas humana, & virtutis iter quàm arduum, probè intelligunt.

Humilitas Regis Niniue, relinquentis solium suũ. describitur. Theodor. in hunc locum.

39 Primò. Svrrexit rex de solio svo. Exponit Theodoretus: *solium suum* (illud nimirum, in quo ad maiestatem dignitatemque muneris & potestatis suæ regio more considere consueuerat) *auro & lapidibus ornatum, reliquit*. Ex quo apparet eum non modò surrexisse, & stetisse qui sederat; sed suæ potestatis loco relicto aliò demigrasse; quasi eam ad se dignitatem non ampliùs spectare agnosceret. In quo magnum virtutis actum, demissionis potissimũ, obseruat Philippus Abbas. Sic enim eius exemplum proponit: *Videtis Regem paullò antè nequiter infrunitum, inspirante gratiâ iam salubriter eruditum, & non solùm situ corporis à throno regio resilire, sed & mente inclinatâ præsumptuosum quidpiam non sentire.*

Phil. Abb. De silen. Cleric. c. 81.

Reges Assyriorum vtebantur olim soliis.

40 Ad antiquitatis & veterum historiarum notitiam spectat, quod hinc discimus, olim reges Assyrios soliis vsos. Sic vocabantur sedes seu throni imperatorum & regum, & quidem secundùm Isidorum à soliditate quasi solida; secundùm alios, quasi sedia à sedendo; sicut subsellia quasi subsedia dicimus.

Soliorum etymon.

41 Non solùm Assyrios; sed & reges Israël vsos soliis, sacræ Litteræ testantur: nihil enim Dauidis, & Salomonis eius filij throno, seu solio, iis magis celebratum. Hoc autem erat Iudæis in suorum inaugurationibus regum solenne, eos in solio, throno, seu tribunali regio collocare. Quare regnũ alicui conferendũ per sessionem in solio exprimebant subinde. Sic Dauid de Salomone filio suo post se regnaturo, Bersabeæ vxori suæ, multum quid illo futurum esset sollicitæ, dixit: *Ipse sedebit super solium meum pro me.* 3. Reg. c. 1. v. 30. Quàm hoc autem illis verbis indicatum voluerit prioribus satis declarat, dicens; *Salomon filius tuus regnabit post me.* Ceterùm quale fuerit Salomonis solium narratur in historia Regum his verbis: *Fecit Rex Salomon thronum de ebore grandem: & vestiuit eum auro fuluo nimis, qui habebat sex gradus: & summitas throni rotunda erat in parte posteriori; & duæ manus hinc atque inde tenentes sedile* (hæ alibi vocantur brachiola) *& duo leones stabant iuxta manus singulas. Et duodecim leunculi stantes super sex gradus hinc atque inde.* Habebat quoque thronus hic, siue solium, *scabellum aureum.* Commendare illius seu præstantiam, seu maiestatẽ, seu splendorem, seu diuitias superuacaneum foret, cùm nihil sacris verbis quibus dicitur: *Non est factum tale opus: Non fuit tale solium, in vniuersis regnis*: adiici posse ad commendationem videatur.

Iudæorum Reges cùm inaugurabantur, collocari solebant in solio seu throno.

3. Reg. c. 10. v. 18. *Thronus seu solium Salomonis describitur.* Lib. 2. Paral. c. 9. v. 18. Lib. 2. Paral. c. 9. v. 18. 3. Reg. c. 10. v. 20. 2. Paral. c. 9. v. 19.

42 Obseruandum verò, si non esset subinde Iudæis ad manum solium seu tribunal regium tam sumptuosum & splendidum, fuisse nescio quid opere tumultuario constructum, quod vestitum siue instratum tapetiis pro solio valeret. Sic in auguratione Iehu regis Israël legimus, quòd *vnusquisque tollens pallium suum, posuerunt sub pedibus eius, in similitudinem tribunalis, & cecinerunt tubâ, atque dixerunt: Regnauit Iehu.*

Fiebat apud Iudæos pro inaugurationе regis subinde solium tumultuarium. 4. Reg. c. 9. v. 13.

Reges Persarum etiam vtebantur soliis.

43 Præter Assyrios & Iudæos Persarum quoque Reges solio vtebantur. Hinc illud Horatij:

Horat. l. 2. Car. Ode 2.

Redditum Cyri solio Phraaten:

Philost. lib. 2. Imaginum. Val. Max. lib. 5. c. 16. Brissonius lib. 1. de Regno Persarum.

eoque aureo, vt ait Philostratus, quod tectum etiam fuisse cælo aureo testis est Plutarchus in Alexandro. Huic nulli insidere, propositâ capitis pœnâ licebat, prout Valerius Maximus memorat. Ex simili throno seu solio putat Brissonius Xerxem naualem pugnam ad Hellespontum spectasse. Herodotus libro septimo *Aureum tabernaculum* vocat.

Solium Cosroë artificiosissimum. Causinus in Paralelis Eloquētiæ lib. 3. c. 1.

Præstantissimum fuit solium illud Cosroë Persarum regis, quod ex Cedreno describit Nicolaus Causinus, & ait machinam fuisse crystallinam, in qua cæli immensitas, solis cursus, lunę labor & æternæ micantium syderum conuersiones cernebantur; cui coniunctæ erant machinæ, è quibus vis aquarum exsiliens, modò subibat in imbres, modò rigescebat in grādines, modò tumescebat in fluctus modò pręcipitabatur in torrentes. Addit aërem quoque circa eum apparuisse modò serenum, blandâ velut Etesiarum amœnitate virentē, modò obductum nubibus, furentem procellis, micantem fulguribus, minaci fulminum terrore confusum: ipsum verò Cosroëm regem quasi Deum aliquem in medio collocatum, ad nutum compositos cursus recursusq; stellarum contemplantem, pluuisse, ninxisse, tonasse, fulgurasse, immotū mouisse, permiscuisse omnia. Id si verum nobilius solium nulla aut vidit, aut videbit ætas.

Macedonū Reges soliis vsi. Athenæus lib. 12.

44 Vsos quoque solio reges Macedonum auctor est Athenæus, qui meminit tabernaculi aurei miræ magnitudinis, quod in formam & modum solij sibi Alexander construxit; in quo fuerunt platani aureę, & vitis similiter aurea, aditibus & viis è smaragdo, carbunculis, gemmisque summi pretij ad eam constructis & stratis, sub qua deinceps omnes Macedonum reges soliti erant considere, ius dicere, & legatos excipere.

Parthorum quoque.

Idem, cùm de rege Parthorum loquitur, *Thronus*, inquit, *in quo cognoscebat aureus erat, quem circumstabant quatuor columnulæ aureæ gemmis ornatæ, quibus instrata erat stragula vestis varia purpurea.*

Athenæus lib. 5.

Imperatores quoque Orientis.

45 Nicetas, de imperatoribus Orientis agens, solium regium vocat βασιλικὸν χρηματιστήριον, id est *tribunal regium*. Vopiscus *sellā Imperatoris*: In Aureliano: *Insidere*, inquit, *equo vel sella imperatoris nefas*. Ceterùm de Romanorum Imperatorum soliis pauca reperio singularia; nisi quod scribit Suetonius, Iulio Cæsari suggestum fuisse in orchestra, eundemque sedisse sellâ aureâ, Dio affirmet. Obseruauit quoque, ex quo non ita memini, Iulius Cęsar Bulengerus Neronem è suggestu pro throno Armeniorum legatos allocutum.

De soliis occidentalium & Romanorū Imperatorum. Suet. in Iulio Cæs. c. 76. Dio lib. 43. Bulēgerus de Imperat. Rom. lib. 2 c. 29.

Solium Cōstantini Porphyrog. Constantinopolitani imperatoris artificiosū. Baron. & Spōdanus, ad annum Domini 946.

46 De solio Imperatorum Orientis, pręter id quod retulimus suprà, singulare est, quod habet Luitprandus Ticinensis Diaconus, siue (vt eum vocat, à munere deinde suscepto Cardinalis Baronij Abbreuiator Henricus Spondanus) Cremonensis Episcopus, se nomine Berengarij Italiæ regis functum legatione ad Constantinum Porphyrogen. Imperatorem Constantinopoleos, ibidem exceptum in regia, vidisse arborem æream inauratam, assurgentem ante Imperatoris solium, expansis latè ramis & foliis luxuriantē, quibus aues frequentes & variæ mirâ arte cōfictæ singulę voces proprias cantusque modulantes insidebant: solium verò ipsum tantâ arte tantâque confectum industriâ, vt momēto humile, & velut solo depressum, momento sublime, elatum, & communi tabulato altius nullis apparentibus machinis videretur: insuper ibi se varias auium voces audisse, leonum quoq; simulacra rugientia, quæ in sedilibus erant auro tecta, ipsum quoque solium mox eleuatum & mox ad ima depressum.

Soliū regis Sinarum magnificentissimum. Pigafet in Hist. Sinensi.

47 Par est, & maius, splendore ac opulētiâ soliis regum & imperatorum omnium, solium illud, quod à Sinarum rege vsurpari refert Antonius Pigafet, de quo sit penes auctorem fides.

Ait

Ait ille, hunc regem habere pro primo ad solium suum aditu septuaginta & quinque cõclauia, singula tam amplitudine, quàm cultu ornatuque regio decora; in his verò quatuor, quę magis vicina sunt solio, eminere; quorum primum ex ære, ex argento alterum, tertium ex auro solido, quartum ex vnionibus, gẽmis, & omni genere lapidum pretiosorum sit factum; in quo cùm omnia rutilent asserit emicare præ ceteris, quod ibidem est solium cõflatum ex ebore, ita suo fulgore illustre, vt etiã noctis discutiat tenebras. Hoc ait idem auctor, plenum esse artificio ferino, & regem auditurũ lęgatos vastum quẽdam serpentem intrare, atque cum familiaribus suis ibidẽ ex fenestella vitrea spectare, & audire loquentes, nec tamen videri. Hoc, si verum est, pro gẽtis barbaræ more, antiquã adhuc barbariem non mediocriter sapit. Nunc, quod quidem sciam, nullus est ampliùs in Európa apud Imperatorem aut reges soliorum vsus.

Solium Sardanapali fuisse superbum non est dubium.

48 Ad rem nostram quod attinet, si ex Assyrij regis potentia ferẽdum est de splendore, dignitate & maiestate solij ipsius iudiciũ, licet sacræ Litteræ quale id fuerit non exponant, facilè tamẽ assequi cogitatione potestis, quid de Sardanapali solio sit existimãdum, quàm putandum fuisse sublime, diues, sumptuosum, ornatum; quando ipse Monarcha, quodammodò totius orbis Dominus, neminem aut agnoscebat superiorem, aut etiã parem. Vnde dubium esse vix potest, quin solium habuerit, quod tantæ potentiæ tantoque imperio responderet.

Rex Niniue surgens se humiliat. Albertus Magnus in hunc locum.

49 De hoc tam sublimi solio *surrexit*, secundùm Albertum Magnum, *corde & corpore*, ille Rex tam magnus & potens, qui anteà sedebat in maiestate sua, ius dicens omnibus, omnibus imperans, parens nemini; & quidem vt saccum indueret, vt sederet in cinere, *vt*, quemadmodũ ait idem Albertus, *regula esset pœnitendi*. Notum est, quòd sicuti sedere spectat ad reges & principes, in alta pace & quiete excipiẽtes subditorum supplicum preces; ita surgere esse proprium subditis, quò benigniùs & demissiùs principum suorum fauores exorent. Quòd igitur surgere Regem Niniue de solio suo videtis, Deum se potentiorem agnoscit, illum suspicit, reueretur, & vt ait Glossa, *se humiliat deponens altitudinem*: scilicet edoctus concione Ionæ, quã coram Deo inclinare se debeat. Ad eius ergo mandata excipiẽdã festinat, atque nouam vitam ab humili subiectione inchoaturus, veterem deserit; idque surgens de solio locumq; mutans toti populo manifestat; hac ratione cupiens profiteri, se iam magis reum esse quàm iudicem, magis seruum quã dominum, neque tam regem quàm subditum.

50 Mirari quidẽ, & laudare solemus virtutes omnes in regibus magis quàm aliis; eò quòd hæ in ipsis, loco sublimi & velut in quadam specula constitutis, vnde vident & videntur, eluceant ampliùs: nullam tamen magis animi demissione; quia hæc in tanta sublimitate tantaq; potentia fortassis non ita est frequens, certè magis quàm in aliis ardua. Quare cùm eâ ornatum quempiam intelligimus, non solum tãquam verè magnum laudamus & miramur; sed etiam obstupescimus. Nouimus quoque viros potentes nullâ re lædi faciliùs, nullâ offendi grauiùs, quàm si quid gloriæ illis debitæ, aut quam deberi sibi putent, ademptum vel suspicentur tantùm; hoc enim in illis qui tangit, velut pupillam oculi tangit.

Demissio in Regibus & Principibus est virtus singularis.

Bella plurima ex ambitione & superbia.

51 Vnde putátis exorta, & continuata, tot, tanta, tam diuturna, locis tam multis & variis bella? vnde tã cruentę, tam funestæ strages enatæ? vnde hinc inde noui adhuc subinde motus? an nõ satiãtur illi, qui bella suscipiunt, hostiũ, aut etiam suorum, quem nimis liberaliter profundi sæpè in oculis suis vidẽt, cruore? facilè istoc satiari est: neque enim hunc magnoperè sitiunt multi; sed non satiantur gloriâ, hanc quia sitiunt, & ardẽtissimè sitiunt, bellorum non est finis. O quoties pro honore & gloria in certissimam necem ruitur! Sunt qui antequam habere se aliis inferiores patiantur, priusquam aliquid de

de iuribus suis, dignitate, auctoritate, honore remittant; vrbes, prouincias, regna euerti subinde, & perire funditus sinunt. Non habeo quod damnem, sed magis quod laudem, quando Christiana res geritur, quãdo pro religione & fide Catholica, quando pro aris & focis, pro Dei gloria pugnatur, pugnari fortiter, & dici: *Vel vincendum nobis, vel moriendũ milites est.* Aliàs melior est pax certa quã dubia pugna, & incerta victoria & si iniusta res agitur etiã certa.

Adulatores Principes semideos faciunt

52 In concitandis motibus publicis sæpè multum posse adulatores putantur, qui reges aut principes, quorũ habent aurem beneuolam, fingunt velut semideos nulli formidini, nullis aduersis casibus subditos. Quare eos subinde, non sat cautè neque etiam prudenter, monent, tametsi sint adeunda discrimina, ne salutis quidẽ & vitę gratiâ debere à sua magnanimitate & gloriæ legibus, vel ad latum vnguem recedere. Hac opinione imbutus etiam Iulius Cæsar, sibi plus satis blandiens, scaphâ vectus, in qua solus erat cum nauta, ad eundem graui exortâ tempestate trepidantem dixit intrepidus: *Quid times? Cæsarem vehis.* Hoc in timore & fastu, dum magnates illi, qui principatus gerunt, aulicorum suorum improbis fouentur cõsiliis, monitis propelluntur, tantùm serò discunt & noscunt, quis sit ille, qui pro sua voluntate, *Deponit potentes de sede & exaltat humiles:* quando nimirum regno, principatu, bonis omnibus, interdum etiam vitâ ipsâ exuuntur.

Lucæ c.1. v.52.

Reges & Principes imitentur humilitatem Regis Niniue.

53 Ad hunc Regem Niniue conuertant aliquãdo oculos qui sunt, quique futuri sunt reges ac principes, atq; ab illo discant coram Domino surgere, dare ei honorẽ debitum, atque omne suum eidem cum demissione maxima offerre obsequium, eundem vti bonorum remuneratorem, sic etiam malorũ agnoscere vindicem; discant offensum sceleribus piâ prece supplicatione que placare, demereri sibi ieiuniis, sacco, & cinere. Si nihil habeant magnoperè expiãdum, quòd non sint sibi culparum conscij grauiorum, lętentur tantoque ardentiùs expetant iungi senioribus illis, visis à Ioanne in sua Apocalypsi, qui licet super thronos sederent, amicti vestimentis albis, & aurea capitibus gestantes diademata plus quàm regia dignitate fulgerẽt, tamen *procidebant ante sedentem in throno, & adorabant viuentem in sæcula sæculorum, & mittebant coronas suas ante thronum, dicentes: Dignus es Domine Deus noster, accipere gloriam, & honorẽ, & virtutem, quia tu creasti omnia, & propter voluntatem tuam erant, & creata sunt.* è cælo docentes quid agendum in terris. Sic & ipsi procidãt ante Dei conspectum, & illi regna, principatus ac dignitates omnes, quas habent, acceptas referãt; seque, illius amore, sæpiùs voluntate & affectu omnibus spolient; vt ex seipsis humilem quam habent conditionem tantò melius agnoscẽtes, illius quoque frequenter & maiore cum fructu meminerint.

Apoc.c.4. v.10.

Ad imitationẽ Sanctorum in cælo reges & principes offerre coronas suas, & regna debẽt Deo.

Fecit hoc Philippus III. Hispaniarum rex potentissimus: hic namque cùm ex morbo, qui ei extremus fuit, decumberet, pedes exosculans Crucifixi, ad hos inquit pedes depono, quæcumque mihi benignè largitus est Dominus regna, principatus, & vitã, illique à quo ista accepi libenter restituo; ac fateor, quod & pro concione dici cupio, vana esse omnia, regnumque in vita suaue, non esse nisi amarum in morte.

Humilitas à viris principibus practicãda est.

54 Norma ergo viuendi & agẽdi optima est omnibus, etiam illustribus viris, & quãtumuis magnis regibus & principibus, arbitrari se minimos, & quod maximè arduum est, pro talibus se habere nõ tantùm collatos cum Deo, sed & cum æqualibus suis, atque minoribus; vt apud eum, qui scrutator est cordiũ, magni sint, magnique permaneãt. Non est hoc meum, sed Siracidę sapiẽtissimum sanè consilium. *Quãto*, inquit ille, *magnus es, humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam.*

Eccles.c.3. v.20.

Axioma est, hominibus sæculi visum subinde paradoxum, & tamẽ infallibilis veritatis; vt quod ab ore Domini fallere & falli nescij profluxit, & ne aliquando nobis excideret, inculcatum

Illis, vti & aliis, est necessaria.

ab

Mat. c. 23. v. 12. Luc. c. 14. v. 11. c. 18. v. 14. ab eo est sępiùs: *Omnis qui se exaltat, humiliabitur; & qui se humiliat, exaltabitur.* Valet hoc pro omnibus, pro regibus & optimatibus æquè ac plebe & populo; neque quisquã hic aliquid rebus humanis altius præsumat, hominẽ se nouerit, diuinis subiectum legibus, quantuscumque fuerit, ampliùs deprimendum, quò magis elatus, magis improbè vixerit; & quod Nabuchodonosori iam factum, consideret id sibi posse etiam euenire. Erat Nabuchodonosor potẽtissimus rex Babylonis; sed quia sibi statuã auream, affectans honores diuinos, superbè erexerat, elatus supra hominẽ, meritò infra homines omnes deprimitur, audiens à Deo: *Regnum tuũ transibit à te, & ab hominibus eiicient te, & cum bestiis & feris erit habitatio tua: fænum quasi bos comedes, & septem tempora mutabuntur super te, donec scias quòd dominetur Excelsus in regno hominum, & cuicumque voluerit det illud.* Quod in eo fuit, vti dictum erat à Domino, quamprimùm etiam adimpletum. Ait enim Daniel: *Omnia hæc venerunt super Nabuchodonosor regem.*

Nabuchodonosoris superbia punita.

Dan. c. 4. v. 28.

Dan. c. 4. v. 25.

55 Hactenus de regibus & principibus egimus: sed non putent alij, tãtùm ad hos spectare Niniuitici Regis exẽplum: etiã omnis promiscua multitudo in eum cõiectos habeat oculos, nemo non cum illo surgere discat. Circũfertur vulgò versiculus, nescio cuius,

Deserenda propria cõmoda, & surgendum cuius cum Rege Niniue.

Si quã sede sedes, & sit tibi commoda sedes,
Illã sede sede, nec ab illa sede recede.

apud multos magis re & opere, quàm verbo vsurpatus. Sunt enim qui sedẽt, & æternùm sedere vellent, suis cõmodis & voluptatibus seruientes: sed non placet hæc quies, infelix illa sessio est, quã satis ostendunt, quàm ad ea quæ virtutis, pietatis, diuinique obsequij sunt non conentur, aut etiam velint assurgere.

56 Ego, si vt hoc faciant persuadere illis non possim, velim persuadeam saltem meminerint aliquãdo loci & temporis, quo cuique standum erit; *Cùm sederit Filius hominis in sede maiestatis suæ:* & quo pacto tunc sint sessionis suæ nimium commodæ, neglectique olim laboris reddituri rationem.

Qui nunc sedent in deliciis, meminerint standũ semel in iudicio coram Deo.

Mat. c. 19. v. 28.

O quàm timendum, ne stent coram omnibus in valle Iosaphat pleni timoris & metus, qui nunc hîc nimium sedent securi; ne stent lassati in via iniquitatis & peccatorum, qui hîc in eadem nimis nunc molliter conquiescunt. Hoc scio, multi stabunt repulsi à Deo, segregati à iustis & sanctis, ad sinistram trepidi, quando è contra electi constituti ad dexteram, *Stabunt in magna constantia, aduersùs eos qui se angustiauerunt, & qui abstulerunt labores eorum:* & mox, accipiẽtes amplissimam operum suorum mercedem, sedebunt *in multitudine pacis, & in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulenta;* cantantes in terra illa viuentium, in regione beatorum, *quasi canticum nouum, ante sedem;* ita loquitur D. Ioannes, id est, vt ipse paullò pòst explicat, *ante thronum Dei.*

Differentia inter iustos & reprobos stantes in iudicio.

Sap. c. 5. v. 1.

Isa. c. 32. v. 18.

Apoc. c. 14. v. 3.

Ibid. v. 5.

57 Ne quis in magno illo extremi iudicij die, quando non erit ampliùs transitus de morte ad vitam, de sinistra ad dextram, in turba reproborum sinistrã occupet, surgat nunc properè; &, dum tempus sinit, se moueat, de deliciis, in quibus nimiùm complacuit sibi, ad pœnitentiam & supplicia quædam voluntaria breuiora & leuiora, vt æterna euadat; transeat de gloria sæculi, ad sui & gloriæ omnis contemptũ, de publico ad latebras properet, in quibus peccata sua ploret, & quem perdiderat fontem bonorum omnium Deum, lætus inueniat, cuius deinde beatã consortione conspectuque gaudere possit perpetuò.

Surgendum nunc omnibus, vt postea stent ad dextram.

LECTIO

LECTIO VNDECIMA.

ET ABIECIT VESTIMENTVM SVVM A SE, ET INDVTVS EST SACCO, ET SEDIT IN CINERE. *Verſ. 6.*

ARGVMENTVM.

Regis Niniue illuſtris pœnitentia vlteriùs deſcribitur, eius habitus, ſitus corporis, neglectus ornatus regij indicatur. Ex occaſione de eiuſmodi ornamentis agitur. Docetur quid ad imitationem Regis huius, ſedentis in cinere, agere verus pœnitens debeat.

1 VRGENTEM de ſolio Regem vidimus, & mirati ſumus: modò hac tam præclarâ de ſeipſo obtentâ victoriâ nequaquam contentum, prodeuntem nouâ formâ, habitu, armis, ad externam ſpeciem non adeò venuſtum & decorum; ſed hiſce vel maximè Deo & Angelis acceptum & carum, ſpectemus. Docebit nos ſpoliatus purpurâ, ſceptro, diademate, repudiato famulitio, deſerto nobiliũ & virorum principum comitatu, quid inter Dei & mundi interſit obſequium; docebit quis corporis cultus, currentibus virtutis ſtadium proſit, & valeat ad conſequendum æternæ vitæ brauium: oſtendet, contrà quàm docuit nuper Caluinus, Oecolampadius, Pomeranus, & ſimiles, pœnitentiam, non in nuda conſiſtere reſipiſcentia: ſed in factis ex ea operibus bonis (qualia antiquiſſimi & grauiſſimi Patres Tertullianus, Cyprianus, Auguſtinus, Chryſoſtomus, eſſe cenſuerunt gemitum, ſaccum, ieiunium, cinerem) olim à ſincerè pœnitentibus largè & liberaliter vſurpatis.

Rex Niniue habitum induit pœnitentis, & eum aſſumere alios docet.

2 Mentis oculos aduertite, Regem Niniue talem vobis conabor proponere, qualem ſe ſubditis ſuis exhibuit, gementem, plorantem delicta priora, Deo ſupplicem, & ex animo pœnitentem: in quorum certius & euidentius ſignum cùm primùm de ſolio regio, deque throno ſuo deſcendit, ABIECIT etiam VESTIMENTVM SVVM A SE, non vulgare aliquod, quale priuatis hominibus in vſu eſſe ſolet, ſed dubio procul eximium, Rege tanto ac Monarchâ dignum. Ex perſonæ dignitate facilè aſſequi cogitatione poſſumus quid de ornatu cultuque illius fuerit, maximè in luxu & abundantia rerum omnium, qualis erat totâ Niniue, etiam inter priuatos.

Regiis ornamentis ſe ſpoliat.

3 Paraphraſtes Chaldæus ſubiicere verbo vno oculis lectoris dum cupit, quid de hoc veſtimento ſit ſentiendũ, vocat illud *ſplendidum*, Rabbi Salomon *pretioſum*, Albertus Magnus *veſtimentum decoris & gloriæ*, Ioannes Mariana ex Hebræo interpretatur *gloriam, apparatum:* LXX. vertunt *ſtolam*, Tigurina & Vatablus *paludamentum*. Et certè tale aliquod veſtimenti genus fuiſſe regibus familiare, quod hic Regum maximus repudiarit atque abiecerit, veroſimillimum cenſeo: ſiue illud purpureum, vt ait B. Ephrem, ſiue, vt alij, aureum: etenim vnum & alterum in maximè feſtiua ſolemnitate pro ſplendore ſuo adhibere reges conſueuerãt alternâ nec inamœnâ varietate.

Quale fuerit veſtimentum Regis.

4 Paludamentum ergo, tamquam primum regis inſigne, non tam depoſuit, quàm abiecit: neque illud dumtaxat, ſed cum illo (quamquam de ceteris hîc nulla ſit mentio) omnia etiam regij decoris inſignia; diadema, ſceptrum, annulum regium, & quidquid vel ſpeciem habebat alicuius ornatus, dignitatis, poteſtatis, imperij: ſic oſtẽdens Regum ille Maximus; quàm ſpo-

Cum veſtimento abiecit Rex Niniue omnia etiã ornamenta regia.

spoliare se vellet bonis omnibus, quàm etiam ipso regno exuere; dummodo iam de vita & salute securo, inter suos & cum suis agere sibi liceret impunè.

Regem Niniue se vestimento suo spoliare quid significet.

5 Orditur autem, dum se ornatu suo spoliat, à purpura, vestimento seu paludamento regio; memor quàm aliquando indecenti peccarit vestitu. Vnde, secundùm Albertum Magnum, huius depositio vestimenti *significat pristinæ conuersationis depositionem.* Sicuti Paulus iubet Ephesios *deponere secundùm pristinam conuersationem veterem hominem, qui corrumpitur secundùm desideria erroris.* (Ad Ephes. c. 4. v. 22.)

Diximus nuper, si meministis, Regem hunc adeò in omnem luxum fuisse præcipitem; vt nequaquam virili togâ cõtentus, dignâque maiestate sua purpurâ, sæpè veste mentitus mulierem, illarum se gynęceis & cõtuberniis iunxerit. Cùm igitur vereretur Deum, & se, & totam ciuitatem dignis perditurum suppliciis, & imprimis *visitaturum super omnes qui induti sunt veste peregrinâ*; (Sophon. c. 1. v. 8.) muliebrem stolam exuit quæ mollitiem redolebat, virilem quoque quæ aliquid maioris fastus aut superbiæ sapiebat abiecit; non ignorans quòd, vt dixit deinde Augustus Cæsar, *vestitus insignis vexillum superbia sit, & nidus luxuriæ.* (Suet. in Augusto.) Hinc à B. Maximo ipse hîc tantoperè commendatur.

Elogiũ regis Niniue ex S. Maximo.

6 Audite magni Regis maximas laudes, audite illius conscriptum à viro sanctissimo elogium. *Sapiens*, inquit B. Maximus, *Rex, qui sciret quemadmodum aduersa superare deberet; hostes enim virtute superabat, Deum autem humilitate vincebat. Sapiens planè Rex, qui intelligeret, quibus armis vteretur pro temporis qualitate. Cùm enim insidiantur illi homines, apprehendit arma bellica; cùm irascitur ei Deus, corripit arma iustitiæ. Sapiens Rex, qui pro salute ciuium peccatorem se magis confitetur esse quàm regem, obliuiscitur enim se regem esse, vbi Deum Regem omnium pertimescit: nec potentiæ suæ meminit, vbi potentiam diuinitatis agnoscit. Obliuiscitur ergo se regem esse dum proiicit purpuram, dum diadema deponit, cilicio autem vestitur & sacco, ieiuniis perseuerat, orationibus immoratur.* (Max. ser. in Litaniis & de ieiuniis Niniuitarum.)

Non seriò pœnitet, qui adhuc vestes & ornamenta amat.

7 Optandum vt non modò reges & principes, sed quotquot sunt incolæ Niniue, mundi inquam huius, ad imitationem illius Regis discant aliquando obliuisci veteris suæ vanitatis ac superbiæ, & sincerè toto corde ac mente pœnitere. Multi quidem id velle videntur; sed quàm non omninò velint satis ostendunt, quando opus ipsum nequaquam cum istiusmodi voluntate faciunt consentire. Mira subinde & magna proponunt, interim, nescio quem futilem ornatum, sericam vestem aliquam, gemmarum non scio quem fulgorem, mera crepundia in deliciis habent, ab illis auelli nimis arduum arbitrantur; & dum amant ac volunt (similes Neoptholemo Enniano, qui philosophari se velle dicebat, sed paucis, nam omninò sibi non placere) hisce pluscculum immorari vanitatibus, etiam subinde, prô dolor! immoriuntur nolentes.

8 In loco fletus, in valle lacrymarum versamur SODALES, videte quàm

Non sit conueniens luctibus, ille color (Ouid. lib. 1. Trist.)

Dei famulum oportet illa deponere.

vanitatum, nugarum, vestium nobiliorum, auri dico argentiue, quod sericis staminibus interludit. Parum quæ Dei, parum quæ salutis suæ sunt nouit; ampliùs dico, eorum nihil nouit omninò, qui ignorat mollem vestem, ad delicias prouocantem, nequaquam cum animo pœnitente, cupido felicitatis æternæ congruere; qui nescit nihil habere commune luxum rerumque affluentiam cum famulatu diuino. Huic ergo qui mancipauerit sese, aut mancipare contendit, quidquid voluptatum, deliciarum, ornatusque est sæculi non modò seponat; sed ablegetà se quàm longissimè, & quidem in æternum exilium.

Quam diu hoc non facit non seriâ pœnitẽtiâ ducitur.

9 Neque est quòd mihi hîc quispiam dicat se maximoperè animo commoueri, displicere sibi præterita, iam de aliis ineundæ vitæ rationi-

 bus

bus seriò cogitare; seponere interim quæ victus, habitusque sunt pristini non omninò posse. Hunc ego vera loqui credam, sed vbi signa videro, vbi interioris hominis in exteriore notas, contemptum opum, honorum, commodorum sæculi, vbi formam lugentis, non antè.

Amor diuinus vbi est facilè amorem rerum sæculi vincit.

10 Notæ diuini amoris ex peccatorum dolore intus exardescentis in pectore, sunt foris emicantes scintillæ. Etenim esse otiosus cùm diuinus amor non possit, vbicumque ille hospitatur, exurit continuò quidquid fuerit vitiorum, & simul corporis oblectaměta deterit, voluptatum vanitatumque blandimenta facilè superat, eorumque vim igneis suis scintillis elidit. Horum si subitò victor non fuerit, nimium adhuc lentus est, & ampliùs inardescat oportet.

Leo de ieiunio 7. mensis ser. 5.

De duplici amore, Dei & mundi rerumque mundanarum, pulchrè ad nostrum propositum D. Leo. *Duo amores sunt, ex quibus omnes prodeunt voluntates, ita diuersæ qualitatibus, sicut diuiduntur auctoribus. Rationabilis enim animus, qui sine dilectione esse non potest, aut Dei amator est, aut mundi. In dilectione Dei nulla nimia: in dilectione autem mundi, cuncta sunt noxia. Et ideò æternis bonis inseparabiliter inhærendum, temporalibus verò transeunter vtendum est: vt peregrinantibus nobis, & ad patriam redire properantibus, quidquid de prosperitatibus mundi huius occurrerit, viaticum sit itineris, non illecebra mansionis.* En documentum, quomodo soli diuino amori inhærendum, repudiato eo qui mundi est.

Arma Christi assumens mundi arma deponat.

11 Date mihi militem, ab iis castris signisque, sub quibus meruit, ad alia transeuntem, numquid statim pro delecti à se imperatoris aut ducis arbitrio arma mutabit? Quis vmquã à sæculo ad Christi militiam transiit, simul non armis sæculi valere iussis? Quid igitur tantâ deliberatione, quid nouo opus consilio est illi, cui Deo militare est animus, vt illas vestium phaleras exuat & seponat? Militiæ sæcularis arma sunt: multiplex, vanus, isque elaboratus & diues amictus; lautæ epulæ, stratum molle, & quidquid ad corporis facit cupedias optatáque commoda. Hæc in ipso statim Christianæ militiæ abdicanda sunt limine.

12 Præiuit, modum ostědit generosa mulier, *Mulier*, sic eam D. Lucas appellat, *quæ erat in ciuitate peccatrix*. Quid hac olim comptius, quid ornatius, cùm mundo seruiret? sed vbi ad Christum transiit quàm subitò suum omnem ornatum ad sacros eius deposuit pedes! Exinde non erant apud eam vlterà attalicæ vestes, non vnguenta, non rosæ, non inaures, non fasciæ pectorales, nõ defluentes cincinni; sed incompti & incompositi crines, sordidata lacrymis toga, pectus non auro, sed gemitibus & suspiriis graue, tunsionibus liuidum, vnguenta super pedes & caput Domini, quem solum iam diligebat, effusa; alabastrum diffractum, commutata, vt scitis, quamprimùm omnia.

Sic fecit S. Maria Magdalena.

Greg. homil. 33. in Euãgelia.

Id meliùs ex S. Gregorio quàm ex me intellecturi, audite quid dicat: *Vnguentum, quod sibi turpiter exhibuerat, iam Deo laudabiliter offerebat; oculis terrena concupierat; sed hos iam per pænitentiam conterens, flebat: capillos ad compositionem vultus exhibuerat; sed iam capillis lacrymas tergebat: ore superba dixerat; sed pedes Domini osculans, hoc in Redemptoris sui oscula figebat*. Hæc ille.

13 Magdalenã perfectum pœnitentię speculũ imitati sunt, quotquot pertæsi vitæ prioris, de ea mutanda in melius sedulò consilium susceperunt. Veteres taceo, velut ob antiquitatem ignotos, & idcircò minùs forsitan apud nos ad exemplum imitationemque, licet propositi fuerint valituros; ex recentioribus pluribus vnum etiam dumtaxat proponam Ignatium Soc IESV parentě; cuius, cum anno ab eo institutæ huius religionis, quem modò agimus seculari, nobis sit nunc quodãmodò rediuiua memoria. Hic cùm mundo militaret sub signis Catholici regis, humanæ cupidus laudis & gloriæ, vt similes solent, gradiebatur superbè vectus equo, famulitio honesto stipatus, seri-

Sic fecit S. Ignatius Fundator Soc. IESV.

Bidermannus vitæ S. Ignat. lib. 1. c. 2.

sericis indutus atq; holosericis, quemadmodum eius conditionem & fortunas decebat: at vbi designauit animo militiam aliam, atque à regiis illis ad digniora longè & feliciora Regis regum signa migrare statuit, positurus nouæ huius, cui sensim assuefieri volebat, militiæ tyrocinium, vestem, quâ mundo in id vsque tempus meruerat, inopi in stipẽ Christi nomine est elargitus, famulitiũ omne dimisit, equum monasterio cessit; & vt confestim, cui famulari cœpisset, sibi in memoriã non tantùm reuocaret; verùm etiã palam ostẽdere, & deinceps profiteri coram omnibus nõ erubesceret, vilem ex canabina tela saccum induit, rudi se fune præcinxit, calceos ex sparto, ceteroquin pedibus nudus, assumpsit, vix capite tectus; sicque nouus miles, nouis illis armis instructus processit in publicum, nulli magis quàm communi humani generis hosti terribilis, vtpote noua cum illo prælia initurus.

14 Similibus accingatur pœnitentiæ armis oportet, quisquis voluerit bonũ Christianæ militiæ tyrociniũ ponere. Monet hoc Romanos Apostolus Paulus, atque iis ipsis verbis vos quoq; ab eo existimate cõmonitos: *Sicut*, inquit, *exhibuistis membra vestra seruire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatẽ; ita nunc exhibete membra vestra seruire iustitiæ in sanctificationem.*

Ad Romanos c. 6. v. 19.

Heraclius imperator Crucem Christi non nisi ornatu deposito gestare potest.

Arma hæc, simulque contemptũ omnis vanitatis & luxus, non tantùm pœnitentes, sed omnes Christianos, imitatores inquã & amatores Christi decere, Deus illustri miraculo comprobauit; quando Heraclium imperatorẽ post recuperatam à Cosroë Persarum rege Crucem Domini, hac onustũ, eò quòd esset auro & gemmis grauis, Ierosolymis in porta quæ ducit ad sacrum Caluariæ mõtem, ita stitit; vt quò magis progredi conabatur, eò magis retineri videretur stareque immobilis; donec abiecto vestitu istoc splẽdido, amplo, atque superbo, eodemq; cum humili, abiecto, ac prorsus plebeio cõmutato, detractis etiam sibi calceis, magis diuinę glorię, & illius quẽ honoraturus venerat imitationi seruiit. Tunc enim itineris reliquum absque remora vlteriore expeditissimè confecit, & Crucem loco illi, vnde sublata à Persis fuerat, festinè restituit.

Regis Niniue sapiẽtia ostenditur.

15 Noster Rex Niniue, vt ad illum reuertamur, non tantùm abiecit vestimentum suum à se, illud inquam vestimentum siue paludamentum regium, quo vanitati gloriæque suæ seruierat; sed, vt ostenderet, hoc relicto, Deo seruire se velle imposterum, atque cum illo, meliori captato consilio, redire in gratiam, INDVTVS EST SACCO: *humilitatis* inquit Albertus Magnus. At quomodo ita statim obliuisci dignitatis, potestatis, & muneris sui tantus rex potuit? Non est oblitus. Prudenter de se rebusque suis statuit, personam regiam, in iis quæ vanitatis, non verò in iis quæ veræ sapientiæ dignitatisq; sunt deposuit. Didicerat iam IONA magistro, ex docta ipsius & erudita lectione, in munere atque officio regis magis auctoritatẽ quæ virtute nitatur, quàm splendorem qui vanitate, exigi oportere; auctoritatem verò vtilibus ac honestis decernendis & exequendis acquiri potiùs, quàm spectabili pompâ, cultu corporis, habitu ac formâ decorâ. Etenim, vt ait Seneca Tragicus, quod etiam noster hic Rex diu ante ipsum intellexisse videtur,

Seneca Thyestis Actus 2. Choro.

Regem non faciunt opes,
Non vestis Tyriæ color,
Non frontis nota regiæ,
Non auro nitidæ trabes;
Rex est qui posuit metus,
Et diri mala pectoris.

Quid igitur esset de se dicturi (quæ vanitas curaq; superflua & inanis multos nunc cruciat) aut sui, aut alieni, parum metuens, angebatur tantùm curâ illâ, quâ efficere posset vt esset sibi suisq; ita in præsenti necessitate prospectum vt omnino securis esse liceret imposterũ. Sciebat negotium sibi cum eo iam esse qui personam hominum nõ aspicit, qui rerũ nostrarum splendore, luxu, gloriâ, nõ ducitur, qui apparatu pompâq; regiâ non capitur, qui nullius magnitudine commouetur: *Quoniam pusillum & magnum*

Sap. c. 6. v. 8.

magnum ipse fecit, & aequaliter cura est illi de omnibus. Hinc statuit potiùs in sacco & cinere, quàm in purpura & regio diademate comparere, Deoque velut victori se victum sistere.

16 Laudat mirè hoc Regis factũ Philippus Bonae Spei Abbas: & sicuti S. Maximus illius sapientiam, ita hic illius virtutem bonitatemque commẽdat. Certè quoties à Maximo *sapiens*, toties aut etiam saepius à Philippo *bonus* appellatur. *Bonus, inquit, Rex, qui Propheta minanti, minas vice pari seu verbera non inflixit, non diuino sermoni fastu regio cõtradixit: sed abiectâ purpurâ saccũ tenuem est indutus, immemor throni sui, humi humiliter prouolutus, posito diademate caput cinere sordidauit, quidquid altum tumebat deuotè & humiliter inclinauit. Bonus Rex, qui auditâ praedicatione, primus omnium se afflixit, ieiunans & abstinens cibum iumentis, & hominibus interdixit; & qui eos paullò antè fastu & gaudio, luctu & poenitentiâ nunc praecessit.*

Philippus Abbas de silentio Clericorũ c.81.

17 En bonitatẽ Regis huius magnopere à Philippo Abbate commendatã: ex eiusdẽ verò sapientia qua nouerat, quòd *potentes potenter tormenta patientur,* haud dubiè est effectum, vt omnem suam potentiam Regi ac Domino omnium potentissimo cesserit, vsque ad purpurã cunctaque decora imperij sui, haec ipsa in saccum cineremque commutans; quò deinde velut par suis ciuibus, communem cum illis experiatur fortunã, casus cũ illis deploret aduersos, & extremũ cum iisdem exitium prece auertat supplicationeq; cõmuni.

Sap.c.6. v.7.

Sic fecisse anno superioris saeculi nonagesimo quarto Poloniç regem accepimus, quãdo bellum Turcicum Orbi Christiano vastitatem minabatur. Hic enim, vbi Sodales B. V. Cracouiae in vrbe regia decreuisse ex suo Oratorio ad templum Societatis IESV supplicationem cognouit, paucis consciis ex senatorio ordine, venit simul cum aliis ad Oratorij locum, magnũ Sodalium, quod ad gloriam vestram dico, ornamentum, atque ibidem ignotus sacco regiam maiestatem abscondit, processitque cum ceteris. Scilicet sunt in illo adhuc regno exempla antiquae pietatis & poenitẽtiç, ad quam olim praeluxit S. Casimirus Poloniae regis filius, qui adolescens non tantùm sacco subinde induebatur; verùm frequẽter ex horridis equorum setis gestabat cilicium, & crebris verberum asperitatibus carnem cruciabat. Quod etiã iis quos vestit purpura necessariũ arbitrabatur, à triennio vitâ functus Ferdinandus Augustus: cuius, vt non minùs fecisse eum quàm dixisse noueritis, extat in hunc diem flagellũ multo conspersum sanguine, quo fluebat cùm se cęderet. Illustria de eo in hoc genere multa recẽset Gulielmus Germaeus de Lamormaini in libello virtutum ipsius: inter reliqua quòd sanctioris hebdomadae feriis aliquot ieiunio flagella, flagellis ciliciũ, cilicio vigilias soleret adiungere; illud verò eximium, quòd cùm vice quadam eiusdem hebdomadae feriâ sextâ, supplicationem spectaret, atque in ea obseruaret plurimos in se flagellis sęuire, dixerit Eleonorae Augustae, quae aderat, inuidere se illis, quibus eã sese caedendi libertate vti liceret; se quoque optasse aliquoties illis misceri modũque indagasse quo facere idipsũ posset ignotus, nec inuenire potuisse. Nihil nẽpe quod faceret ad exercitationem virtutis, à sua dignitate alienum putabat, aut graue.

Rex Poloniae inter Sodales B. V. indutus sacco in supplicatione procedit ignotus. Sodal. Parthenius lib.1. c.5.

S. Casimiri Poloniae regũ filij poenitentia In vita S. Casimiri 26.Feb.

Et Ferdinandi II. Imperatoris.

Lamormaini in lib. de virtutibus Ferdin.II. c.14.

18 Vt vetera iã resumamus, dixit aliquando rex Dauid, vir, vti notissimum est, apprimè bonus ac sapiens: *Elegi abiectus esse in domo Dei mei, magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum.* Ad Dauidis, atque ad regis Niniue exẽplum, eligamus etiã nos, abiecti esse magis, & sedere in paupertatis sordibus, ac poenitẽtiç cinere in domo Domini, quàm in regum palatiis aulisque principum, in multo luxu, auro, & purpura. Bone Deus! quid nunc non vanitate diffluẽs & ambitione turgidus populus cõminiscitur ad gloriam suam! sed verè insipienter & stultè; longè sapientiùs & meliùs multa & magna excogitat, vt videtis, Rex Niniue ad vilitatem suique contemptum.

Psal. 83. v.11.

19 Et-

19 Etiam ipse nouum genus vestimenti assumpsit;non tale qualia modò ad vanitatem & ornatum multa ingenti curâ excogitantur; sed quod maximè vile & maximè obuium erat tum temporis, saccum videlicet, peropportunum loco & tempori, priuatis publicisque necessitatibus conducturum: & hunc quidē nullo decoratum ornamento, colore nullo obductum; sed impolito & rudi modo factum non tam aptauit corpori suo, quàm superiniecit; sic vt esset videre, secundū Chrysostomum, *neglectam sub sacco purpurā*. Quod tātò fecit libentiùs, quò certiùs præcepit diuinam sententiam: *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.* Profectò magna hæc in summo viro mutatio est: valdè dispares habitus sūt, disparia indumēta, saccus & purpura; hæc ad gloriā, ille ad ignominiā & cōtēptum; hęc ad mollitiē, ille ad cruciatū cōducit; vt meritò exclamet Chrysostomus: *O rem mirā! cilicio purpura cedebat ambitio, & cinis diadematis obruebat ornatum.* Rem hanc maiori admiratione, simul & commendatione dignam facit, quòd tantam mutationem ipse Rex non IONÆ imperio, non aliorum impulsu, non acclamatione multitudinis; sed propriá voluntate deliberationeque induxerit. Intuebatur seipsum, nō iam ampliùs quasi Monarcham, vrbibus, prouinciis, regnis, vniuerso populo imperantem, vt antè: sed magis abiectum & vilem, dignum qui cuiusuis mandata exciperet, cuiusuis expleret potiùs, quàm qui sua expleri iuberet. Insuper se saccum putredinis, vermium escā, omni momento quo id esset diuinæ placitū Maiestati, futurū & nouerat, & meminerat. Et verò sic ei de se sentiendum erat, si quam suâ erat superbiâ cōmeritus iram de cælo, eam mitigare, & veniā cōsequi mereretur.

Qualis fuerit saccus quo induebatur Rex Niniue.

Chrysost. hom. 80. ad Pop.

Mat. c. 5. v. 5.

Hunc nullius impulsu induit.

20 Cur non etiam ita de nobis, longè vilioribus cōditione, quotquot hic sumus sentimus? Diceretis absitā nobis ille Sardanapali luxus, absit libido, absit effeminata mollities, tāti pœnitere non emimus. Abesse spero & hæc, & quidquid grauioris est culpæ, & id mihi vel maximè in votis est; sed an idcircò nihil boni operis pręstandum? Quid tantum peccarat Hieronymus? quid alij? quibus vestis cilicium, cibus & potus herbæ siluestres, & frigida. Si de vestris vitæ rationibus nihil habetis sacco expiādum & cinere (quod ego dicere de meis nō posse me fateor, tametsi Mathusalemi ętatem acturus nō ampliùs peccem imposterū) his expiate aliena. Nūquam, mihi credite, quādiu in mortali corpore viuimus, prępostera, numquā importuna, numquā sera pœnitētia est.

Etiam pœnitētiis corpus castigare debent qui nō peccarunt.

21 Discutiant interim singuli (antequam, nimium sibi blandientes, securitatem integritatemque, quam non habent habere se putent) animi sui latebras, inuenient fortè vspiā aliquid, quod non omninò purum, non de toto sincerum; sed virgulâ egeat censoriâ, sitque voluntariis expiandum suppliciis. Stultus est & insanus, si quis quod dixit Sapiens: *Septies cadet iustus.* Quod Ioannes: *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus*; non dicit *habuimus*, sed *habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.* Quod Iacobus: *In multis offendimus omnes*, ad se pertinere non putet, nihilque habere se quod lacrymis, quod pœnitentiis eluat.

Nemo est qui non habeat aliquid expiandum.

Prou. c. 24 v. 16.

1. Ioan. c. 1. v. 8.

Iac. c. 3. v. 2.

Paula Romana, femina genere nobilis, sed lōgè adhuc sanctitate nobilior; ita teste Hieronymo sua leuia plangebat peccata; neque enim habebat grauiora quæ plangeret, vt crederes illam esse grauissimorum criminum ream. Et erit nunc aliquis qui dicat nihil se habere quod ploret? nihil in quo culpam agnoscat? Non sic SODALES, non sic. Vestrûm singuli Ioëlis Prophetæ monitum audiant, nemo non putet ad se spectare quod dicit ille: *Plange quasi virgo accincta sacco super virum pubertatis suæ.* Non solùm plangere, & lugere nos cupit, sed ita lugere, & deplorare lapsus nostros, sicut spōsum, quem amat, & coram se mortuum videt, plorare sponsa consueuit; id est amarissimis pœnitentiæ lacrymis lugere nos ipsos, fortè iam pridem defunctos, nec nisi lacrymarum & gemituum virtute suscitandos.

Hieron. in Epitaphio Paulæ.

Ioël. c. 1. v. 8.

 22 Ecce

Arma nobis pœnitētia induenda, vt nos ipsos, & vitia nostra vincamus.

22 Ecce quid nobis agendum: si nos ipsos vitamque nostrā verè amamus, loricâ armati cilicinâ, pro cingulo militari fune succincti, pro balteo ferreâ catenâ pectus circūdati, procedamus in aciem; &, quod primum est summumque victorię genus, vincamus nos ipsos: ac deinde in nobis ceteros hostes, id est enascētia succrescentiaque sensim sine sensu in mētibus vitia, quæ vnum post aliud, nouum nobis quotidie bellum indicunt. Sic suo tempore euocati sistere nos poterimus nostro agonothetæ intrepidi, exspectaturi ab eo brauium, laboris mercedem, præmium æternum.

Sodalis Parthenius lib. 2. c. 9.

Hoc vt facere possent, Consodales vestri Ingolstadienses tam seduli fuerunt in sibi ipsis affligēdo corpori vim inferendo, vt anno millesimo quingentesimo nonagesimo quarto, solo verni ieiunij tempore, distributis inter eos plus ducentis zonis cilicinis, nondum tamen omnibus petentibus fieri satis potuerit.

23 Ad Regem Niniue rursus oculos conuertamus: quem paullò antè surgentem de solio, & stantem vidimus, denuò sedentem videbimus. Quid hoc? Numquid eum suæ pœnitentiæ pœnituit? Numquid imperij sui dignitatem resumpsit? Nequaquam. Maiora videbitis pœnitentiæ signa, maiorem in eo dignitatis contemptum quàm antè. Sedet quidem, quod maiestatis esse solet; sed in cinere, quod abiectionis est infimæque miseriæ; sic *suam*, vt ait Albertus Magnus, *recognoscens mortalitatem*, secundùm illud Iobi: *Memento quæso quòd sicut lutum feceris me, & in puluerem reduces me.* Maiorem, secundùm eundem Albertum, hoc actu Sardanapalus consecutus est gloriam, quàm Brutus Romanus, qui Tarquinios ex Vrbe eiecit: licet hic cùm Romani deorum suorum oraculo cognouissent primum Consulem futurum, qui matrem suam primus osculatus fuisset, ingeniosus ac callidus cōtinuò in terram procidens, illamque exosculans sit consecutus amplissimam Cōsulatus Romani dignitatem. Nō enim agnoscebat ille terram communem omnium matrem, nisi quia tamquam nutrix nostra fructus producit quibus alimur & seruamur in vita: Sardanapalus verò eandem hîc matrem agnoscit, quia ex ipsa formati sumus, ex ipsa originem duximus, in eam iterum redituri, prout olim dixit Adamo, illius & nostrûm omnium conditor Deus: *Puluis es, & in puluerem reuerteris.* Gen. c. 3. v. 19.

Rex Niniue sedet in cinere.

Iob c. 10. v. 9.

Quisquis spectare cupit dignum aliquid memoriâ sæculorum omnium, in hunc Regem intendat oculos: videbit quòd ei pro thorace aureo, pro paludamento purpureo seruiat cilicinus saccus, pro diademate cinis, pro famulitio lugens & plorans populus: videbit, eum nec epulis, nec poculis vti regijs, quin imò videbit eundem cibo potuque omni interdicentem sibi: videbit purpurâ, solio, ornatu, comitatu aulico carentem: videbit sordidatum, squalidum, puluerulentum, sedentem in cinere, in modum hominis, vti benè obseruauit Emanuel Sà, mœrentis & lugentis: neque in tam potenti superboque nuper Rege quidquam amplius regium agnoscet.

Per hoc dignitas eius non est imminuta, sed creuit.

24 Non tamen idcircò minor illi animus, minor de se suisque cura, sed etiam maior. Dico ampliùs, illâ demissione eius dignitas aucta est vehementer, non imminuta. Nam, teste B. Maximo Taurinensi Episcopo, *dum se Regem hominum esse non meminit, Rex incipit esse iustitiæ.* Pergit ille eum vlteriùs commendare, dicendo: *Religiosus ergo princeps, non perdidit imperium, sed mutauit: principatum enim antè militaris disciplina tenuit, nunc cælestium disciplinarum obtinet principatum. Non perdidit imperium, quia sine ferro, sine iustitia, pro ciuium salute primus inuigilat. Primus planè inuigilat, quia vt tota ciuitas ieiunaret, famem sibi Rex primus indixit, & solus omnium causâ prior cœpit esurire, quàm miles. Necesse enim erat, vt qui potentior cunctis fuerat, deuotior fieret vniuersis.* Hæc Maximus. Ex quibus apparet quàm benè, quàm laudabiliter ille de hoc Rege senserit: & verò quis non sentiat optimè; vbi eum in tan-

Maxim. serm. de Ieiunio Niniuitarum.

tantum mutatum videt, vt nihil humile nimis, nihil quantumuis vile, suâ personâ indignum putet.

25 Quid iam erat prætermissurus eorum, quæ in bonũ tam suum, quàm ciuium & subditorum suorum, conferre possent vel minimum, quando horum causâ vsque eò descenderat, vt cùm sedere soleret gloriosus in solio, nunc sedeat humilis & despectus in cinere. Verba IONÆ rem gestam narrantis sunt: INDVTVS EST SACCO, ET SEDIT IN CINERE: seu, vt Vatablus vertit, *In puluere*.

Notat Ioannes Drusius, nonnullos alicubi vt sordidiores apparerent, atque ita ampliùs iudices suos, iam grauium criminum rei, ad misericordiam flecterent, non tantùm in cinere aut puluere consedisse; sed se totos in eodem volutasse. Idem fecisse, hunc Regem opinatus est S. Maximus, sic enim ait: *In illa tribulatione ipse Rex, depositâ imperiali purpurâ, regali ambitione submotâ, membra sua cilicio præcinxit; atque in sacco & cinere se diebus ac noctibus volutauit.* Quibus verbis indicat quoque pœnitentiam hanc ab illo susceptam, non fuisse diei vnius atque alterius, sed plurium.

Rex Niniue videtur se in cinere volutasse. Maxim. ser. qui suprà.

26 Dicit quidem de se Iob vir optimus & sanctissimus, omnis insuper patientiæ speculum: *Ago pœnitentiam in fauilla & cinere*: neque hoc illi erat tam arduum & difficile; quippe laboribus & ærumnis assueto, atque hæc est communis ratio resipiscenti seruanda, cui post peccatum nihil maiori esse solatio potest, quàm pœnitentia, & consiliorum in melius mutatio: verùm vt hoc faciat, vt sedeat in cinere is, qui diu sedit in rosis, vnguentis, balneis, omnique turpitudine, vt fecisse hunc Regẽ olim spurcissimũ nouimus.

Iob c. 42. v. 6.

Hoc opus, hic labor est ——

fecit tamẽ & sedit; simul luctum, simul pœnitentiam suã toti populo testaturus; quorum indiciũ est sessio & cinis.

Virg. 6. Æneidos.

27 Oseas Propheta, volens exprimere luctum magnum filiorum Israël, illis obuenturum ex priuatione omnis consilij & auxilij à principibus & iudicibus, cùm sacris, tum prophanis: *Dies*, inquit, *multos sedebunt sine rege, & sine principe, & sine sacrificio, & sine altari, & sine ephod, & sine teraphim.* Disertè, atque ex composito vtitur verbo *sedebunt*; tamquam illo manifestiùs & significantiùs expressurus obuenturum mœrorem, de quo illos monitos cupiebat; cùm ferè soleant sedere, quibus præ tædio, mœrore, & animi angustiis, nihil agere magnoperè adlubescit; vt, interpositâ quiete sedentes, aliquo modo tædiũ leuent, & luctum, si non omninò tollere valeant, saltem seponant.

Sedere mæroris indicium est. *Exemplis probatur.* Oseæ c. 3. v. 4.

Amici Iob, qui dolenti condolebant vehementer, vt dolorem suum foris externâ corporis compositione, quâ comprobarent, quâ mitigarent, *sederunt*, vt habet Historia sacra, *cum eo in terra septem diebus & septem noctibus, & nemo loquebatur ei verbum: videbant enim dolorem esse vehementem.* Dauid quoque, vt innuat filiis Israël, ingentem, quo ipsi premebantur, dolorem breui commutandum in gaudium, dolorem quidem sedẽdi, gaudium verò surgendi verbo exprimit, dicens: *Surgite postquam sederitis, qui manducatis panem doloris.*

Iob c. 2. v. 13. Psal. 126. v. 2.

28 Maius tamen, situ illo corporis doloris indicium, vti & pœnitentiæ, erat veteribus cineris vsus; hoc nonnulli tegebant capita, alij lectos opplebant; vel potiùs ei per terrã seu pauimentum strato indormiebant; alij cibos panemque condiebant, aut cum horum aliquo ipsum miscebant.

Vsus cinerũ indicium est pœnitẽtia & luctus triplici modo.

Texisse cineribus caput amicos Iobi nouimus: de his enim habet recensita superiùs historia: cùm eleuassent procul oculos suos, & Iobum adeò deformatum non agnouissent, *Exclamantes plorauerunt, scissisq́; vestibus sparserunt puluerem super caput suum in cælum.*

Amici Iob cineribus caput suũ opplent in signum luctus. Iob c. 2. v. 12.

Estherem quoque legimus, timentem sibi, totique populo Hebræorum, à communi eorum hoste Amano, moliente interitum omnibus, *pro vnguentis variis, cinere & stercore impleuisse caput.*

Etiam Esther. Esther c. 14. v. 2.

Sed & Iudith, agitans consilia de per-

Iudith quoque. Iudith c. 9. v. 1.

Iudith quoque. Iudith c. 9. v. 1. perimendo Holopherne, qui obsidebat Bethuliam, quam iam spe deuorauerat, magno luctu Hebræorum: *Induens se cilicio, posuit cinerem super caput suum.*

Apud Virgilium Latinus. Virg. 12. Æneidos. Idipsum etiam homines prophanos & Ethnicos fecisse, docet illud Virgilij; quo Latini mœrorem ob fata coniugis exponit hoc modo:

—— It scissâ veste Latinus,
Coniugis attonitus fatis, vrbisq; ruinâ,
Canitiem immundo perfusam puluere turpans.

29 *Alij substrauerunt corpori cinerem.* Antiquam consuetudinem substernendi cinerem toti corpori, & in illo seu dormiendi, seu volutandi sese, non obscurè indicant verba Isaiæ: Isa. c. 58. v. 5. *Numquid contorquere quasi circulum caput tuum, & saccum & cinerem sternere?* explicat Emanuel Sà, in sacco & cinere iacere. *Fecit hoc Iob.* Iob c. 16. v. 16. Ad eundem modum interpretatur Pineda illud Iobi: *Operui cinere carnem meam:* putat enim illum, coniectis in terrâ cineribus, mœstum & pœnitentem iisdem corpus suum & inuoluisse & contexisse. Atque huc spectare videtur illud Christi Domini apud Lucam, cùm de vrbibus Corozaim & Bethsaida agit, dicentis: Luc. c. 10. v. 13. *Si in Tyro & Sidone, factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio & cinere sedentes pæniterent.*

Fecit rex Niniue. Ad rem nostram quod attinet: mihi sat est probabile, Regem Niniue non tantùm cineribus aspersisse, aut contexisse caput suum; sed iis incubando, multas noctes, nõ sine graui molestiâ, transegisse. Quod deinde præstiterunt multi Christianorum sanctitate conspicui conditionis & mortalitatis suæ memores: inter ceteros S. Martinus Sulpitius Epist. 3. Turonensis Episcopus, qui obstinauerat animo nõ nisi in cinere mori, quòd ita quemuis Christianum facere debere arbitraretur.

30 *Alij cinerem comederunt vt Dauid.* Alij, quod maximè durum & arduum, etiam cineribus vescebantur. De se ait Rex Dauid: Psal. 101. v. 10. *Cinerem tãquam panem manducabam.* Interpretatur Genebrardus, loco panis cinerem, aut cum cinere panem, Bellarminus Cardinalis, panem sordidum & cinere aspersum manducabam. Sic Ieremias *Vt Ieremias.* ærumnas suas deplorans ait: *Fregit ad numerum dentes meos, cibauit me cinere.* Threno. c. 3. v. 16. Factum id est, ex quorumdam sententia, cùm esset in carcere; volunt enim datum ei tunc panẽ scrupulis plenum. Rabbi Salomon ait Iudæos cùm in captiuitatem irent, fecisse præ inopia subcinericium panem, in quo erant lapilli & cinis. Quidquid hac de re sit, solebant pœnitẽtes vesci subcinericio pane, cinere non satis excusso; vel pane hordeaceo aut furfureo, admisto ei aut cinere aut terra. *Vt S. Franciscus & Germanus Antisiodorensis.* S. Franciscum posterioribus sæculis testatur B. Bonauentura cocta cibaria tempore sanitatis vix admisisse, admissa verò confecisse cinere: Bonau. c. 5. vitæ S. Fran. & Germanus Antisiodorensis dicitur, quoties cibum sumeret, toties cinerem palatum infecturum ad tollendas ei delicias prægustasse, quem deinde hordeaceus panis non magnum gulæ irritamentum exciperet.

Non vsum Regem Niniue in cibo aut potu cineribus arbitror, quando ipse cum suis omnibus, multo tempore nihil omninò comedit, aut bibit, secundùm edictum quod vrbe totâ promulgari mandarat; sed *sedit in cinere*, sic agnoscens se cinerem, mox etiam in cinerem rediturum, vti suprà recensui.

31 Ceterùm sicuti multa sunt curandis ægris corporibus, ita & mentibus pharmaca. *Optimum ægris mentibus pharmacũ cinis.* Inter hæc nullum præstantius eo quod conflatur ex cinere. Propinat illud nobis filiis suis, de quorum salute est vehementer sollicita, cibo potuq; ex barbara illa Bacchanalium festiuitate indigna Christiano quodãmodò sauciis tamquam singulare, in aditu subsequentis vernalis ieiunij, sancta mater Ecclesia; atque eo si rectè vti voluerimus, sanitatem integram pollicetur, admonens singulos dum *Propinat hoc Ecclesia in capite ieiunij Quadragesimalis.* eorum notat frontem vel verticem conditionis suæ, dicendo: *Memento homo, quia puluis es, & in puluerem reuerteris.* Quod idem est ac si dicat imprimis ex ore Ecclesiastici: Eccl. c. 10. v. 9. *Quid superbis terra, & cinis:* & ex proprio, quid in

luxuru

luxum & voluptates effunderis mox futurus cinis & vermis.

Pulueris & cineris vsus humilitatē significat.

32 Ieremias de fideli Dei seruo, multis, vt tales solent, calamitatibus & miseriis presso, ac longè lateque circumdato, loquens, volensque suggerere opportunum simul consilium, simul remedium, quo leuari importunis suis molestiis possit, & Deo sponso animi sui suauiter ac feliciter perfruiscùm dixisset: *Sedebit solitarius, & tacebit: quia leuauit super se.* subiungit: *Ponet in puluere os suum.* Id est, quantum poterit humiliabit se, Deumque colens & venerans, dimisso in terram vultu, etiam vsque ad puluerem dimittet os suum, dicturus cum Abrahamo: *Loquar ad Dominum meum, cùm sim puluis & cinis*; si fortè hac tam humili supplicatione exaudiri & liberari mereatur. *Ille* namque, vt ait Hieronymus, *ponit in puluere os suum, qui humiliter sentiens fragilem se cognoscit: & de puluere se factum, iterùm in puluerem reuersurum fatetur.* Declarans deinde quid sibi velit illud Iobi dictum, *Ago pœnitentiam in fauilla & cinere*, ait: *In fauilla & cinere pœnitentiam agere, est contemplatâ summâ essentiâ, nihil aliud quàm fauillam cineremq́ se cognoscere.* Et mox dans rationem cur in agenda pœnitentia olim ferè coniungerentur cilicium & cinis, vti etiam à Niniuitis factum iam vidimus: *Vt in compunctione cilicij*, inquit, *cognoscamus quid per culpam fecimus: & in fauilla cineris perpendamus quod per vitium facti sumus.* Dixerat paullò antè: *In cilicio asperitas & compunctio peccatorum, in cinere autem puluis ostenditur mortuorum.* Demum concludit Hieronymus pulchrâ animaduersione & monitione. *Considerentur igitur in cilicio pungentia vitia, consideretur in cinere per mortis sententiam subsequens iusta pœna vitiorum.*

Threno. c.3. v.28.

Gen. c.18. v.27.

Hieron. in c.3. Threnorum.

Iob c.42. v.6.

Ratio cur Sardanapalus coniunxerit pœnitentiā sacci & cineris.

33 En quàm appositè indutus sacco siue cilicio Rex noster in cinere sederit, vtrumque coniungens, vt præ oculis illi esset culpa, simul & pœna. Nouum verò non est modò, fortè nec tum fuit, grauiora crimina sicuti igne & aquâ, ita etiam terrâ & cineribus expiare; iis exceptis, quæ iudices ob enormitatem inexpiabilia censentes, terrâ obtegi non patiebantur: quemadmodum de paricidis, quos tumulari nolebant, aliquando statutum accepimus.

Et verò quis nouit, an non idcircò Sardanapalus, homo tot tantisque sceleribus infamis, in cinere sederit; vt eo sordidatus, grauiores enormium suorum peccatorum sordes obtegeret; non ausus ita turpiter conspurcatus vitiis nefariis in supremi iudicis, quem nihil prorsus latet, quemque de se, & aliis sumpturum supplicium præstolabatur in dies, prodire conspectum.

34 De mente Sardanapali dubia & incerta non cupio longiorem sermonem instituere. Certè hâc mente esse peruelim omnes, qui aliquādo Deum grauiùs offenderunt, vt, quasi in cinere sedentes, compungantur & doleant, mortis habeant memoriam, quid sint, quid futuri sint aliquando, perpendant. Si faxint, non dubito quin facilè, cum Xerxe Persarum rege in specula Hellespontiaca ad conspectum innumerabilis multitudinis florētissimi exercitus sui illacrymante, ex consideratione quòd nemo illorum fortissimorum virorum, quos habebat in copiis suis, post annos centum superfuturus esset; ipsi quoque, sed longè feliciùs, soluentur in lacrymas, memores post moram exigui temporis, fortè nec annorum, nec mensium, sed dierum paucorum, sibi ex his corporis vinculis, solutis iam & liberis à concretione mortali in orbem alterum demigrandum: neque tum de iis, quas tantoperè ambierunt, voluptatibus, commoditatibus, diuitiis, honoribus, superfuturum quidquam, quàm acerbam memoriā & cruciatum insignem. Quare priusquam ab his deserantur, ipsi ea volentes lubentes cum gaudio & fructu deserent.

Peccatores mortis habeant memoriam, vt compūgantur.

Xerxes lacrymatur ob morientium multitudinem.

Meminisse se esse cinerem, & secundùm hoc viuere, magna est sapientia.

35 Quàm benè dixit illе
—— *Puluis & vmbra sumus.*

Horat. lib.4. Ode 7.

Magna philosophia, raraque sapientia est, huius sæpè meminisse; maior verò semper secundùm hoc viuere. Ferunt Democritum philosophum Abderitem

Democritus ambulabat inter sepulchra.

deritem inter ſepulchra, vbi nil niſi puluis & cinis, putredo & vermes, ambulare ſolitum: quòd diceret veram & optimam philoſophiam eſſe mortis meditationem. Audite Chriſtiani philoſophi, & imitamini. Intuentes mortuorũ ſepulchra, oſſa, caluariem, cineres, mementote quoque vos eſſe mortales, & vt mortales viuite, recolendo ſæpiùs illud Ethnici hominis dictum, ſed verè Chriſtianum.

Horat. l. 1. Carm. Ode 16.

Quid breui fortes iaculamur æuo Multa? ———

Putredini dixi, inquit magnus ille vir, *Pater meus es, mater mea, & ſoror mea vermibus.* Quid ita? quia nimirum ſe reſolutum iri ſciebat in vermes & putredinem, & poſt mortẽ cum vermibus & putredine ſemper manſurum.

Simonis Exhortatio 7. in die Cinerum.

Obſeruatio eſt elegans Petri Simonis Epiſcopi Yprẽſis: Quãdiu hîc viuimus maxima nobis familiaritas eſt cum parentibus & propinquis; at hæc in morte finitur, in hac parẽtes & propinqui omnes nos deſerunt, inde cum aliis nobis æternus conuictus erit. Cum quibus? cum vermibus & putredine. Hic cum parentibus & propinquis, decem, viginti, triginta, ſummum quadraginta aut quinquaginta annis viuimus, poſt mortem in ſepulchro multis annorum centenariis vel millenariis cum putredine & vermibus acturi. Illi tum parentes, fratres, ſorores, amici, conuictores, & ſodales noſtri ſunt in æternum.

Aquila cum ceruo pugnantis induſtria. Plinius lib. 10. c. 4.

36 Refert Plinius aquilã luctantem cum ceruo, vt euadat ſuperior, præclarâ vti induſtriâ: inſidere namque cerui cornibus, & alis ſuis collectum puluerem plurimum, in eius excutere oculos, ac eumdem tam diu agitatione pennarum ſuarum fatigare, donec cæcutiens quodammodò, ignarus mali, impetu feratur in rupem. Nemo eſt eorum quibus aquilini ſunt oculi in cælum ſolemque æternum erecti, & celeres ad volatum pennæ, qui negotium non habeat cum cõmuni humani generis hoſte diabolo, quouis ceruo velociore, magiſque expedito ac celeri; nemo eſt quem ille non ſuis cornibus impetat, neque binis tãtùm, ſed plus denis quibus ſurſum elatum, faſtu inquam & arrogantiâ timidum, contendit ad terram allidere, & rapere in prędam. Quid facto hîc opus? quânam ille hoſtis ita cornibus feriens, tam velox & celer, vincetur induſtriâ? Cineres humilitatis non patitur; nam rex eſt ſuper omnes filios ſuperbię: itaque, aquilarum adinſtar, pernices mentis noſtræ alas à Deo & natura datas, intellectum & voluntatem, hoc cinere, hoc puluere, id eſt miſeriarum noſtrarum & mortis oppleamus memoriâ, abiectè hæc nos de nobis ſentire faciet. Id verò vbi fecerimus, & puluerem illum demiſſionis animi in eius excuſſerimus oculos, ſe ſubducet ac tutum; eſt enim quouis ceruo timidior & fugacior; atque ita alliſus ad petram ſuccumbit.

Illa cum diabolo pugnantibus imitanda.

Stratagema Sertorij contra rebelles Romanos in pugna. Plutarchus in Sertorio.

37 Simili vſum ſtratagemate Sertorium, eratis Nurſiâ oriundus, ex Romanis ducibus illuſtrioribus, numero impari cõtra Characitanos, populus is eſt ſupra Tagum flumen, decertãtem, narrat Plutarchus præclarã obtinuiſſe victoriam. Eius quomodo nobis quoque prodeſſe poſſit conſilium & induſtria paucis exponã. Vallo munitus erat hoſtis hic vrbis populique Romani, contra quem agebat Sertorius, ſed magis naturâ loci quàm arte. Etenim cùm ingentem collem incoleret, ſubiecta regio lutum argillæ ſimile, terramque quæ præ raritate facilè in puluerẽ diminuebatur habebat; adeoque non erat acceſſus ad illum. Videns id probè Sertorius, inuiam dumtaxat hoſti oberrabat viciniã, hæc verò dum facit, notat à terra versùs eum magnã vim pulueris à vento incitari, & ex illo conſilium captãs, ſibi quoque vallum, & aggeres erigendos cenſuit, eoſque confeſtim erexit, ſed aliâ ratione; conflatos nimirum nõ ex ceſpitibus & gleba, ſed ex puluere & cineribus; expectauit deinde auram ventumque propitium, atque his fruitus, in eos à ſe cõſtructos magnâ celeritate equos immittens, ita cineribus hoſtium ſuorum oculos, aures, & nares oppleuit; vt impatien-

Illud quoq; imitandum contra diabolum pugnanti. patientes tanti incommodi, tamquam inidonei pugnæ, dedere se in potestatem ipsius cogerentur. Quin sic etiam facimus, & opponimus hosti nostro multis partibus nobis potiori & fortiori, de quo Iob ait: *Reputabit quasi paleas ferrum, & quasi lignum putridum, æs;* (Iob c. 41. v. 18.) aggeres, sed de puluere agnitionis propriæ vilitatis formatos, ex cinere humilitatis constructos, eósque sereniore diuinæ gratiæ aurâ fauente, & Spiritus sancti adspirãte fauonio, in oculos eius veloci ad cælum & cælestia cõtentione cursuque excutimus? Id si constanter egerimus, haud dubiè succũbet in pugna, & illam animi demissionẽ non ferens, tamquam victus, & planè superatus prostratúsque aufugiet.

Rex Niniue visu cineribus victoriam obtinuit. 38 Sic vicit ille magnus Rex Niniue, de quo nobishîc sermo. Vidit esse quodammodò de sua & suorum omnium salute conclamatum, concessâ dumtaxat ipsis ad pœnitentiam paucorum dierum exiguâ morâ; omne igitur præsidium suũ, & robur in cilicio & cinere pósuit, arbitratus nihil esse melius, quàm regem, ceteris potestate & dignitate superiorem, præ ipsis quoque humanæ conditionis ac mortalitatis meminisse, sedentemque in cinere, re ipsâ magis quàm verbis profiteri, omnem mundi gloriã, & quidquid bonorum est sæculi, pulueris instar ac cineris pedibus transeuntium proiici & conteri soliti, dissipandum, calcãdum.

Oratio regu Niniue sedentis in cinere ad suos. 39 Verùm quid dixit, quid egit sedens in cinere? Imaginatur S. Ephrem illacrymatum conuocasse copias suas, & ad illas locutum in hæc propè verba: (S. Ephrem ser. in Ionam to. 3.) *Quàm multis in prælijs victor fui, atque etiam vos quoties aduersùs hostes strenuè decertantes vbique celebrati estis, non est ampliùs consueti belli tempus, vt egressi rursus vincamus: multarum nationum ac populorum victores fuimus, & nunc ab vno Hebræo superari debemus: sola nostra vox reges exterruit, & iam miserandi illius vox omnes nos perturbat: nos frequenter quocumque tempore ciuitates depopulati sumus, & in nostra ciuitate nos quoque peregrinus superat.*

40 Ad has Regis voces audire mihi videor susurrando respondentem populum, & dicentem, vera Rex loquitur: sed *Subditi à rege consilium petunt.*

Quid iuuat annales nostrorum audire laborum?

Aliquid vellemus in tanta, qua modò versámur, necessitate præsidij. Quid suades, quid iubes Rex inclyte, in rem nostram futurum? Regis prudens, maturum, & prouidum consilium, ex eodem sancto Ephremo accipite: *Vos,* inquit, *in bello reges vicistis: at precibus satanam nunc vincere studete. Egrediamur deinceps castra nostra, & forte cum ipso bellum committamus: Exuite thoraces, & induite saccos; pharetras abiicite, & ad preces confugite; relinquite enses, & quærite fidem; tela confringite & ieiunium suscipite. Nullius momenti est victoria, quã superiores eramus cum hostibus pugnantes ac regibus terræ. Si hunc vicerimus, maius quid erit victorijs ac trophæis, quã quondam ereximus. Et quemadmodũ ego semper primus eram, qui in acie consistebam, & me opponebam; ita & in hoc quoque primus futurus sum bello.* *Regis consilium exponitur.* (S. Ephrem vbi suprà.)

Digna sanè tanto Rege, tanto Imperatore vox! quæ sicuti valuit ad eius copias permouendas, & vniuersam tam amplæ ciuitatis multitudinem in fletum, planctum, ieiunia, & quod caput est, in veram perfectamque pœnitentiam, cogendam, ita valere debet, vt nos quoque permoueat, ad acquirendam cognitionem penitiorem nostræ conditionis, & illius frequentiorem renouandam memoriam.

41 Valuit in Gandiæ duce Francisco Borgia, quòd non Sardanapalũ regem Niniue sedentem in cinere; sed Elizabetham Austriacã imperatricem, Caroli Quinti coniugem, præstanti formâ feminam dum viueret, iacẽtem in sarcophago paucorum dierum spatio à morte ita immutatam vidit; vt præ putredine, sanie, puluere, sordibus, agnosci vix posset. Valuit hoc inquã in eo, & effecit, vt humana cuncta contemnere, & quidquid est in orbe terrarum honoris & gloriæ, vni Christi militiæ posthabere statuerit. Neque id segnius deinde fecit ac statuit: mox se ab aula *Francisci Borgia conuersio ex consideratione cadaueris Elizabetæ Caroli V. vxoris.*

&

& tumultibus aulicis ad religionis scholam, id est ad Societatis IESV, tum recens satis, à Sancto Ignatio excitatum nouum virtutis gymnasium conferens; ibi ex Christiana philosophia ampliùs intellecturus, quid sit homo, quàm vmquam anteà inter aulæ strepitus didicisset.

Iob docet nos praclarè cognitionem sui.

42 Si cui ex vobis, aut nimium timidus, aut certè non sapiens satis videatur Rex Niniue; vt ex eo discere possitis, aut fortè velitis, vitæ rectè imposterum instituendæ rationes, & ex facto ipsius humanam conditionem perfectè cognoscere; dabo, vti antiquiorem, ita & sapientiorem, virum in diuina humanaque philosophia apprimè versatum qui hoc doceat. Est is Iobus, suâ patientiâ notus, ab hac, & à virtutibus ceteris laudatus, qui persuadere volens, quàm quemque esse fragilitatis suæ & vilitatis memorem oporteat: *Homo,* inquit, *natus de muliere, breui viuens tempore, repletur multis miseriis. Qui quasi flos egreditur, & conteritur, & fugit velut vmbra, & numquam in eodem statu permanet.*

Iob c. 14. v. 1.

Ex cognitione hac prouenit humanarũ rerum contemptus.

Hæc si altiùs insederint animo, facilè erit statuere, quàm non sit rebus humanis, tam caducis, fragilibus, breui perituris, immorandum; quàm non efferendus in superbiã animus, tametsi hîc omnia ad gustum voluntatemque affluant. Dixit aliquando Augustinus, & ego ex ore illius repeto: *Memor naturæ ne extollaris aliquando, memor autem eris si teipsum respexeris.* Itaque, quisquis es, teipsum respice, & factus de puluere, sede in puluere, sede in cinere, cilicio & sacco vestitus, ibi lacrymis expia, quod peccasti.

Aug. lib. Sent. sen. vltima.

Rex Niniue qui præiuit ad malum, præit ad bonum.

43 Rex Niniue, quemadmodum loquitur Abbas Philippus, *Sicut princeps & præcipuus ad culpam exstitit contrahendam; ita priorem se & conspicuum ad eandem esse voluit abolendam: ne plus excellentia eius ad iustitiæ valuerit detrimentum, quàm ad iustitiæ honestius & vtilius incrementum.* Si quis est inter vos quoque, quod nolim suspicari, qui aliis viam præiuit ad crimen, qui eosdem offendit exemplo, is pariter pro expiatione criminis iisdem præeat ad pœnitentiam, ad criminum detestationem, ad vitam meliorem, & in hoc sibi Regis huius exemplum proponat: dicatq; cum Dauide: *Peccatum meum contra me est semper.* atque vt ita esse ostendat, alios quoque à peccato auocet. Ceteri quos peccata non grauant aliena, sed neque magnoperè propria, à se tamen & sui cognitione, sedentes in puluere, & ibi considerantes frequentem à se operum bonorum neglectum commissum, oculos non auertant, more sanctorum, de quibus ait Gregorius: *Sancti non solùm inspiciunt mala quæ fecerunt; sed bona quæ accepto munere reddere debuerunt; tantò enim se ampliùs sentiunt peccatores, quantò ex neglectis bonis debitores tenentur.* Porrò hæc animi demissio via est securissima, ducens ad vitam, quam omnes optamus, beatam & sempiternam. Ad quam secundùm Eusebium Emissenum etiam peccator perueniet, *Si peccatum ita conuersatio obliuiscatur, vt compunctio recordetur. Ita illud reatus confessionis ostendat, vt virtus satisfactionis abscondat. Ita viuat in conscientia, vt moriatur in vita.*

Phil. Abb. de silen. Cler. c. 81.

Ita alii, qui auctores mali fuerunt, faciendum.

Psal. 50. v. 5.

Greg. lib. 11. Moral. c. 5.

Eufeb. Emiss. hom. de pœnitentia Niniuitarũ.

LECTIO

LECTIO DVODECIMA.

ET CLAMAVIT ET DIXIT IN NINIVE EX ORE REGIS ET PRINCIPVM EIVS, DICENS: HOMINES ET IVMENTA ET BOVES ET PECORA NON GVSTENT QVIDQVAM: NEC PASCANTVR ET AQVAM NON BIBANT. *Vers. 7.*

ARGVMENTVM.

Concilium Regis de indicenda populo suo pœnitentia proponitur. Eiusdem de communi salute cura laudatur. Ad similem curam reges, principes, magistratus animantur. Prima edicti regij pars, complectens imperatum hominibus, iumentis, bobus, pecoribus ieiunium expenditur. Contra Caluinum, damnantem indicta ab Ecclesia ieiunia, agitur. Quantâ accuratione & vtilitate hæc decreti regij pars à Niniuitis sit obseruata ostenditur. Ad eorumdem imitationem Beatissimæ Virginis SODALES *animantur.*

1 *Consilium Rex Niniue de iuuandis subditis suscipit.* QVONIAM pronuntiata per IONAM Dei sententia, non tantùm contra Regem, sed contra totam fuerat ciuitatem; Rex prudens ac sapiens, pro affectu quo erat in suos, magnâ sollicitudine, non sibi tantùm, sed omnibus quoque subditis suis in eodem constitutis discrimine, consulendum putauit. Sibi consuluerat surgens de solio, vestimentum abiiciens, induēs saccum, sedens in cinere: ipsis quâ ratione posset consulere, maioris deliberationis res erat: itaque, quemadmodum in grauissimis regni negotiis, quæ vniuersam concernunt rempublicam, eamque non parum, aut labefactare, aut stabilire possunt, potiores quique ac sapientiores in consilium adhibentur: ita in hac re maximè ardua, vbi de vita, & interitu omnium agebatur, nullum est dubium, quin conuocati magnates, vrbis inquam & imperij proceres, quotquot erant ad manum, Rege postulante sententiam dixerint.

Oratio illius ad regni Proceres. 2 Orationem, quam ad illos de propositi negotij statu ipse Rex habuit, ex B. Ephrem, prout hic Sanctus eam cōscripsit, si lubet accipite. Prolixior quidem erit aliquantulum, sed spero quòd fastidium non pariet. *S. Ephrem ser. de Iona tom. 3.* *In maximā,* inquit, *nos Ionas sollicitudinē atque mœstitiam, suâ, quâ prædicat voce, coniecit. Siquidem aspectus eius vilis est, ac minimus: at vox ipsius sonora est, & terrorē plena. Coram omnibus vobis interpellaui eum, vt tamquam in fornace illius verba probarentur. Non est territus à nobis, neque commotus. Sed neque in verbis quæ protulerat mutatus est, prorsus inquam non est commutatus: quia veritati consentiebant. Blanditiis cum ipso egi: sed non persuasi. Terrorem incussi ei: sed non est remissior effectus. Ostendebam ei diuitias,: & irrisit me. Exhibebam ipsi gladium: & subsannauit me. Ensem neglexit, & munera contempsit: in nullo enim istorum hic remissior euasit. Sunt qui munerum blanditiis flectuntur, alij, gladium cernentes expauescunt: at hunc Hebræum inter assentationes & minas constitutum, vtraque in re inuenio fortem. Vidit hic gladium, & irrisit eum; auaritiamq. tamquam rem nihili superauit. Omnis sermo ex eius ore fluens, suo acumine verba scindit. Non terretur omninò austeritate meâ, neque oblatis honoribus, personam cuiusquam respicit.*

 Cunctas

Cunctas nostras diuitias vt stercus quod pessumdatur æstimauit. Numquid ergo faciem suam æream reddens sic ad nos è Ierusalem aduenit? Sermo ipsius factus est nobis loco speculi, in quo Deum habitantem, & malis nostris actionibus comminantem vidimus. In ipso autem rectam iustitiam prauis nostris irascentē debitis aspeximus. Propterea sententia peruenit ad ciuitatem ex ore Dei contra nos egressa. Quòd si aduentans, pacem prædicasset; suspicari potuissemus, ipsum velut aliquem turpis lucri cupidum, præclaris scilicet ac faustis, quæ nobis vaticinaretur, munera à nobis pro mercede suorum sermonum captare. Medicus veritatis ad ægrotantem ingrediens, veritatem prædicat: chirurgiâ vtendum, ignisq; acerba esse cauteria adhibenda prædicit. Non veretur molarium dentium enarrare euulsiones; non pertimescit ad Regem properare, & ei suos morbos aperire; non veretur vel ipsi austeritatis pharmacum propinare. Quis ergo mendacem eum appellet, qui iram prædicat? si enim mendax esset, etiā verbis adulatorem agere deberet. Superat atque excellit, vt video, quoscumque medicos, neque tantillum quidem panis vult à nobis porrectum comedere.

Auditis Principibus & Cōsiliariis, Rex agendā à singulis pœnitentiā statuit.

3 Hac aut simili ad imperij principes oratione à Rege habita si habita, non est dubium quin fuerint vehementer commoti: ab eodem verò rogati, quid quisque sentiret, cùm itum in suffragia fuisset, aliis, vti fieri in rebus dubiis solet, aliter atque aliter opinātibus; satis apparet Regem, cuius erat quid esset agendum tandem aliquādo decernere, in eam venisse sententiam, vt voluntate propriâ à singulis aliquid assumeretur pœnarum, quod ad priorum redemptionem delictorum conduceret. Hanc Regis ex Senatus consulto mentem sensumque, idem qui antè S. Ephrem, ipsis velut eius verbis, enarrās ait: *Si iustus cùm sit Ionas ieiunat, studeamus & nos ieiunare, quoniam peccauimus: si tantus cùm sit, rogat & obsecrat seriò ac diligenter; etiam nobis ipsis saccos substernamus.* Curat igitur, prout constituerat, suâ ac principum suorum auctoritate confici diploma quamprimùm, illudque totâ ciuitate vulgari, & quidem solenniter per apparitores publicos vocemque præconis.

S. Ephrem loco citato.

Id per præconem edici curauit tota ciuitate.

4 Indicant hoc verba Prophetæ rem gestam narrātis cùm ait: CLAMAVIT ET DIXIT, præco nimirum vt interpretatur *V*atablus, Emanuel Sà, Cornelius, & alij: EX ORE REGIS ET PRINCIPVM EIVS, qui in illud, vt diximus antè, consenserant.

Adhibiti haud dubiè ad hanc proclamationem magnâ celeritate (festinato quippe opus erat, cùm esset magnum in mora periculum, & nemo in tanto discrimine ignorare deberet quid esset agendum, ne quis fortè periret ignarus consilij, ignarus remedij) præcones complures, qui totâ ciuitate, quanta quanta est vno eodemque tempore *Ex ore Regis.* Chaldæus habet *ex gustu*; alij *ex mente siue sententia Regis & principum*, nempe Consiliariorum ipsius, toti populo non indicarent modò; sed latâ lege præceptoque, iuberent agenda, atque edicerent.

Vtilia decernere ad Reges, Principes, Magistratus spectat.

5 Huius imitatione regis ac principum optandum discant moderni Reges, Principes, Magistratus, & quotquot ad clauum sedent reipublicæ, quocumque titulo, vel honore sublimes, statuta ac leges condere in auxilium & salutem futuras subditorum; iisque opportunè non solùm in his quę corpus, sed multò magis in illis quæ animum spectant, quantum in se fuerit prouidere. Multi hinc inde toto Orbe terrarum; nam in hoc errore variis locis non pauci versari solent magnum se fecisse cōpendium putant, si subinde, etiam in rebus quā maximè necessariis pepercerint sumptibus; & benè se de republica meritos arbitrātur si seueras leges cōdiderint de bonis cōmunibus nullo titulo etiam caritatis alienandis; quod vt facere se posse imò debere, colore aliquo fucato, meliùs aliis suadeant atque persuadeant, inopiā allegant ærarij publici & eorū qui in hoc cōferre aliquid debent insignē calamitatē, & sic ratiocinantur: quasi non satis rectè impensæ sint opes, neque

Auxisse ærarium aut conseruasse non semper vtilissimum est Reipublicæ.

Impendēda pecunia in res maximè communitati vtiles. neque vllo modo erogatæ in cõmune bonum, quæ in templa erigenda, exornãda, quæ in orphanorum, viduarum, pauperum, senum domos, in nosocomia, xenodochia, monasteria erogantur, quæ impenduntur in honestã sustentationem religiosorum, vnius Dei amore, omnibus bonis quæ habebant, aut sperare poterãt, sponte se abdicantium. Scilicet magis interest Reipublicę senatores subinde ferias agere, conuiuia instituere, abligurire aliquot centenos aureos cœnâ vnâ, atque ita antiquas symposiorum leges consuetudinesque seruari; quàm anno vno ali pauperes decem, viginti, aut plures, alioqui præ inedia perituros, dotari templum aliquod certis pro re diuina reditibus, scholas erigi, xenodochia aptari, pauperculis domibus religiosis de subsidio aliquo prouideri. Hoc quidem aliquot oppida detractis sibi epulationibus quibusdam annuis magis sumptuosis, & minùs necessariis, magnâ sui commendatione, & longè maiori apud Deum remuneratorem bonorum omnium merito, fecisse non semel accepimus: verũ locis multis prô dolor! nihil esse ad illa putatur residui, interim verò ad celebranda conuiuia multum etiam superflui reperitur.

Iudicium ineptum sæcularium de religiosis. 6 Ad religiosos quod attinet, sæcularium de illis sensum minimè omnium in hos aliquid erogari cupientium, exprimens Iacobus Aluarez de Paz laudatissimus scriptor: *Sæculares*, inquit, *nõ parum errant putantes malè aut imprudenter insumi quidquid religiosis impenditur, & non ad ipsorũ sumptus, sæpissimè vanos & prophanos, erogatur. Clamant illi cum imperfectis discipulis, vt quid perditio hæc? poterat enim vnguentum istud venũdari & dari egenis. Nec animaduertunt quod egenis religiosis datur, qui ratione status perfectionis sæcularibus præstãt, & Christo ipsi, atque ad eius cultum offerri.* Hęc ille.

Aluarez de Paz de Exter. mali & Promot. boni lib. 4. par. 4. c. 4.

Excusatio calua eorũ qui in res pias & sanctas nihil de publico cõferri volũt, sed benè in alia. 7 Porrò vt parsimoniam suam (libet enim honestissimo vti vocabulo, alioquin meliùs fortasse dixissem sordes auaritiæ, aut animum parum in res pias ac sanctas procliuem) tueantur & obtegant homines quidam variis in prouinciis ac regnis aliter sentientes, aut potiùs, vt efficiant nihil sibi, nihil collegis suis, aliisque ærarij publici præfectis decedat, quò cuticulam pro libitu suo quandoque curẽt liberaliùs aut propriam crumenam farciant; magnum quid dixisse se putant, & os occlusisse supplicibus, dum nihil se in eo genere audere, nihil posse polliceri adstrictos fidelitatis sacramẽto in conseruationem boni communis, siue ciuitatis, siue totius Reipublicæ, religiosè, vti videtur, asseuerant.

Ridiculum! sacramento in admissione ad munia publica, vti Quæsturam Senatoriam, Consularem dignitatem & similes edito aduersatur, subuenire pro communi bono laborantibus aut senibus iam effœtis, qui suo tẽpore strenuè laborauerint, si quando necessitate aliquâ premũtur, atque in angustiis constituti recurrunt vnius Dei amore pro subsidio aliquo atque eleëmosyna: non aduersatur abundè habẽtibus pro solo splendore Senatus dare amplius, atque in largitiones, in epulas, in sumptus inutiles, millenos & millenos aureos profundere, sibiq; mutuò de publico prouidere.

8 Non hęc iam eò dico, quòd Senatoribus & quibuscumque aliis, laborãtibus pro bono communi indesubueniri nolim; non quòd illis honestæ epulæ subinde inuidẽdę sint; sed quòd existimem illos vicissim inuidere aliis nõ debere, vt habeant saltem vnde viuant, si non lautè & largiter diuitũ more, non etiam omninò sicut mẽdici qui stipem quærunt ostiatim in triuiis, & sicut homines frugiperdę quibus deesse tamen non solet necessaria alimonia, quando præsertim tota illorũ cura est, ciuium saluti, ipsis aut pergræcãtibus, aut altũ stertentibus, diurnis nocturnisq; horis incũbere, psalmos canere, Deo ardẽter pro incolumitate Reipublicę supplicare; quò etiam fit vt ipsorum preces sępè amplius multo, quàm magnũ militum pręsidium tẽporibus bellorũ ad defensionẽ ciuitatũ, vt benè agnouit nuper vitâ functus Ferdinãdus II. Romanorũ Imperator, conferant atq; conducant. *Qui pro Republica laborant ex ærario Reipublicæ benè habendi sunt.*

9 Certè, si talia ne concedantur benè meritis mos vsquam obtinuit, si ea quæ suprà recensui in legem aut consuetudinem prauam abierunt; ab iis qui amant Rempublicā tollenda videntur, nisi paulatim ipsam perire velint bonis & vtilibus viris sublatis, aut abcedere egestate ac rerum omnium inopiâ coactis. Nam hęc non diu cōsistere poterit, quando religio, pietas, & virtus religionis tutatrix sic quodāmodò pulsa, ibi exulant, luxu, comessationibus, cōuiuiis publicis, largitionibus liberalioribus & parū vtilibus, quibus ærarium non mediocriter exhauriri solet, inualescentibus. Neque tamen vlli hîc persuadere contendo, quòd alterum foret extremum, non minùs noxium, ita esse in res, pias licet & sanctas, minùs tamē subinde necessarias, profundendā aliquando pecuniam publicam, vt non sit deinde vnde accipiat stipendiū miles, qui pro salute patriæ, se vitāque suam quotidianis periculis obiicit. Nam & huic & cuicumque pro cōmuni bono laboranti, etiam ex ærario communi faciendum est satis, ac singulis, pro dignitate muneris, & laboris merito, atque etiam subinde aliquid supra meritum largiendum, prout censuerint illi qui publicis rebus præfecti inuigilant.

Vigilantia Regis Niniue pro bono communi ostenditur. 10 Attentus hîc est in rem cōmunem Rex Niniue: quare vt vitia omnia lōgè lateque ciuitatē depopulata atque depasta, tollantur ieiunio, seuerè mādat. HOMINES, inquit, ET IVMENTA, ET BOVES, ET PECORA, NON GVSTENT QVIDQVAM, NEC PASCANTVR, ET AQVAM NON BIBANT. Primò hominibus id, vt videtis, imponitur, quibus est in cetera animantia imperium. Non est apud Regē hunc, quemadmodum modò apud plerosque, de epulis, de instruendis conuiuiis sermo; sed de iis abrogandis, de seruando celebrandoq; ieiunio, quod hîc omnibus omninò, non viris modò & adolescentibus, sed mulieribus quoque, paruulis, infantibus, atque lactentibus, nullo discrimine imperatur. *Iubet*, inquit S. Maximus, *omnem sexum, omnem ætatem, à diurnis epulis abstinere.* S. Maxim. de ieiunio Niniuitarum.

11 Verùm quid commisere paruuli, quòd etiam ipsi ieiunare iubeantur, an non hoc crudele & barbarū? Cur quęso agant pœnitentiam, qui per ætatem necdum peccare potuerunt? Laudant hoc sancti Patres, & facti causam dat S. Maximus, dicens: *Additur religioso exercitui numerus, cùm in tali deuotione etiam infantia militare cōpellitur. Pietas enim esse creditur in tali causa paruulis quoque cibi substantiā denegare: non enim sufficiebat ad placandum Deum peccantium satisfactio; nisi seniorum quoque peccata paruulorum innocentia deploraret, & fletibus alienis delicta sua iuuentus ablueret.* Aliquantò clariùs S. Chrysostomus propositâ hac quæstione: *Quia de causa immaturam ætatem ad supplicationem vocat?* Respondet. *Quoniam omnes viri ætate perfecti exacerbauerunt Deum, & ad iracundiam concitauerunt, ætas, inquit Rex, peccatorum expers irato supplicet.* *Infantes cur ieiunare iubeantur.* Chrysost. hom. 3. ad Populum.

12 Quid sibi vult quòd præter homines omnis ætatis, conditionis, & ordinis, ieiunare vlteriùs iubeantur etiam *iumenta, boues, & pecora?* D. Hieronymus, Remigius Antissiodorensis, Rupertus Tuitiensis Abbas, & alij, sicuti per *homines*, rationabiles quoslibet & prudentes; ita per *iumenta* irrationabiles & simplices volunt intelligi secundùm illud Psalmistæ: *Homines, & iumenta saluabis Domine.* *Quinam intelligantur nomine iumentorum & variè exponitur.* Psal. 35. v. 8.

Addunt Remigius & Rupertus, respicientes ad legem gratiæ, per prædicationē Euangelij, omne genus hominū, tam ratione vtentium, quā eorum qui more brutorum viuebāt, ad pœnitentiā & fidem Christi fuisse conuersum. Hugo Cardinalis in eadem cum illis sententia, enucleatiùs per *iumenta* stultos, per *Boues* intelligendos ait prudētes, per *Pecora* simplices. Sed hęc quę diximus hactenus ex prædictorum auctorū interpretatione allegorica sunt.

13 Vatablus designatos ait per *Iumenta* equos & mulos. Albertus Magnus etiam asinos; id est ea omnia quæ in adiumentum laboris sunt facta. Hoc verò quod additur *Boues & pecora* vult Vatablus prout sonat capiendum; vt vide-

videlicet non fuerint immunia à ieiunio vlla animantia: quem esse litteralem & genuinum illorum verborum sensum existimo. In eam sententiam dixit Chrysostomus. *Omnium statim fit ad ieiunium concursus, virorũ, mulierum, puerorum, neque brutorum natura fuit à tali immunis ministerio.* Præcipit ergo Rex & indicit ieiunium etiam animantibus. Quod illius præceptum explanans & declarans ampliùs in persona regia D. Basilius Seleuciæ: *Condoleat*, inquit, *vnà cum rationabili natura irrationalis, communis calamitatis communis sit lamentatio; vnus enim omnium conditor, vna manus efformauit vniuersum, vna in omnes explicata est prouidentia, ieiunio vocet quem linguâ minùs possũt, vt mœroris misertus sentẽtiam soluat.*

Animalia etiam ieiunare iubentur. Chrysost. hom. de Pœniten. n. 80. ad Populum. Basil. Seleuciæ Orat. 11.

Quibus verbis huius præcepti causam vnã assignat Basilius; quòd Deus, licet animantia, multò minùs quàm homines vlli, sint peccati capacia, eorum tamen æquè ac hominum, conditor sit; quodque ad ea eius quoque non minùs quàm ad homines, prouidentia extendatur.

Rationes indicti animalibus ieiunij variæ. Prima.

14 Alteram causam tradit Rikelius; quia aliquid sunt hominis qui peccauit, nẽpe illius possessio. Iustè peccante domino punitur & seruus: quidquid est iumẽtorum, boum, & pecorum, homini domino suo seruit, & fideliter seruit; cum illo ergo ne puniantur hæc omnia, agunt quoque ipsa cum eodem asperam pœnitentiã. Deus sicut propter hominem omnia condidit, & omnia illius subiecit imperio, secundũ illud Dauidicum: *Omnia subiecisti sub pedibus eius; oues, & boues vniuersas, insuper & pecora campi*; ita propter hominẽ, & cũ illo omnia tollit, omnia punit: cùm illi irascitur, irascitur quoq; omnibus quę illi esse possunt obsequio, omnibus quę illi famulantur. Ita tẽporibus Noë, quando *omnis caro corruperat viã suam super terram*, non solùm diluuio puniti sunt homines; sed quidquid erat animantium, iis exceptis quæ mandante Deo illata erãt in arcam, prorsus interiit. *Consumpta est*, inquit S. Scriptura, *omnis caro, quæ mouebatur super terram, volucrum, animantium, bestiarũ, omniũmque reptilium quæ reptant super terram: vniuersi homines, & cuncta, in quibus spiraculum vitæ est in terra, mortua sunt. Et deleuit omnem substantiam, quæ erat super terram, ab homine vsque ad pecus, tam reptile quàm volucres cæli.*

Secunda ratio cur bestiæ ieiunent. *Homini omnia subdita sunt, omnia illi seruiunt.* Psal. 8. v. 8. Gen. c. 6. v. 12. *Tẽporibus Noë & Loth cum homine punita idcircò sunt reliqua, & subuersa omnia.* Gen. c. 7. v. 21.

Simili ratione in horribili illa Pentapoleos deflagratione vastoque incendio, quando pluit Dominus super Sodomam & Gomorrhã ignem de cælo, illâ tam funestâ flammâ non tantùm absumpti sunt homines, sed quidquid animalium, quidquid arborum, herbarum, aut fruticum, illis erat in vrbibus, locisque vicinis prorsus interiit. Verba sunt S. Scripturę: *Subuertit*, scilicet Dominus, *ciuitates has, & omnem circa regionem, vniuersos habitatores vrbium, & cuncta terræ virentia.*

Gen. c. 19. v. 25.

15 Neque melius aliquid exspectandũ erat Niniuitis, quibuscum & pecora, & quidquid est animãtium, quidquid arborum, quidquid ædificiorum, quidquid argenti & auri ac supellectilis variæ, quidquid denique habebãt, bonorum cuiuscumque generis, erat funditus periturum: nisi hoc decretum diuinum tam solennis pœnitentia rescidisset. Quare cuncta quoque in hac publica communique necessitate lugent cum homine, & dominum suum quo valent modo tutantur; seque simul ipsa conseruant, ab eo in societatem luctus & pœnitentiæ nõ modò pertracta animalia verùm etiam alimentorum quotidianâ subtractione compulsa.

Cum Niniuitis omnia quæ erant in Niniue periissent.

Pulchrè ad hoc S. Chrysostomus regij huius edicti interpres: *Nõ licet brutis sermone Dei iram discere, discant famis, quod à Deo infligitur, plagâ. Etenim si dirueretur*, inquit *ciuitas, non tãtùm nostri inhabitantium, sed & horum vna esset cõmunis sepultura. Pœnæ igitur partem habere debentia, & ieiunij partem capiant.*

Chrysost. hom. 3. ad Populum.

16 Tertia causa, cur præceptum regium ad ipsa quoque translatum deductumque sit animantia, datur à Gaspare Sanchio, quam reperio olim quoque à S. Chrysostomo traditam; quod cum nouissent Rex, senatus, & principes, adeò esse contaminatam

Tertia ratio cur animantia ieiunent.

 ciui-

ciuitatem vniuersam, vt in ea vix ageret quisquam immunis à culpa; nihil magis iudicauerint opportunum, nihil æquè robustum ac validum quod concitato in se furori diuino opponerent, afflictione, clamore, ieiunio animantium; quæ saltem, tametsi deliquerint homines, nihil vnquam in Deum peccauissent.

Audiamus de hoc disserentem copiosiùs solitâ suâ facundiâ nominatum à nobis paullò antè Constantinopolitanum antistitem S. Ioannem Chrysostomum. *Aliud quiddam*, inquit, *tunc fecerunt, quod & prophetæ faciunt: etenim illi, cùm flagellum aliquod intolerabile de cælis ferri viderint, atque puniendos sine fiducia esse confusione plenos, neque veniâ neque excusatione dignos, nec habeant quid faciant, nec vnde condemnatis præbeant patrocinium; ad bruta confugiunt, & illorum mortem deplorantes, ex his supplicationem faciunt, & miserabilem, & luctuosam ipsorum perditionem proponentes.* Subiicit deinde prophetarum, qui hoc genere orationis apud Deum sunt vsi, exempla nonnulla: hæc ego breuitatis causâ prætereo.

Chrysost. hom. 5. ad Populum.

17 Adiungo dumtaxat tribus causis iam enarratis, alias duas, & dico: apposité sapienterque etiam brutis statutas à Rege leges certas inediæ. Primò, vt hinc homines, vel tantillum sapientes, ac rerum suarum minimè improuidi, intelligerent, quàm ipsi censeri deberent graui pœnâ supplicioque digni, adeò turpibus & nefariis implicati sceleribus, quando hæc ipsa animalia nihil omninò commerita luere tanta pœnarum sibi inflictarum acerbitate coguntur.

Quarta ratio cur bestiæ ieiunent.

Deinde vt eorum excitati hinnitu, mugitu, boatu, balatu, latratu, grunnitu, rugitu, & vt sua cuique dedit natura gemitu, ac vlulatu terribili, insueto humanis auribus; ipsi quoque eorum domini mortales omnes vehemētiùs plangere, lugere, ac duci pœnitentiâ discerent, tanto clamore animantium, tantaque perturbatione rerum omnium, ad hoc compulsi etiā quodammodò inuiti. Profectò saxeus sit si quis, viso tam afflicto statu Reipublicæ, & facie tam lugubri ciuitatis, mœrentibus ceteris hominibus, pecoribus omnibus, & iumentis, solus expers luctus & mœroris esse velit, aut possit; quando præsertim nouit, ad hæc se etiam cum aliis causam dedisse; ac non potiùs laboret, quantū in se est, radicem mali tollere, meliora concipere, culpas præteritas expiare, atque ita se periculo, ciuitatem interitu liberare. Hanc causam attingens potiùs Theodoretus quàm latè pertractans, ait: *Ratione carentia iussit ab omni cibo abstinere, vt fame pressa, partim mugientia, partim balantia, hominibus vehementiores lacrymas excitarent, ad diuinæ misericordiæ fontes soluendos.*

Quinta ratio eiusdem rei.

Theodor. in c. 3. Ionæ.

18 Exponit copiosè B. Ephrem pœnitentiam populi, atque eam consecutum fructum insignem, adeoque aliam nobis exhibet faciem ciuitatis ad hoc de quo nunc agimus Regis edictum, iustumque imperium. Illum audiamus loquentem: *Quòd si*, inquit, *matres tunc suos infantes non lactabant, quis inter ipsos delicias requireret? pecora ab aquis cohibebantur, quis igitur inter eos esset qui vinum omninò biberet? & si Rex seipsum sacco induebat, quis ex iis foret, qui splendido se amictu vestiret? & si meretrices tunc modestæ & continentes cernebantur, quis esset qui se fornicationi atque libidini emanciparet, vel etiam nuptui se traderet? si dissoluti atque immodesti metu perculsi resipiscebant, modestosq. se exhibebant, quis esset inter illos qui prorsus rideret? si hilares tunc cuncti flebant atque lugebant, cui obsecro res ludicræ placerent, iucundæq. viderentur? si fures iustitiam colebant, quis auaritiæ indulgeret? & si ciuitas metu concidebat, quis ibi domum conseruaret? Aurum in terram proiectum iacebat, & nemo erat qui furto illud auferret: aperuerant thesauros, & non erat qui raperet: cohibebant luxuriosi oculos suos, ne lasciuè aut impudicè mulierum pulchritudinem conspicerent: studebant feminæ suam obscurare venustatem, ne aspicientes in iis aliquod scandalum paterentur. Vnusquisque enim de proximo pariter curando sollicitus erat, vt omnes sal-*

Mutatio ciuitatis Niniue ad edictum Regis.

S. Ephrem ser. de Iona tom. 3.

saluarentur. O qualis metamorphosis! quanta in illa ciuitate & quàm mira repentè mutatio! ab vno prudente & sancto Imperatoris edicto, quantum boni in tantam multitudinem promanauit! quàm insignis inde, etiam in improbissimis quibusque, vitæ morumque conuersio!

Caluinus non probat regem Niniue indicere ieiunium suis.

19 Habet hîc aliquid quod opponat Caluinus: non quòd cum Rege Niniue magnoperè ei placeat contendere; huic enim facilè concesserit potestatem amplissimam: sed, quia doctrinam suam parum solidam, imò prorsus erroneam, sartam tectam vellet, cogitur factum Regis huius vt tanto commodius pro suo sensu Catholicam impugnet Ecclesiam, pariter impugnare. Quærit igitur, potueritne Rex Niniue in subditos ieiuniũ decernere? Nemo dubitat nisi ipse, Lutherus, & similes. Quæro ego vicissim ab illo, quid ni potuerit? ac simul affirmo, potuisse non hoc tantùm, verùm etiam in ieiunij à se eo modo imperati transgressores, si qui futuri erant, capitali pœnâ sæuire, Sicuti modò Prælatis Ecclesiæ licet ad suarum executionem legum, quò contineantur in officio subditi, Principum sæcularium auxilium deposcere eosq; illis committere puniendos, licet hoc hæreticis nostris nequaquam arrideat.

Cõtra Caluinum ostenditur rectè fecisse Regem Niniue suis & Pontificem, Christianis indicendo ieiunium.

Scio quid hîc Caluinum potissimùm cruciet; videt à nobis vrgeri se posse in hunc modum: Rex Niniue imperare subditis suis ieiunium potuit; quidni ergo id quoque imperare suis Pontifex possit? Ille præcepit; *Homines, & iumenta, & boues, & pecora, non gustent quidquam, nec pascantur & aquam non bibant.* Cur non hic quoque præcipiat, vt Christiani solemnibus verni ieiunij feriis, aliisque dierum religiosorum peruigiliis; carne, ouis, aliisque nonnullis, quæ cum his quamdam habent affinitatem, abstineãt, vt vnâ refectione contenti frugaliùs viuant, corporum ediã verum animorum pastum sectantes? Sunt Christiani non minùs Ecclesiæ, & Pontificis Maximi Ecclesiæ principis subditi, quã fuerint ciues Niniue Regis sui; imò magis, in iis quæ ieiunia atque animi cultum concernunt. Quare quoad hoc Pontifex longè plus iuris habet in eos refragante nemine rectè sentientium, quàm aut rex, aut respublica, aut senatus in suos. Igitur in hoc ceterisque episcopis locum habere debet vel maximè illud Apostoli: *Obedite præpositis vestris, & subiacete eis.* Quis magis præpositus quàm Pontifex? Illi ergo obediendum imprimis non in vno, vel in altero; sed in omnibus prorsus, quæ cum diuina lege consentiunt: inter quæ est vel maximè hoc de ieiunio præceptum, nominatim verno dierum quadraginta, ad imitationem Christi Domini ab Apostolis institutum. De quo S. Hieronymus: *Nos vnam quadragesimam, secundùm traditionem Apostolorum, toto anno, tempore nobis congruo ieiunamus.* Hanc tamen vel maximè Nouantes impugnant, suo arbitratu instituentes aliquando, cùm placet, diei alicuius tale quale ieiuniũ, quod cùm licitum putent, mirum est quod instituta ab Ecclesia ieiunia audeant impugnare, atque etiam tamquam illicita condemnare.

Hæreticorũ ineptia improbantiũ quod tota probauit antiquitas.

Ad Heb. c. 13. v. 17.

Hieron. ad Marcellum aduersus Montanum.

20 Sanè Regem Niniue nemo insipietiæ, iniustitiæ, aut iniquitatis damnat, suis præcipientem ieiunium tam arctum: laudant omnes, probant consilium, magnam in eo sapientiam deprædicant. Sed sapientiores sunt omnibus, Lutherus, Caluinus, & aliquot quinti Euangelij ministelli, illi huius Regis factum non probant; illi soli sanctæ Romanę, Catholicæ, Apostolicæ Ecclesię, probatissimã laudatissimamque consuetudinem, receptumque in ea ieiunandi morem præcepto inductum Apostolico, Pontificum, Oecumenicorum Conciliorum, sanctorum Patrum auctoritate firmatum, carpunt & damnant. Scilicet illis omni antiquitate relictâ auscultabimus? Ne sic nos desipere arbitrentur: maneant ipsi quando ita volunt, in insipientia sua, & ferant improbitatis suæ pœnam, quando illam declinare cum Niniuitis nolunt seruato ieiunio.

21 D. Ambrosij temporibus, fuerunt

Monachi apostatæ tempore S. Ambrosij damnabant ieiunium.

etiam monachi quidā apostatæ, sicuti nostris Lutherus, & similes, qui aliis persuadere moliebantur perperam inductum esse ieiunium: quippe, sicut hi contendebant nullum nobis inde meritum obuenire, nec præmium, adeoque illud vehementer ipsi quoque damnabant. Verùm sicut illos perstringit Ambrosius, ita ego eius verbis Lutherum, Caluinum, & socios, dicens cum illo: *Qui ieiunandum negatis, quæ causa cur Christus ieiunauerit adstruite, nisi vt vobis exemplo esset eius ieiunium?*

Agit contra eos Ambrosius. Ambrosius Epist. 81.

Verùm, vt à proposita materia, & à Rege Niniue non recedamus, pulchrè Rupertus: *Sicuti secundùm edictum eius fieri oportuit, ita secundùm fidem & traditionem Beatorum Petri & Pauli Apostolorum, qui sunt, vel esse debent lingua Romanæ Sedis, ordinem Ecclesiasticum obseruari oportet. Hunc verò violant, quotquot ad præcepta ieiunia non attendunt, imò pro nihilo hæc habent imperia, illis opponentes arbitrij libertatem.* Quàm benè nostros hæreticos hæc doctrina perstringit. Si Rupertus ampliùs quàm ab annis quingentis defunctus, his temporibus adhuc superstes ex proposito contra illos agere vellet, non posset aut meliùs, aut clariùs.

Rupertus contra alios non attendentes ad præcepta ieiunia. Rupertus in c. 3. Ionæ.

22 Relictis hæreticis, qui plus satis in suo sensu abundant, neque vllius imperium audiunt, aut admittunt, ad Niniuitas reuertamur; & videamus, quàm illi seriò, quàm accuratè legem edictumque Regis compleuerint. S. Maximus hoc nobis exponet, simul etiam ad eorum nos imitationem accendet. *Tota,* inquit ille, *in tribulatione Niniuitarum ciuitas ieiunauit: non solùm enim senes, iuuenes, & infantes; sed etiam pecudes legimus ieiunasse. Mira res, ieiunat pro ciuitatis peccato, quem peccati conditio non constringit. Vnde & nos fratres temporum angustias sustinentes, omnes pariter ieiunare debemus, & misericordiam Dei cunctorum abstinentiâ implorare. Nam quale sit hoc, Christianum pro salute sua non facere, quod pecudes pro hominum salute fecerunt? nisi quod stolidior pecude est, qui indicto pro se à sacerdote ieiunio, non ieiunat. Nonne enim pecus est, qui non intelligit, quid illis immineat, quid incumbat? & pecus quidem videns declinat foueam, cauet præcipitia: tu autem non vis ieiunando periculum declinare quod cernis.*

Proponitur ieiunium Niniuiticū & inuitantur ad imitationem. S. Maxim. hom. de Litaniis & ieiuniis Niniuitarum.

Stolidior pecude est, qui indicta non seruat ieiunia, secundum S. Maximū.

Ecce quomodo secundùm S. Maximum, homo animantia omnia stoliditate superet, quādo, quod hæc faciunt facere ipse pro auertenda Dei ira detrectat. Audiant hoc æquis auribus hostes ieiunij hæretici nostri, quibus potissima cura de ventre, exigua, aut nulla, de mente, contra illud Augustini: *Sit temperatus cibus, & numquā venter plenus, & plus semper de cibo cordis, quàm de cibo corporis cogitemus.* Sed, quia per Dei gratiam nulli in virgineis cœtibus tales, non agam, vt secutus S. Maximum, pecorinam illorum agendi rationem ampliùs declarem grauiusque insecter, de hoc argumento copiosiùs.

Aug. ser. 56. de Tēpore.

23 Quæret hic quispiam, quorsum Rex Niniue, populum suum IONÆ comminatione admodum docilem factum, atque ad suscipiendam vltrò pœnitentiam propensissimum ita suo edicto premat & vrgeat. Vult Rabbi Dauid Kimchi, cum huic populi sui alacritati & promptitudini nequaquā acquiescentem, eundem vlteriùs ad iumentorum afflictionem, & admissi iniusti fœnoris restitutionem compellere voluisse, atque hoc edicto ea potissimùm vrsisse. Verum quidem est, fateor horum ibi fieri mentionem; incertum tamen an idcircò, an verò potiùs ad eos animandos, quò id, in quod per se maximè propendebant, fortiùs constantiusque præstarent.

Populus Niniue propensus ad pœnitētiam cur Regis edicto vrgetur.

24 Quidquid sit, causa edicti fuit necessitas operis: vtrumque verò, & edictum, & illius obseruatio, valuit & valebit posteris ad exemplum. Quod rectè expendens Eusebius Emissenus meritò exclamat: *Quàm felix abstinentia, quæ actione temporaria fuit, & nunc vtilitate perpetua est! Tunc vni ciuitati profuisse memoratur, tunc vagitus infantium, pecorum balatus, armentorum mugitus, vno in loco, sub dierum paucitate sonue-*

Niniuiticū ieiunium est exemplo posteris.

Emissen. hom. de Pœniten. Niniuit.

sonuerunt: nunc miseris omnem terram clamoribus replent, & vsque ad finem sæculi personabunt. Inter fideles quisque non dubitet hostias precum, holocausta votorum, sacrificia lacrymarum, ad diuinum familiariter ascendere posse conspectum. Ecce ad aurem Domini gemitus etiam brutorum animalium peruenerunt, qui dum fidei hominum militant, cælum cum supplicatione hominum penetrarunt. Hactenus Emissenus.

Fabella Iudaica de ieiunio animalium.

25 Audite nunc lepidam sanè fabellam circa ieiunium animalium, quo nimirum pacto hoc institutum, confictam à Iudæis, de more. Refert siue ex se, siue ex alio quopiam, velut passim tritum & notum, inter suos celebris Rabbi Salomon, Niniuitas, miro quodã feruore spiritus, seorsim mares, seorsim feminas, seorsim fœtus vinxisse, fuisseque ad Dominum vociferatos vnâ simul cõtentione omnes hoc modo: *Nisi nostri miserearis, nec nos eorum miserebimur.* Verùm meo iudicio hoc ridiculum nimis, nec nisi Rabbinis dignum commentum: cui enim rei seruiat istęc vociferatio, cui comminatio? Non putem conuersos iam ad pœnitentiam Niniuitas, tam fuisse insulsos & barbaros, vt cum Deo, quem placatum volebant, minis agendum arbitrarentur.

Quomodo homines, & animãtia ieiunarint.
Basilius Magnus Orat. 4. de Pœnitentia.

26 Meliùs & veriùs hæc enarrans D. Basilius Magnus: *Separatus est vitulus,* inquit, *à vacca, abductus est à materno vbere agnus, puer lactens non fouebatur in maternis vlnis, voces tollebantur de omnibus miserabiles, mutuò reclamantes ac resonantes. Partus fame pressi fontes lactis quærebant; matres naturali quadam affectione perculsæ lugubri voce fœtus reuocabant: infantes etiam fame dominante ex ingenti eiulatu disrumpebantur: matrum viscera naturali dolore tabescebant. Senex inter illos lacrymis se dabat, & canos vellebat, ac dilaniabat suos. Adolescens & in flore ætatis constitutus vehementer lamentabatur. Pauper suspiria ducebat: diues deliciarum oblitus, afflictioni, vt quæ hominem temperatum efficeret, sese totum tradebat.*

27 Videtis quomodo concurrant ibi ad commune præsidium cum hominibus animantia; quomodo cum viris & mulieribus pueri & infantes ieiunent; vsque eò, vt ipsorum causâ *non gustent quidquam* ipsa etiã pecora: quò nimirum, secundùm Albertum Magnum, macerata & fœda facta per maciem concupiscentiã carnis in se non prouocent. Videtis quomodo *nec pascantur*; ne hac ratione occupati circa eorum pastum homines, ipsi minùs vacare possint seriæ accuratæque pœnitentiæ. Ad extremum etiam videtis quomodo *aquam non bibant*; ne vel sic minimũ quid iis indulgẽdum putetur, quãdo pręsertim secundùm Albertum intenditur vt magis fœda appareant.

Cur pecora & reliqua animantia ieiunent.

Glossa hęc magis ad homines referẽs, & quod de pœnitentia corporis dicitur, eorum mentibus applicãs, ait prohiberi iis ne pascantur in peccati delectatione; & aquam ne bibant, id est insipidam mundi huius hauriãt voluptatem. Verùm certum est secundùm litteram, illis æquè ac iumentis & pecoribus, imò longè ampliùs, omnẽ cibum ac potum, qui reficiendo corpori eiusque instaurandis viribus seruire possit, prohiberi.

28 Durum fortasse multis videatur, peregrinum ac barbarum, hominibus omnibus, insuper & bestiis, tã seueram ieiunij legẽ ponere, nulli vt liceat vel gustare panis micam in cibum, vel delibare aquæ guttã in potum, neque satis rationabile obsequium istud. Certè mussitantes nonnullos audire mihi videor: Quid hoc ieiunio agitur? nũquid vt supplicio vltrò assumpto criminum rei mortẽ euadant? hanc quid iuuerit, vnâ viã euadere, alterâ verò & non minore incommodo tormentóue incurrere. Sinite quæso agã paulisper fidum regij edicti interpretem & querelæ respondeam. Iubet Rex de suorum cõsilio, vt statuat sibi quisque ieiunij legem nequaquam arctiorem quàm ferre valeat, & quàm naturę ipsius imbecillitas patiatur; vt nimirum hac castigatione susceptâ & ex eius imperio, & ex propria voluntate, debilitentur quidem vires, sed non penitus opprimãtur. Plus iubere

Edictum regium quoad ieiunium, explicatur.

iubere Rex nec voluit, nec potuit, nec etiam iussit: alioquin suo imperio subditorum magis interitum pro quo redimendo vtendum his armis censuerat, quàm salutem procurasset.

Summus rigor ieiunij Niniuitici durauit ad triduũ.

29 Itaque summus ille ieiunij rigor, quo prohibebatur hominibus & pecoribus vsus omnis liquidi & sicci, cibi & potionis cuiuscumque, secundũ Salianum, ad diem vnum; secundùm Chrysostomum à Cornelio citatum, ad triduũ, quo toto nihil degustare licitum fuerit, perdurabat; diebus verò quadraginta sequentibus, licet etiã publicum indiceretur ieiunium, aliâ tamen lege; nimirum, vt semel de die ad solis occasum à singulis pauxillum panis & aquæ, pro instauratione virium sumi liceret, cũ aliàs continuã quadraginta dierum sine cibo vllo aut potu inediã non pateretur humani corporis imbecillitas; proindeq; eam præcipere Regis fuisset minùs prouidi, minùs sapientis; præcepisset enim, quod omni comminatione IONÆ, subditis futurum erat acerbius; cùm melius illis fuerit, aut hostili ferro cadere aut ruinâ opprimi ciuitatis, aut tangi de cælo fulmine, & interire subitò; quàm longâ fame cõfici, & sic plus centies necari ac perimi.

Mitigatus deinde paullulum.

30 Videntur hanc Niniuitarum pœnitentiã imitati monachi quidam aliquando de peccatis suis eâ ratione sumentes supplicium. Certè de iis, qui sibi cibum & potum ad tẽpus violẽter, in celeberrimò illo de quo egi aliàs monasterio pœnitentiũ, subtraxerunt loquens Ioannes Climacus: *Vidisses*, inquit, *in illis æstuantes linguas instar canum ex ore procedentes*, præ ardore scilicet & siti. *Quidam modicum aquæ degustantes, ne omninò siti exarescerent, ita quiescebant. Nonnulli cùm panis exiguum quid accepissent, reliquum manu longiùs proiiciebant, indignos se qui rationabili cibo vescerentur asserentes: quippe qui irrationabiliter egissent.* Sed hæc adhuc infra pœnitentiam Niniuitarum sunt. Subiungit idem Climacus de monachis illis sic lugentibus, sic pœnitentibus à se visis, quę nos adhuc lõgè ampliùs dicere de Niniuitis possumus: *Quem apud illos locum risus habere poterat? quem otiosus sermo? quem iracundia? quẽ furor? nec enim quòd in hominibus iracundia esset, sciebant; adeò luctus furorem omnẽ penitùs extinxerat. Vbi apud illos cõtradictio? vbi festiuitas? vbi confidẽtia? vbi corporis obsequium & cura? vbi vel vestigium inanis gloriæ? vbi deliciarum expectatio? vbi tenuis vini cogitatio? vbi pomorum degustatio? vbi feruentis ollæ solatium? vbi gulæ vlla illecebra? Horum enim omnium apud illos spes nulla erat: non terrenæ cuiusquam rei curâ angebantur: non iudicare vllum omninò hominum didicerant: nihil horum penitùs in illis inuenisses. Ceterùm iugiter ad Dominum clamabant, solaq; orationis vox audiebatur.*

Abstinẽtia religiosorũ in monasterio pœnitentium. Climach. Gradu 5. de Pœnitentia.

Christiani in terra sãcta, virtute ieiunij vincunt Saracenos.

31 Factum Niniuitarum propiùs imitati sunt Christiani anno salutis humanæ centesimo vigesimo quarto supra millesimum, cùm in terra sancta à Saracenis circumdati, magnũ discrimen adeuntes propè abessent ab interitu: tunc enim solẽne ieiunium omnibus, omnibus, etiã pueris, infantibus, atque pecoribus indixerunt; quod illis non minùs quàm Niniuitis cessit feliciter. Hoc enim magis, quàm armis, aut vllis auxiliaribus copiis quibus carebãt fortes effecti præualuerunt aduersùs hostem multitudine & viribus longè potiorem. Tria vix erant Christianorum millia; hæc, pręferente Crucẽ Patriarcha, Pontio Abbate Cluniacensi lanceam, quâ fuerat sacrum Christi latus confixum, & Episcopo Bethleemitide lac Beatissimæ virginis in pyxide, processerunt contra instructissimã aciem quadraginta millium Saracenorum, in eam pugnarunt ac Deo adiutore vicerunt, non sine illustri miraculo: adfuit enim de cęlo lux magna, cuius splẽdor ita hostiũ perstrinxit oculos & eorum eneruauit aciem, vt passim arreptâ fugâ non à viris modò, sed à mulieribus quoque & pueris cæderẽtur. Desiderata sunt in hoc prælio è Saracenis duodecim millia, quorum septem gladio, quinque aquis mersi perierunt, Christianis omnibus incolumibus permanentibus.

Baron. ad an. Domini 1120. & Spondan. ad an. 1123.

32 Nouo quidem hoc, vt vidimus, genere

Niniuitæ ieiunio Deum vicerunt.

genere armorũ Christiani aduersùs Saracenos fortes fuerunt, & præualuerunt: sed Niniuitæ, quod longè maius, aduersùs Deum; hi enim istis ipsis armis strictum diuinæ iustitiæ gladium suis iam impendentem ceruicibus à se præclarè sunt amoliti. Id ex Eusebio Emisseno accipite. *Niniuitæ*, inquit, *pro pœnitentia atque abstinentia iræ desuper imminentis, suspenderunt ruinam; & paruuli ac pecora pariter abstinẽtes, egressam à Domino plagam atque sententiam iam cadentem, vt sic dixerim, retorserunt.*

Euseb. Emiss. hom. de Pœnit. Niniuit.

Fructus ieiunij Niniuitici.

33 Sicuti mira fuit Niniuitarũ pœnitentia; ita hæc mira effecit, magnaque operata est. Mira sanè fuit pœnitentia. Quid enim magis mirũ, quàm nõ licere in necessitate ad subleuandã sitim, in potum vel pauxillum aquæ adhibere; ad tollẽdam famem, vel siccum panem sine obsonio? Erunt scio alicubi, qui parum de pane & aqua solliciti, iis carere volent libenter, dummodo ne melioribus & lautioribus epulis careant, dummodo vina præstantiora non desint; his aquam non bibere non tantùm non afflictio est; sed eam bibere erit afflictio maxima. Sed nescio an Regis legem & mentẽ satis assequantur, dicentis, *Aquam non bibant*: nescio an factum Niniuitarum nouerint illi quibus aquâ carere nullus censetur labor. Exponam clariùs: dum aquâ interdicit lex omnibus, dum hunc tenuissimum liquorẽ iis adimit, omnem simul adimit. Vis legis, mẽs Regis hęc est: si quid ciues optimi vobis concedendum hoc tempore, id ad naturæ solatium, non ad delicias, tamquã soli necessitati, non verò voluptati seruiẽs, frigida sit; hanc modò ne quidem concedendam censeo, multò minùs quidquam aliud, quod melius gustui vestro palatoue deseruiat. Meministis vos non semel perpetrasse illicita, discite nunc, quantocumque vestro incommodo, quando tanta nos vndique mala circumstant etiã à licitis abstinere. Hęc via est nec alia flectẽdi benignum & clementem Dominum ad suam in nos exercendam bonitatem atque clementiam.

Cum aqua interdicitur Niniuitis omni liquore.

Summum ieiunium abstinentia ab omnibus.

34 Arctum apud nos ieiunium censetur, & semper ab omnibus gẽtibus tale est habitum, solo pane & aquâ victitare; arctius, & quasi quædam ieiunij hyperbole abstinere ab omnibus: hanc sibi legem Niniuitæ ad tẽpus statuũt, priuari etiam necessariis cupientes, vt cùm antea omnibus abundare didicerint, discant omnium quoque penuriam pati.

Nostra pœnitentia cõparatione Niniuitarũ vmbra est.

Hos tã heroicos Ethnici paullò antè populi animos, cum nostris Christianorum, facta cum factis componens S. Ephrem, rectè ait, nostram pœnitentiam cum illorum collatam, somnium quoddam esse, & tamquam vmbram meridianam. Quid mirum igitur, si non tam efficax quoque sit, & tanti apud Deum pretij ac meriti. D. Maximus nos in peccatis existentes, illis vndique vallatos vt hostibus, neque procul ab interitu, Niniuitarum exemplo, ad arma capessenda, atque ad pugnandum fortiter inuitat, futuros cum illis victores. *Solẽt*, inquit, *quidam homines, quotiescumque necessitatem arduam nimis patiuntur, ad proximas Gentes auxilij causâ destinare legatos: nos, quod est melius, legationem ad Deum per ieiunia destinemus, ab ipso imploremus auxilia, ad ipsum nos corde & orationibus conferamus.* Ita faciamus omninò, & quò maioribus hostibus cingimur, quò vehementiùs impetimur, eò ardentiùs faciamus, atque, vt ait Basilius Magnus, *Ieiuniis tamquã athletæ vngamur, in iisque exerceamur.* Facilis tunc erit victoria, facilis & corona, quam mihi vobisque opto, omnibus, omnibus nobilissimam.

Max. hom. de Lita. & ieiuniis Niniuitarum.

Basil. hom. 1. de Ieiunio.

LECTIO

LECTIO DECIMATERTIA.

ET OPERIANTVR SACCIS HOMINES ET IVMENTA, ET CLAMENT AD DOMINVM IN FORTITVDINE. ET CONVERTATVR VIR A VIA SVA MALA, ET AB INIQVITATE, QVÆ EST IN MANIBVS EORVM. *Vers.8.*

ARGVMENTVM.

Exponitur secunda edicti regij pars, quâ de habitu pœnitentiæ; & tertia, quâ de clamore ad Deum; & quarta, quâ de præscripta vitæ morumque mutatione agitur. Praxis clamoris a Sanctis vsurpati indicatur. Regis, circa edictum eius iussu vulgatum, laudantur consilia; felices, qui ex illo obuenêre, recensentur successus.

1 PRIMA edicti regij parte discussâ, quâ continentur mandata de sectanda per cibi potionisque subtractionẽ inedia; ad alteram venio, quâ vestitus asperitas omnibus æquè atque illa quam dixi inedia imperatur. Regi prouido & sagaci non suffecit imperasse suis nullâ re prorsus vescerentur; nihil, ne aquæ quidem guttulam, biberent; nisi, vt non deesset suus quoque toti corpori cruciatus, protinus adderet: OPERIANTVR SACCIS HOMINES, ET IVMENTA: *In signum,* inquit Albertus Magnus, *humilitatis & asperitatis.* Oportet enim secundùm Hieronymum, quòd velim locum habeat etiam in nobis, *vilis tunica contemptum sæculi probet; ita dumtaxat, ne animus tumeat, & habitus sermoq. dissentiat.* Priori parte quid omittendum, quibus carendum; hac & sequentibus quid vsurpandum ad pœnitentiam, & quid maximè faciendum Rex præcipit, atque quod præcipit ostendit exemplo.

S. Hieron. epist. ad Rustic. Monachũ.

2 Homines in luctu saccis indui solitos recensitis etiam aliquot qui id præstiterint suprà docuimus. Quare non hoc adeò nouum, non omninò inauditum, magis nouum & mirum, iis amiciri armenta, iumenta & pecora; maximè verò hunc eis amictum à dominis imperari, hunc eorum corporibus iniici; quando præsertim quædam pro ciliciis & saccis suâ satis pelle non omnino venustissimâ conteguntur. Iniectum tamẽ affirmat Sanchius singulis in hoc luctu Niniuitico supra pellem integumentum vel ex sparto, necdum aquâ macerato atque contuso, vel ex spinosa aliqua planta contexto, quod pungeret atq; adactis in cutem aculeis, ex ea quam creabat molestia, ipsa suo modo eiulare vociferarique maiorem in modum compelleret. Quippe valiturum ad speciem externi luctus copiosiorem, sensumque maiorem.

Saccis vestiri animantia res mira.

3 Ceterùm vlteriùs ad manifestandum luctum quod attinet, eo durante homines non solùm vestem sibi meliorem adimere, viliore assumptâ, & sordidatos prodire in publicũ; verùm etiam sua ipsis quoque belluis ornamenta eripere, suas subtrahere phaleras, ad sensum atque acerbitatem mœroris sui ampliùs indicandum, non ita est infrequens, quin sciamus id sæpiùs variis olim occasionibus, locis, temporibus factitatum.

Belluis in luctu adempta sua ornamenta interdum.

Plutarchus narrat Thebanos suo Imperatori Pelopidæ parentasse, equos, ac seipsos quoque, præter cõsuetudinẽ comis concidendo. Idem quoque in Hephæstionis funere fecisse Alexandrum Macedonem refert, sed & Persas in luctu, non seipsos solùm, verùm

Id exemplis ostenditur. Plutarch. in vita Pelopidæ. Idem in Alexãdro. Idem in Aristide.

verùm etiam equos & mulos tondere solitos. Sic Virgilius in morte Iulij Cæsaris, quem Daphnim vocat, ait ieiunasse oues, boues, ceteraque animãtia, ac lugubri eiulatu eius necem plorasse: quin & leones super ea ingemuisse, si fas est credere.

Virgilius Ecloga 5.

Daphni, inquit, tuum Pœnos etiam ingemuisse leones
Interitum, montesq́. feri syluæq́. loquuntur.

Consuetudo moderna, vt equi & rhedæ amiciantur pullis in morte propinquorũ.

4 Nunc quotidianum est in magnatum funeribus, vti & annuo luctu durante, non homines tantùm defunctorum propinquos; sed eorumdem quoq; equos, mulos, ac rhedas pullis amiciri: pro quibus sunt apud Niniuitas illi, de quibus hîc agimus, sacci.

Chrysost. hom. 3. ad Populum.

Horum etiam vsum aliquem fuisse in Oriente temporibus D. Chrysostomi satis videtur intelligi, ex eo quòd sui temporis cõsuetudinem luctui Niniuitarum de illo agens accommodet in hunc modum: *Sicut diuite aliquo mortuo, non seruos solos & ancillas; sed & equos domestici sacco vestientes, & agasonibus tradentes ad sepulchrum sequi iubent, calamitatis magnitudinem ostentantes, & omnes ad misericordiam allicientes: sic & in ciuitate illa,* de Niniue loquitur, *mori periclitante, & brutam naturam sacco circumtexerunt, & ieiunij iugo subiecerunt.*

Asperitas illa & luctus Niniuitis minùs dura erãt, ob duriora quæ illis imminebant.

5 Durum, fateor, videri quibusdam poterit, omnes ita suo se ornatu spoliare debuisse, vestem iucunditatis & lætitiæ exuere, claudere oculos ad omnem amœnitatem & pulchritudinem, atque efficere, vt nihil in eos vspiam elegans & comptum incurreret: ipsis in eundem finem animantibus sacco deformatis, quorum solus aspectus hominibus omnibus iam cinere, cilicio, ieiunio luridis ac liuidis, aliquid adferre voluptatis potuisset, non exiguum etiam horrorem incutientibus. Sed longè erat durius in horas, imò in singula penè momenta, habere mortem præ oculis, & mox obuenturum omnibus communem interitum; quem vt effugerent, meritò agere & pati ea poterãt, quæ aliàs maximè molesta, difficilia, & ardua videbãtur.

Niniuitæ omnes eodẽ habitu, eadẽ vsi sunt pænitentia.

Ephrem ser. de Iona.

6 Ceterùm sic habet, & forma, & color, & habitus, & omnes vitæ actæ rationes tales fuerunt totâ ciuitate, vt neminem non intuentium percellerent. *Vnus,* inquit D. Ephrem, *erat aspectus omnium, & vnus amictus, Rex & seruus nudis pedibus incedebant, vnus diuitibus & pauperibus erat cibus, vnus ex æquo erat potus domini & serui: sub vno cuncti pænitentiæ iugo currebant, vt Dei miserationes acciperent; & in vno simul opificio concorditer operabantur, vt etiam remissionem vnam à Deo referrent.*

Mutuus conspectus monere singulos ad cõmiserationem debuit.

7 Quis vidit, quis audiuit vnquam quid simile? Res est ad solam cogitationem lugenda & pauẽda, versare mente, ne dicam intueri, cuiusuis ætatis, sexus, conditionis & ordinis homines omnes, à summo ad imũ, nemine prorsus excepto sordidatos; neque homines tantùm, sed & animantia, tecta & obuoluta saccis, in incertum vagantia per agros, per campos, per compita platearum, destituta pabulo, altũ mugientia, hinnientia, grunnientia, latrãtia, & modo suo perstrepentia. Quem non hæc moueant visa, si etiam cogitata perterreant? Vel ipsius naturæ instinctus ad commiserationem flecteret etiam in caucaso natum, & educatum à tigribus. Quis ad hæc non studeat cum ceteris placare precibus, placare voluntariis suppliciis Numen iratum? Quis non contendat, quâ potuerit viâ, impendẽtem omnibus calamitatem auertere, se cum aliis ab interitu vindicare? Non dubito quin singuli dixerint voce vnanimi, si non omninò verbis illis, certè non admodum dissimilibus: *Exui me stolâ pacis, indui autem me sacco obsecrationis, & clamabo ad altissimum in diebus meis.* Tempus enim tũc erat exuendi stolam pacis, vestem, inquam, cuius vsus erat tempore prosperitatis & lætitię, quam etiam ipsi exuerunt, & induendi saccum obsecrationis, siue vestem lugubrẽ, qualis est pœnitentium & pro venia deprecãtium; quâ & ipsi vsi feliciter, eam quam habitu, gestu, voce, mẽte postulauerant,

Baruch c. 4. v. 20.

veniam, vt suo loco dicturi sumus, consequi meruerunt.

Horror futurus ante iudicium ex sole sacco obducto ostenditur.

8 Si ad hoc spectaculum tota cohorruit Niniue, quomodo putatis totus horrebit orbis terrarum, quando ante extremum magni iudicij diem apparebunt sol, luna, stellę, ipsumque quantum est cælum, sacco amicta, tenebris omnia obuoluentibus.

Hic Rex Niniue, auditis IONÆ minis, & sententiâ in se ac regnum suum latâ, vt Dei iram auerteret, paludamentum regium in saccum & cilicium, vt vidimus, commutauit; & edicto publico sic subditos suos omnes indui iussit: in die illo nouissimo sol, vt rex omnis inanimę creaturę, saccum & cilicium induet, illumque omnis cæli nobilitas, luna, stellæ, planetæ, hoc prodeuntes scemate imitabuntur ad luctum comites; vt sic moniti, à peccatis cuncti abstineant, & diuini iudicij furorem euadant.

De solis tenebris & luctu in iudicio prophetarum prædictiones.

Ioël. c. 2. v. 31.

9 De hac re, ęquè ac Sardanapalus de vrbis suæ interitu, certissimè euenturâ moniti sumus, non vt ipse ab vno IONA, sed à prophetis pluribus. Ioël ait: *Sol conuertetur in tenebras, & luna in sanguinem antequā veniat dies Domini magnus & horribilis.* Ventura est ergo aliquando dies illa, & magnæ ante illum futuræ sunt mortalium angustię ex aspectu horribili solis & lunæ. Ampliùs nos hortatur & monet Dominus ipse per Isaiam: *Induam cælos tenebris, & saccum ponam operimentum eorum.* Ioannes verò in Apocalypsi rem à se visam enarrans. *Sol*, inquit, *factus est niger tamquā saccus cilicinus.* Exponit Ribera factus est tenebrosus maximâ dēsitate nubiū ei obtentâ, quę lucem abscondat; ita vt videatur tamquā sacco cilicino ex nigris setis contexto opertus. Quod etiā Christus Princeps Prophetarum apud Matthæum prædixit futurum, his verbis: *Sol obscurabitur, & luna non dabit lumen suum.* Verùm sic agimus tanquam si non omninò credamus.

Isa. c. 50. v. 3.

Apoc. c. 6. v. 12.

Mat. c. 24. v. 29.

Luctus solis in morte Christi.

10 Interim præludia illius multa iam facta audiuimus. Vnū fuit illa horribilis in morte Christi eclipsis, quâ totus mundus tribus horis in tenebris fuit, institutumque quodāmodo est lamentabile colloquium inter solem & lunā, deplorantes interitum Domini sui, resumendum in nouissimo die; cùm iterum more suo colloquētur, quasi tenebris suis dicturi: miseros nos, qui lumine nostro toties ingratis hominibus, rebellibus omnium Domino, seruiuimus: vtinā sicuti eos lumine nostro ad peccatum inuitauimus, ita nunc saltē subtractione eiusdem ad conuersionē inuitemus: vbi anteà lumē nostrum non iuuit, iuuent nunc tenebræ; & vbi lumen nostrum tenebras fecit, faciant nunc tenebræ lumen.

Luctus solis variis temporibus per eclipses mirabiles.

11 Secuta sunt & alia huius nouissimi luctus præludia non pauca. Anno Domini trecentesimo nonagesimo tertio, Theodosio Augusto regnante, circa sacros dies Pētecostes quartâ horâ diei, vt narrat ex Socrate, Prospero, Marcellino, & D. Hieronymo in Epistola ad Pāmachium aduersus Ioānem Hierosolymitanum, Cæsar Cardinalis Baronius, eclipsato mirificè sole, tantę factæ sunt tenebræ, vt omnes iam iam venturum Iudicem formidarent.

Baron. ad an. Dom. 393.

Anno deinde septingentesimo trigesimo tertio decimâ quintâ Augusti horâ diei tertiâ, totus solis orbis, quemadmodum est à Venerabili Beda notatum, quasi nigerrimo sacco coopertus apparuit.

Beda in Historia.

Anno millesimo trigesimo tertio, vigesimâ nonâ Iunij, die SS. Apostolis Petro & Paulo sacrâ, sedente Ioanne XX. Pōtifice Maximo, quem nonnulli Romani Principes cōspirantes interimere moliebātur, ait Glaber solem ab hora illius diei sexta vsque ad octauam factum esse saphiri coloris; intuitum autem hominum in alterutrum, velut mortuorum pallorem apparuisse, & res quascumque sub aëre croci coloris visas esse, ingentemque horrorem omnes occupasse.

Glaber lib. 4. c. 8. & 9.

Accidit quoque anno Domini millesimo ducentesimo trigesimonono septimâ die Iulij, tantas esse tenebras in Italia, vt meridies in noctem versa videretur, stellis etiam apparentibus in ipso meridie. Quare plerique, credentes instare finem sæculi,

Sigonius lib. 18. de Regno Italiæ.

ad

ad confessionem & pœnitentiam recurrerunt; alij cum inimicis suis condonatis eis iniuriis, redierunt in gratiam.

Nihil hîc dico de cinereis nubibus Vesuuiani incendij, quæ anno sæculi huius trigesimo mense Decembri locis pluribus circa Neapolim solẽ magno horrore, & metu omnium ex oculis accolarum eripuerunt, & diem nõ semel verterunt in noctem. Quo tẽpore etiã fumus eiusdem Neapolim vsque delatus, ibi similiter adultâ iam die ita ciuibus lucem eripuit, vt vrbs in vrbe media quęreretur, consternatiq; omnes, iam sibi imminere extrema arbitrarentur.

Eclipsis solis in iudicio erit omnium terribilissima. Apoc. c. 6. v. 12.

12 Verùm hæc nihil ad illum horrorem & luctum, quem inducẽt dies nouissimi, quando sol erit *niger tamquam saccus cilicinus*, & mœrore suo ampliùs mœstos faciet animos hominum improborum, quibus illa cõmutatio, vniuersi interitum nuntiabit. Cùm igitur, vt ait Origenes, *saccus* mortificationis, vt Gregorius, contritionis indicium sit; solem in senectute siue vltima ætate saccum siue cilicium induere, aliud non est; quàm homines, cùm hoc prodigium viderint, si salutem consequi, & Dei iram declinare velint, debere saccum induere, membra domare cilicio, pœnitentiam agere. Hoc vos nunc agite, & Niniuitarum in eo studia æmulamini; ne deinde hæc, aut his similia, siue cogitata, siue spectata, conturbent oscitantes ac terreant.

Inuitabit hac, secundùm Origenem & Gregoriũ, ad pœnitẽtiam homines.

Non est detrectanda pœnitẽtia, etiam publica, cùm peccatum est publicũ.

13 Scio quàm esse tardi & ignaui ad pœnitentiam multi, quam alij ad eandem horrere, alij erubescere, & ipsam præ verecundia detrectare soleant. Non ago iam de pœnitentia & satisfactione publica, quæ etiam non est, cùm præsertim crimen publicum fuerit, suo tempore aut detrectanda, aut declinanda; quin imò, si non vltrò assumenda, certè admittenda cùm fuerit imperata. Vti exemplo Theodosij imperatoris nonnullos sui temporis, paullulùm elatiores quàm Christiana submissio pateretur, eorum sugillans superbiam, monuit S. Augustinus, cùm ait: *Erubescit senator, quod non erubuit imperator? erubescit curialis, plebeius, & negotiator, quod non erubuit imperator? quæ ista superbia est?* Ago nunc tantùm de priuata pœnitentia, nulli non, pro suorum expiatione delictorum, pro virtutum incremento, pro suæ & alienæ salutis maiori curâ, assumenda. Scio quidem hanc pluribus non omninò arridere; sed si necessitatem illius intelligant, arrideat oportet, omnibus quidem, vel maximè tamen iis, quos inquinarunt aliquando culpæ grauiores; ne his tali ratione non satis expiatis, ipsi locum deinde inueniant *in stagno ignis ardentis sulphure*; vbi easdem horribili pœnâ, seràque pœnitentiâ, æternum luant, non eluant.

Aug. lib. 50. hom. hom. 49.

Priuata pœnitentia omnibus necessaria est, maximè verò peccatoribus.

Apoc. c. 19. v. 20.

14 Verùm sicuti saniorem talibus mentem voueo; ita locum æternæ quietis meliorem: cuius vt compotes fiant aliquando, assumant nunc lamentum & planctum, & cum illo Sancto dicant: *Exitus aquarum deducite oculi mei, operiat confusio faciem meam, deficiat in dolore anima mea, & anni mei in gemitibus:* subinde sibi à cibo potuque temperent, certam corpori inediam indicant, saccum induant, in cinere sedeant: vt deinde accipientes suo tempore cumulatiùs ea omnia, quibus se sponte suâ abdicarunt, obtineant *coronam pro cinere, oleum gaudij pro luctu, pallium laudis pro spiritu mœroris*, in beata illa patria, ad quam maximoperè anhelamus.

Bern. ser. 8. in Cãtica.

Isa. c. 61. v. 3.

15 Venio ad tertiam edicti Regij partem, eamque duabus prioribus potiorem; ex qua intelligemus quid animis impendendum, quando iam satis intelleximus quid Rex corporibus impendi & irrogari supplicij voluerit. Est hæc: Clament ad Dominum in fortitudine. Scilicet tam iumenta quàm homines; homines ex ratione, iumenta ex sensu. In hominibus, inquit Albertus Magnus, clamor orationis virtutis opere confortetur.

Quid sit clamare in fortitudine exponitur.

Clamare in fortitudine secundùm morem loquendi Hebræorũ, ferè pro ad-

Ss 2 uer-

uerbiis, quibus caret, nomina vsurpantium, idem est quod clamare fortiter: sicuti *sentire de Domino in bonitate*, idem quod benè sentire; *mori, loqui, viuere, in amaritudine* idem quod amarè viuere, loqui & mori.

Sap. c. 1. v. 1. Iob 21. v. 25. c. 10. v. & alibi.

Pro eo quod habet textus noster vulgatus *in fortitudine*, LXX. verterunt *vehementer*, Chaldęus *instanter*, quæ, verbo tantùm mutato, sensu sunt eadem.

Cur suis Rex clamorem illum imperauerit

16 Clamorem hunc, secundùm Ioannem Ferum, Rex imperauit, vt laměta illa Deum magis ad misericordiā permouerent: secundùm Ioannem Cotreau, vt hæc peccatoribus scelerum suorum grauitatem in memoriam reuocarent: secundùm Rochum Mamerotium, vt hominum singulos, confusâ hac omnium vociferatione, magis magisque excitatos & motos, ad agēdam seriam pœnitentiā ampliùs velut propellerēt. Quidquid sit, nullum est dubium quin maximoperè hoc præcepto commendatū Rex subditis suis voluerit, vt toto corde, toto affectu, contentione nō minùs mentis, quā vocis, Deū pro auertenda imminente calamitate, pro impendente interitu submouēdo, supplices precarentur. Quod fecisse quoque voce vnanimi, pari studio contentioneque dicendo: *Miserere nostri Deus, secundùm magnam misericordiam tuam*, omninò credibile est.

Psal. 50.

Huc etiā spectauit illa animaliū eiulatio, huc clamor inconditus, totâ perstrepens ciuitate, cōfuso & horribili sonitu; huc boū mugitus, canū latratus, hinnitus equorū, ouium balatus, & nescio quis non ceterorū animātium tumultus, qui quantus fuerit inter tot hominum myriades & iumentorum, non ita est facile vel solâ cogitatione assequi, nedum eloqui. S. Ambrosius. *Vnus*, inquit, *audiebatur per mœnia ciuitatis eiulatus disparium naturarum, & per omnia tecta flebilia resonabant lamenta plangentium; &, vt semel dixerim, terra mugitus confitentium sustinebat, sed & astra ipsa voce pœnitentiæ personabant.* Clamabāt adulti à Domino postulantes pro peccatis admissis misericordiā & gratiam; pueri & iumenta pro restinguenda fame & siti cibum & potum; nemo non quęrebat suis malis medicinam, quā & singuli inuenerūt. Nam vt ait Ambrosius suprà: *Impletum est quod scriptum est Ecclesiastici 31. Oratio humiliantis se nubes penetrauit, & sic placauit offensum Deū, sic mitem fecit rigidum, sic demulsit iratum.*

Ambros. lib. de Pœnitentia c. 6.

Paruulorū vox ploratus est.

17 Modus quo sibi subueniri paruuli postulare cōsueuerunt ploratus est: hi prę imbecillitate prospicere sibi de necessariis non possunt; sed nec voce eloqui, vtpote adhuc ignari fādi, illud quo indigent, aut quod exoptant; itaq; eiulatu faciūt & clamore, quod verbis nō possunt, & quò magis indigēt, eò altiùs clamant: cui clamori mater assueta, iis in cibū vbera porrigit, & aliis eorū necessitatibus, pro vt eas assequi ex clamore potest, prospicere adlaborat. Sic animātium fœtus matribus quoq; necessitatē suam clamore innuunt, atque hæ ad illum suis opitulaturæ accurrūt. Etiam nos ætate prouecti sæpè in magnis necessitatibus quibus non possumus propriâ virture occurrere, sępè in magnis periculis versamur, quæ nō ita valemus à nobis propriâ propulsare industriâ; verùm optimum patrē habemus, in necessitates & obsequia nostra promptissimum, tantū ad eum clamandum est, facilè nostri atque etiā animalium, quę in vsus nostros educat, nostro clamore vocatus miseretur, quādo nec coruorum obliuiscitur: *Dat* enim, vt ait Dauid, *escam pulluis coruorū inuocantibus eum*, qui aliàs derelicti à matribus, earum ferè destituuntur auxilio.

Nostra vox optima est recursus ad Deum.

Psal. 146. v. 9.

Quamquam verò multis corporis & grauibus sæpè premamur molestiis; vt famis & sitis, frigoris & caloris, aliisq; similibus; nullę tamē grauiores iis, quæ animum inquietant, illique certiorem creant perniciē, nisi diuina manus auxiliatrix adfuerit. Sed quia de his non tanta est sollicitudo multorū, vt tutis nobis à malo illo quod has cōsequitur minùs præmeditato, & tamē omnium maximo & grauissimo esse liceat; optimus Dominus flagella minatur, bella, seditiones, direptionē bonorū, amicorum interitum, mortē etiam propriam subinde: vti per IONAM minatus est Niniuitis

niuitis; illis denuntians: *Adhuc quadraginta dies & Niniue subuertetur*; ad quã vocem, illi demum sapere cœperunt, & clamare ad Dominum.

Clamor Niniuitarũ verbis S. Ephrem expressus, & primò filiorum. S Ephrem ser. de Iona paullò post initium.

18 Singulorum qui tum in ciuitate illa erant clamorem graphicè nobis S. Ephrem oratione suâ depingit: subiiciam eum oculis vestris, totidem verbis quot ipse: *Ploratus*, inquit, *filiorũ cum lacrymis ascendens, corda & viscera parentum turbabat, senes lamentationibus seipsos obruebant, euulsisq. sibi canis crinibus, in terram eos proiiciebant; iuuenes autem cùm in tantis cernerent lamentis senes positos, ampliùs suas ipsi voces extollentes, cum eiulatu atque ploratu pariter clamabant; quia concorditer vno temporis momento moriebantur, sepeliebant, & sepeliebantur. Apprehendebant filij matres, & vtrimque trahebant eas, vt ipsos à morte eriperent. Infantes & pueri præ horrenda illa voce in sinum matrum cum eiulatu se condebant. Vesperi & manè dies enumerabant, quibus prædicauerat Ionas, & quot adhuc superessent vsque ad statutum diem, eiulabant cum lacrymis, patresq. suos interrogabant: O patres vestris amantissimis enarrate filiis, quot iam dies transierint, & quot adhuc restent, ex quibus hic Hebræorum prædicauit filius, & quæ sit hora, quâ nos ad inferos descendamus omnes, & quando læta & iucunda olim ciuitas exterminabitur, quæque sit illa dies, quando fama perditionis nostræ per vniuersum terrarum orbem diuulgabitur, & videbunt sæuum atque acerbum spectaculum cuncti prætereuntes.*

Clamor parentum.

19 A filiis deinde ad parentes conuersus idem Sanctus, quid illi quoque præstiterint, & filiis tanto in mœrore ac luctu ad se confugientibus dixerint, in hæc verba subiungit: *Vbi ista patres à filiis audierunt, amaras super eos lacrymas compressi eduxerunt, & responsum iis dare nequiuerunt: quia ora ipsorum dolor obstruxerat, ne filiorum tribulationem augerent, & ante præfinitum tempus morerentur. Cohibebant lacrymas complectentes viscera sua, vt carissimos suos consolarentur filios; verebantur quod verum erat patres dicere, quodq. propinquus erat dies quem Propheta prædixerat. Itaque illacrymantes suis dicebant filiis: nolite timere filij mei carissimi, at potiùs confidite; Dominus enim benignus est, & misericors, nequaquam subuertere atque delere vestram vult ciuitatem; sed per minas ad pœnitentiam vos inuitat. Quoties & vos à nobis vt carissimi casi estis, & minas intentatas nostis; ex disciplina autem atque correptione prudentes & hæredes euasistis, verberumq. dolor gaudio vobis exstitit. Sic ergo & de hominum amatore Deo cogitate: quippe qui patris instar castigat, & rursus miseretur, virgam suam attollit vt terreat, & in officio contineat, corripit & non occidit, imò potiùs conuertit.* Hæc apud S. Ephrem mœsti parentes ad afflictissimos paruulos acerbis lacrymis, lamentatione, gemitibus propè enectos.

Regis consilium, seu mandatum imperantis suis subditis recursum ad Deum.

20 Sed quid inter illa Rex? hic continuum suorum, & humanitus immedicabilem ploratum videns, atque audiens deducta ex imo corde suspiria, territus quoque immani corũ clamore & vlulatu terribili, quod erat prouidi principis, in omnem partem circumspicit, num quæ sit euadendi tanti discriminis via: vbi verò præsentius impendentibus malis auertendis non occurrit remediũ, suggerit quod fallere eos non poterat; nempe recursum ad Deum; eumque non suggerit tantùm, sed imperat, & quidem cum clamore valido; vt ampliùs patefactis illi suis angustiis & doloribus, faciat ipse bonorum largitor eorum corda, dilatata supernis benedictionibus, pleniùs respirare.

An etiam animantia ad Deum clamare iubeantur? & quomodo?

21 At inquies: quid conferre ad hæc poterat inconditus clamor omnis generis iumentorum & pecorum? nunquid sufficiebat clamare homines, qui hac gratiâ indigebant? Iumentorum ac pecorum clamorem hîc desideratum non fuisse, aut saltem nequaquam præceptum, affirmat Caluinus. Fateor quidem animantia præcepti alicuius capacia non esse; verùm satis illis clamor præcipitur, quando de alimentis necessariis suo tẽpore iis non prouidetur; etenim habent hoc à natura, vt quæque, clamore sibi proprio, necessi-

tatem suam loquantur. Deinde præter illius clamoris peculiaria commoda, relata à nobis superiùs, censet Dionysius Rikelius, has eorum famelicas voces, ab hominibus ad Deum iudicem mitigandum directas fuisse & ordinatas: Theophylactus fuisse tacitam quamdam supplicationem ad instar vocum ab hominibus prodeuntium, directarum ad diuinum implorandum fauorem, benignitatem, clementiam.

Laudatur Rex ob latā tam sanctam legē.

22 O factum benè quòd ita Rex suos ad bonum instiget! quòd eos tam alacriter excitet, tam fortiter animet, vt omne suum ad vnum Deum perfugium habeant; eum non tantùm lacrymis & gemitibus, non tātùm ieiuniis & ciliciis; sed multò magis precibus & clamore valido interpellent, sollicitent, vrgeant; atque ita variè & grauiter offensum, pluribus etiam modis & ardenter placare contendāt. Profuit sanum consilium, lex sancta Regi, qui eam tulit, totique populo: ausim dicere profuturam etiam nobis, si seruare eandem voluerimus, & in hoc Niniuitarum studia æmulari.

Sodales B.V. clamare ad Deum, & orare instanter debent.

23 Ad SODALES B.V. quod attinet, quibus magnâ parte hoc opus, vt dixi, ita & conscripsi, neminem inter illos vllo in cœtu esse oporteret ignarum artis *clamandi ad Dominum in fortitudine*: cùm nō solùm ex Christianis legibus; sed etiam ex legibus suo Sodalitio propriis clamare sic sæpiùs quilibet debeat. Verùm non suffecerit probis Sodalibus hanc artem nouisse, nisi eandem etiam vsurpauerint, sibique fecerint familiarem; ita vt eâ nullâ non occasione vtantur, vtanturque tantò frequentiùs, quantò se, ob præsentia discrimina, dubios casus, necessitates magnas, & eas quas sentiunt intus pugnas, foris timores, maioribus expositos periculis, & magis opis diuinæ indigos esse, aduerterint.

Moyses orans instāter, & fortiter, obtinuit Israëli victoriā contra Amalec.

24 Artem hanc vsurparunt omni tempore viri sancti & magni, successu optimo, felicissimo. Moyses imprimis, populo Israël contra Amalechum pugnante, qui in signum huius sui fortissimi clamoris, etiam manus in cælum erexit: quod quam diu fecit, stetit penes Israëlitas victoria; cùm intermisit, factus remissior, penes hostes Amalecitas. Sic habet liber Exodi: *Cùm leuaret Moyses manus, vincebat Israël: sin autem paullulùm remisisset, superabat Amalec.* Ad quem locum notat Cornelius à Lapide, eleuatione manuum contentionem orationis, remissione eiusdem remissionem adumbrari. *Exodi c. 17. v. 11.*

Dauid quoque fortiter & instanter orauit.

25 Vsurpauit Dauid, qui clamorem suum recensens, *Laboraui*, inquit, *clamans, raucæ factæ sunt fauces meæ*: Explanans hunc locum Albertus Magnus: *Labor*, inquit, *est fortitudinis & virtutis, clamor orationis, raucedo afflictionis.* Colligo certè Dauidem fortiter clamare ad Deum debuisse, qui vt id exprimeret se raucum factum asseruit. Et multò magis id verum in persona Christi, in qua hîc loqui Dauidem communis Patrum sententia est. Hic namque tempore Passionis suæ clamauit ad Deum Patrem *in fortitudine*. Quippe, *qui*, vt ait Paulus, *in diebus carnis suæ, preces supplicationesq; ad eum, qui possit illum saluum facere à morte, cum clamore valido & lacrymis offerens, exauditus est pro sua reuerentia.* *Psal. 68. v. 4.* *Christus similiter in Cruce.* *Ad Heb. c. 5. v. 7.*

Ezechias cùm circūdaretur, ab exercitu Sennacherib.

26 Vsurpauit artem eandem Ezechias Rex Iuda. Hic namque, cùm in summis esset angustiis, vallatus hostili exercitu maximo & potentissimo Sennacherib Regis Assyriorum, à quo litteras acceperat improperij plenas; vt clamaret fortiùs, & Deum ardentiùs oraret, ac exoraret petita: *Ascendit in domum Domini, & expandit litteras coram Domino, & orauit in conspectu eius, dicens: Domine Deus Israël qui sedes super Cherubim, tu es Deus solus Regum omnium terræ: tu fecisti cælum & terram. Inclina aurem tuam, & audi; aperi Domine oculos tuos, & vide: audi omnia verba Sennacherib, qui misit vt exprobraret nobis Deum viuentem. Nunc igitur Domine Deus noster, saluos nos fac de manu eius, vt sciant omnia regna terræ, quia tu es Dominus Deus solus.* En quâ eloquentiâ, quo apparatu verborum, quo mentis ardore, quâ contentione, quo clamore Ezechias hic vtitur. Sed an etiam *Lib. 4 Reg. c. 19. v. 14.* *Vers. 19.*

iam vtili & efficaci? vtilissimo, efficacissimo; auditus enim, & exauditus à Deo est; itaque exauditus, vt Sennacherib hostis ipsius, tam superbus & potens, vrbem Ierusalem in qua ipse erat, ne attigerit quidem; perdiderit autem in castris suis vnâ non ampliùs nocte, Angelo Domini percutiente, hominum millia centum octoginta quinque. Quâ clade acceptâ, cùm illi nihil propiùs esset, remigrauit in Niniuen, Ezechiæ non gladio, sed precibus victus.

Gregorius Thaumaturgus, cũ eum persequerentur. Nyssen. in vitâ Thaumaturgi.

27 Iisdem armis vsus quoque S. Gregorius Thaumaturgus Neo-Cæsareẽsis Antistes, sæuiente persecutione se & Diaconum suum in monte quem conscenderant præclarè tutatus est: sic enim persecutores euaserunt, vt eos ipsi videntes, neque agnoscentes, putarent se non homines, quemadmodum est à S. Gregorio Nysseno narratum, sed arbores intueri.

S. Hieronymus cum impugnaretur à carne. In cap. 1. lect. 3. n. 24. 25. 26.

28 De se habet Hieronymus, in præclara illa epistola ad Eustochium de custodia Virginitatis, vti alibi recensui fusiùs: *Memini me clamantem diem crebrò iunxisse cum nocte.* En quantus ille clamor! quanta illa contentio est! *nec priùs à pectoris cessâsse verberibus.* Ecce iunctam clamori asperam pœnitentiam. Quid hæc deinde consecutum? Id colligere licet ex eo quod subdit: *Donec rediret Domino imperante tranquillitas.* Per hęc igitur animi tranquillitatem obtinuit, & quidem tantã, vt mox plenus diuini amoris dulcedine interesse sibi videretur agminibus angelorum. Nec mirum, quoniam ad eam obtinendam à clamore nequaquam cessauit. Sciebat enim, æquè ac S. Bonauentura, *nullum cæleste donum, nullamq́, virtutem, absque oratione & corporis afflictione, præterquam cùm Dominus extraordinarium opus, & intra suarum legum limites non contentum, facere vult, posse obtineri.*

S. Bonau. in Meditationibus.

29 Ex dictis apparet, neminem hãc sacram orandi artem exercuisse vmquam sine fructu eximio; licet ille non statim se proderet, neque quilibet id quod à Deo postulauerat è vestigio obtineret. Dictum est enim rectè à S. Bernardo: *Sæpè multos Deus non exaudit ad voluntatem, vt eos exaudiat ad salutem.* Clamandum igitur omnibus, & clamandum *in fortitudine.* Nec erit hic irritus clamor, ita spondeo: valebit enim, vtar nunc iterùm D. Bernardi verbis, aut pro obtinenda voluntate; aut, quod multò est optabilius, pro consequenda salute. De his hactenus.

S. Bern. lib. de Interiori domo c. 51.

Explicatur quarta pars regij edicti de cõuersione.

30 Restat nunc edicti regij pars quarta & vltima, eaque potissima, quâ cunctis vitæ morumque mutatio præscribitur, ita seruatu necessaria, vt sine hac, totius edicti reliqua obseruatio Niniuitis nihil fuerit profutura. Nam, vt ait Chrysostomus, *non ieiunium solum & saccus; sed totius vitæ mutatio ineuitabilem illam iram soluit.* Edicti verba sunt: CONVERTATVR VIR A VIA SVA MALA. De viro, non de viris loqui videtur, de mulieribus multò minimè: an ergo, quæ Rex mandat hoc loco vnum tantùm aliquem virum concernunt? Concernunt plurimos, imò omnes omninò, qui in Niniue sunt; neque viros tantùm, sed mulieres quoque, adolescentulos atque adolescentulas, senes & anus. Nam ad omnes cuiuscumque sexus, ætatis, conditionis & ordinis, mandatum Regis dirigitur. Rex sicuti benè vult omnibus, ita idem omnibus imperat, æquè omnibus ad salutem profuturum. Optat neminem non *conuerti*, neminem non de melioribus & sanctioribus vitæ rationibus ineundis serium consilium suscipere, siue vir sit siue mulier, siue senex, siue iuuenis, puella seu puer. Quare sine discrimine ex eo monẽtur omnes, & seriò monentur: *Conuertantur à via sua mala*: id est, ab omni cogitatione illicita, affectuque prauo abstineant imposterum, quotquot iam adulti per ætatem sunt rationis capaces; quorum nimirum causâ vrbi parabatur excidium, vt benè notauit Tremīnius. Viri autẽ hîc fieri mentionem peculiarem indicare videtur Albertus Magnus, eò quòd hæc quæ præscribitur cõuersio actus videatur virilis, & ad

Chrysost. hom. 3. ad Populum.

Hæc non tantùm ad vnum virum, sed ad omnes viros & mulieres spectant.

Cur viri mẽtio fiat

ad eam amplectendam seriò animo prorsus virili sit opus.

Quid significet via, & vnde illa significatio.

31 Porrò improba & scelerata Niniuitarum viuendi ratio viæ nomine appositè exprimitur, sumptâ metaphorâ ab itinere, sic dicto quòd sæpiùs iteretur; siue à via, vi ac pedibus prætereuntium calcari solita. Vnde vitę consuetudinem quamlibet aut studium, meritò viam seu vias nominamus. Regum libro tertio, capite decimo quinto, dicitur de Nadab filio Ieroboam Rege Israël. *Fecit quod malum est in conspectu Domini, & ambulauit in viis patris sui, & in peccatis eius, quibus peccare fecit Israël.* Psalmo primo. *Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit.* Isaiæ capite quinquagesimo quinto: *Derelinquat impius viam suam.* Ieremiæ vigesimo secundo. *Hæc est via tua ab adolescentia tua:* id est, consuetudo, vt vertit Vatablus, & Tigurina: quibus & aliis pluribus locis, *Via* nomine, opera quæcumque, mores, & studia significantur. Quoniam verò opera ortum habent ab interioribus animi affectionibus, dum hîc dicitur, *Conuertatur vir à via sua mala*, impias imprimis cogitationes prauaque desideria, tamquam ad opera viam sternentia, esse relinquenda præcipitur.

Reg. lib. 3. c. 15. v. 26.
Psal. 1. v. 1.
Isa. c. 55. v. 7.
Ierc. c. 22. v. 21.

Prohibet Rex praua opera.

32 Sequitur in edicto: ET AB INIQVITATE QVÆ EST IN MANIBVS EORVM. Quibus verbis praua opera prohibentur: nam per manus operamur. Prohibentur autē ea potissimùm opera, quæ cedunt in proximi damnum. Ex quo liquet, hîc maximè contra iniustos, fures, raptores, ac similes ferri decretum; adeoque ab illis præ ceteris seruandum mandari. Pro eo quod nos legimus. *Conuertatur ab iniquitate*, vertit Paraphrastes Chaldęus, *à rapina, eam restituens.* Et hæc subditorum suorum conuersio, Regi vel maximè erat in votis: cùm furta, rapinæ, dolus malus, & quæ sunt alia generis eiusdem præcipuè perturbare Rempublicam, eiusque pacem ac quietem maximoperè violare soleant. Atque hæc causa est, cur de iis, tamquam, & præ ceteris valdè noxiis, & præ ceteris etiam fugiendis, sub generali nomine iniquitatis hîc agatur sigillatim.

Maximè furtum, & rapinam.

Niniue, vti præcipua solēt emporia, iniustitiâ maximè fuit contaminata.

33 Patet verò exinde fuisse hanc ciuitatem iniustitiæ labe non parum contaminatam; sicuti ferè solent præcipua quæque orbis emporia, in quibus quotidie multa, ob varium variarum nationum commercium, fraude ac dolo, multa vsuris, multa illicitis & parum honestis cōtractibus peraguntur, multa vi extorquentur, rapiuntur, multa in variis mercibus fucātur, adulterantur; vt subinde nescias quibus & qua in re sat fidere possis, cui sat tutò tua concredere. Hæc, & his similia, tum necessitatis, tum honestatis causâ boniqùe communis, ad mitigandam ampliùs Dei iram, eò quòd prorsus sublata Rex vellet, tam seriò, tam constanter mandat, quisque se discutiat, sibi inuigilet, iniustas opes refundat, possessas non iusto titulo res alienas restituat, nihil habeat non suum; sed nec habere velit in posterum.

Sicuti hîc magna pars impendentium malorum iniustitiæ tribuitur: ita enatam suo tempore famem & siccitatem, potissimùm iniustitiæ tribuit S. Basilius. Quare & ait: *Frange iniquas syngraphas, vt ita peccatum dissoluatur, dele grauissimarum vsurarum stipulationes, vt terra consueto more pariat. Cùm enim æs & aurum, quæ natura sua infæcunda sunt, fœnus suum, hoc est fœtus edant, quæ ex natura fœcunda est, sterilis facta est, & in pœnam eorum, qui ipsam colunt, sterilitatis damnata est.*

S. Basil. Mag. hom. in fame & siccitate.

Iniustitiâ rectè verbis edicti explicari ostenditur.

34 Non poterat furtum, rapina, aut acquisita quocumque indebito modo alienorum possessio, meliùs explicari, quàm si vocaretur *Iniquitas quæ est in manibus.* Nam licet hæc, more aliarum iniquitatum & peccatorū, secundùm Apostoli dictum, etiam de corde exeant, tamen perficiuntur manibus. Vnde, quod nos dicimus rapere aut furari, Hebræi honestiùs vocant, extendere manum in proximum: manus quippe instrumentum est actionum. Sic Dauid dicebat: *Si est iniquitas in manibus meis.* Nolebat ergo Rex Niniuo

Psal. 7. v. 4.

ue, eos qui rapinis & oppressionibus pauperum, quò suo luxui & intemperantiæ opes sufficerent, in magnum fastigium ascenderant, vllas ampliùs rapinas exercere; vllas artes nouas comminisci atque industrias, quibus aliorum fortunas degluberent: sed magis cupiebat eos aliena refundere. Nouerat enim, quamdiu hęc in potentiorum, siue eorum, qui ea ab aliis surripuerunt, sunt manu; tam diu clamare, & vindicem Deum contra possessores iniquos deposcere.

Regis sollicitudo edicto expressa, copiosius exprimitur.
S. Ephrem serm. in Ionam.

35 Regis magnam de hisce rebus sollicitudinem ampliùs exprimens S. Ephrem: *Emisit*, inquit, *concionatores, qui vbique prædicarent, vt vnanimiter pœnitentiā agerent. Relinquat vnusquisque improbitatem suam, vt non lædatur in bello: rapax elargiatur, luxuriosus castū se gerat, iracundus mitem se præbeat, deliciis indulgens ieiunio se dedat. Nemo iniuriarum memoriam retineat: nemo quippiam surripiat alienum: nemo aliquem affligat ac opprimat, neque verò maledictis incessat. Si remiserimus deinceps conseruis nostris, & Deus nobis remittet nostras in ipsum offensas. Hæc nostri sit agminis præliique ratio, & accipiemus victoriam, saluabiturq́ ciuitas nostra.*

Fructus susceptæ obseruatio regij mandati.

36 Hactenus Regium mandatum, per pręcones promulgatum vrbe totâ, discussimus atque expendimus: nunc eiusdem mandati fructum expositum ab eodem S. Ephremo accipite. *Audierunt*, inquit, *diuites & subitò thesauros suos pauperibus aperuerunt. Audierunt creditores, & mox tabulas ac syngraphas quas habebant sciderunt, adhuc iis prætereà largientes. Audierunt debitores, & secum cogitabant iustum id esse, vt quæ debebant redderent. Nam quisque studebat quæ salutis suæ essent curare, & Deum placare. Non erat ibi homo qui subdolâ aliquâ vafritie vellet quidquam lucrari; quoniam omnes vnâ iustâ voluntate atque proposito in animum induxerant, quâ ratione animam suam lucrari possent.* Hæc S. Ephrem. Loquens autem generatim de fructu in hac ciuitate facto, & illustri incolarum conuersione S. Chrysostomus: *Sanè*, inquit, *si quis tunc ingressus fuisset ciuitatem Niniuitarum, qui priùs eandem probè nouisset, nequaquam agnouisset eam: adeò repentè à turpissima vita ad pietatem resilierat.*

S. Ephrem vbi suprà.
Chrysost. lib. 1. de orando Deum.

Ieiunium Niniuitarum fuit nō tantùm abstinentia à cibo sed etiam à vitiis.

37 Atque hinc apparet, quale fuerit Niniuitarum ieiunium, quod Deo tantoperè placuit: videlicet abstinentia quidem à cibo & potu; sed multò magis à vitiis & peccatis: quo titulo fuit hoc illorum ieiunium potissimùm commendabile. Nam, vt ait alibi Chrysostomus, *Honor ieiunij non ciborum est abstinentia, sed peccatorum fuga:* quam vt sibi quàm maximè cordi esse Rex Niniuitarum ostenderet, edictum suum quod à ieiunio ciborum inchoauerat, vitiorum ieiunio clausit: *Conuertatur*, inquit, *vir à via sua mala, & ab iniquitate quæ est in manibus eorum.*

Chrysost. hom. 3. ad Populum.

Nunc sæpè ieiunatur à cibo, non à vitiis.

Nos longè aliter facimus: quantumuis sæpiùs ieiunemus à cibo, rarò certè à vitio; in agenda pœnitentia exteriora attendimus; interiora, seu vitæ seriam emendationem non cogitamus: quod est magis simulare, quàm verè agere pœnitentiam. Itaque qui præteritorum ducitur pœnitudine, & cogitat meliora: primò & ante omnia *conuertatur à via sua mala*; actus priores noxios, quibus displicuit Deo, penitus deserat; atque ita transmigret in vitam aliam ac legem.

In agenda pœnitentia primò declinandum à malo.
Horat. l. 3. Carm. Ode 24.

38 Quam id necessarium agnouit etiam suo modo, & docuit Poëta Ethnicus, dicens:

——Scelerum si benè pœnitet,
Eradenda cupidinis
Praui sunt elementa: & teneræ nimis
Mentes asperioribus
Formandæ studiis. ——

Sed rectiùs docuit secundùm diuinam philosophiam B. Ambrosius cùm dixit: *Agere pœnitentiam, non esse aliud quàm præterita mala plangere, & non ampliùs plangenda committere:* id est, vti olim aliis verbis dixit Rex Dauid. *Declinare à malo, & facere bonum.* Et Isaias Propheta: *Lauari, mundari, auferre cogitationes malas, quiescere agere peruersè.* A quo non multum recessit Poëta, cùm dixit.

Ambr. in Epist. 2. ad Cor.
Psal. 36. v. 27.
Isa. c. 1. v. 16.

Virtus est vitiū fugere, & sapiētia prima
Stultitiā caruisse.

Horat. in Epist. lib. 1. Epist. 1.

Paulus

Ad Col. c. 3. v. 9.

Paulus vocat, *Expoliare veterem hominem cum actibus suis, & nouum induere: peccatis mori, & iustitiæ viuere.* Hic est, qui secundùm illud ipsum monet Romanos : *Sicuti exhibuistis membra vestra seruire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem : ita exhibete membra vestra seruire iustitiæ in sanctificationem.*

Ad Rom. c. 6. v. 19.

In pœnitẽtia præterea requiritur satisfactio pro præteritis.

Aug. lib. de Pœnitentia.

39 Ampliùs tamen adhuc aliquid ad debitam pœnitentiam exigit Augustinus, ait enim: *Ad agendam pœnitentiam non sufficit mores in melius mutare, & à malefactis recedere ; nisi & de his quæ facta sunt satisfacias Deo per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis sacrificium, cooperantibus eleëmosynis.* In quam sententiam iam dixerat ante eum annis ampliùs centum & quinquaginta D. Cyprianus: *Quàm magna deliquimus tam granditer defleamus. Alto vulneri diligens & longa disciplina non desit: pœnitentia crimine minor non sit. Putasne tu Dominum citò posse placari, quem verbis perfidis abnuisti, cui patrimonium præponere maluisti, cuius templum sacrilegâ contagione violasti ? Putas facilè eum misereri tui, quem tuum non esse dixisti? Orare oportet impensiùs & rogare, diem luctu transigere, vigiliis noctes ac fletibus ducere, tempus omne lacrymosis lamentationibus occupare, stratos solo adhærere cineri, in cilicio & sordibus volutari post indumentum Christi perditum, nullum hic iam velle vestitum, post diaboli cibum malle ieiunium, iustis operibus incumbere quibus peccata purgantur, eleëmosynis frequenter insistere, quibus à morte animæ liberantur.*

Cypr. lib. de lapsis in fine.

Signa veræ pœnitentiæ ex Basilio Seleuciæ Episcopo.

D. Basil. Orat. 12.

40 Vultis nunc hominis seriò pœnitentis certissimas notas? Recenset illas D. Basilius Seleuciæ in hunc modum : *Veræ pœnitentiæ indicia sunt lugens anima, plorantes oculi, improbitatis correctio, impietatis fuga, carnis contritio, animi contractio, iniustitiæ desertio.* Addit deinde bona quæ à vera & syncera pœnitentia promanant. Audite quàm magna, quàm eximia: *Expurgatur,* inquit, *iniquitas, diuina sententia retrocedere non erubescit, & soluit decretum Deus, & abolet periculum. Dei namque in homines procliuior aspectus accedentem suscipit pœnitentiam, supplicanti paret, sedat lacrymantem, lamentanti condolet, denique victoriam reportare iubet.* Hæc ille.

Fructus illius ex eodem.

Id in Niniuitis ostenditur.

41 Et numquid ita factum in Niniuitis videmus? quibus illa illustris quam susceperunt pœnitentia dedit victoriam, cùm iam propè periissent. Quomodo verò hoc ipsum contigerit copiosè enarratum à S. Zenone Episcopo Veronẽsi accipite : *Statim,* inquit, *actus veteris vitæ damnantes, pro salute redimenda non solito more ad stupida simulacra concurrunt, non aris fœtentibus funestos excitant ignes, non thura cremant, non merum profundunt, nec pecudum inexpectatâ morte rapti iecoris spirantis consulunt fibras, nec per varios auium volatus coniecturis inanibus statum plumeæ salutis inquirunt.* Notate quæ dixit hactenus: hæc enim sunt illa, quibus anteà assueuerant, hæc mala à quibus nunc auertuntur, hæc quæ deserunt. Quid nunc ampliùs? etiam conuertuntur ad bonum, non enim agunt vt priùs ; *sed à suo corde remedium salutare deposcunt, spiritumq́ suum totâ humilitate contribulatum ambitiosè sacrificant, sicq́ legitimè celebratâ pœnitentiâ, Deum sibi propitium reddiderunt.*

S. Zeno serm. de Iona to. 3. Bibl. SS. PP.

Diaboli summus hostis pœnitentia, quã nil magis odit.

Bern. ser. 2. de vigil. Natiu. Domini.

42 Vim & efficaciam ardentis pœnitentiæ, (dico ardentis, quia, secundùm Bernardum, *Quisquis ardenter non desiderat pœnitentiam, videtur operibus dicere non indigere se pœnitentiâ, & ita suam non confitetur culpam ; aut non posse prodesse ei pœnitentiam ; & sic diuinam non confitetur bonitatem* ; atque ita nisi sit ardens, non magnarum est virium) quod satis nouerit hostis generis humani diabolus, nihil sic metuit vt illã; quâ quoties impetitur, toties prosternitur, toties vincitur, quantumuis fortissimus, quantumuis plus millies victor. Neque enim ignorat, *quòd,* quemadmodum alibi ait Bernardus, *Initium reuertendi ad Deum pœnitentia est.* Quare vellet hanc modis omnibus abolitam : licet enim homines velut ferreis aut adamantinis vinculis tenere videatur constrictos, stante pœnitentiâ nihil adhuc obtinuit ; cùm hæc nullo nego-

Bern. ser. 1. in Pentec.

negotio soluat vincula omnia, & reditum paret in gratiam ac pristinam libertatem; & quidem optimum, desideratissimum, beatissimum, hominibus etiam scelestissimis, oneratis peccatis.

Hanc per hæreticos tollere est conatus.

43 Hæc causa est, nec alia, cur hanc per suos clientes omnium ætatum hæreticos, partim impugnare & de medio tollere, partim exosam reddere & difficilem numquam destiterit, neque adhuc desinat. Certè sicut olim per Nouatianos hanc tamquam non profuturam extirpare laborauit, vt post baptismum lapsos faceret de sua salute diffidere, & laxare liberaliùs omni improbitati habenas; sic modò per Caluinistas nostros, qui rident pœnitentiam, & dicunt non esse necessariam peccatorum confessionem, ac eam tamquam arduam nimis & difficilem aspernātur, hanc impedire modis omnibus, ineptæ libertatis titulo, nititur. Nouit enim versutus, omniū stropharum & doli artifex, fore vt sublatâ semel hac secundâ post naufragium tabulâ, infiniti mergantur & pereant.

Emiss. ho. de Pœnitentia Niniuitarum.

Quocirca meritò cum Eusebio Emisseno, quādo lapsi iam sumus, neque alia est ad cælum via, nisi per pœnitentiam, censebimus beatum illum, *qui,* non obstantibus omnibus improbissimi hostis conatibus *hîc mala sua deflere, qui hîc debita sua festinat exoluere, & innocentiam, quam iam non potest reparare per baptismum, recuperare studet per summum pœnitentiæ fructum.*

Pœnitentiæ formula exactissima, concepta, & vulgari iussa à Rege, laudatur.

44 Decreueram iam finem facere dicendi, omnibus & singulis edicti Regij partibus satis, vt mihi quidem videbatur, pertractatis atque discussis; cùm iterùm animū subiit summa numquam laudati Regis in hoc edicto condendo prudentia, ad quod concipiendum, quoniam religiosissimum est, si non tam proceres atque primarios sui imperij Principes, quā nostri æui præstantiores Theologos conuocasset, ab illis postulans conscribi sibi ac suis certam aliquam perfectæ pœnitentiæ formam, hac ab ipsomet edi iussâ, & proponi omnibus, nulla aut melior, aut breuior concipi, ac præscribi potuisset.

Veterum pœnitentia constabat contritione & satisfactione.

45 Veterum pœnitentia duabus partibus, nimirum contritione & satisfactione, cōstabat: vtramque Regium hoc edictum cōplectitur. Satisfactionem cùm iubet: *Homines, & iumenta, & boues, & pecora non gustent quidquam.* Contritionis priorem partem, quæ est de præteritis dolor, cùm iubet: *Clament ad Deum in fortitudine;* vtique pro culpæ, cui pœnam intentauerat IONAS, solutione. Posteriorem, quæ est resipiscentia ac emēdationis propositum, cùm ait: *Conuertatur vir à via sua mala.* Et ne quid adhæc desit, etiam commendat debitam in proximum caritatem, dum de alienis nihil sibi rapere, nihil sibi retinere quemquam permittens, adiungit: *Et ab iniquitate quæ est in manibus eorum.* En quantus Theologus Rex tam barbarus tam citò euasit. Potuit gratia Spiritus sancti in illo vel momento vnico magna hæc operari, & efficere vt omnem scientiam sapientiamque combiberet. *O quàm velox est sermo sapientiæ,* inquit D. Leo de Apostolis loquēs Spiritum sanctum accipientibus in Pentecoste, *& vbi Deus magister est, quàm citò discitur quod docetur.* Secundùm illam huius Regis Theologiam qui tum vixerit, næ ille beatus futurus erat, dicente & docente Paulo: *Qui diligit proximum legem impleuit.*

D. Leo ser. 1. de Pentecoste.

Ad Rom. c. 13. v. 8.

Successus Regij edicti felix.

46 Edictum illius, quod iam audiuimus, tam solemne, tam sanctum, successus habuit optatissimos: promulgatum sine turbis, susceptum cum reuerentia, seruatum cum cura, vtile fuit omnibus. Vtinam sic semper in honore & obseruantia sint apud subditos vtilia bonorum principum edicta iustaque imperia, cupientium suos bonis & congruis legibus viuere, nihil alienum rapere, nulli molestos esse, & quod caput est, Deo omnium Domino debito modo religiosè seruire; sæpè, non ita quàm solet, multo vulnere saucia iaceret Respublica, non tantoperè affligerentur cum subditis principes ipsi, & subinde, quod dolendum,

dum, irent susque deque omnia.

Malum duplex toto ferè orbe est. primum superiorum in curâ subditorum negligentia.

47 Quid dicam? Duplex magnâ totius orbis parte sensim quasi sine sensu inualuit malum: alterum principes & similes spectat, in iis quæ salutis sunt subditorum procurandis, & decernendis satis socordes: alterum subditos suorum Principum & superiorum prouidam curam risui & ostentui habentes: qui cùm sint improbis planè & perditis moribus ac vitâ, optentque ac velint tales esse secum omnes; quoscumque vident suis sceleſtis conatibus obsistentes, siue illi sint Magistratus, siue principes, siue etiam reges, aut regibus potiores, calamo saltem aculeato linguaque maledicâ, quando aliter non possunt, illorum dignitatem, maiestatem, & sanctitatem nequaquam reueriti, proteruè inuadunt.

Secundum subditorum mandata superiorum non curantium.

Ioannes Lambertus alicuius principis edictum ineptè insectatur.

48 Ex horum genere fuit suo tempore Franciscus Lambertus, ipsus ille cum quo nobis aliàs negotium. Hic in suo ad IONAM commentario de interpretatione edicti regis Niniue non adeò sollicitus, sollicitior est vt edictum alterius principis, quod eum magis cruciabat, mordaciùs perstringat, atque in illud, magis autem in illius auctorem, eructet plenis buccis suæ maledicẽtiæ ac furoris venenum. Verùm quodnam sit illud edictum, aut à quo emanarit, non explicat: interim quantum apparet, vel in Regem Christianissimum, vel in Cæsarem, vel in ipsum Pontificem cui tamquam Auenionensis iure natalium suberat, à quorum aliquo sub illa tempora ob recens exortas hæreses admodum periculosa, in nouitatum illarum & hæreseon sectatores quale debebat edictum emanare debuerit, debacchatur; quo nimirum cùm se senserit cum ceteris aut etiam præ ceteris, grauiter perstringi, eructauit quæ sui impotens indignatio tumultuariè suggessit.

Citantur, & examinantur Lamberti verba.

49 Porrò, vt partes suas meliùs agat, illum, quem petit & ferit, ait esse de partibus Antichristi, more hæreticis omnibus communi; quibus id solemne, eos qui ab illis dissentiunt, Antichristo transscribere. Subiungit: *Eundem illa, quæ tum iuxta veritatem rei docebantur aut scribebantur*, sic ipse loquitur, ego iuxta exortam falsitatem, *tantâ interdicere seueritate, vt neque Neronem, neque Diocletianum, magis putet in Dei Ecclesiam deſæuiſſe.* Benè hic verbũ, *puto*, vsurpat, vt tantùm erroris & non simul mendacij argui possit. Sed dum paritatem in rigore legis Christianæ & Neronianæ taxat, de qua non disputo, non memorat causam dissimilem. Si illi, vt Christianos euerterẽt, malè tam seuera in illos edicta sanxerunt; hic vt eosdem conseruaret in hostes illorum non disparia, benè, prudenter, sapienterque constituit. Quare non rectè eum *nouum tyrannum, & Christi hostem* titulis, vti auditis, admodum præclaris, & nobilibus valdè encomiis Lambertus appellat.

Ioannes Lamber. in c. 3. Ionæ.

Contra Lambertũ, acriùs quidem, sed pro meritis agitur.

50 Ad hæc: postrema illius edicti verba, omnibus principum mandatis ac diplomatibus subnecti solita, *Quia sic nobis placet*: idẽ mirè suggillat. Ex quibus apparet, quo furore, atque etiam, si ita loqui liceat, amentiâ, maiores suos, siue hi sacris infulis, siue sceptro decori, impetant illi, qui aliquid obtrudere ignaro & rudi populo moliuntur, à recta ratione, atque illorum placitis alienum, quasi præter ipsos nemo sapiat, cùm ipsi non satis sapiant, & tamquam si illa quæ ipsorũ conatibus improbis sunt contraria, Deo quoque, religioni, veritati cui vel maximè cõgruunt, aduersentur. Non sunt Lamberte, ea quæ tantoperè conuiciis & maledictis proscindis edicta, alicuius qui partes agat Antichristi; sed illius potiùs qui eas partes agentes damnat, qui à te tuaque, ac tuorum noxiâ consuetudine suos subditos, & quidẽ iure meritissimo quàm longissimè arcere ac remouere contẽdit; libros tuos, tua scripta sceleſtissima, perniciosissima, flãmis, vti verè sunt digna iudicat. Neque idcircò Neronem agit, aut Diocletianũ; sed verè pium, Christianum, Catholicum principem, Orthodoxæ fidei propugnatorem, impietatis tuæ & scelerũ cum hæresi magnâ fertilitate enascentium iustum aduersarium.

Qua-

Quare vt talis, prohibere legibus nimium seueris, dicta, scripta, factaque tua, tibique similium non potest. Profectò qui tuam, ô nimium crudelem, in animas pretioso Christi redemptas sanguine tyrannidem cohibet, tyrãnus non est: & quid nî dicere supremus aliquis Princeps, aut Prælatus Ecclesiæ possit, ac dicat; *Quia sic nobis placet*, quando ipsius placitum à diuino placito non dissentit.

Absurditates Lāberti verbo vno enarrãtur.

51 Longus sim, si velim omnia Lamberti in principem, quem mordendum suscepit, maledicta refellere; quando inter honoris titulos, quibus ab eo ibi condecoratur recenset, quòd sit *Excæcatissimus vermiculus, homo perditus, insanus.* Ex vngue leonem: numquid hæc & similia Christiano principe digna sunt nomina? Quid dicere poterat honestius? quid inquã absurdius eructare? Ex hoc rogo videatis, & noscatis hæreticorum genium, quibus est proprium Principes, Reges, Cæsares, Ecclesiarũ præsules, ipsumque supremum orbis pastorem Romanũ Pontificem Dei in terris vices agentem, conuitiis, cauillis & cuiuscumq; generis maledictis proscindere, nemini parcere, nullum suspicere, nec Deũ, nec homines revereri: vt mirum videri nemini hoc etiã tempore debeat, si, vti reuerà sunt, ita passim etiã censeantur incentores malorum omniũ, perturbatores orbis vniuersi; cùm quidquid vspiam ferè inter Reges & Principes dissidiorum est, id illis agentibus excitatum sit, illis incitantibus perduret, neque vmquam ferè nisi illis sublatis, & non ampliùs in concilium adhibitis, aut auxilium, auferri soleat.

Lambert. loco citato.

Hæreticorũ genius est insultari Principes.

Ciere turbas, & bella inter illos.

52 Fuerunt illi fax Germaniæ iam toties ab ipsis Lutheri principiis, & vereor ne vmquam de toto ibi restinguatur iam diu cœptum incendiũ, nisi modus inuẽtus fuerit, quo aut illi meliùs sentiãt, aut ab imperij finibus, Caluinistæ præcipuè, de toto moueantur. Etenim cui cum hoc hominum genere est negotium, is sciat, quòd

Caluinistarum agendi modus.

— Incedat per ignes,
Suppositos cineri doloso:

Horat. lib. 2. Carm. Ode 1.

Flammâ belli suppressâ, quando conditio eorum est facta deterior & quasi victi videntur, postulatione pacis: eâdem verò denuò exurgente, vbi aucti nouis copiis & fœderationibus, propositę pacis cõditiones, velut se indignas, repudiandas cẽsuerint: vt proinde nemo sapiens ac prudens sat sciat an illis etiam iuratis possit credere, possit quibuscumque demum illorum sponsionibus fidere.

Verùm quid hæc referre pluribus iuuat, quid altercari diutiùs cum Ioanne Lamberto? non fuit ille quidem Caluini sectator, vtpote iam annis octo ante enatam huius hæresim vitâ functus, non minùs tamen quàm hic hæreticus, neque minùs quàm hic sui impos, cui cùm viueret videtur dominatus fuisse pro ratione furor, pro voluntate libido. Meliùs profectò, meliùs Niniuitas spectando tempus nostrum impenderimus, in quibus vti amplâ commendatione & laude digna, ita magnâ admiratione pleraque omnia.

53 Sex in reliquis præclariora notat in suis annalibus vir eruditissimus Iacobus Salianus.

Impœnitentia Niniuitarum sex admiranda ex Saliano.

Salianus Annal. Ecclesiast. to. 4. ad an. mundi 3216. n. 16.

Primùm: quòd pœnitentiam susceperint ad prædicationem hominis formâ exteriore abiecti & contempti, ignoti, alienigenæ, ex gente parum sibi grata oriundi; nullam talis ac tantæ denuntiationis probationem, nullum auctorem, nullam in signum suæ legitimæ missionis certam notam, vti prodigium, miraculum, vel quid simile, proferentis.

Secundum: quòd ipsam nullâ morâ interpositâ, sine vllis tergiuersationibus, sine cunctatione ad primam monitionem susceperint.

Tertium: quòd pœnitentia hæc fuerit publica & solẽnis omnibus ad eam concurrentibus, Rege nimirum, Principibus, Dynastis cunctoque populo; viris, mulieribus, paruulis, liberis & seruis; hominibus, pecoribus, & iumentis communis.

Quartum: quòd supra modum rigida, ieiunantibus omnibus, prouectioribus quidem, ita vt nec panem,

nec aquam iis gustare; infantibus, vt non materna vbera sugere; pecoribus & armentis, vt non pascere liceret. Iungebatur deinde ieiunio quod molestissimum vestis horrida & inculta cilicium & saccus; stratum sordidum puluis & cinis.

Quintum: quòd suscepta cum clamore valido, cum frequentibus & feruentibus precibus & suspiriis ad Deũ; cum præteritorum detestatione scelerum; cum proposito vitæ melioris, purioris, sanctioris.

Sextum: quòd cum spe veniæ; spe inquam, vti in sola Dei fundatâ bonitate & misericordia, sic ex eadem conceptâ. Quare nulla ibi audita de culpis præteritis excusatio, nulla in Deum, nulla in IONAM querela: sed fuit omniũ simplex ad eius imperium obedientia, fuit sollicita in diuinum obsequium cura.

Secuta opera bona in singulis ad vocem Ionæ, ex S. Ephrem enarrantur.

54 Etenim, si B. Ephremo credimus, *Vocem Domini audientes fures, domini spolia, quæ abstulerant, restituerunt; & insanorum more, qui à furibus erant spoliati, ne vllo quidem modo sumebant: sed illis remittebant & concedebant. Se enim quisque iustè diiudicans, humaniter ac benignè in proximum se gerebat. Audientes homicidæ confitebantur se iudicum timorem despexisse. Audierunt indices & condonarunt, quia in tremenda illa ira non erat qui iudicaret: nam quilibet benignitatem seminare studebat, vt & ipse indulgentiam ac veniam ex ea metere posset. Audierunt peccatores vocem Ionæ, & suas ipsi actiones confitebantur. Audierunt quoque serui, & ampliorem suis dominis honorem detulerunt. Ad vocem Ionæ opulentæ ac superbæ feminæ elationem suam ac fastum in sacco humiliabant.*

Optanda in feminis nostri temporis Niniuiticarum humilitas. Hieron. ad Furiã de viduitate seruanda.

55 Quid ni etiam ita nunc faciũt nostrates feminæ, ad voces tam frequentes concionatorum? à quibus illis inculcatum est sæpiùs illud Hieronymi ad Furiam: *Quid facit in facie Christianæ purpurissus & cerussa? quorum alterum ruborem genarum labiorumq. mentitur: alterum candorem oris & colli, ignis iuuenum, fomenta libidinum, impudicæ mentis indicia. Quomodo flere potest pro peccatis suis, quæ lacrymis cutem nudat, & sulcos ducit in facie? ornatus iste non Domini est, velamẽtum istud Antichristi est.* O quàm verè & benè! sed quid iuuat dicere, quid monere, quando nullus datur tã iustis & sanctis monitionibus locus.

56 IONÆ commonitio, increpatio, concio vna & vnica, summum fuit omnibus Niniuitis ad quæuis mala remedium, ad venena antidotum: hac tales sunt ipsi effecti, vt digni habiti fuerint, qui & coæuis suis, & posteris, proponerentur in pœnitentiæ exemplum, quique in extremo magni iudicij die, & peruicaces Iudæos, & improbos redarguerent Christianos. Videte, & cauete ne vos quoque redarguant, & condemnent; proinde dum viuitis, rectè viuite, atque si id, quod non existimo, necdum facere incœpistis, iam saltem tandem aliquando incipite. 1. Cor. c. 7. v. 29.

Tempus enim breue est.

Dixit ille Ouid. 10. Metamor. Initio.

——— Paullumq. morati
Serius aut citiùs, sedem properamus ad vnam.
Tendimus huc omnes, hæc est domus vltima ———

Quæ de sede mortis & tumuli vera sunt; non de sede æternitatis: hęc enim non vna sed varia est; nobis autem adlaborandum, vt ad felicem & beatam peruenire possimus.

LECTIO

LECTIO DECIMAQVARTA.

QVIS SCIT SI CONVERTATVR ET IGNOSCAT DEVS, ET REVERTATVR A FVRORE IRÆ SVÆ ET NON PERIBIMVS. *Verſ. 9.*

ARGVMENTVM.

Edicti promulgati ratio exquiritur. An Rex, & quomodo, de venia à Deo impetranda ſit dubius indagatur. In Deum nec mutationem, nec facti pœnitentiam cadere, docetur. Ad confeſſionem veram ſynceramque frequenter inſtituendam Chriſtiani animantur.

Rex Niniue, & ciues, ab hæreticis impetũtur.

1 AGNVM iterũ nobis cum hoſtibus fidei hęreticis ineundum foret certamen: ſed, dum pro nobis deprę liantem habemus Regem Niniue tam potentem, illi cedemus hanc gloriam, illum patiemur certare pro nobis; quoniam æquè ac nos impetitur: patiemur & vincere, atque applaudemus victori, triumphatori gratulabimur. Aggrediuntur illi audacter Regem ſimul & ſubditos, ignorant fortè illud vulgatum.

Multis terribilis, caueto multos.

Regem impetunt, quòd tam aſperam præcipiat pœnitẽtiam; ſubditos, quòd eam tam promptè, tam fideliter, tanto ſtudio, labore, ſollicitudine compleant.

2 Nullum eſt dubium, quin, ſi aures Regis beneuolas illis habere tali loco ac tempore licuiſſet, protinus clamaturi fuerint, magno & ſapienti, vt illi quidem imaginantur, conſilio; &, vt ego exiſtimo, ſupercilio non minore: Quorſum tuos omnes ita ſæuire in ſeipſos Rex iubes? atque ad id tu ipſe præis exemplo? *Nemo vmquam carnem ſuam odio habuit.* Certè illud neque tuam imperare maieſtatem, neque tuos facere ſubditos cõuenit. Quamobrem, ſi in eorum fuiſſet manu, ipſos etiam ſubditos ne id facerent, & præceptis parerent regiis, concitaturos opinor: vti nunc genus quoddam hominum illorum turbulentum & ſeditioſum facere aſſolet.

Ad Epheſ. c.5. v.29.

Diſcutitur cauſa edicti regii.

3 Verùm dat iuſtam edicti ſui cauſam Rex ſapiens, quam tametſi non probent qui edictum improbant, probat tamen mundus vniuerſus; cuius iudicio, Regis huius & ſubditorum ipſius hoſtes, iidemque aduerſarij noſtri & omnis pietatis probitatiſque hæretici, condemnantur, vincuntur. Illam audite: QVIS SCIT SI CONVERTATVR ET IGNOSCAT DEVS? En totius huius edicti rationem omninò legitimam, quę & eiuſdem neceſſitatem non obſcurè indicat. LXX. & Hebræa pro IGNOSCAT, habẽt POENITEAT, verbo magis ad humanum morem agendique rationem accommodato: non quòd Deus facti ſui duci aliquãdo pœnitẽtiâ poſſit; ſed, vt pro noſtra imbecillitate, de eo aliquid cõcipiamus, in quem aliàs nullæ eiuſmodi affectiones, paſſiones nullæ cadunt. Loquitur igitur, vt ait Ioannes Mariana, more humano, ac ſi dicat: fortè conuertetur, fortaſſis eum pœnitebit.

4 Sequitur ET REVERTATVR A FVRORE IRÆ SVÆ, id eſt à pœna comminata (quod eſt etiam per ἀνθρωποπάθειαν dictum: ſicuti Dauid dicebat: *Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me)* ET NON *Pſal. 6. v. 2.*

PERIBIMVS. scilicet propter peccata nostra. Sic Propheta Ioël postquam dixisset: *Conuertimini ad Dominum Deum vestrum: quia benignus & misericors est, patiens, & multa misericordia, & præstabilis super malitia.* Subiungit: *Quis scit si conuertatur & ignoscat?* Hæc eadem verba, ad locum præsentem nostri Prophetæ expendens Albertus Magnus, ait: *Quamuis sit liberum Deo facere, vel non facere; tamen certum est de benignitate Dei, quòd si fecerimus quod in nobis est, ipse faciet quod in se est.*

Ioel. c. 2. v. 13.

Albertus in c. 3. Ionæ.

5 Verùm agamus, & quis sit horum verborum sensus, penitiùs indagemus. Varij variè ea legunt, dispungunt, interpretatur. Benedictus Arias Montanus non interrogatiuè, sed absolutè; non conditionatè, sed simpliciter; nullâ interrogatione appositâ legendum putat. *Qui scit:* id est, qui malè sibi est conscius, *conuertatur*, nimirum ad vitam meliorem ac frugem, & mores suos emendet; ignoscet Deus, à quo non frustrà nobis datas dierum quadraginta inducias sperare oportet. Nemo est cui irarum ardor, quantumuis accensus vehementer, ita ad dies quadraginta inhæreat, aut in quotam constanter ille perduret, vt intereà nō sedetur; nisi fuerit nouarum accessione culparum aut veterum contumaciâ denuò inflammatior & auctior, quod factum nobis auctoribus Dei intuitu nobis conscij non sumus. Quantò nunc magis sperandum benignum Dominum nostrâ pœnitentiâ, offensarum detestatione, & supplici non nocentium tantùm, sed simul etiam innocentium deprecatione placatum, iræ furorem indignationemque positurum: cùm non irascatur vt homo, sed naturâ misericors & clemens, *& præstabilis super malitia, dissimulet peccata hominum propter pœnitentiam, & parcat illis.* Transtulit locum hunc Paraphrastes Chaldæus ad eundem sensum his verbis: *Qui scit, quòd in manibus suis culpæ sint; conuertatur ab eis, & misertum erit super eum à facie Domini.*

Arias Mōtanus verba textus quomodo legat, & dispungat.

Secundùm lectionem illam, interpretatio loci proponitur.

Ioël. c. 2. v. 13. Sap. c. 11. v. 24. & 27.

6 Prudens omninò hoc, siue præceptum, siue consilium est Regis. Certè qui nouit vim efficaciamque pœnitentiæ, & secundùm hoc sapere cupit; rectè facit, si conuertatur, atque ad eam tamquam ad anchoram sacram confugiat: obtinebit enim hac ratione peccatorum suorum veniam, sedabit exortam tempestatem, atque exinde nauigabit placidè per vastum & tumultuosum hoc mundi mare, atque ad portum salutis æternæ pertinget feliciter.

Ita hîc ex directione Regis sui faciunt Niniuitæ; nam quantumuis immersi sint vitiis, atque inuoluti peccatis, nequaquam desperant; licet medias inter grauissimorum scelerum fluctuent tempestates, emergere tamen ex iis se posse confidunt, diuinæ bonitatis memores & clementiæ; illius auxilio, qui *sicut imperat ventis & mari*, ita & mentibus; *& fit* in vtrisque pariter *tranquillitas magna.*

Qui intelliget vim pœnitentiæ, prudenter ad illam confugere studebit.

Mat. c. 8. v. 26.

7 LXX. Interpretes, atque etiam codices Latini omnes, & cum iis Pagninus, Vatablus, & Tigurini, transferunt quemadmodum habet textus noster vulgatus, cùm interrogatione: *Quis scit, si conuertatur & ignoscat Deus?* atque ita legendum censent omnes Patres, & ferè quotquot sunt interpretes. In Hebræo particula conditionalis *si* non exprimitur; verùm esse subintelligendam, more illi linguæ vsitato, satis apparet: hæc interim siue posita siue omissa, sensum non mutat, non vitiat.

Vera lectio, & communior, & retinenda proponitur.

8 Difficultatis aliquid habere videtur, quòd ponatur ambiguè illud quod de diuina misericordia hoc loco asseritur. Nam, *quis scit, si conuertatur*, tantumdem est ac si positum sit forsitan conuertetur. Modi loquendi eiusmodi soliti sæpiùs in sacris Litteris vsurpari, rationes quatuor assignat hoc loco Mastrillus. Primam ex Sanctis Hieronymo & Chrysostomo, ad indicandam hominis libertatem, cui nec diuina voluntas præiudicet, nec ea quam habet Deus præscientia futurorum.

Declaratur variè ambiguitas illa quæ sæpè in S. Scriptura ponitur.

Lucæ c. 20. v. 13. rum. Sic apud D. Lucam dicit dominus vineæ: *Mittam filium meum dilectum: forsitan cùm hunc viderint verebuntur.*

Secundam: ad significandam operis de quo agitur difficultatem. Et sic exponit S. Gregorius verba illa apud S. Matthæum. *Dabunt signa magna & prodigia, ita vt in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi.* Ait enim: *Ista Dominici sermonis dubitatio ex electorum cordibus designatio tentationis fuit: quia qui electi sunt ad persistendum, per signa prædicatorum Antichristi tentabuntur ad cadendum. Per hoc ergo quod dicitur, si fieri potest, hoc exprimitur quòd electi in corde tentabuntur. Nutant enim, sed non cadunt. Dicitur ergo, si fieri potest, quia trepidabunt: & tamen dicuntur electi, quia non cadunt. Dubitatio itaque sermonis à Domino in electis exprimit trepidationem mentis.*

Greg. ho. 9. in Ezechiele.

Tertiam: ad indicandum, vt fit hoc loco, dubium esse, an eos, quos malorum suorum & peccatorum pœnitet, eorumdem tam perfectè pœniteat, vt illâ, quâ ducuntur pœnitentiâ, veniam mereantur. Et hæc causa est, cur Ioël Propheta, postquam ex ore Domini dixisset: *Conuertimini ad me in toto corde vestro:* atque ad illud ipsum faciendum suos fuisset cohortatus, subiungat: *Quis scit, si conuertatur, & ignoscat?*

Ioël c. 2. v. 12.

Quartam: ad continendos in perpetuo metu peccatores; ne spe facilioris veniæ cõtinuò eadem libertate atque audaciâ peccare pergant quâ antè. Ait enim Siracides: *De propitiato peccato, noli esse sine metu.* Quò respicientes S. Hieronymus, Haymo, Remigius, & Rupertus, in expositione loci quem tractamus, notant aliquid mysterij in verbis illis, *Quis scit?* Aiunt enim: *Ideò ambiguum ponitur & incertum; vt dum homines dubij sunt de salute, fortiùs agant pœnitentiam, & magis ad misericordiam prouocent Deum.*

Ecclesi. c. 5. v. 5.

9 Ex quo etiam colligit Gaspar Sanchius, Niniuitis, ne quidẽ eâ lege, quâ à prioris vitæ praua consuetudine eos resilire cõtingeret, fuisse quidquam à IONA promissum, neque aliquid de obtinenda remissione & venia indicatum. Congruit hoc cum eo quod habet S. Chrysostomus. *Illos certè lata iam sententia à spe depulerat: non enim dixit, si pœnitentiam egerint saluabuntur; sed solùm, tres adhuc dies, & Niniue subuertetur.* Si ampliùs dixisset, & Rex, & qui illi tum temporis fuerant à consiliis, nequaquam dubitassent, quin dum mutatis animis conuerterẽtur à culpa, Deus quoque à cogitatione infligendæ ipsis pœnæ conuerteretur; cùm id iam antè ex ore eiusdem à quo prodierat comminatio, æquè in vno atque in altero veridici, processisset. Interim quia nouerant tam grauis ruinæ causam sibi fore peccata, cogitare prudenter poterant, iis sublatis, hanc quoque non vltrà sibi metuendam. Hæc igitur causa dicendi: *Quis scit, si conuertatur & ignoscat Deus?*

Niniuitis Ionas nihil dixit de obtinenda venia.

10 Verùm à quo, aut quibus hoc dictum sit, in quæstione versatur. Sunt qui putent dictum à populo, dubio an peractâ pœnitentiâ audiendi essent, atque eam obtenturi à Domino gratiam, quam sperauerant; nimirum remissionem non culpæ tantùm, sed simul etiam pœnæ. Quasi dicant: Quis nouit, an Deus Optimus Maximus nostrâ placabitur pœnitentiâ, & suam de hac nostra ciuitate subuertenda reuocabit sententiam? *Nesciunt*, inquit Chrysostomus, *rei finem, nec pœnitentiam negligunt; nesciunt Dei benignitatis consuetudinem, & in incertis mutantur: nec enim habebant alios Niniuitas ad quos respicerent pœnitentiâ actâ saluatos, nec Prophetas legerant, nec Patriarchas audierant, nec vsi sunt consilio, non admonitionem nacti sunt, neque sibi persuaserant, quòd omninò Deum pœnitentia propitiaturi essent. Neque enim hoc habebat comminatio; sed dubitabant, neque de hoc credebant, & tamen cum omni diligentia pœnitentiam egerunt.* Hæc ille: Cogitauerint igitur, dum eam agerent, si Lyrano credimus, sicuti Deus est per peccata nostra offensus; ita

Disputatur de auctoribus verborum: Quis scit, &c.

Chrysost. hom. 5. ad Populum.

ita erit forsitan per nostram pœnitentiam placatus.

Niniuitæ, remissâ culpâ, dubitare adhuc poterãt de remissione pœnæ. 11 Ponamus nũc, quòd securi essent de remissione culpæ per debitam pœnitentiam, de pœnæ remissione dubitare non immeritò poterant; quando inter Theologos satis constat, neminem, quantumuis iustum, posse de condigno (terminis hîc nobis scholasticis vtendum) pro temporali pœna, extraordinaria accidẽtali, qualis erat euersio Niniue satisfacere: sed neque præstare aliquid, quo etiam de congruo remissionem talis pœnæ, certò obtineat. Dauidi Regi, dicenti corde contrito *Peccaui Domino*, remisit quidem misericors Deus grauissimum adulterij & homicidij crimen, referente Nathan ad eum: *Dominus quoque transtulit peccatum tuum: non morieris.* Verùm non idcircò eum punire morte filij ex adulterio geniti prætermisit; secundùm quod idem Nathan prædixerat: *Quoniam blasphemare fecisti inimicos Domini, propter verbum hoc; filius, qui natus est tibi, morte morietur.* Sic idẽ Dominus, vti misericors, ita & iustus remittere Niniuitis culpam suam poterat; & interim commutatâ pœnâ æternâ in temporalem, ciuitatem totam internecione delere.

Suarez to. 4. de Pœnit. disp. 37. sect. 9.

Dauid obtẽtâ veniâ culpæ, temporalem pœnam subiit.

3. Reg. c. 12. v. 13.

Vers. 14.

Verba Regis esse cẽsetur; Quis scit, &c. 12 Alij verba hæc: *Quis scit si conuertatur, & ignoscat Deus*; non à populo, sed à Rege ipso, suum populum ampliùs commonente & instigante ad pœnitentiam, profecta arbitrantur; & meo iudicio rectè: quasi suis subditis dicat Rex: Hortor vos, quâ possum sollicitudine, ad veram synceramq; pœnitentiam; quia Dominum, cum quo hîc nobis negotiũ est, verum nostrum & vnicum Deum, noui misericordem, noui placabilem & benignum: sed quantumuis misericors fuerit, quantumuis benignus, quia occulta eius iudicia inuestigare non possumus, quæ sunt abyssus multa, melius est & tutius, vt in continuo timore versemur, quàm vt nobis securitatem, de qua sumus incerti, nimium fidẽter polliceamur. Quis nouit, quid facere de nobis statuerit? *Nescit homo, vtrùm amore an odio dignus sit.* Licet aliquo modo vitæ suæ rationes quisque habeat perspectas; non tamen an sit in Dei amore an odio satis cognoscit.

Eadem ex mẽte Regis explicatur.

Eccles. c. 9. v. 1.

Quàm iusta fuerit illa Regis monitio ostenditur. Benè ergo Rex suos hoc monere potuit, quò semper timerent, & in timore ac metu continuo versantes, progrederentur de bono in melius, de virtute in virtutem. Etenim timor vehementer continere hominem in officio solet, quem sibi quoque inter tot & tam raras ac præclaras virtutes, in quibus nullus timori locus esse debere videbatur, fuisse familiarem fatetur Iob vir integerrimus ac sanctissimus, dicens: *Semper quasi tumentes super me fluctus, timui Deum.*

Timor Dei etiam Iobo fuit familiaris.

Iob c. 31. v. 23.

Diuinæ prouidentiæ rationes, quia nobis incertæ, dubiè de ea loquimur. 13 Ceterùm modus ille loquendi dubius, tam est rationi & diuinę prouidentiæ conformis: vt nõ tantùm prophetę sic fuerint de Deo locuti; sed illi quoque qui vel aliquem alicuius lucis radium alicunde habuerunt. Vti Gubernator nauis illius, quâ nuper vectum IONAM vidimus; qui visâ horribili illâ & meritò pauendâ tempestate, magno diuinæ prouidentiæ in homines & res omnes argumento, ipsum monuit, dicens: *Inuoca Deum tuum, si fortè recogitet de nobis, & non pereamus.* Ad quem modum ait etiam Rex Niniue hoc loco: *Quis scit, si conuertatur & ignoscat Deus?* Nemo enim mortalium Dei habet cognitam voluntatem. *Quis enim*, ait Paulus, *cognouit sensum Domini? Aut quis consiliarius eius fuit?*

Ad Rom. c. 11. v. 34.

Dubij sermonis à rege prolati rationes ex Philippo Abbate. 14 Porrò nostri Regis fluctuationem hanc, spem inter & metum, & maximam eiusdem tam de se, quàm de suis sollicitudinem, egregiè Philippus Abbas expressit, dicendo: *Etsi nouit Rex Deum ab iracundia nonnullorum pœnitentiâ reuocari; ignorat vtrùm & sua mereatur humilitas acceptari; quia licet se afflictum quisque pœnitens luctu sentiat & dolore; carne tamen obsitus nescit vtrùm odio dignus sit vel amore. Attendens igitur hinc miserantem Dei clementiã, spem assumit; inde cæcam hominum ignorantiam, procaci fiduciâ non præsumit: ne si fortè compunctionis irriguo vtile quippiam adincrescat, in ipso exortu flatu præsumptionis*

Philippus Abbas c. 81. de silent. Cler.

ptionis citiùs inanescat. Hactenus ille.

Dubium est an rex etiā dubitauerit de remissione culpæ.

15 Sunt qui putēt, in quibus Menochius, dubitare Regem nō de pœnę dumtaxat remissione, sed culpæ quoque. Nam licet nullum sit, vt aiunt illi ex communi sententia Theologorum de Dei promissionibus dubium; quippe qui sua promissa certissimè compleat: dubium tamen est & incertum, num conditiones quas diuinæ promissiones ab hominibus exigunt, ab his ita compleantur, vt habere in cōgruè conuenienterque secundùm eas iam dispositis locum dictæ promissiones possint. Ignoratur inquam, & quæritur, sintne sufficiēter ad gratiam dispositi, & non timore pœnarum metuque suppliciorum, tam præsentium quàm futurorum tātùm in luctu, adeoque attriti potiùs, quàm vnius Dei amore à se vehementer offensi lugentes, atque ex intimo corde contriti, illi quos hæ pollicitationes concernunt. Quæ licet verissima sint, nō propterea sequitur Regem non de pœnæ tantùm remissione, sed culpæ quoq; dubitasse. Neque hoc iam dico, quòd cōtrarium affirmem, sed quòd rem hanc dubiam existimem & incertam.

Secundùm Paulum Palatium, magis certum, quòd dubitauerit Rex, de satis congrua sua, & suorum pænitentia.

16 Paulus Palatius opinatur hunc Regem diuino illustratum lumine, adeoq; ex eo profundè multa rimatum, & penitiore rerum cælestium cognitione iam præditum, locutū cum suis in hunc ferè modum: Deus legē suam comminationemq; certò exequitur, verùm non tamquam legis seruus, sed dominus. Quare si vos de peccatis vestris, aget vicissim ipse quoque de sua comminatione pœnitētiam; atque ita qui nequaquam conuersi permanentes in veteribus peccatis & nequitia vestra omninò eratis perituri, nunc conuersi viuetis. Quia tamen nescit homo, quem pœnitet scelerum suorum, vtrùm cum verè, vtrùm integrè, vtrùm eâ quâ par est ratione illorum pœniteat, benè & prouidè ait Rex: *Quis scit?* an nimirum congrua sit pœnitentia nostra; adeoque potens, vt Deum conuertere ab iræ suæ furore valeat? Hic ferè est discursus Palatij.

Nemo de sua pænitētia certus & securus est.

17 Sic & nos audimus, scimus, & credimus, Deum ignoscere pœnitentibus, secundùm quod locutus est per os Ezechielis Prophetæ: *Impietas impij non nocebit ei, in quacumque die conuersus fuerit ab impietate sua.* Et Zachariæ. *Conuertimini ad me, & conuertar ad vos.* Verùm quis sibi de certa & secura pœnitentia blandiri audeat? quin imò, quis non timeat, ne illa quam egit pro conatu suo valdè debilis sit, & infirma potiùs quàm de hac ampliùs aliquid præsumat.

Ezech. c. 33. v. 12. Zachar. c. 1. v. 3.

Hæreticorum nostri temporis error hic est, hominem iustificatum, fidei certitudine credere debere, se omninò Dei gratiam consecutum, quem Catholici damnamus, dicentes omnibus, quod Paulus Philippensibus dixit: *Cum metu & tremore vestram salutem operamini.*

Ad Phil. c. 2. v. 12.

Ex S. Ephremi sententia rex Niniue vult omnes etiamsi perituri essēt conuerti.

18 Antequam à Rege Niniue diuertamus, in alia quæ huius sunt loci conuertentes oculos; accipite ex S. Ephremo insignem eius magnanimitatem, quâ vult suos, quantumuis Deus à furore iræ suæ non conuerteretur, & puniret omnes, conuerti nihilominùs à via sua mala, & ampliùs non peccare. *Quantumuis*, inquit, *victores non fuerimus; sed tamen fortiter mortem oppetierimus, præclarum sanè omnibus nomen relinquemus. Notum quippe est nobis, rectum Domini iudiciū atque benignitas. Metuamus eius iustum iudicium, & honorem ipsius misericordiæ duplicatum deferamus. Quòd si placatum fuerit iudicium, multitudo miserationū ipsius nobiscum erit: nam inter misericordiam & iustitiam, nostra pænitentia nequaquam infructuosa remanebit.*

S. Ephrem ser. in Ionam.

Delictorum nostrorum duci nos pænitentiā multò amplius oporteret, tametsi æternū perituros.

19 O Regem præclarum! & sempiternâ, si in hoc facto perstitisset non tantū memoriâ, sed & gloriâ dignum! qui si hęc suis ciuibus & subditis dixit, quantò magis nos nobis ipsis tantò propinquioribus & magis caris, dicere eadem oporteret, esseque de placando Deo sollicitos, tametsi æternum fortè perituros; vel ipsius gratiâ, nimirum ob immensam eius bonitatem, cui aduersari nolimus; vel nostri ipsius

causâ, ne scilicet perseuerantes in malo, ampliùs peccemus, & mox grauiùs puniamur.

Nulla est in Deo vnquam conuersio, dolor, aut pœnitentia, quæ in eo mutationẽ inducat.

20 Ab actionibus Regis, dum ad Deum nunc paullulùm transcendere molior, obrepit animo meo nescio quis timor, atque admodũ vereri incipio, ne quis fortè existimet, dum hîc de eius, qui in se immutabilis est, nec vlli siue mutationi siue varietati obnoxius, conuersione loquimur, velle nos veteres Marcionis & Manetis, existimantium Deum veteris legis, in quem caderet dolor & facti pœnitentia, verum Deum non esse, innouare errores; & diu damnatas hæreses rursus inducere. Absit à nobis ista insania: talem in Deo dolorem, pœnitentiam, conuersionemque nequaquam agnoscimus, qui verum nouimus, quod dixit ipse optimus sui cognitor: *Ego Dominus & non mutor*, atque id ipsum enarrans Iacobus Apostolus: *Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.* Benè ergo Petrus à Figueiro secundùm Theologorum communem sententiam, Deus inquit *conuertitur* non in se, sed in aliis; dum ea, ipse immutabilis, ipse immobilis, mutat & mouet, & vt ait Boëtius,

Malachiæ c.3.v.6. Iacob.c.1. v.17.

Figueiro in 3.c. Ionæ.

Boëtius lib.3. de Consola. metro.9.

— *Stabilisq; manens dat cũcta moueri.*

Sic igitur agit hîc cum Niniuitis, iis pro pœna quam fuerat comminatus, indulgens veniam, & afflictionem præsentem conuertens in gaudium. Nam verè, vt ait Augustinus, *opera mutat, nec mutat consilium.*

August. l. 1. Confess. c.4.

Deus nobis malum minatur, ne illud infligere debeat.

21 D. Chrysostomus docens quàm in Deo non sit pœnitentia, multis ostendit eum nobis nec malum optare, nec velle: minari tantùm, ne ipsum cogatur infligere. Quærit igitur ille ex Deo: *Cuius rei gratiâ quæ facturus es mala prædicis?* Et apponit velut ex eius ore responsum. *Vt non faciam, quæ prædico.* Subiũgit deinde. *Propterea & gehennã minatus est, quo gehennam non inducat; terreant vos verba, ne facta conturbent.*

Chrysost. hom.1. de Pœnit.

Rege Niniuæ in tanto rigore pœnitentiæ timente, mirum est peccatores modò non timere sine vlla pœnitentia.

22 Demus nunc ad extremum aliquid etiã priuatæ institutioni nostræ. Postquam Niniuitarum pœnitentiam fusè lateque decantauimus, velim recens propositum vobis, in tanto rigore, & voluntariarum pœnarum acerbitate tanta, Regis ipsius anxium metum, cum vestra, tam tuta tamque secura tranquillitate componatis. Viuitur modò passim in mollitie & luxu, in epulis & symposiis, in voluptatibus & deliciis, in alienorum appetitione, & iniqua possessione, in rapinis & cædibus, quasi nullus sit malorũ vindex, nullus hominum arbiter Deus. Hæc interim, si quis paullò liberiùs & liberaliùs pro meritis reprehenderit, magnam irrogasse concioni suæ iniuriam creditur. Sed næ ille vehementer fallitur, qui humanis consiliis auerti à nobis grauiter delinquentibus, diuina posse supplicia arbitratur. Ad pœnam & pœnitentiam nos ipsos maturè debemus deposcere; ne deinde ad hæc deposcat nos Deus, damno luctuque nostro perpetuo.

Quorundã Christianorũ semel in anno cõfitentium modus agendi explicatur.

23 Dicam apertè, vt nemo non assequi possit quid velim; & licet existimem esse hîc neminem, quem ea, quæ sum modò dicturus, concernunt; iuuabit tamen hæc ipsa audiuisse, vt tãtò mecum, & libentiùs, & ardentiùs, communem calamitatem lugeatis. Eheu! quot habemus in omni republica tepidos Christianos, qui anno integro coaceruant peccata, eadem intimis animi sui visceribus, velut in olla fœtente, succenso ad eam ampliùs & ampliùs ardentissimo concupiscentiæ igne condentes, vsque ad Paschales ferias, quibus tandem, ex consuetudine annua, sacerdotis pedibus aduoluuntur, non tam vt se iis exonerent, atque emaculent, & cum Christo in nouum hominem resurgant, iniquitatibus pristinis valere iussis; quàm vt se sacerdoti stitisse suo tempore, & quod est viri boni & hominis Christiani fecisse, saltem ad oculum, quando alia mens illis non est, neque sensus alius, nihil minùs quàm de dolore debito, confessione integrâ, vitę melioris propositis cogitantibus, videantur.

Simulationis & nequitia idem damnatur.

24 Bone Deus! quid hæc esse arbitramini? exercitationes pœnitẽtium, an redintegrationes facinorum, seu noua

noua quædam veterum sordium velamina? vt nimirum, quòd fiebat anteà timidè, legum metu, id fiat liberiùs imposterum; & tamquam si liceat, certè quasi pœna metuenda non sit, dum in agnitos iam Ecclesiæ filios & ouiculas Christi, (vti habentur) mundas iam lauacro pœnitentiæ, minus seuerè, quàm in lupos, vel in pecus scabiosum inquiritur. Hæc autem non esse aliud, quàm, vt antè dicebam, prioris nequitiæ velamina, vel hoc conuincit, quòd exinde longè quàm anteà intemperantiùs, luxui, libidini, gulæ, ebrietati, iniquitati, fræna laxent, seque dent in omne vitium & nefas, nullo religionis intuitu, nullo Dei metu, præcipites.

Laudatur Rex Niniue à sollicitudine de salute sua, & suorum, qua hic fusius explicatur.

25 O quantò meliùs Rex Niniue, amans salutis suæ, atque etiam alienæ, cogitat & quàm citissimè, & quàm studiosissimè, de futuris malis edoctus, quomodo propitium sibi ac suis faciat Deum. *Quis scit*, inquit, *si conuertatur & ignoscat Deus?* En verbis paucis præclara eximiæ sollicitudinis pro iis, quæ sunt salutis curandis indicia. Sic mihi ille hîc videtur sentire & loqui: Agamus quod possumus, & quantumcumque possumus, satis adhuc erit difficile & arduum, posse consequi misericordiam; quantò verò difficilius, si non insistamus ieiuniis, pœnitentiis aliis, precibus, vitæ emendationi; atque ea, quæ nobis esse subsidio possent, nostrâ socordiâ neglexerimus. Verum quidem est Ethnici sumus, hactenus in veri Dei cognitionem non venimus, improbè viximus, de promissione diuinæ gratiæ nihil à IONA accepimus, quis scit tamen an etiam nobis ignoscat? sumus enim nos, æquè ac Iudæi, creaturæ illius. Itaque ex parte nostra agamus quod possumus, nihil intentatum maneat, quo impetrare possimus, *Vt reuertatur à furore iræ suæ*, & iustam suam in nos iram indignationemque ponat aliquando, atque à supplicio nobis irrogando abstineat.

Feruor Niniuitarum in accuranda salute sua, æquè ac Regis in sua, ostenditur.

26 Regem secuti sunt subditi; iis enim sua quoque, non secus ac Regi sua, cordi erat salus. Quare vitã auspicaturi meliorem, plurima opera bona, plurimos pœnitentiæ actus exercent. Audistis antè quomodo à fide inceperint, mox ieiunarint, saccis sese operuerint, orarint fortiter & constanter, abstinuerint à peccatis, & ab illis deinceps abstinendum censuerint firmiterque statuerint; nunc tandem in spe misericordiæ diuinæ concludunt.

Laudantur à S. Chrysostomo. Chrysost. hom. 5. ad Pop to. 5.

27 Mirè illos laudat Chrysostomus, & nos eorumdem comparatione meritò damnat. Sicut olim ipse ad populum suum Antiochenum de ipsis, ita nunc ad vos eum loqui arbitremini. *Non vrbem fugerunt, sicut nos nunc: sed manentes sententiam repressère. Laqueus erat, & munimen ipsam reddiderunt: vorago erat, & præcipitium, & tutela turrim fecerunt. Audierunt quòd ædificia corruerent, sed peccata fugerunt: non discesserunt quisque de domo sua, sicut nunc nos, sed discessit quisque à via sua mala. Non enim muri iram pepererunt, nos vulneris auctores, nos medicamentum præparemus: propterea non locorum permutationibus, sed morum conuersioni salutem crediderunt. Hæc barbari, & nos non confundimur, neque nos abscondimus, illis mores conuertentibus nos loca permutantes, & ebriorum hominum opera facientes. Dominus nobis irascitur, & nos iram soluere omittentes, quæ in domo sunt circumferimus, & circuimus quærentes vbi substantiam deponamus, cùm esset opus quærere vbi animam deponeremus: imò verò nec oportet quærere; sed virtute & vita rectitudine ipsi securitatem præbere.* Ita Chrysostomus.

Quàm ab illis modò dissentiant Christiani ostenditur.

28 Quæ pia sanctaque monita vtinam etiam in nobis locum inueniant, atque in illis quæ hîc ab eo recensita, Niniuitas imitemur. Sed tantum abest vt hoc agamus omnes, vt sint etiam non pauci, qui nequidem IONAM, aut eius loco alterum quempiam audire cupiant monentem: alij tametsi id velint, atque etiam faciant, non surgunt tamen ad agendam pœnitẽtiam: si verò surgant, & aliquid facere ad externam speciem videantur, certè secundùm interiorem hominem non mutan-

mutantur, vitia non deserunt, ad virtutem nequaquam seriò incumbunt: hæc si etiam facere paulatim incipiãt; tum, vt fit subinde, in superbiam eleuantur, & multa sibi, multa viribus suis tribuentes, insolescunt, maxima quæque præstitisse se arbitrati, cùm & in minimis hæreant. Quæ causa cur mox turpissimè labantur, sicuti enim illle

Iuuenalis Satyra 5.

—— qui nimios optabat honores,
Et nimias poscebat opes, numerosa parabat
Excelsæ turris tabulata, vnde altior esset
Casus, & impulsæ præceps immane ruinæ:

Ita & hi, cogitationibus vanitatis & superbiæ altiùs ascendentes, profundiùs deinde & periculosiùs cadunt.

Desperandum, etiam post grauissima peccata non esse, docetur.

29 Alij, quod est omnium miserrimum, cognitâ semel magnitudine iniquitatum suarum, desperare incipiũt, & non nisi maximè pauenda vereri, sibique æternum denuntiare interitum. Niniuitæ quantumuis magni peccatores, licet homines prorsus scelerati ac perditi, non omittunt tamen ad Dei misericordiam confugere, pœnitere, & benè agere incipere. Et hoc nos negligemus promulgatâ Euangelij lege & redemptione factâ per pretiosum sanguinem Domini IESV? Non, non. Licet nobis ampliùs minetur Deus atque intentet afflictiones & miserias, non temporales sed æternas, debitas sceleribus nostris; nequaquam, coniectis semel oculis in bonitatem illius & clementiam, despondeamus animum: sed ad illum, vt parentem optimum nostri que amantissimum, recurramus.

Idem Theodorum lapsum monet Chrysostomus. Chrysost. Epist. 5. priore ad Theod. lapsum.

Docuit hoc Theodorũ lapsũ S. Chrysostomus, idem & nos doceat. *Quòd si*, inquit ille, *cacodæmon tãtum potuit vt te à vertice illo & fastigio virtutis in extremũ malitiæ detruderet; multò magis Deus in pristinam te poterit vindicare libertatem; neque in eam solùm, sed tibi multò feliciorem quàm fuerit prior, perficere. Tantum ne relabaris, ne excindas spes amplas, ne in te admittas quæ impiis accidunt. Numquam enim peccatorum quamlibet exuperans copia in desperationem coniicere solita fuit, sed cum illis impiam habere animam. Propterea Salomon non dixit simpliciter: Quisquis venit in profundum peccatorum contemnit; sed nominatim, inquit, impius: quia illorũ tantùm est ille morbus, postquam in profundum malorum descenderint.*

31 Ergo, secundùm Chrysostomum, & optimam sapientissimamque doctrinam, numquam vsque eò est recedendum à Deo, vt media reconciliationis & ineundæ iterùm gratiæ illius negligantur. Nos si iam lapsi, aliud non possumus, saltem assumptâ, exemplo Niniuitarum, pœnitentiâ, vitam in melius cõmutemus: discamus horum studia æmulari, audire primò monentes, credere, ieiuniis, orationibus, & bonis quibusque operibus vacare, demisissimè de nobis ipsis sentire, in cilicio & cinere pœnitere, confiteri delicta nostra, eadem emendare, in Dei bonitate & clementia plurimùm confidere: tum, quod hæc consequi solet vberem gratiam consequemur, cœlum virtute mercabimur.

LECTIO

LECTIO DECIMAQVINTA.

ET VIDIT DEVS OPERA EORVM, QVIA CONVERSI SVNT DE VIA SVA MALA: ET MISERTVS EST DEVS SVPER MALITIAM, QVAM LOCVTVS FVERAT VT FACERET EIS, ET NON FECIT. *Verſ. 10. & vltimus.*

ARGVMENTVM.

Proponuntur edicti Regij rectè ſeruati ab omnibus fructus; præcipuè verò mira tam multorum conuerſio, quæ apud Deum præteritorum impetrauit veniam delictorum. Actam pœnitentiam à Niniuitis veram & ſynceram fuiſſe oſtenditur. Ad ſimilem inuitantur Chriſtiani.

1 AVDIVISTIS quâ occaſione & modo ſolenne illud, cuius iam toties meminimus, & de quo egimus variis vicibus copioſè, edictum Regis Niniue longè maximi & potentiſſimi, conceptum, conſcriptum, promulgatum fuerit, & ab iis, quorum intererat, ſeruatum accuratè. Supereſt tantùm, vt quid tam religioſam eiuſdem obſeruãtiam fuerit conſecutum; effectus, inquam, non minùs ſeueri quàm ſerij mandati feliciſſimos, videamus.

2 Opera populi, quorum hic IONAS tam ampla cum laude meminit, fructus ſunt tum concionis ipſius, tum edicti regij concionem ſecuti, quæ ſatis ſuperque eorum vitæ morumque mutationem in melius loquũtur. Non enim erat quidquam quod Niniuitas, ſpectatâ priore illorum agendi ratione, magnoperè commendaret: quare noſter Propheta hoc præcipuè in laude ponit, quòd *Conuerſi ſint de via ſua mala.* Neque id etiam debet cenſeri exiguum; ſed, vti reuerà eſt, res magna, omnes, refragante in tanta multitudine & ingeniorum varietate prorſus nemine, obſequi imperiis regiis, & quidem in negotio perdifficili ac moleſto, ſingulos vel ad nutum Regis, vitæ rationes longè alias à prioribus ſuis, & hoc quàm citiſſimè, inire; ſubitò omnem malitiam deponere, de via virtutis ineunda ſeriò cogitare.

Opera Niniuitarum fructus ſunt cum concionis Ionæ tum edicti regij.

Fructus illius magnitudo explicatur.

3 Scimus quidem, ſicuti impio regis edicto, ſi quod aliquando ab eo emanarit, omni eſt conatu & viribus obſiſtendum, dicendumque potiùs, cùm opus fuerit, pari cum illo nobili athleta de Machabæorum gente animi fortitudine atque conſtantiâ: *Non obedio præcepto regis, ſed legis*; quàm illius manifeſtæ, ſiue impietati, ſiue improbitati cedendum: ita eſſe nobis iuſto eius imperio ac legibus obſequendum, cùm ſit Dei miniſter, à quo ius, imperium, poteſtatemque accepit in ſuos, Paulo dicente: *Non eſt poteſtas niſi à Deo: Et qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit.* Verùm quotuſquiſque id eâ facit accuratione, vt nihil præceptorum regiorum negligat, nihil contemnat? Quotus quiſque regi ſuo in omnibus fideliter perfecteque obſequitur? Quotus quiſque in illo imperantem agnoſcit Deum?

Iuſta Regũ imperia adimplenda ſunt. 2. Mach. c. 7. v. 30. Ad Rom. c. 13. v. 1. & 2.

4 Si ad hæc præiuerunt Niniuitæ, æquum eſt, vt ſaltem ſubſequantur Chriſtiani: illi ſic ſuo Regi obſequentes, placuerunt Regi regum Deo: placebunt etiam hi, ſi ſimiliter fecerint.

Præiuerunt ad hoc Niniuitæ, & ſubſequi debẽt Chriſtiani.

rint. Niniuitæ quomodo Deo eâ ratione placuerint ex Philippo Abbate accipite. *Cùm Regem, & populum cernit Deus*, inquit ille, *non ab inuicem dissidere, sed præceptori suo auditores attentissimos assidere; interiore affectu præteritorum veraciter pœnitere, exteriore affectu afflictos se, & abiectissimos exhibere; talium votis & precibus, non potest immensa eius misericordia non moueri, non eis pœnitentibus pietate inolitâ misereri. Quòd propter eam, quam exigente iustitiâ fuerat prælocutus, iam misericordiâ præualente, non est malitiam executus: sed ab intuenda illorum enormitate peccaminum, oppanso remissionis velamine, se auertit, & fulgurantia minarum tonitrua in clementiæ rorem vertit.*

Phil. Abbas de silent. Clericorũ c.81.

5 En quàm Niniuitis Regi suo obtemperantibus beneuolus factus sit Deus! hanc eius in ipsos beneuolentiam abundè loquuntur Litteræ sacræ; vt non sit opus ampliore de hac testificatione aliunde. Omnia dicta arbitremini, cũ dicitur, VIDIT DEVS OPERA EORVM. Exponit Treminius, & benè, *vidit ea visione misericordiæ suæ*: quâ nimirum ita eos est prosecutus, vt non modò eorum acceptarit pœnitentiam; verùm etiam eorumdem corda præuenerit in benedictionibus dulcedinis suæ. Chaldæus pro *vidit Deus*, vertit: *Innotuerunt Domino.* Vatablus, ad maiorem explanationem: *Acceptauit Deus opera eorum.* Nostri textus vulgati verba declarans in Enarratione, seu Commentario suo in hunc locum Albertus Magnus: VIDIT, inquit, *oculo approbationis*, OPERA EORVM, *pœnitentiæ scilicet & satisfactionis.* Omnia quidem videt Deus, siue illa bona sint, siue mala; omnia introspicit, nihil omninò est ab oculis eius absconditum; sed non omnia acceptat, non omnia approbat, non omnia cum delectatione, & gustu videt: multa magis cum horrore, nausea, indignatione, si sic loqui licet, despicit, quàm aspicit.

Quomodo viderit Deus opera Niniuitarum.

Deus omnia videt, sed non omnia probat.

6 Ipse est magnus ille paterfamilias, qui vocat operarios in vineam suam, & numquam non in eorum laborem oculos habet intentos; vt iustam det laborantibus mercedem. Collocauit hic primò Adamum *in paradiso voluptatis, vt operaretur, & custodiret illum.* Sed venit eò deambulans ad auram post meridiem, vt inspiceret quantum, quàm benè, quàm industriè fuisset operatus: vbi reperit ita malè sua peregisse, ita corrupisse bona sibi concredita, vt Domini sui se offerre conspectui non auderet, pro mercede, quam accepturus erat, copiosa, *Emisit eum Dominus Deus de paradiso voluptatis, vt operaretur terram, de qua sumptus est.* Et ne fortè tentaret in eum reditum. *Collocauit ante paradisum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium atque versatilem.* Neque prætermisit vmquam dirigere oculos suos in opera posterorum ipsius, eaque videre attentiùs, singulis pro meritis facturus satis; nonnulla probans, alia damnans, & persoluens, illis quidem præmium, his pro mercede supplicium. Inter cetera verò quæ vidit; vidit etiam, probauit, commendauit, opera populi Niniue, prorsus bona & sancta: sicuti viderat antè oblationem iusti Abelis, de qua legimus: *Respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius:* sicuti viderat inter tam multos malos diluuij tempore Noëmum, de quo ait: *Te vidi iustum coram me in generatione hac.* sicuti viderat Abrahamum, quem ditauit in terra Chanaan & Ægypto; sicuti Lothum quem ab incendio præseruauit. Quid plura? sicuti hos, & alios plurimos vidit, atque illorum opera; ita vidit etiam opera Niniuitarum, eaque non tantùm commendauit & laudauit tum temporis cùm ea vidit, vti iam diximus, quare etiam hæc visa fuisse ab eo, illis profuit; sed ipsa statuit quoque posteris in exemplum, omnibus secuturis temporibus, quibus innotescere voluit orbi vniuerso, quàm essent ad obsequendum prompti Gentiles, quàm verò segnes Iudæi, nec minùs futuri multi tepidi

Ipse est paterfamilias, qui videt operarios, & dat illis mercedem.

Gen.c.2. v.15.

Gen.c.3. v.23.

Vers. 24.

Varios vidit Deus in quibus sibi complacuit.

Gen.c.4. v.4.

Gen.c.7. v.1.

In Niniuitis etiam complacuit sibi plurimùm.

tepidi suis temporibus Christiani, cum ipsorum quidem insigni laude & gloria, horum verò multo maximo vituperio atque infamia.

7 In Niniuitis quoque ostendit hoc loco benignissimus Dominus, quàm non sit personarum acceptor, vti etiam alibi annotauimus, *sed quòd in omni gente, qui timet eum, & operatur iustitiam, acceptus sit illi.* Nam cùm primùm vitæ rationibus commutatis ambulare illi cœperunt viam iustitiæ & veritatis, facientes quæ placita sunt ei; continuò vice versâ *Vidit* etiam, probauit, laudauit, remuneratus est *Deus*; vel, vt censet ex Hebraico propriè vertendum Petrus à Figueiro, *Iudex, opera eorum.*

In c. 1. lect. 1. n. 5. & lect. 2. n. 8.

Deus non est personarum acceptor.

Iudicis proprium est, iustam mercedem laborantibus, atque operantibus decernere, non eam otiosis aut nihil agentibus assignare. Sicuti ergo in certaminibus fieri assolet, in quibus non certantes otiosè spectanti, tametsi cursus & certaminis peritissimo, & aliis omnibus longè viribus potiori; sed ei, qui cum ceteris cursu contendit, qui Olympicum puluerem colligit, qui magno labore ac sudore ipse decertat, arbitrio iudicis præmium cedit: ita Dei summi iudicis atque arbitri voluntate, is, cuius opera, virtus, labores, idipsum merentur, victor decernitur, donatur præmio, & accipit immortalitatis coronam.

Iudicat de præmio ex [illegible] suorum

8 Niniuitarum opera, quæ vidit Deus, & in quibus sibi complacuit potissimùm, non tam fuerunt ieiunium, habitus sacci luctuosus, sordidatum cinere caput, suspiria, lacrymæ, complorationes, humiles & demissæ preces, supplicia vota, licet & illa momẽti plurimum habeant ad Dei misericordiam consequendam quantumcumque reclament Lutherus, Ioãnes Oecolampadius, Pomeranus, Mercerus & similes; nam hoc loco ista non recensentur, verùm, quod refertur tamquam eximium quiddam: QVIA CONVERSI SVNT DE VIA SVA MALA; quâ nimirum in voluntarium interitum, atque, vt Dionysius Rikelius loquitur, in infernum ibant. Sine qua conuersione, nihil illis aut ieiunium aut saccus, aut clamor, aut lacrymæ, aut hæc simul omnia profuissent. Dicit enim per Isaiam Dominus: *Cùm extenderitis manus vestras, auertam oculos meos à vobis: & cùm multiplicaueritis orationem, non exaudiam: manus enim vestræ sanguine plenæ sunt. Lauamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis: quiescite agere peruersè, discite benefacere*, ac si dicat hæc cùm feceritis tum demum exaudiam vos.

In conuersione Niniuitarum à via mala, Deus maximè sibi cõplacuit.

Isa. c. 1. v. 15.

9 Quare præsentem Prophetæ nostri locum explanans Chrysostomus: *Cernis*, inquit, *quòd non ieiunium periculo eripuit; sed vitæ mutatio Deum barbaris placatum & beneuolum reddidit.* Eiuscemodi conuersionem ac talem pœnitentiam Deus Iudæis per Isaiam inculcatam volebat cùm diceret: *Nónne hoc est magis ieiunium, quod elegi? dissolue colligationes impietatis, solue fasciculos deprimentes; dimitte eos, qui confracti sunt, liberos, & omne onus disrumpe.* In quem eundem sensum dixit idem Chrysostomus loco citato: *Honor ieiunij non ciborum est abstinentia, sed peccatorum fuga. Ieiunas? demonstra mihi per ipsa opera. Qualia inquis opera? si pauperem videris, miserere; si inimicum videris, conciliare; si amicum laudabiliter agentem videris, ne inuideas; si mulierem videris speciosam, prætereas. Non enim os tantùm ieiunet; sed & oculus, & auditus, & pedes, & manus, & omnia corporis nostri membra.* Quomodo autem horum singula ieiunare debeant ibidem latè prosequitur.

Talem cõuersionem petiit Deus à Iudæis.

Chrysost. hom. 3. ad Populum.

Isa. c. 58. v. 6.

Ieiunandũ à peccatis ex doctrina Chrysostomi.

10 Nos hoc argumento relicto, Niniuitarum conuersionem ex Theophylacto fusiùs dicere prosequamur. Tradit ille pauperiores ab ebrietate, mendacio, lasciuia, iniuriis, quæ vitia magis propria vulgo; poten-

Quæ fuerit conuersio pauperum, quæ diuitũ in Niniue, ex Theophylacto.

 tiores

tiores ab iniquitate, quam violenter & iniustè freti potentiâ suâ fecerant, recessisse. Ad quod præstandum non opus erat, secundum stultum Rabbinorum commentum, vt si quis ex rapta aut sublata alteri trabe arcem struxisset, eam, iusto domino trabem suam redditurus, dirueret. Scilicet fuisset hoc tum temporis opportunum, quando nullus non dies, imò hora, omnibus interitum minabatur. Non deerat alius illatum damnum reparandi modus, vt proinde non sit ad fabellas eiusmodi recurrendum.

Verbis, aut promissionibus, non satisfit Deo, sed operibus.

11 Nunc etiam hæc & similia missa facientes, verba sacra iterùm paullò altiùs repetamus. Noto in iis, quod ante me obseruauit D. Hieronymus, non dici audiuit Deus verba eorum, sed *Vidit opera*, verba ei dabantur ab Israëlitis, sæpe promittentibus, & dicentibus: *Omnia quæ locutus est Dominus faciemus & erimus obedientes*: verùm quia hæc nuda verba erant sine operibus, etiam sine fructu fuerunt. Hic verò non de verbis, sed de operibus sermo est: vt qui tum erant, & qui deinde futuri Israëlitæ, scirent, Niniuitarum exemplo, esse à verbis ad opera veniendum, neque solas promissiones sufficere. Scirent etiam suo tempore Christiani, non esse in nudis propositis hærendum; verùm ad aucupandam, promerendam, & obtinendam Dei gratiam, esse aliquid amplius præstandum, nimirum bonis operibus nauiter & incumbendum & insistendum.

Exodi c. 24. v. 7.

Fides sine operibus non sufficit ad mercedem obtinendam.

12 Noto insuper non dici, vidit Deus fidem, sed *vidit opera*: vt ea, quoniam bona erant iustâ remuneraretur mercede. Qui hæc veteribus fecit, non est dubium quin etiam facturus sit nobis, reddens vnicuique suo tempore, sicut scriptum est, *secundùm opera sua*. Quod nobis Christus insinuat sub parabola Euangelica patrisfamilias, dicentis procuratori vineæ suæ: *Cùm serò factum esset*, ad vesperam videlicet vitæ huius, *voca operarios, & redde illis mercedem*. Et sine parabola, cùm de remuneratione operum misericordiæ loquens ait: *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi*, Vbi causam tantæ mercedis attexit; *Esuriui enim, & dedistis mihi manducare; sitiui, & dedistis mihi bibere; hospes eram, & collegistis me; nudus, & cooperuistis me; infirmus, & visitastis me; in carcere eram, & venistis ad me*. Ex quibus, quoniam hæc opera sunt, euidentissimè apparet, mercedem operibus tribui. Quod non ex vno sed pluribus S. Scripturæ locis luce meridianâ est clarius. Verissimum enim est, quod ait S. Augustinus: *Apostolicæ epistolæ Petri, Ioannis, Iacobi, Iudæ, contra eam maximè dirigunt intentionem, vt vehementer astruant fidem sine operibus nihil prodesse*: adeoque nec mercedem accipere, & per eam solam homines vitam æternam non consequi. Quæ causa cur Christus quemdam accedentem ad se, & de via vitæ æternæ rogantem, dicentemque: *Magister bone, quid boni faciam vt habeam vitam æternam?* instruxerit in hunc modum: *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata*. Quæ eius doctrina futilis fuisset, si opera necessaria non essent, solaque sufficeret fides.

Mat. c. 20. v. 8.

Id variis locis S. Scripturæ probatur.

Mat. c. 25. v. 34.

Aug. lib. de fide & operibus c. [illegible]

Mat. c. 19. v. 16.

Vers. 17.

Damnatus hic est error hæreticorũ de fide sine operibus.

13 Sed iam tum, cùm Deus ad opera Niniuitarum in remittenda illis pœna respexit, atque id in hac sacra Historia in tabulas publicas retulit IONAS Propheta, dicens: *Vidit Deus opera eorum*, ostendit, quòd Nouantium nostrorum modernus error fuerit tot millenis annis antè damnatus, quàm natus. Nolunt illi de operibus audire, omnia fidei tribuunt, nihil operibus; quòd illam ad salutem dicant sufficere, hæc ad eam nihil prorsus conferre. Hinc illa Oecolampadij verba in suis ad hunc locum Commentariis: *Apud*

Deum

Deum non plus valuere sacci quibus homines, quàm quibus bestiæ vestita, neutrum mouit Deum. Et paulò pòst: *Non sic opera approbat vt illis salus tribuatur.* Pomerani verò aliquanto adhuc ineptiora dicentis: *Niniuitæ fide seruati sunt qui per bona opera sua nihil aliud potuerunt quàm dubitare & desperare*: in quo cum Luthero consentit. Verùm quantum aberrent à vero vel hinc patet, vt paullò antè recensita iam taceam, quòd tum omninò superuacaneè, magnus ille mundi Oculus cernens omnia, in Niniuitarum opera fuisset intentus.

14 An ergo nos Catholici, qui, vti oportet, opera commendamus, fidem propterea aspernamur, atque excludimus? nequaquam. Quin imò hanc bonorum operum velut radicem constituimus, in quam Deus hic quoque respexerit. quod ipsum sentire videtur Oecolampadius, cùm ait: *Approbauit Deus opera quæ ab eximia fide oriebantur.* Verùm non video quomodo hoc cum verbis illius prioribus, iam antè à nobis relatis, satis consentiat, & non sibi ipsi hîc contradicat. Verùm ipse viderit. Nos interim nullo pacto admittendum cēsemus, quod vel ipse, vel Caluinus eiusque sequaces deblaterant, solâ fide iustos nos fieri, atq; quod hic etiam addit, de ea, aut in ea rectè sentientes, improbum aliquid agere ac scelestum non posse. Hæc enim tātum absunt à vero, quantum illud Lutheri, quod tamen aliquantò in speciem ineptius est, quouis opere bono peccare iustum, eoque pœnas ęternas mereri, ad hoc dūtaxat seruiens, vt vitiis viam ampliùs aperiat, & portam, quæ ad perditionem ducit, per se latam plus satis, faciat latissimam. Ex his autem apparet quàm sint & vnus & alter filij tenebrarum, dicentes bonum malum & malum bonum.

Catholici cùm opera commendant, fidem non excludunt.

Error Caluini in hac materia.

Ineptia Lutheri in eadem.

Auditâ ergo doctrinâ D. Leonis Papæ, dicentis ad suos: *Fugite mundanæ argumenta doctrinæ, & in ea viperea hæreticorum vitate colloquia. Nihil vobis commune sit cum eis, qui Catholicæ aduersantes fidei, solo sunt nomine Christiani. Non enim templum spiritus Dei, nec membra sunt Christi: sed falsis opinionibus implicati, tot species habent diaboli, quot simulacra mendacij:* procul ab eorum institutione & doctrina recedite, qui Deo placere contenditis, illorum improbis studiis meliora opponite, & quantūcumque ipsi reclament: *Conuertatur* tamen quisque *à via sua mala*: si vitam meliorem ac sanctiorem cogitetis, bonis operibus nauiter studioseque incumbite.

Leo Magnus ser. 18. de Passione.

15 Denuntiatus fuerat Niniuitis propinquus interitus, & fuit denuntiatio hęc illis mutationis tam repentinæ & conuersionis occasio: quippe ad illius memoriam, iam deliberarant sic viuere, quemadmodum ad omnem horam mori rectè possent. Anxium illorum timorem exponit D. Ephrem his verbis: *Aduenit nox vltima*, quâ nimirum crescebat, decrescente tempore ad pœnitentiam concesso, formido, *ipsiq; cum planctu differebant, quâ horâ vox ruinæ eorum audiri deberet. Arbitrabantur vesperi ciuitatem ruituram; superuenit vespera, & planè nihil ciuitas passa est. Existimabant se noctu funditus perituros; aduenit nox, & non interierunt. Putabant in tenebris se morti tradendos; præterierunt tenebræ, & nihil prorsus sunt perpessi. Censebant manè ciuitatem euertendam; aduenit matutinum tempus, & illorum spem atque expectationem expleuit.* Itaque prorsus aliter quàm verebantur accidit: nam cùm semper hæsissent dubij spem inter & metum, tandem in spe sua, exercitatione bonorum operum confirmati, respirare liberiùs cœperunt; &, vt sanctus Ephrem loquitur: *Quâ hora putabant illi se non fore superstites, eadem ipsorum completum est gaudium*: idque tum beneficio pœnitentiæ, quam in illam vsque diem egerant, *Conuersi de via sua mala*; tum virtutis, quam meliùs,

Timor interitus, occasio fuit cōuersionis Niniue.

S. Ephrem serm. in Ionam.

pleniùs, perfectiùs colere cœperant, fructu eximio. Sed & completum est gaudium Angelorum, qui si gaudeant *super vno peccatore pœnitentiam agente*, quantò magis super tam multis, tam illustrem agentibus pœnitentiam.

Lucæ c.15. v.7.

Deus mũdo minatur interitum vt sceleratos suorum scelerum pœniteat.

16 Meminisse vos velim, quod est hoc loco ab Haymone Halberstadensi Episcopo ad nostram commonitionem institutionemq́ue propositum; Deum sicuti tum temporis Niniue ciuitati, ita quotidie toti mundo minari interitum; vt homines scelerum suorum pœniteat, ipsiq́ue recedant à viis suis pessimis, conuertantur, & viuere Deo incipiant. *Si*, inquit Haymo, *conuertatur mundus, conuertitur Dominus; & peccatoribus mutantibus vitam, mutabit sententiam.* Ita prorsus factum cum Niniuitis IONAS testatur cùm ait: MISERTVS EST DEVS SVPER MALITIAM QVAM LOCVTVS FVERAT VT FACERET EIS ET NON FECIT. Chaldæus habet *Conuersus est à malo.* In Hebraico est propriè: *Pœnituit Deum super malitia*. In eundem modum transtulerunt LXX. secundùm Romanum Codicem. *Egit pœnitentiam Deus*: secundùm Cod. Regios aliter; habent enim hi pro μετενόησεν, id est, *egit pœnitentiam*, παρεκλήθη, id est *consolatus est.* Hebræos & LXX. secutus Theodoretus, ait appositè: *Pœnitentia eorum gratificatur pœnitentiam suam Deus.*

Haymo in Commẽt. in hunc locum.

Deus nunquam mutat sententiam.

17 Indicat hoc pacto Script. S. habuisse se Deum cum Niniuitis more loquendi humano. Nam cùm ob ingentia crimina illis comminatus fuisset exitium, videbatur quodammodò, vti nos concipimus, perturbato in eos animo esse, donec tandem eorum ad meliorem frugem conuersione perspectâ, quasi vultu mutato, perfusus lætitiâ, sententiam commutauit. Sed quid dico? an Deus mutauit, aut aliquando mutat sententiam? An loquitur, & minatur aliquid se facturum, nec facit? Respondeat hîc pro me Theodoretus. Sic ille: *Non quòd, similiter vt nos, pœniteat, modò hoc, modò illud vult Deus: sed mutationem minarum pœnitentiam vocauit. Idcircò enim minatus fuit, si punire vellet, non minas proponeret, at potiùs vltionem acciperet. Verùm quoniam conseruare Deus gaudet, minatur tristia, ne nos in tristia inuehat.* Quod ipsum explicans clariùs & proponens D. Hieronymus: *Libenter*, inquit, *Deus mutauit sententiam, quia vidit opera commutata. Quin potiùs Deus perseuerauit in proposito suo, misereri volens ab initio. Nemo enim punire desiderans, quod facturus est comminatur.*

Theod. in c.3. Ionæ.

S. Hieron. ibidem.

Per malitiam intelligi afflictionem ostenditur.

18 Cùm igitur ait noster Propheta: *Misertus est Deus super malitiam*, intelligendum id est de malitia afflictionis, inquit Albertus Magnus, *quam locutus fuerat vt faceret eis:* si nimirum in peccato permanerent, *& non fecit.* Mala enim, quæ comminatus fuerat non induxit; sed hæc dimisit, & pœnam, quæ erat statuta totius ciuitatis subuersio, relaxauit. In quam sententiam ait iterùm Theodoretus: *Malitiam vocauit minas, non quòd naturâ malæ sint; nam quomodo mala essent, quæ malitiam prohibeant, virtutem & rectum legum statum accersant? atqui nominibus nobis consuetis S. Scriptura vsa, malitiam vocauit vltionis minas, vt quæ vexare & fatigare possint.* Sic in libris Machabæorum habemus, quòd cùm Demetrius Iudæis multa promitteret, eos sermonibus illius non credidisse. *Quia recordati sunt malitiæ magnæ, quam fecerat in Israël, & tribulauerat eos valdè.* Quæ verba posteriora, priora explicant, & declarant. Et apud Matthæum: *Sufficit diei malitia*, id est molestia, *sua.* Salomon quoque. *Hanc occupationem*, inquit, *pessimam*, id est laboriosissimam, *dedit Deus filiis hominum.*

Theodor in c.3. Ionæ.

I. Mach. c. 10. v.46.

Mat. c. 6. v.34.

Ecclesi. c.1. v.13.

19 Qua-

Deus malũ numquam egit aut agere potuit. 19 Quare nemo existimet, Deum aut malum egisse, aut agere aliquando, siue voluisse, siue potuisse. Tametsi enim obueniant nobis sępè, atque immittantur ab eo quæ malum, siue incommodum aliquod afflictionemq; adferunt, quemadmodum legimus apud Amos Prophetam: *Si erit malum in ciuitate quod Dominus non fecerit;* hæc tamen ex malitia nequaquã proueniunt; sed ex virtute, iustitia nimirum & æquitate. Atque ita de malo non culpæ, sed pœnæ, siue criminum punitione, immissa à Deo Amos loquitur. Amos c.3. v.6.

Distinguit malum culpa à malo pœna S. Augustinus, & huius auctorẽ esse Deum, non illius asserit. Duo hæc mala discriminans Augustinus in responsione ad quæsitũ Euodij, in eundem sensum & mentem nobiscum loquitur. *Si Deum*, inquit, *esse bonum nosti, vel credis, neque enim aliter fas est, malum non facit. Rursus, si Deum iustum fatemur, nam & hoc negare sacrilegium est, vt bonis præmia, ita malis supplicia tribuit, quæ vtique supplicia patientibus mala sunt. Quamobrem si nemo iniustè pœnas luit, quod necesse est credamus, qui quidem diuinâ prouidentiâ hoc vniuersum regi credimus, illius primi generis malorum nullo modo, huius autem secundi auctor est Deus.* Hactenus ille. August. de lib. Arbit. lib. 1. c. 1.

Deus, sicuti Niniuitis pœnitẽtibus pepercit; ita parcet aliis peccatoribus verè pœnitentibus. 20 Ceterùm sicuti egit hîc cum Niniuitis agentibus pœnitentiam; ita se acturum cum quibuscumque quantumuis improbis & sceleratis, si resipuerint, nobis per Prophetam suum Ieremiam spopondit, dicens: *Si pœnitentiam egerit Gens illa,* atque idem est de omnibus Gentibus, *à malo suo, quod locutus sum aduersus eam; agam & ego pœnitentiam super malo, quod cogitaui vt facerem ei.* Potest igitur peccator, & maximus quidem, impendens sibi malum auertere pœnitentiâ; potest etiam optimus quisque, promissam sibi felicitatem subsecutâ improbitate suâ perdere. Etenim illa Dei decreta, quibus afflicturum se noxios comminatur, & donaturum præmio bonos spondet, non absoluta sunt, sed certis affecta conditionibus, quæ decretum velut comitantur. Dicit nempe afflicturum se noxios, nisi resipiscant; donaturum præmio bonos, nisi deficiant. Resipuêre Niniuitæ, atque ita abolitum est quod erat contra ipsos decretum, intentatas euasêre minas, euasêre supplicia, in gratiam cum Domino redierunt. Ierem. c. 18. v. 8.

Dei clemẽtia in Regẽ Niniue, & subditos declaratur. Hoc est quod ait Philippus Bonæ Spei Abbas, plurimam & potiorem laudem Regi tribuens, cuius *cùm & abiectam foris pœnitentiam, & intus spem discretam diuina bonitas intellexit* (ita de illo solo istuc vsque loquitur, sequitur deinde) *Regem & populum sentientes paria non despexit: sed qui pœnitendi & orandi gratiam illis Deus pariter impertiuit, affectu beneuolo eorumdem etiam gemitus & preces exaudiuit.* Phil. Abbas de silent. Clericorum c. 81.

Verã fuisse Niniuitarũ pœnitẽtiam dubium esse nõ videtur. 21 Disputant quidem nonnulli, veráne fuerit ea, quam egerunt Niniuitæ pœnitentia, an secus. Verùm non videtur mihi, perpendentibus talem ac tantam Dei in eos benignitatem & clementiam, hærere in animo aliquid dubitationis, circa hoc posse. Neque etiam dubitarunt præcipui Patres, Chrysostomus, Hieronymus, Ambrosius, Augustinus: censuit quoque cum his Philippus Abbas paullò antè citatus, censuerunt potiores omnes Interpretes, & insinuat Concilium Tridentinum, vt notauit Cornelius à Lapide; hoc enim, agens de attritione, postquam dixisset: *Quamuis sine sacramento per se ad iustitiam perducere peccatorem nequeat; tamen eum ad Dei gratiam in sacramento pœnitentiæ impetrandam disponit.* Subiungit, idipsum exemplo Niniuitarum probans: *Hoc enim timore viriliter concussi Niniuitæ, ad Ionæ prædicationem plenam terroribus pœnitentiam egerunt, & misericordiam impetrarunt:* scilicet Dei gratiam per pœnitentiam siue contritionem; neque enim adhuc institutum erat tum temporis pœnitentiæ sacramentum. Conc. Trident. sess. 14. c. 4.

Vv 3 Sensus

Cornelius in c. 3. Ionæ.

Sensus ergo verborum Concilij est, secundùm Cornelium: Sicuti Niniuitæ per timorem ad virtutem pœnitentiæ & contritionis se disposuerunt; & hac deinde Dei impetrarunt misericordiam, consecutique sunt gratiam; ita Christiani peccatores, per timorem & attritionem, se disponunt ad sacramentum pœnitentiæ, quo & peccatorum obtinent veniam, & vberem à Domino gratiam consequuntur.

Non solum attriti, sed verè contriti fuisse videntur Niniuitæ.

22 Quare & ego censeo Niniuitas verè contritos, non tantùm timore pœnæ, sed amore quoque iustitiæ in seipsos sæuiisse. Quid enim aliàs Patres, nominatim S. Chrysostomus, S. Maximus, S. Ephrem, vt omittam Concilium Tridentinum, proponerent peccatoribus, pœnitentiam Niniuitarum tam mutilam? Quid eam ipse Christus, quo certius argumentum videtur haberi non posse, simulatæ Iudæorum sanctitati opponeret, dicens apud Matthæum? *Viri Niniuitæ, surgent in iudicio cum generatione ista, & condemnabunt eam; quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Ionæ.* Haud dubiè pœnitentiam veram, synceram, perfectam, quæ in Ethnicis esse maximopere admirationi debet; cùm tanti eam fecerit etiam in Christianis Ambrosius, vt dixerit aliquando, teste Bernardo: *Faciliùs inueni eos, qui innocentiam seruauerunt, quàm qui congruam egerunt pœnitentiam.*

Mat. c. 12. v. 41.

Ambros. lib. 2. de Pœnitẽtia c. 10.

Egerunt pœnitẽtiam etiam de idololatria.

23 Falluntur igitur vehementer, qui Niniuitas egisse pœnitentiam dumtaxat de moribus suis improbis, non de idololatria, seu cultu falsorum deorum eatenus à se vsurpato opinantur: neque enim cum religione falsa, inani, & impia, morum & vitæ totius in melius mutatio, satis potuere consistere. Et verò, quænam fuisset hæc pœnitentia, fundamentum omnis boni operis, agnitionem dico fidei, & veritatis, excludens? Quo pacto etiam, si sic dumtaxat pœniterent, Deo à se non agnito, multò minùs amato & culto, placere potuissent? Quid? quòd omnium primò, hoc loco, vbi de eorum tam insigni conuersione, & morum ac vitæ mutatione agitur, eorumdem ad fidem & agnitionem veritatis miro modo venientium, mentio fiat percelebris? *Crediderunt*, inquit Propheta, *Viri Niniuitæ in Deum:* vtique vnum, viuum, & verum; repudiato haud dubiè cultu idolorum: quod, ad tollendam omnem de eorum fide ambiguitatem, clariùs non videtur dici aut proponi nobis potuisse.

Ionæ c. 3. v. 5.

Quæritur, quanto tẽpore in summo rigore Niniuitæ pœnitentiam egerint. Prima sententia.

24 Quæret non incuriosus quispiam in Niniuitarum pœnitentiam indagator, quanto tempore in proposita asperitate vitæ, in cilicij inquam & cineris rigore ipsi perstiterint. Opinio est quorumdam, remisisse eos quamprimùm aliquid de primo illo feruoris impetu & rigore, fuisseque in se, ipsius IONÆ, siue monitione, siue consilio, mitiores; idque vel totis reliquis diebus quadraginta, vel certè, donec ab illo edocti cognouerunt mutatam à Domino de ciuitatis euersione sententiam: sic tamen, vt interim inediâ corporis aliquâ, licet non tantâ, quemadmodum superiùs diximus, vterentur; omnem deinde seponentes, vbi de commutata sententia cognouerunt.

Secunda sententia.

25 Opinantur alij, ne tum quidem cùm præstitutum quadraginta dierum spatium exspirauerat, & iam innotuerat de mutata sententia, omnibus semper in æquè acribus & assiduis corporis cruciatibus voluntariis persistentibus, eos quidquam de summo illo rigore vel intermisisse, vel remisisse. Fuit inter alios huius sententiæ D. Basilius Seleuciæ. Ait namque: *Niniuitæ, soluto in eos edito decreto, pœnitentiam salutis sociam non dimiserunt.*

D. Basil. Seleuciæ Orat. 12.

Tertia sententia, eaq; verior, diebus 40. durasse Niniuitarum pœnitentiã.

26 Si licet hîc aliquid etiam pro nostra tenuitate dicere, saluâ opinione aliorum, & meliore iudicio, existimo toto quadraginta dierum, quibus in metu subuersionis versabantur, spatio,

tio, à Niniuitis nihil magnoperè circa assumptam vitæ rationem incultam, & horridam, nihil circa indictas pœnitentiæ leges mutatum; nisi quòd fortassis tridui ieiunium, exordio luctus assumptum, deinceps diurnum fecerint, nihil vlterius imbecillitate virium corporis, quæ iam erant exhaustæ magnâ parte, permittente. Causam assigno; quia tam diu versabantur in assiduo metu, ne si ipsi ad suas delicias & commoda, Deus quoque ad iracundiam rediret. Elapso verò tempore, quo prædictum metuebant interitum, arbitror, quemadmodum sensit B. Ephrem, versum fuisse dolorem magnum in gaudium magnum, adeoque mortuam quodammodò, totam reuixisse ciuitatem, cum animo vestem, cum veste animos fuisse commutatos; ita vt, intenti precibus homines anteà barbari, atque omnis diuini timoris, multò verò magis amoris expertes, Deo tum gratias agerent, præter omnem expectationem & meritum vitam largienti, ab interitu eos liberanti, à morte seruanti.

Ratio illius traditur.

27 Porrò quòd ita futurum esset, quòd nequaquam Niniue, tametsi extremis destinata suppliciis, interiret; IONAS, vti aliàs diximus, iamdiu ante elapsos dies quadraginta, Domino id ei reuelante, cognouerat. Cùm enim paullò vel ante vel post diem decimum, duodecimum, vigesimum (neque enim in eo certi aliquid statuere possumus) videret eos conuersos à via sua mala, viam ingredi meliorem; intellexit quoque Deum esse conuersum à furore iræ suæ: atque ita cognouit, quòd quemadmodum loquitur D. Basilius Seleuciæ Episcopus, *pœnitentia pœnitentiam genuit, homines immutantur, & Deus consilia retractat*. Quod nos simul cum IONA, simul cum Basilio obseruantes, cum hoc etiam exclamemus: *O diuinam clementiam! ad quantam dignitatem euexit pœnitentiam! homines lacrymantur, & Deus immutatur; lugent mortales, & decretum soluit immortalis: non enim vult mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat.* Huius diuinæ in Niniuitas clementię meminit in sua Liturgia S. Marcus, secundùm quam post recitatum per Diaconum Euangelium, sic orabat Sacerdos pro communi bono ciuitatis: *Humilem, & misericordem, & Christi amantem ciuitatem istam, libera Deus à diebus malis, à fame, peste, & gentium incursione, vt & Niniuitarum ciuitati pepercisti: quia misericors, & miserator es, quiq; iniquitatum hominum non recordaris.* Si tanta fuerit in pœnitentes Niniuitas Dei clementia, vt proptereà integræ pepercerit ciuitati, quomodo non parcet singulis nobis, pro peccatis suis lugentibus & pœnitentibus, *cui proprium est misereri semper & parcere?* Nostrum tantùm est prospicere, ne vllum diuinæ misericordiæ obicem ponamus.

Ionas antequam dies 40. effluxissent sciebat Niniuen non perituram.

D. Basil. Seleuciæ Orat. 12.

Bibl. SS. PP tom. 1.

Oratio Eccles.

28 Neque est quòd mihi quispiam dicat, terreor peccatorum meorum tum multitudine, tum magnitudine, quasi ad hanc diuina pertingere misericordia non possit: scio quid de me tandem futurum, iam pridem mea me damnauit conscientia. Dico ego; absoluet pœnitentia. Quæris vlteriùs: an ergo, si egero pœnitentiam, saluus ero? Ad postulationem illam respondet S. Chrysostomus, non ego. *Maximè. Vnde constat? ex Domini clementia. Si sola foret pœnitentia iure timeres; sed postquam cum pœnitentia Dei commiscetur misericordia, confide, quoniam tuam vincit nequitiam.* Pergit idem Chrysostomus, & occurrit proposito iam antè timori. *Nec mihi dicas nimiùm peccaui, quomodo possum saluari? tu non potes, tuus potest Dominus, & ita delet peccata, vt nec eorum remaneat vestigium.* Hactenus ille.

Etiam qui magnus peccator fuit saluari per pœnitentiam potest.

Chrysost. hom. 80. de Pœnit.

29 Toto igitur cælo errat, si quis existimet Deum hominibus similem, non priùs deponere memoriam acceptæ à nobis iniuriæ, quàm se reipsâ de ea vindicauerit. Fa-

Deus per pœnitentiā nostram deponit omnem, quam à peccatoribus accepit, iniuriarū memoriam.

Faciunt hoc homines, scio; nec antè conquiescunt, quàm illatum sibi ab altero honoris, famæ, opum, aut rei cuiuscumque alterius detrimentum, simili, si non maiori, siue damno, siue iniuriâ resarcierint: sed non ita Deus, qui

Ouid. l. 2. Trist. Eleg. vnica.

Si quoties peccant homines, sua fulmina mittat,
——— Exiguo tempore inermis erit.

Et tum certè nobiscum, ita in lapsum pronis, pessimè agatur

Deus iustè punit peccatores cùm punit; si non puniat modò, puniet posteà.

30 Non desunt quidem illi causæ irarum in nos, & quoties nobis irascitur, quoties sceleribus nostris indignatur, eademque punit, hoc facit iustissimè. Si id agat pro meritis vestris rariùs, videte ne idcircò peccetis liberiùs; neque enim impunè id vobis erit: *Nolite*, inquit Bernardus, *sperare in iniquitate, nolite peccare in spe.* Iam tempus miserendi est, paullò pòst tempus erit exercendi iudicium & iustitiam: & quæ differtur pœna nequaquam aufertur.

Bern. ser. 2. de Aduentu.

Regium est
Parcere subiectis, & debellare superbos.

Deus humiliatibus se ignoscit & nouam dat gratiã.

Nulli id magis quàm Regi regum Deo ac Domino nostro proprium; qui vbi nos sibi supplices viderit, vbi culpâ agnitâ ad mentem redire saniorem, iterùm intra lares suos domesticos nos admittit. Ampliùs dico; tamquam filios in sinum suum paternum recipit, iterùm, nutrit, educat, fouet in spem vitæ æternæ; sepit præsidio salutis, atque, vti iam in via constitutos, ad capessendam cælestem hæreditatem, nouis muneribus, nouis gratiis locupletat: vt ferè redire ad eum per pœnitentiam, sit non tantùm in pristinum locum & dignitatem restitui; sed auctum nouis honoribus & bonis, ad summa quæque aditum præparare.

31 Vna hic iterùm pro multis loquatur Magdalena: hæc vbi se suaque luxit, atque hunc luctum, lacrymis in sacros Christi pedes depluentibus testata, non priùs recessit, quàm eosdem lauisset illo quod ex oculis suis construxerat, balneo, crine tersisset, vnxisset vnguentis optimis, deposuissetque ad eos grauem peccatorum suorum sarcinam, statim apparuit qualis & quanta aliquando euaderet; videlicet diuino quodam ardore, atque in Deum amore superatura plurimos, quæ non paucos peccandi licentiâ superauerat. Et sic factum, nam sicuti pœnitentiæ, ita & diuini amoris speculum effecta, audiuit ab illo, quem, vti nuper offenderat, ita modò amabat, insigni suâ commendatione, neque minori gloriâ, verbum illud dulce super mel & fauum: *Remittuntur tibi peccata. Fides tua te saluam fecit, vade in pace.* Causam tanti fauoris & gratiæ intelligit Pharisæus à Domino: *Quoniam dilexit multum.* Omnia igitur hæc amor operatur. Quare amare Deum incipiamus, & omne bonum in eo, & cum eo inueniemus.

Magdalena magna peccatrix, per pœnitentiã facta est magna Dei amatrix.

Lucæ c. 7. v. 48. & 50.

Vers. 47.

32 Verùm pœniteat nos priùs improbitatis nostræ, vitæque perperam actæ tædeat tandem. Neque mihi hic quispiam denuò dicat, malum meum inualuit, in eo iam propè ab incunabulis ipsis consenui, inueteratus sum dierum malorum, solùm mihi superest sepulchrum, & cum eo animi tumulus inferni barathrum. Audi quisquis hæc dicis, aut cogitas S. Basilium Magnum: intelliges ex eo, quomodo etiam in nouum hominem formari, & quasi repuerascere possis, quantumuis senex, nec magno labore: *Si quis*, inquit ille, *tibi diceret, se arte quadam atque industriâ, iuuenem te ex sene esse facturum, nónne desiderares illam illucescere diem, in qua te pristino vigori restitutum conspicere posses? at nunc cùm pænitentia promittat animæ*

Etiam inueteratum malum eluitur pænitentiâ.

Per pœnitentiam senex repuerascit.

D. Basil. Magnus ser. 4. de Pœnit.

animæ tuæ velut noui germinis renouationem, quam tu veterem effecisti, & prauitate rugosam, atque maculatam reddidisti, contemnis benefactorem, & promissionem non excipis, nec desideras videre magnum illud promissionis miraculum: nimirum quomodo sine matre, renasci soleat homo, quomodo senio confectus, & fraude cupiditatis deprauatus, rursum iuuenescat ac repuerascat, ad verumq; iuuentutis florem redeat.

Eia igitur, quotquot hoc infami senio, quod inducit peccatum, laboratis; ad medicum, illum inquam medicum, qui sanare morbos omnes & potest, & cupit, properate ocyùs; ab eo non tantùm sanitati, sed viribus quoque restituendi pristinis; adeoque ipsi etiam vigori iuuentæ; si quod præscripsit sumpseritis pœnitentiæ pharmacum. Hoc enim *renouabitur vt aquilæ iuuentus* Psal 102. v. 5.
vestra.

Pœnitētia non differenda. 33 Verùm ne differte optimam hanc & saluberrimam medicinam, donec increscat malum, & propè sit vt in ægritudinibus vestris moriamini. Loquitur D. Bernardus Bern. ser. 2. de Vigil. Natiuit. ad religiosos suos; patimini, quæso, vt & ego ad vos verbis illius hæc ipsa loquar: *Festinemus obsecro, dilectissimi, festinemus; tota nos multitudo cælestis curiæ expectat. Exultare Angelos fecimus, quando conuersi sumus ad pœnitentiam, perficiamus & festinemus complere de nobis eorum lætitiam.* Et paullò pòst. *Currite fratres, currite, non soli Angeli, sed ipse Angelorum vos creator exspectat.*

Cur festinandum sit ad pœnitentiam. 34 Omninò currendum est, ne mors sedens super equo pallido (sic enim vidit illam in sua Apocalypsi Ioannes) nos præcurrat, & non actâ pœnitentiâ rapiat, ac iudici sistat Apoc. c. 6. v. 8. damnandos. Nouimus plures ab ea mediis in voluptatibus & libidininis abreptos, alios inter socios & pocula, destitutos omni tam longi itineris & adeò necessario præsidio, ab eâdem præoccupatos, alios in terra, in mari, siue solos, siue cum sociis, eius armis prostratos & victos propè momento vnico. Horum non desunt exempla vbiuis locorum, quæ euenerunt singulis non dicam seculis, aut lustris, sed annis; eaque reuocanda nobis subinde sunt in memoriam, vt statuamus de rebus nostris maturè ac sapienter; ne, quam meditamur, longa nobis promittentes plurium annorum spatia, sera sit pœnitentia.

Vita incertus terminus indicatur. 35 Benè dixit ille, sed Ethnico more,

Quis scit si adiiciant hodiernæ crastina summæ
Tempora dî superi. Horat. lib. 4. Car. Ode 37.

Meliori & certiori documento Deus ipse apud Lucam, auaro illi fructus in horrea sua magno conatu & labore congreganti, & de capacioribus horreis præ illorum copia cogitanti: *Stulte,* inquit, *hac nocte animam tuàm repetunt à te, quæ autem parasti cuius erunt?* Lucæ c. 12. v. 20. Erat huic cura de fructibus terræ, non erat de fructibus mentis. Tales prô dolor! hodie multi, qui non cogitant nisi quod est vitæ & temporis huius, omnium autem minimè, quod est vitæ melioris & æternæ.

Pœnitentiam colat qui sibi consultum cupit. 36 Quid igitur agat qui optimè sibi consultum velit? amet hic pœnitentiam, in eaque sese exerceat strenuè: nouerit ea quæ non eluerit in hac vita mortali, deinceps nequaquam per ipsam eluenda: *Conuertatur à via sua mala*; recordetur, quòd, vti S. monuit Augustinus, *Melius est modica amaritudo in faucibus, quàm æternum tormentum in visceribus.* August. ser. de 10. chordis. Quare hanc amaritudinem, neque à faucibus, neque ab oculis, neque, quod est præcipuum, à mente excludat: sic non excludet etiam ab illo Deus misericordiam suam; sed quam Niniuitis, eandem quoque illi impertiet, *& miserebitur super malitia, quam locutus fuerat vt faceret ei, & non faciet.*

37 Si

37 Si præsertim in alios ipse priùs misericors fuerit; tunc enim maximè illi debetur à Domino misericordia, secundùm quod Christus promisit: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.*

Mat. c.5. v.7.

Atque ad hoc præcipuè voluit seruire nobis Abbas Ioseph apud Cassianum, illud diuinæ benignitatis, quod hîc recolimus, in Niniuitas exemplum, vt misericorditer agamus cum subditis delinquentibus. Ait enim: *Docemur non debere nos obstinatè in nostris definitionibus perdurare; sed comminationem ex necessitate propositam clementi miseratione mollire.* Videlicet, si culpam agnoscant, si veniam deprecentur, illis parcendo, illos recipiendo in gratiam, & restituendo loco pristino; sicut apud communem parentem Deum, post lapsum restitui gratiæ illius nos ipsi vehementer cupimus & rogamus.

Cassian. Collat.17. c.25.



PRO-

PROPHETIÆ IONÆ CAPVT QVARTVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

DOLET IONAS, *irascitur, ne mendax audiat mori cupit, monetur à Deo, egreditur Niniue, de ea quid futurum, foris sub exstructo à se tuguriolo sollicitus expectat, & spectat. Ibidem hederæ nascentis vmbrâ refectus, gaudet, & paullò pòst arefactæ dolore, ob æstum solis caput ferientis, cruciatur. Quare dum iterùm mori cupit, iterùm monetur à Deo, vt discat quàm parum prudenter & iustè seruatam hederam, & non seruatam Niniuen velit.*

TEXTVS.

1 ET afflictus est IONAS afflictione magna, & iratus est.
2 Et orauit ad Dominum, & dixit: Obsecro Domine, numquid non hoc est verbum meum, cùm adhuc essem in terra mea? propter hoc præoccupaui vt fugerem in Tharsis. Scio enim quia tu Deus clemens & misericors es, patiens & multæ miserationis, & ignoscens super malitia.
3 Et nunc Domine tolle quæso animam meam à me: quia melior est mihi mors quàm vita.
4 Et dixit Dominus: Putásne benè irasceris tu?
5 Et egressus est IONAS de ciuitate, & sedit contra Orientem ciuitatis: & fecit sibimet vmbraculum ibi, & sedebat subter illud in vmbra, donec videret quid accideret ciuitati.
6 Et præparauit Dominus Deus hederam, & ascendit super caput IONÆ, vt esset vmbra super caput eius, & protegeret eum (laborauerat enim) & lætatus est IONAS super hedera, lætitiâ magnâ.
7 Et parauit Deus vermem ascensu diluculi in crastinum: & percussit hederam, & exaruit.
8 Et cùm ortus fuisset sol, præcepit Dominus vento calido & vrenti: & percussit sol super caput IONÆ, & æstuabat: & petiuit animæ suæ vt moreretur, & dixit: melius est mihi mori quàm viuere.
9 Et dixit Dominus ad IONAM: Putásne benè irasceris tu super hedera? & dixit: Benè irascor ego vsque ad mortem.

10 Et

10 Et dixit Dominus: Tu doles super hederam, in qua non laborasti, neque fecisti vt cresceret: quæ sub vna nocte nata est, & sub vna nocte periit.

11 Et ego non parcam Niniue ciuitati magnæ, in qua sunt plus quàm centum viginti millia hominum, qui nesciunt quid sit inter dextram & sinistram suam, & iumenta multa?

LECTIO PRIMA.

ET AFFLICTVS EST IONAS AFFLICTIONE MAGNA ET IRATVS EST. *Vers.* 1.

ARGVMENTVM.

Causa afflictionis IONÆ, *& num ea iusta sit quæritur. Eiusdem in hac afflictione culpa notatur. Quo pacto eam ipse agnoscat ostenditur. Rationem in ipso fuisse iracundiæ & mœroris prorsus eandem indicatur. De afflictionis Christi causa iusta, hominum quorumdam iusta, aliorum non satis iusta, agitur.*

1 *Gaudium Niniuitarũ, est Ionæ mœror.*



I non semper, quemadmodum secundùm Philosophum in Physicis, *Generatio vnius alterius est corruptio*; ita in Ethicis, vnius gaudium alterius est mœror; hîc saltem sic accidit, quando Niniuitarum gaudium, & de recuperata salute exultatio, IONÆ dolorem peperit, & quidem tantum, vt eum etiam morte, quâ nihil homini esse solet acerbius, redimendum putet. Nullum, vt hoc vobis probem, aliũ producam testem quàm ipsummet, certum & fidelem in recensendis malis suis auctorem, hunc apud vos loqui sinam. AFFLICTVS, ita de se ipse, EST IONAS AFFLICTIONE MAGNA: id est, ex more loquendi Hebræorum, nomen pro aduerbio vsurpantium, afflictus est vehementer. Sicuti de Magis dicitur apud S. Matthæum, lætantibus quòd stellam, dum essent Ierosolymis, latentem; in egressu vrbis iterùm viderent: *Gauisi sunt gaudio magno*: id est gauisi sunt vehementer.

Mœror Ionæ magnus fuit.

Mat. c. 2. v. 10.

2 Pro *afflictus*: LXX. citati ab Emanuele Sà, verterunt *Contristatus est*. Chaldæus Paraphrastes transtulit: *Molestum fuit Ionæ dolore maximo*. Vatablus: *Doluit hoc Ionæ idq́ admodum vehementer*. Ioannes Benedictus, & Pagninus: *Displicuit Ionæ displicentiâ magnâ*. Drusius: *Malè fuit Ionæ malo magno*; quo etiam pacto propriè ex Hebræo vertendum censuerunt Arias Montanus, & Ioannes Treminius.

3 Sed quam habuit tantam eiuscemodi afflictionis, doloris, & displicentiæ causam noster Propheta? Varij varias assignant. D. Hieronymus & Remigius Antisiodorensis, quòd solus electus esset è tanto Prophetarum numero, qui per aliorum salutem ruinam suo populo, rem sanè tristissimam & quâ ei videbatur nulla posse obuenire infelicior, nuntiaret. Itaque secundùm illos non salute Gentium, sed ruinâ conturbatur, premitur, mœret, & affligitur Iudæorum. Quod cùm assentiens Hieronymo & Remigio, Rupertus immensæ eiusdem tribuat caritati, quâ instar Moysis zelat pro populo,

Causa afflictionis Ionæ inquiritur.

Hanc dat S. Hieronymus ruinam Iudæorum.

populo,& instar Pauli cupientis esse à Christo anathema pro fratribus suis, in salutem illorum inardescit,magnâ cum laude commendationeque dignum cum illis existimat.

Rupertus laudat eius afflictionem.

Caluinus sugillat Hieronymum. Caluinus in c. 4. Ionæ.

4 Verùm damnat Hieronymũ,consequenter etiam Remigium & Rupertum, eumque non sine supercilio sugillat Caluinus; dum pro vsurpata à se de more auctoritate, aut potiùs libertate dicendi quiduis, ait inprimis: friuolũ esse quod dicit Hieronymus: deinde eum ineptè & pueriliter IONÆ patrocinari asserit: denique, quod est omnium deterrimum, eundem damnare malitiæ nõ veritus, ait: *Coarguitur hic socordia Hieronymi; nam peruersum eius ingenium vbique se prodit.* Vtinam non magis peruersum se prodidisset Caluini ingenium quàm Hieronymi, esset illi nunc melius, fuissetq; multo tempore Ecclesiæ Dei non ita malè à vulneribus quæ nimium grauia illi peruerso suo ingenio inflixit.

Reprehẽditur Caluinus damnãs Hieronymum.

Profectò tantum virum nobilissimi & sagacissimi ingenij, incomparabilis eruditionis, summę virtutis, sic calumniari quis non esse admirabilis cuiusdam impudentiæ censeat? Dum sic loquitur homo effrons, satis seipsum damnat, nullâ cuiusquam alterius accedẽte censurâ. Etenim quid sibi persuadeat nouus Magistellus in vetustissimum Patrem, Doctorem laudatissimum sic dẽtem stringere ausus, quantum sibi arroget superbus hæreticus, virum tãtoperè à doctrina & sanctitate tot iam sæculis commendatum & notum, non tantùm carpere, atque illius dicta cauillari; sed & damnare aggrediens, satis ostendit. Atque hîc eius peruicax & versutum ingenium satis se prodit, nihil non temerè, quauis occasione, etiam contra primicerios Ecclesiæ molientis & dicentis. Scilicet magnam gloriam vel ex hoc aucupari conatus, quòd calamum suum exerere, & in tales aliquos exacuere non dubitauerit: verùm sicuti maiore audaciâ & libertate, quam eum decebat, hoc fecit; ita maiorem ipsum faciendo est consecutus infamiam quàm gloriam.

Rupertus Ionam cũ Moyse confert.

5 Damnet Hieronymum Caluinus; illi assentiuntur Remigius, Haymo, Rupertus, & alij, Caluino multis titulis digniores & potiores. Rupertum audiamus, quemadmodum Hieronymus IONAM cum Paulo contulit, eundem cum Moyse componentem. *Afflixit*, inquit, *se Moyses pro populo, vt exaudiretur: afflictus est Ionas afflictione magnâ, eò quòd non exaudiretur. Iratus est Moyses irâ iustâ & zelo bono dicendo: Ponat vir gladium super femur suum, cecideruntq; viginti tria millia. Ionas autem iratus quidem est; sed non potuit iram suam actu adimplere, vt auerteret iram Domini à populo puniendo. Tædio ergo habens vitam suam non dixit cum conditione, vt Moyses, aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo quem scripsisti: sed absolutè, tolle, inquit, quæso animam meam; quia melior est mihi mors quàm vita. Subauditur: quia timor quem timebam euenit mihi, & quod verebar accidit. Hoc timebam, & hoc verebar, quia tu Deus clemens, & misericors, patiens, & multæ miserationis, paratus ignoscere & veniam dare pænitentibus Niniuitis, & in illorum pænitentia demonstrare, quàm damnabilis esset impænitens Israel: & quòd damnationem eius non tua inclementia, sed ipsius faceret impænitentia.* Hactenus Rupertus.

Rupertus in hunc locum.

Ex quo capite excusari possit, quòd aliqui dicunt, Ionam non peccasse sic dolendo.

6 Ex qua eius ratiocinatione apparet, quàm IONÆ afflictionem, prorsus cum D. Hieronymo sentiens, huic dumtaxat causæ adscribat, quòd præuisum à se prophetico spiritu Iudaici populi interitum, ferre æquo animo; &, quod verebatur sibi obuenturum, videre etiam satis benignis oculis non posset. Quæ si sola & vera doloris & iracundiæ ipsius causa fuit, non aberrarunt à vero Hieronymus, Remigius, Rupertus, & qui eiusdem cum his fuerunt sententiæ, cùm IONAM irascentem & afflictum, neque ob vnum, neque ob alterum, alicuius culpæ insimulari debere sunt arbitrati.

Vatablus & Montanus de causa doloris Ionæ quid sentiant.

7 Alij tamen alias adferunt doloris causas in IONA. Fräciscus Vatablus & Arias Montanus apud Christophorum à Castro hanc: quòd Niniuitæ Gentium populus, tantam & tam solemnem, & quidem tam facilè agerent pœnitentiam, in Israëlis, cui erudiendo, commonendo, conuertendo, tot prophetæ tanto tempore, tantâ sollicitudine, tantâ animi contentione insudassent frustrà, perpetuum opprobrium. Idque vnâ & solâ eorum improbitate ac peruicaciâ.

Ionæ zelus inordinatus damnatur.

8 Hoc si verum, dedit IONAS plusculum zelo non satis rectè ordinato, illique nimium fræna laxauit. Etenim non erat quod magnoperè doleret, Dei populum exterorum exemplo siue erudiri, siue quod magis verebatur confundi; & si hi suâ virtute id mererentur, illi quoque locum præripere. Licuit omninò IONAE nostro, fateor, gentem & populum suum diligere, illi benè velle, illius partibus quantum patiebatur æquitas fauere, communi suorum bono studere; sed non idcircò licuit obmurmurare Deo, aliter quàm ipse cupiat statuenti; multò minùs irasci, & indignari, velleque omnia pro suo sensu & gustu fieri. Esto totus quantus quantus est periturus fuerit Israel, dummodo nullâ suâ culpâ, quorsum se cruciet? Etiam tali euentu, si fuerit qualis esse debebat, dicturus sit ipse: Quando Deus populum, quem me magnoperè diligere fateor, punire cupit, nullam facit ei iniuriam: nam hoc eorum improbitas, vita scelerata, mores pessimi promerentur. Quando vult misereri Gentium, ostendit, quòd nullo non tempore, quo illi libuerit, præstare quoque potest clementiam suam; quoniam Dominus est. Itaque quid ego frustrà me crucio, quod bonum est in oculis suis faciat. Eius perscrutari iudicia, arcana diuinæ eius prouidentiæ rimari, non est meum: vnius, cùm placuerit, misereri, & alterum punire pro meritis potest. Gentes non minùs quàm Iudæos ipse condidit, quid ni igitur illas, non secùs ac hos, idem quoque in tutelam suam suscipiat, & suâ paternâ beneuolentiâ prosequatur? Hæc nihil ad me, seruus eius sum, memor conditionis meæ, quantum in me erit, ei fideliter seruiam, Domini mei voluntatem cognoscam, eidem obsecundabo: cetera ipsius curæ, prouidentiæ, imperio commissurus.

Explicatur quomodo debuisset esse constitutus Ionas, videns Deum parcere Niniuitis.

Causa vera afflictionis Ionæ fuit metus infamiæ, data à multis.

9 S. Cyrillus Alexandrinus, Theodoretus, B. Albertus Magnus, Dionysius Carthusianus, Cornelius à Lapide, causam cur fuerit afflictus tantoperè & iratus IONAS, hanc esse volunt; quòd, denuntiato nuper vrbis interitu, futuro omninò intra dies quadraginta; & illo, diuinâ bonitate iudicium in clementiam conuertente, nequaquam secuto, admodum timeret inurendam sibi grauem ignominiæ notam, quam perpetua nominis & famæ iactura exciperet. Et quidem S. Cyrillus disertè ait: *Mærorem hausit Propheta non mediocrem; non quia ciuitas perniciem effugisset (hoc enim hominis maligni, & inuidi, & minimè sancto conueniens fuisset) sed quia falsiloquus, & blatero, seu nugator videretur, & frustrà illos terruisse, & pro libidine sua, & nullo modo de ore Domini locutus.* Itaque secundùm hunc, & alios paullò antè citatos, non flagrabat desiderio videndi euersam tam nobilem & potentem Rempublicam, & pereuntem cum tanta ciuitate multitudinem maximam; neque etiam tanto flagrabat populi sui amore, quanto ardebat desiderio honorem suum intactum illibatumque seruandi: apprimè veritus, ne si staret, & non, vti prædixerat, certo tempore Niniue interiret, ipse apud omnes vanus, inanis, mendax, & falsiloquus Vates audiret, non sine summo suo dedecore, neque minore, vt sibi fingebat animo, diuinæ Maiestatis contemptu: cuius deinde, seuera licet, imperia, & asperas minas homines aspernari, & ludificare non vererentur.

S. Cyrill. Alex. in c. 4. Ionæ

10 Fuit

Eadẽ ratio data quoq; est à Theophylacto.

10 Fuit quoque huius sententiæ Theophylactus cuius hîc verba subiungo: *Afflictus*, ait ille, *est Ionas, non tamquam seruatis inuidens, nec tamquam interminationibus hominum voluptatem capiens; sed quia periculum erat, ne mendax haberetur, quiq; seu præstigiator aliquis frustrà turbauerit, non ex ore Domini locutus; sed ex concauitate vocum.* Ex quo patet, etiam secundùm Theophylactum, vti secundùm alios suprà recensitos, doloris & ægritudinis IONÆ causam non aliam fuisse, quàm quòd eius vaticinio euentus non ex voto factaque denuntiatione responderit.

Quæritur cur doluerit Ionas, cùm dies 40 nondũ esset elapsi.

11 Occurrit obiici à quopiã posse: quid inde tantoperè affligi IONAS potuit, diebus quadraginta, termino videlicet ad pœnitentiã præstituto quẽ ipse denuntiauerat, nondũ elapsis? Si tum, cùm hæc mœrentem tam anxia cura coqueret, necdũ erat subuersa Niniue, fluente adhuc tempore illius comminationibus comprehẽso, subuerti poterat, sicque esse illi saluus suus honor, fama, existimatio, & rei veritas fieri omnibus manifesta.

Rabbi Dauidis sententia: diu ante 40. dies Ionam sciuisse vrbem non perituram.

Respondet Rabbi Dauid Kimchi: si IONÆ ex illo capite suppeditãda fuerit aliquando doloris materies, eam ex tunc suppeditatã fuisse; cùm diu ante quadragesimum diem, adeoque antequàm affligi tãtoperè cœpit, illi à Domino fuerit indicatum, ob mutata à Niniuitis in melius omnia, actamque ab illis pœnitentiam, mutatam quoque à se de illorum subuersione sententiam.

Ex pœnitentia signis in Niniuitis & Dei bonitate Ionas facilè colligere poterat quid esset futurum.

12 Demus deinde, verum non esse quod ait ille Rabbinus, & IONAM velut Prophetam hoc diuinum arcanum nequaquam Domino reuelante cognouisse; certè perspecto hinc illo, quem pœnitens populus assumpserat vitæ rigore, inde cognitã Dei misericordiã infinitã, ex sæpè in eo obseruatis istiusmodi beneficentiæ argumentis, satis assequi prudenti coniecturã potuit, ipsis parcendum: sic vt res etiam eorum omnes liberæ & intactæ permanerent.

Neque tamen idcircò frustrà foris expectat, vt videat quid accidat ciuitati: vult enim ex propinquo certò cognoscere, quid tandẽ futurum, num de toto, an ex parte tantùm mutanda sententia. Franciscus Ribera existimat eum opinatum, facilè fore, vt vel illi desertã pœnitentiã ad mores redirent pristinos, atque ita supplicium non euaderent; vel certè, vt Deus, ciuitate incolumi, ciuibusque seruatis, minorem de illis, maiorem multo commeritis, pœnam aliquam qualemcumque demum deposceret.

An mœror Ionæ & afflictio coniuncta fuerit cum peccato.

13 Intellectã nunc, ex suprà recẽsitis, causã afflictionis & mœroris IONÆ, quærendum nobis superest, iustáne hæc satis, adeoque sufficiens fuerit, vt mœror tantus culpæ exors censeri possit. Exortem volunt, qui hunc vni in populum suum amori caritatique tribuunt. Hebræi, vt Prophetam conterraneum suum tueantur, impugnãtes eam, quam assignauimus vt verissimam, doloris ipsius causam, aiũt ipsum Pseudo-prophetæ nomen neque horruisse, neque cur horreret causam habuisse; tum quòd cum Niniuitis commoraturus non esset, neque eorum consuetudine vsurus; tum quòd, tametsi illis conuiueret, aut quoquo modo coteretur, non tam essent futuri stolidi, quin satis scirent bono suo missum; vt nimirum occurreret pronæ in ruinam ciuitati, omninò ruituræ, nisi dicta ipsius, citã & seriã pœnitentiã, quidquid in ea erat hominum, exciperet. Quare non esse, vbi iam resipuerint, quod maximoperè cupiebat Deus, cuius ipse præconem tantummodò egerat, cur illi exprobrent denuntiatæ sententiæ falsitatem.

Non fuisse varij affirmant. Hebræi dicunt Ionã nõ timuisse nomen mendacis.

Rationes illorum.

Ionæ innocentiam Hebræi frustrà defendere hic volunt.

14 Dicãt quidquid voluerint Hebræi: Vera causa afflictionis IONÆ est illa quæ à nobis allata, neque esse posse de hoc vllum dubium mihi videtur. Quòd verò eius propugnent ipsi innocentiam, facilè patior, sed illorum sententiæ non subscribo: neque enim sat ordinata caritas est, velle aut sibi aut aliis benè, cum plurium longè grauissimo

mo incommodo, & ruina manifesta. Non repugno, neque damno studium eius in res proprias & amicorum, vt dixi; sed damno ex eo, iis quibus nihil oportebat detractum fauoris, detrimentum proueniens; siue id accidat ex proposito & voluntate deliberata, siue ex consequenti; vti obuenturum erat Niniuitis si IONÆ votis cũcta cessissent. Hi enim illâ ratione, quemadmodum nemo inficiari potest, passuri erant mala grauissima, nullâque arte aut industriâ reparanda.

Oecolampadius in hunc locum.

Meliùs adhuc Hebræi quàm Ioannes Oecolampadius, qui ait: *Magna fuit Prophetæ audacia, sed ex fide in Deum magna procedens.* vbi per fidem excusare velle videtur afflictionem IONÆ atque iracundiam. Sed hoc non satis consentit cum eo quod immediatè subiungit *Charitas operit multitudinem peccatorum*: non ergo fides, nisi idem apud illum sit fides, & caritas. Neque satis assequor quid dicere velit per hoc quod addidit: charitatem etiam operire, *ea quæ satis non possunt per se defendi.* Si fortassis idem, quod Mercerus hoc loco dicens: *Viris sanctis peccata nõimputari, quia ea statim agnoscũt, & ferè zelo Domini adducti errant.* cum ipso quoque graui in errore versatur. Verùm non est hic de eo disputandi locus.

Mercerus ibidem.

Quidam grauissimi criminis Ionam reũ hic facere volunt.

15 Alij criminis magni Prophetam nostrum hic arguunt; vt qui secundùm illos, fuerit admodum in Niniuitas acerbus, maleuolus, atque iniurius, eorum amans & optans interitum, ad quem tantopere anhelarit, vt cùm nequaquam hunc iis obuenire pro voto suo videret, indignationis quadam acerbitate, mortẽ vitæ suæ prætulerit.

Verùm hoc quàm maximè alienum à veritate existimo; neque enim induci possum vt credam, eum vel delirare tantopere, siue vsque eo insanire potuisse, vel in tantum peruersis affectionibus suis abduci à recto; vt contra Niniuitas, ex Propheta factus repentè illorum hostis acerbissimus, contra Deum etiam, quod est præcipuum, iterum eius sanctissimæ voluntati tam turpiter refractarius & rebellis, adeò insolenter insurgeret.

Ionas rem iniquam non petiit: sed nõ bono modo petiit, quod petiit.

16 Fateor excessit in modo, non tamen rem iniquam petiit, aut iniustam: optauit dumtaxat puniri plenã abominationibus & peccatis ciuitatem, pro vt illius commissa merebãtur; Dei quoque, non obstante incolarum pœnitentiâ petiit non mutari sentẽtiam. In quo agere adinstar iudicis voluisse visus est, qui latronem ob rapinas & furta, tametsi pœnitentẽ, addicit supplicio; & tamen idcircò esse iniustus nequaquam perhibetur: quid ni similiter dicamus non magis iniustum IONAM ciuitatis interitum postulantem.

Peccauit venialiter Ionas hoc suo mærore, & in qua hunc secuta sũt.

17 Sed quoniam in desiderio suo, & ea de qua agimus postulatione, modũ non seruauit, ac debitæ ordinem caritatis, zelo abreptus non omninò prudenti, plusculum etiam honori proprio studens, suæque seruiens gloriæ, rectè, meo quidẽ iudicio, censuit Dionysius Rikelius, cui suffragatur etiam Cornelius à Lapide, lethiferâ quidem culpâ, sed nõ aliâ, venialem vocamus, de toto vacasse, atque idcircò iure meritissimo, & verbis, & flagellis fuisse à Domino castigatum.

Si ex inuidia ortus mæror grauius peccauit.

Gaspar Sanchius culpam eò censet fuisse grauiorem, quod salutem & delictorum veniam, quam ipse à liberali & clemente Domino fuerat consecutus; aliis, & quidem vnico vanitatis & ambitionis studio inuiderit. Hoc si verum: haud dubiè non parum auget crimen & culpam, inuidia ambitione cumulata.

Quantũ in Iona timor infamiæ ceteris omnibus præualuerit ostenditur.

18 Mira sanè res, agebatur hîc de Dei tam in IONAM benefici gloria, rebus omnibus præferenda; agebatur de conseruatione ciuitatis tam amplę, tam potentis, tam copiosæ, quantam ab orbe condito fuisse vix legimus; agebatur de salute tot millium animarum, infinitæ inquam multitudinis: hisce omnibus oppositus erat tantummodo alicuius ignominiæ neque admodum grauis metus ex parte IONÆ, quo angebatur ipse, ne à spiritu aut suo, aut malo potiùs, quàm diuino in-

inspiratus, dixisse quæ dixerat crederetur: & hic conceptus ex principiis non veris, atque existimatione falsa ortus, tantùm in ambitioso Prophetæ animo potuit; vt diuinam voluntatem salutemque multorum, leuissimæ illi ignominię timori lõgè putauerit posthabendam. Non est hæc mea, sed magis Gasparis Sanchij ratiocinatio longè verissima.

Salianus vult Ionã decretoriã & absolutam Niniuitis sententiam nuntiare tantũ voluisse, non aliam.

19 Iacobus Salianus aliud in IONA hîc reprehendit, vultque id ipsum in eodem reprehensum à Deo: quòd nimirum voluerit suâ magis causâ, quàm ex ratione iustitię & æquitatis Niniuitis decretoriam absolutamque nuntiare sententiam, non verò ex euentorum mutatione pendentem. Certè si hoc voluit, non habeo quod dicam, rem prorsus indignam voluit: neque enim ad famulum pertinet deligere ex mãdatis domini quæ deferat, quæ non deferat, atque ea, quæ deferenda censuerit, suo modo & voluntate, non ex illius præscripto deferre. Esse hominum omnium, quicumque demum ij fuerint, vnius Dei volũtati acquiescere, illius parere imperio, quis ignorat?

Honoris sui videri fecisse iacturam pro Deo, est illum non minuisse, sed auxisse.

20 Quidquid sit de Iacobi Saliani sententia, quam nec propugnare, nec oppugnare statui; hoc certissimum est, quod dixi iam sæpiùs, IONAM honoris proprij nimium fuisse amantem, cùm hunc præ tot animabus de vita saluteque sua periclitantibus, saluum voluit. Et verò si rem suis momentis & iustis rationum ponderibus metiamur, quid fuisset tantoperè, huius eum fecisse iacturam (quamquam nec hoc futurum erat) in Dei obsequium, à quo est omnium hominum salus, felicitas, gloria. O nimium apertè desipit, qui honorem suum diuino posthabendum nequaquam putat, & præ illo suum non negligit; si hoc agere, honorem suum negligere est, & non potiùs illum quàm maximè promouere.

Michæas optat esse mendax, vt super populum non veniant mala, quæ prædixit.

21 IONA longè sapientiùs, longè meliùs egit Michæas, & ipse Propheta: hic namque cùm certum impiis interitum vates veridicus nuntiaret, non tantùm non obuenire illis quod dixerat voluit; verùm etiam haberi mendax, atque compatiendo miseris, illorum vitæ felicitatique honorem suum postponere, dum vel sic saluis illis esse liceret. Audite cum affectu & caritate loquentem. *Vtinam*, inquit, *non essem vir habens spiritum*, propheticum scilicet, *& mendacium potiùs loquerer.* Non sic IONAS, qui honori suo totus intentus, vti illi cedere debere omnia opinatur; ita eidem parũ religiosè, parum prudẽter postponit omnia. Michææ c.2.v.11.

Prophetæ non habuerunt spiritũ propheticum velut habitũ permanentem.

22 Colligit ex hoc loco IONÆ Cornelius à Lapide, non habuisse Prophetas propheticum spiritum velut habitum permanentem; sed ab eo desertos interdum, & relictos sibi, more ceterorum hominum egisse dixisseque multa, non optima atque sanctissima; vt quæ subinde fuerint à caritate, veritate, æquitate, non parum aliena; certè sic sunt ea quæ IONAS hîc loquitur, in quibus ostendit abundè quàm non omnibus humanis affectionibus nuntium de toto remiserit, licet in Niniuen à Deo Legatus tam celebris mitteretur.

Ionas secundò peccauit, secundò cum quoque peccati pœnituit.

23 Igitur peccauit hic iterũ, post experimentum tam locuples diuinæ misericordiæ, acceptũ in naui, in mari, in ceto: sed sicut peccauerat priùs, & de peccato illo egerat pœnitentiã; ita egit etiã de hoc. Indicia pœnitẽtię sunt voces illæ, quæ & testes diuinæ in cũ misericordiæ: *Scio, quia tu Deus clemens & misericors es, patiẽs & multæ miserationis*: iam non tantùm in Niniuitas, sed in me quoque. Talẽ te nuper agnoui, cùm fugiẽtem & morti proximũ, non vno in discrimine seruasti: talem te quoque futurum mihi nunc iterùm spero, & daturum denuò huic meo recenti delicto, non secùs ac priori dedisti, largiter veniam. c.4.v.2.

Ionas culpam agnoscit, & illã describens, vult homines non latere.

24 Facit hîc IONAS (quod primum est maximeque necessarium ei, quem scelerum suorum pœnitet) vti aliàs fecerat; crimen agnoscit, confitetur culpam: quò verò ad confusionem propriam extet illius non secùs ac prioris memoria, illud etiam, quemadmodum priùs, proprio calamo tabulis

bulis publicis cōsignat, & scribit. Hoc & alij fecerunt sanctitate illustres, vbi aut humanâ fragilitate, aut etiam improbitate atque malitiâ peccauerant grauiùs; nolentes videlicet errores suos, turpes licet, occultos hominibus, quos Deo nouerant prorsus esse manifestos: ne longè alij essent, alij passim ab hominibus & dicerentur, & haberentur.

Dauid peccata sua fatetur, luget, & euulgat.

25 Dauid etiam ipse Propheta, simul & Rex Israel potens & sapiens, eximiâ apud omnes auctoritate & gratiâ, & quod caput est Deo carus in paucis, indignum facinus perpetrarat, vsurpatâ vxore alienâ, quod etiam grauiore, nempe adulterium homicidio cumularat. Sciebat quàm id Deum nequaquam lateret, ergo ne lateret etiam homines, Psalmum conscripsit, qui cēsetur numero quinquagesimus, quo lapsum suum vehementer deplorat, & publicum facit non inutili verecundiâ quod patrauerat in occulto: sic exemplo suo quoscumque lapsos inuitans ad lacrymas, atque in spem erigens meliorum, viamque aperiens, & sibi, & aliis ad diuinam gratiam, ad obtinendam misericordiam, salutem, & vitam.

Etiam Augustinus.

Augustinus similiter aliquando Manetis scelestâ hæresi simul etiam impuræ mentis turpi conspurcatus libidine, magnum deinde Catholicæ lumen Ecclesiæ, & quo maius ætas illa non habuit, priora hæc sua delicta adeò non dissimulauit, ad Deum atque ad veritatem conuersus, vt integros Confessionum libros, quibus potiores vitæ suæ labes complectitur, tritos nunc manibus omnium, sui accusator insignis luculenter conscripserit, & vulgarit.

Ionas etiā quàm maximè.

26 His non absimilis IONAS, cùm agnouisset delictum suum, vidissetque id se ex parte rursum admittere, cuius cum anteà pœnituerat; suam sapientiam iterùm diuinæ prouidentiæ, ciuitatis totius interitum videre cupiēs, anteferendo; atque cæcâ quadam & præposterâ ambitione suum honorem tot hominum salute ducendo potiorem; voluit non secus ac priùs, hoc ipsum latere neminem: satis insinuans iteratâ culpæ suæ denuntiatione, quo ampliùs confundi possit & debeat, quæcumque circa se gesta fuerāt prodigiosè in naui, in vndis, in ceti visceribus, in eiectione ad littus, in diuini verbi prædicatione, in Niniuitici populi pœnitentia, ea nequaquam ipsius virtuti ac meritis; sed vnius Dei bonitati & clementiæ tribuenda, cuius beneficio, fauore, & gratiâ singulari, Niniue iam resipuerit, & ipse resipiscens, remissionem recentis culpæ se quoque impetraturum confidat.

Ionas non hæc narrat, vt se apud Iudæos excuset.

27 Quare existimate hæc neutiquam tam ab eo enarrata copiosè, licet nonnullos id voluisse sat sciam, quasi se apud suos contribules purgare voluerit, illisque denuntiare, pro suo qualicumque solatio, nuperum suum ad exteros abitum, non tam voluntate propriâ, quam illius, cui parere debebat, imperio accidisse. Fuisset enim hoc rebus iam pridem compositis, atque prioris inobedientiæ remissione obtentâ, turbare denuò omnia, obmurmurare de nouo, & se iterùm aliquo modo immorigerum exhibere, finitâ inquam legatione, ob minùs felicem eiusdem successum, aut saltem non vsquequaque procedentem ex voto ipsius, imperiis Domini sui nouo mœrore & indignatione obniti. Quod nolim de nostro IONA cogitare, cui arbitror animum fuisse aperire hîc candidè & syncerè omnia, seipsum confundere, simul singularem Dei erga se prouidentiam, simul imperfectum suum propalare, nullâ verò ratione, denuò in malè admissis commisisque erroribus suis gloriari.

Sed vt se confundat, vt Dei erga se prouidentiam aperiat ampliùs.

Homines nunc honorem suum habent in pretio; non Dei gloriā.

28 Et hæc quidem tum temporis IONAS, quid modò multi? Imitantur, quod doleo vehementer, illam ipsius afflictionem & mœrorem præposterum, ac, prô nefas! quæ sua sunt quærunt, non quæ IESV Christi. Hinc si de nomine, existimatione, aut commodo proprio vel minimum decesserit, vehemēter cruciantur; si de diuino honore & gloria etiam plurimùm, ne

tan-

tantillum quidem commouentur. Similiter, quàm diu animi sui sequi impotentiam possunt, exultant gaudio; ad Domini verò imperata tamquam ardua nimis contabescunt mœrore, eaque nullo negotio velut minùs rectè imperata relinquunt & deserunt.

En quomodo miseri & infelices mortales, ordine planè præpostero, & detestanda imitemur, & detestemur imitanda.

Ionas non vult quod Deo maximè gloriosum; sed quod maximè secundùm sensum suum.

29 IONAS, si Dei gloriam sollicitus quæreret, omninò saluam Niniuen vellet. Quid enim gloriosius Deo, ciuitatem maximam perdere, quod vult IONAS, an ferrea multorum corda emollire & flectere, atque hominum multitudinem propè innumerabilem ab interitu vindicare, quod vult Deus? Id vbi ille nunc fieri videt, si non in suo sensu plus satis abundet, & sapere supra ipsum Deum ac Dominum suum velit, meritò gaudeat & exultet, quoniam tot hominum millia mortua erant, & reuixerunt; perierant, & inuenta sunt. Verùm licet fuerit magnum in cælo gaudium Angelis Dei, super tot peccatoribus pœnitentiam agentibus; ipse tamen mœret magnaque afflictione affligitur, quia non, quod sibi maximè vtile, maximeque gloriosum imaginabatur, euenerit.

Ambitiosi, gaudent malo alieno, & bono tristantur.

30 Ita ferè accidit ambitiosis omnibus, deberent ipsi miserorum miseriis flecti, & cum illis lugere, illorum inopiæ & necessitatibus liberaliter subuenire, præsertim si etiam inopes aliquando fuerint & afflicti, reducentes sibi in memoriam casus & calamitates suas pristinas, in quibus ad aliorum opem etiam ipsi confugerunt aliquando; sicuti se fecisse Dido apud Æneam testatur, cùm ait:

Virg. lib. 1. Æneidos.

Non ignara mali, miseris succurrere disco.

Verùm longè secùs faciunt; nam pro eo quòd compati iis deberent, & lugere cum lugentibus, ac *flere cum flentibus*, vt loquitur ad Romanos Paulus, in illorum luctu gaudent, & si illis fuerit benè, tristantur; vellent eos potiùs miseriis obrutos, quàm ereptos; quando id gloriæ suæ & commodis seruiturum putant, & quò ampliùs seruiturum, eò ipsos illos, ô pudor! ô probrum! magis calamitosos cuperent, efferâ quadam crudelitate atque insaniâ.

Ad Rom. c. 12. v. 15.

Superbi & ambitiosi vbique multi.

31 Imitantur ergo qui sic agunt IONAM, in eo quod imitari nequaquam deberent; in eo verò quod maximopere imitandum, non imitantur: nimirum vt lapsus suos ipsius exemplo fateantur, lugeant, detestentur. Profectò si quod res est, fateri velimus ingenuè, vbique talium magnus est numerus, & plures ferè reperiuntur, qui pristinas suas sordes libentiùs superbiæ pallio obtegant, quàm easdem demissionis studio, quod fecisse IONAM accepimus, manifestent & detegant.

Enumerantur solatia Ionæ ex prædicatione ad Niniuitas.

32 Verùm hæc missa faciētes, vt non tantùm de virtutibus IONÆ factisque ab eo in rem suam præclarè agamus, fructus operum eius fuit quàm maximus; exhilarauit imprimis summâ ciues omnes lætitiâ, cuius & ipsi participem eum tamquam tanti boni auctorem esse quoque voluerunt. Deinde habuit prçter conscientiam testem operis boni, denuntiando Niniuitis concreditam sibi veritatem, quæ solari eum in tam aduersis, quos animo suo obuersari patiebatur casibus, possent, amicas & beneuolas populi voces, gratulationes, applausus.

S. Ephrem hom. de Iona.

33 Hçc omnia D. Ephremi descripta calamo, tamquam ex amici populi ore accipite: *Noli*, inquiunt, *contristari ô Iona, quia nouam vitam agimus: per te enim bona inuenimus, per te vniuersorum Deum agnouimus, non es mentitus ne timeas, subuersa enim nostra est malitia, & exaltata fides. In manu tua reperimus præsidia pœnitentiæ, & ex Domini thesauris ea accepimus. Dic nobis Iona? quid tibi accessisset commodi, si nostra euersa fuisset ciuitas, ô Propheta? si cuncti in infernum demersi essemus? Cur animum deiicis, cùm nos ex malis sanando*

sanando curaueris? tota hominum multitudo tibi vt benefactori suo gratias agit. Cur ergo suspiras, quia cum ciuitate non ad interitum, sed ad Dei cognitionem negotiatus es, ac transegisti? At cur etiam doles de saluatis per pœnitentiam? nunc coronatus es. Illud quod accidit, te gaudio afficiat: nam Angelos in excelsis gaudio perfundens, meritò ipse super terram in eo gloriari & exultare debes: quia Deus de nobis gaudet in cælis. Magnificarine ampliùs tua mens potuit, quàm in eo quòd cuncti cultum, atque reuerentiam Deo adscribunt? Consolare teipsum, quòd tota ciuitas vnà cum Rege in gaudio te adoret, cernens infantes à morte liberatos. Quare confirmatus pro eorum vita precare, rursusq; conseruatos intuere infantes, ac manus tuas eorum capitibus impone, benedic ciuitati præter spem seruatæ, vt memoria tui in ea augeatur, luctum depelle, & relicto ieiunio nobiscum gaude.

Leniuit ægritudinem animi Ionæ, laus quam accepit à populo.

34 En quomodo Niniuitæ IONAM honorent! quomodo illum animent! quo pacto eum solentur! Numquid ille meritò non modò non affligi & mœrere; sed vel maximè exultare gaudio deberet; quando præsertim ex quo dedecus metuebat, ex eo parari sibi non modicam laudem, & gloriam videt? Arbitremur igitur has populi voces aliquantulum leniuisse in eo doloris ægritudinem: sed, quod alterum eius erat malum, & morbus grauior; iracundiam non extinxit. Huic curando & tollendo, quærendum atque exhibendum erit benignitatis ac mansuetudinis suauissimum pharmacum, quo commotus indignatione animus placetur & deferuescat.

Secundus Ionæ morbus iracundia.

35 Primò scrutemur morbum ipsum, & in eo mali magnitudinem & radicem quæramus. Paucis alterum suæ ægritudinis genus, & satis periculosæ (alterum enim quod erat dolor & luctus, expressum verbis illis: *Afflictus est Ionas afflictione magnâ*, abundè discussimus) Propheta commemorans, ait: IRATVS EST. Vertit Drusius, *Excanduit illi.* Magnæ iracundiæ signum esse solet pallor, siue excandescentia. Interpretatur Emanuel Sà: *tulit impatienter.*

Apparet hîc, quòd satis viuas, neque adhuc prorsus edomitas passiones noster haberet IONAS; vtpote non tantùm dolorem; sed & indignationem atque iram, eamque vehementem non sufficienter valens moderari ac regere.

Iratus fuit Deo ex sententia Mamerotij.

36 Verùm cuinam tantoperè vir ille bonus irascitur? Ipsi (quod esset graue) Deo, inquit Rochus Mamerotius; illius voluntati suam opponens. Nam displicebat illi Dei consilium, & ita displicebat, vt simul irasceretur, eò quòd res secùs quàm dixerat euenisset. Componit autem idem Mamerotius hanc IONÆ iracundiam cum illa Israëlitarum, quâ & ipsi Deo infensi obmurmurabant sæpiùs; eò quòd pro voto suo atque arbitrio non cuncta succederent: quam ob rem à Moyse quoque non semel grauiter legimus reprehensos.

Ex sententia Rikelij Niniuitis.

37 Meliùs de IONA nostro, Dionysius Rikelius sentit, & loquitur: opinatur eum fuisse iratum, non Deo, cùm id nimis esset enorme; sed Niniuitis, ob quos tantam sibi passurus videbatur infamiam. Optauerit igitur, quæ fuit non tantùm Rikelij, sed aliorum etiam multorum opinio, vt (non obstante tam graui, arduâ, & constanti eorum pœnitentiâ) impleretur quod ipse prædixerat; optarit inquam vt intentatis sibi ab eo suppliciis subiacerent, quatenus per vitæ præsentis flagella, & ciuitatis ruinam, à sordibus delictorum mundati, æternæ salutis scriberentur hæredes.

In Iona eædem fuerunt causæ iracundiæ quæ doloris.

38 Causæ iracundiæ, ne longam hîc iterum disputationem instituamus, fuere eædem omninò quæ mœroris. Quare si, vti diximus, affligi tantoperè IONAS non potuit, certè irasci multò minùs debuit; & omnium minimè, si ita factum, in Deum commoueri. Est suus interdum alicubi locus dolori, vbi non iræ:

Iniuste vtrimque.

si

si hic ne quidem dolori esse debuit, profectò iræ multò minimè.

Hebræi iustas fuisse asserunt. 39 Hebræi, sui Prophetæ plus satis amantes, non solùm dolorem; sed & iram eius volunt fuisse iustissimam. Quidni, inquiunt, doleat simulque irascatur Ionas, videns Israëlitas suâ prauitate cordisque duritie, vllis cohortationibus, increpationibus, terroribus, minis, flagellis commoueri nescios, grauissimam sibi vltionem accersere?

Non probatur Hebræorum sententia. Si hæc illi sola esset causa iracundiæ, rectè quidem; non damnarem, quin imò laudarem cum Iudæis zelum ipsius, & dicerem iustè iratum. Sed de causis mœroris, & consequenter iracundiæ quàm alij aliter sentiant, diximus; atque etiam quid sit existimandum, certiusque habendum statuimus.

Neque aliorum dicentium quòd vindicare se voluerit de nimis duro Dei mandato. 40 Adiungo; quoad iracundiam id in causa ab aliquibus poni sigillatim, quòd ad profectionem in Niniuen impulsus à Deo, eandem cùm subiisset inuitus, videretque deinde successum non bonum, impatientiâ, maleuolentiâ, indignatione, & furore quodam vindicare se, cùm aliter non posset, de duro illo, & vt sibi fingebat satis præpostero imperio voluerit.

At non probo: nam fuisset hoc non Niniuitis, sed Deo irasci, vltra omnem rationem, æquitatem, & modum: fuisset etiam vetus illud rebellionis crimen, nuper triduano carcere in ceti ventre expiatum, & innouare, & nouo crimine cumulare: quod absit de Propheta vel suspicari, nedum dicere, scribere, & vulgare.

41 Verissima igitur causa irarum Ionæ, sicut & mœroris, quemadmodum est à nobis iam sæpiùs decantatum, non alia fuit, quàm quòd ob non perituram Niniuen imminere nomini suo ac famæ malum grauius vereretur. *Causam iracundiæ Ionæ LXX. insinuant.* Hanc inter ceteros nō obscurè insinuant LXX. Interpretes, qui pro eo quod nos legimus *Iratus est*, verterunt συνεχύθη, id est, *confusus est.* Quasi insinuatum velint, causam iracundiæ esse confusionem illam, quam apud extraneos subiturus erat; ab illis, vt qui dixerat à veritate aliena, deinceps mendax, impostor, pseudopropheta nuncupandus.

42 Quærendum nunc superest, an, & quantum Ionas hac iracundiâ peccauerit. *Peccauit Ionas irascendo.* In hoc variæ sunt variorum sententiæ; alij peccasse grauiùs, alij leuiùs autumant. Peccasse nullum mihi est dubium. Culpam aliquam indicat, quod ait, quasi cum Deo expostulans: *Obsecro Domine, numquid non hoc est verbum meum, cùm adhuc essem in terra mea?* *Id rationibus probatur.* *Ionæ c. 4. v. 2.* Magis autem confirmat monitio Domini, ei suam exprobrantis iracundiam, eamque redarguentis, dicendo: *Putásne benè irasceris tu?* *Ibid. v. 4.* Et verò probare quis possit, quempiam, si ei aliquid nequaquam ex animi sententia euenerit, idcircò quamprimum commoueri vehementius, affligi, irasci, indignari? si cui quidpiam secùs quàm voluerat, fuerit non à Deo, quod longè est maius, sed vel ab homine tantum imperatum, id eum ægrius ferre, & mandatum cum dolore atque iracundia excipere?

43 Culpam igitur aliquam hic Ionas admisit: non fuisse grauissimam coniectat Paulus Palatius ex modo Dei & Domini nostri procedēdi cum illo: *Palatius non peccasse Ionam grauiter putat, & probat.* alioquin non tam beneuolè vmbraculum ex hedera, sub quo amœnè & placidè magnaque voluptate & gaudio quiescat, illi, vt arbitratur paraturū. Verū ea quā sumit hic auctor exinde coniecturam incerta est & ambigua. *Probationes ostenduntur inualidæ.* Nam, vt ex euentu patuit, hoc illi erudiendo potissimùm factum est; quo nimirum clariùs cognosceret, cùm ob commodum suum conseruatam hederam vellet, multò magis ob commodum, imò & salutem multorum, atque, quod longè quæcumque alia superat, Dei Omnipotentis gloriam, velle conseruatam Niniue debuisse.

44 Interim in re Palatio assentior, & sicuti Ionam excusare ob mœrorem conceptum ausus non fui à cri- *Sententia Palatij, vera decernitur.*

mine,

mine, & meo calculo in hoc innocentem decernere; ita nec in iracundia, mœrorem comitata. Aio tamen in neutro lethalem noxam incurrisse; licet plus quã debuerat mœrori, plus etiam quàm debuit iracundiæ, & motionibus animi parum compositis cesserit. Medicinam huic malo à Medico supremo præscriptam, quæ est, vt cogitatione velut lambat, & relambat actiones suas pristinas, & noxium menti malum facti sui consideratione meliùs intelligat, ipsúmque eâ ratione, si fortè obduruerit, emolliat, mox considerabimus, & quid eam consecutum sit mentis sanioris, videbimus.

Non peccauit irascẽdo hic mortaliter Ionas.

45 Ceterùm si IONÆ ægritudinem, siue eum quem hîc abundè ostendit dolorem spectemus, non caret ille mysterio: designat enim CHRISTI prorsus admirabilem de Iudæorum perfidia & improbitate tristitiam. IONAS super non peritura Niniue fleuit, super peritura Ierusalem Christus. Neque etiam ex alio fonte quàm mœroris & amoris in dilectum sibi populum fluxerunt illæ Christi propè extremæ ad discipulos suos voces: *Tristis est anima mea vsque ad mortem.* Scilicet tantoperè cupiebat ne periret populus Iudæorum. Hoc vnum est inter mœrorem IONAE Prophetæ, & CHRISTI Principis Prophetarum discrimen; quòd licet vterque affligatur afflictione magnâ, IONAS malè, Christus id faciat benè: quippe cuius afflictio nobis ad salutem, ad gaudium, gloriam, beatitatemque perpetuam seruiat.

Ionæ dolor exhibet nobis dolorem Christi de malitia Iudæorum.

Mat.c.26. v.38.

Discrimen inter mœrorem Christi & Ionæ.

46 Affliguntur etiam hoc tempore, & quidem afflictione magnâ, multi ex illis quibus à Deo concredita est cura animorum (de ceteris taceo modò, non quòd existimem ipsos destitui afflictionibus, nemo enim iis de toto caret, plurimi etiam abundant; sed quòd non sit de his proprius hic dicendi locus) verùm aliter atque aliter: nam nonnulli rectè cum CHRISTO, alij non rectè cum IONA. Rectè cum CHRISTO, qui videntes suæ commissos sollicitudini & directioni paternæ, non eam quam deceret, & ipsi cuperent inire vitæ rationem, animo cruciantur; atque dum irritos conatus suos vident, gemunt sub onere; veriti ne qua in re muneri suo defuerint, & Deus subditorum salutem de manibus eorum exigat & requirat. Malè cum IONA, qui seipsos non Deum quærunt, suo honori non diuino student; fructum quidem ambiunt & lucrum venantur, sed nummorum, non animorum; dolent de lucelli alicuius subtractione, de minima nominis sui iactura, de neglecta ab illis, quos vellent auditores, laudatores, spectatores, actionis alicuius suæ quâ commendari populo aut magnatibus potuissent præsentia: intereà de liberali transgressione mandatorum Dei non admodum anxij, & æquè parum de neglectu ipsius Numinis, omnium verò minimè de legum Ecclesiasticarum contemptu, sinunt volui suis motibus omnia; neque cruciantur vel minimum, tametsi euerti omnem Dei cultum & religionem viderint; dummodo totum hoc fieri saluo honore suo, atque marsupio, de quibus tantùm subit animum mœror, contigerit. Super quo non abs re omnes, bonos vel maximè, Bellarminus Cardinalis, ad columbinum gemitum prouocat. Illum consulat qui voluerit.

Rectè quinam Ecclesiarum pastores affligãtur cum Christo.

Quinam malè cum Iona.

Bellar. l.2. de Gemitu Col.c.5.

Addo tantùm Magni Gregorij monitum, quo illos, qui sua tantùm quærant, & non quæ IESV Christi, præclarè perstringit. *Quem*, inquit ille, *caritatis gratia non infundit, proximum suum, etiamsi hunc Deo genuit, extraneum respicit, vt profectò sunt omnes hypocritæ, quorum videlicet mentes dum exteriora appetunt, intus insensibiles sunt, & in cunctis quæ agunt, dum sua semper petunt, erga affectum proximi nullâ caritatis compassione mollescunt.* Pergit: huiusmodi hominibus exemplum Pauli proponens, dicendo; *O quàm mollia viscera gerebat Paulus! quoniam circa filios suos tanto amoris æstu inhiabat, dicens: Nos viuimus,*

Quomodo veri pastores caritatẽ exercere in suos debeant, non exteriora appetere.

Gregor. Moral. lib.31.c 8.

Exemplo Pauli.

mus, si statis in Domino. Et testis mihi est Deus, quàm cupiam vos omnes in visceribus IESV *Christi.* Hæc Gregorius.

Non dolendum ob iacturam rerum inanium.

48 Ad extremum vnum ego vos hîc monitos cupio vehementer; ne cuiusquam animum subeat mœror ob rerum inanissimarum iacturam; sed illum magis affligat, inueniri aliquos qui hisce vt sic dicam puerilibus crepundiis se oblectent, & se cùm ea amiserint, crucient. Sed & rogo quisque caueat sibi, ne zelo, quemadmodum olim IONAS, se abripi sinat non sat prouido & prudente, multoque minùs æstu aliquo præproperæ iracundiæ.

Zelus Apostolorum praeposterus damnatur à Christo. Lucæ 9. v.54.

Damnauit vtrumque in Apostolis suis Iacobo & Ioanne, cùm ob repulsum à Samaritis Christum indignarentur, dicentibus: *Domine, vis dicimus, vt ignis descendat de cælo, & consumat illos?* is cuius partes ipsi agebant, omnis mansuetudinis Magister, qui aliquando eos monuerat: *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde; & inuenietis requiem animabus vestris*, dicendo seuerius, atque etiam increpando eos: *Nescitis cuius spiritus estis: Filius hominis non venit animas perdere, sed saluare.* (Mat. c.11. v.29.; Lucæ c 9. v.55.)

Acacij ab Imperatore Constantino.

Damnauit in Acacio Episcopo, se duriorem præbente in recipiendis ad pœnitentiam iis, qui à fide aberrauerant tempore Nicæni Concilij Constantinus Imperator, ei dicendo: *O Acaci scalam è terra ad cælum constitue, solusq; per illam in cælum conscende.*

Putent in se quoque damnandum zelum non rectum quem habent, ij qui in quoscumque demum peccatores agentes pœnitentiam acerbiores esse, neque vllâ eorum tangi miseratione consueuerunt; cùm sic verè illorum optare interitum magis, quàm salutem videantur.

49 Ceterùm opto ego meliora vobis & saniora consilia: atque ad hæc voueo & percupio singulos, quantum quidem vitæ præsentis calamitosissimus status patitur, in pace, quiete, & gaudio, non verò in mœrore, indignatione, iracundia, quemadmodum fecit hic IONAS, securos viuere secundùm dictum illud solemne D. Bernardi *Benè agere & lætari:* donec ad securiorem, & numquam interituram quietem, quæ futuri est sæculi, veniatur.

LECTIO

LECTIO SECVNDA.

ET ORAVIT AD DOMINVM, ET DIXIT: OBSECRO DOMINE, NVMQVID NON HOC EST VERBVM MEVM, CVM ADHVC ESSEM IN TERRA MEA? PROPTER HOC PRÆOCCVPAVI VT FVGEREM IN THARSIS. SCIO ENIM QVIA TV DEVS CLEMENS ET MISERICORS ES, PATIENS ET MVLTÆ MISERATIONIS, ET IGNOSCENS SVPER MALITIA. *Vers. 2.*

ARGVMENTVM.

Rationes à IONA *inter orandum pro excusanda turpi sua fuga adductæ discutiuntur. Imperfectum illius, & quo pacto ex eo nos quoque debeamus nostrum agnoscere, ostenditur. Status ciuitatis Niniue, prout Ionæ imaginationi obiectus erat, proponitur; vti & eiusdem ob eum mœror, querelæ, & preces ad Deum. Quàm in Dei laudes excurrat egregiè, & sic seipsum ampliùs condemnet; quo etiam loco nos habere Deum, acceptorum ab eo beneficiorum memores debeamus, commonstratur.*

1 ISI vehementer me fallat opinio, supra modum taciti admiramini & obstupescitis, quî fieri potuerit, vt vir tantus tam sapiens, tam Deo carus, post tot tantaque ab ipsius diuina Maiestate accepta beneficia, sic ageret, sic loqueretur. Etenim verba, quæ ipse preces vocat (ait namque, ORAVIT AD DOMINVM) exigentia pro captanda beneuolentia miram quamdam suauitatem, quæque esse debebant ad eliciendum commiserationis affectum comparata, magis ad indignationem & exprobrationem, quàm ad supplices preces & orationem debitam conformata censeri possunt.

Oratio Ionæ hic videtur magis murmuratio, quàm oratio.

2 NVMQVID, inquit, NON HOC EST VERBVM MEVM. Quænam hîc forma precum? Dicere velle videtur iustè se fugere voluisse, atque ita quodammodò iniustitiæ Dominum arguere, qui sic fugientem iudicarit, damnarit, pœnis etiam multis grauibusque subieccrit. Hoc autem, quoniam etiam ipsi, quantumuis prauis affectibus suis nimium tribuenti, visum plus satis durum, querelas suas importuniores atque iniquiores, aliquo obsecrationis exordio temperat; sic tamen vt nihil totâ sermocinatione hac precationem sonet, præter verbum illud OBSECRO DOMINE; quo inquit Treminius, videtur voluisse Dominum delinire, atque ab instituto parcendi Niniuitis auocare. Ceterùm, vt se excuset, accusare velle Deum ac Dominum suum videtur, quòd rectè non fecerit, se in Niniue ablegando; prudentiùs scilicet eius iudicio acturum, si suæ libertati relictum duram illam ac permolestam prouinciam nequaquam subire tam parum grato imperio coëgisset.

Querelas suas quadam precationis specie temperat.

3 Quamquam igitur, cùm superiùs de IONÆ fuga sermo fuit, nusquam legamus ad Domini mandatum, vllum eiuscemodi verbum imprudenti excidisse. Nullum tamen est dubium, quin pro amolienda profectione tot titulis tam sibi molesta, opposuerit statim,

Ionas, vt declinaret profectionē in Niniuen haud dubiè dixerit Deo eum pro misericordia sua non facturum quod minabatur.

ſtatim, Deum benignum & mitem, lacrymis & pœnitentium prece, furorem ſuum & minas in miſericordiam, & verba lætitiæ, nullo negotio conuerſurum; deque quantumuis enormibus & diuturnis criminibus, daturum veniam; atque ita futurum, vt maculam leuis, vaniloqui, & mendacis, numquam eluendam, accipiat. Quare ſatius ſibi videri, patriâ excedere, imò vitâ; atque vel ſic grauiſſimam illam ignominiam quauis quantumuis dura permutatione redimere.

Excuſare hic Ionas, priorem ſuam fugam videtur.

c. 4. v. 2.

4 Huius verbi ſeu dicti ſui poſt liberatam ab interitu ciuitatem, nunc iterùm memor ait: *Numquid non hoc eſt verbum meum, cùm adhuc eſſem in terra mea*, Hebraicè *ſuper terram meam*. Quo videtur innuere, quàm ſecurè, & ex profeſſo, nihilque tale cogitans moraretur in patria, in qua, tamquam ab ea numquam diſceſſurus, conſidebat cùm primùm à Deo ad Niniuitas mitteretur. *Propter hoc* inquit *præoccupaui vt fugerem in Tharſis*. Quaſi ſic tacitus ipſe agat cum Deo: O Domine, ſcio, iniuſtè tibi viſus ſum facere, & procaciter nimis; cùm ne abirem in Niniuen, tibique obſequerer imperanti, fugi in Tharſis, & pre terra mare elegi: ſed cauſas habui, vt vides, eaſque ſat magnas, & graues. Sciebam inprimis, quòd pro ſolita bonitate tua & clementia, etiam quantumuis grauiter delinquentibus parceres, ſicque ego infelix, omnium vocibus, vt qui falſa iis obtruſiſſem, petendus; omnium etiam ludibrio expoſitus, omnium linguâ, ocul.s, geſtu, fortè & manibus vapularem.

Prima ratio, pro excuſatione à Iona allata.

Secunda ratio.

5 Neque, quod alterum eſt, ignorabam Iſraëlem viſum iri Gentibus deteriorem; quando ſolus voci tuę non obaudiret, tuis imperiis, monitis, dictiſue non acquieſceret: quod quàm eſſet futurum cum ſenſu doloris mei intimo, tu noſti, qui noſti corda omnium. Mouebat me verò fraternus affectus, vt quod mihi poſſe optare ex debita caritate videbar, populo meo, ex quo & natus ſum, & cum quo eâdem normâ & lege viuere & mori ſtatui, perquam optimè cuperem, atque etiam præ ceteris cuperem.

6 Hæ cauſæ ſunt abitus mei, hæ rationes parum tibi gratæ fugæ meæ, *propter hoc præoccupaui vt fugerem in Tharſis*. Nihil aliud me mouit, vt à tuo imperio recederem. Quid vobis de hac IONÆ oratione videtur? Quales hæ preces? Certè niſi ipſe, qui omnium optimè, quâ mente & ſenſu illas protulerit, & nouit, & dicere poteſt, orationem nuncuparet, non nemo inſignem altercationem, contentionem parum decoram ac iurgium inſolens potiùs, quàm orationem cenſeret, & crederet.

7 Sed oratio eſt, quâ mortem recenſitis ſui luctus cauſis, deſiderat, ſibi futuram quauis vitâ obſcurâ & indecorâ, quam vt exiſtimat agere deberet impoſterum, potiorem. Quoniã verò affectus habet immoderatiùs erumpẽtes, interponit verbum, OBSECRO, quo hos lenit quidem pauliſper, non tamen ita, quin eoſdem adhuc ſatis exorbitare appareat. In primis verò prudentiam propriam diuinæ diſpoſitioni prouidentiæque velut præponit; tacitè Dominum ſuum, quaſi rerum euentu non benè perpenſo, ſe in Niniue ablegãtem incuſans. Hoc eſt quod ait S. Cyrillus Alexandrinus. *De œconomia & prouidentia diuina propemodum non leuiter conqueritur. Quæ res periculo non caret, & mentem ſanctam haud decet. Si enim corporum medicos nemo prudens incuſauerit, quia vulneribus vtiliorem medicinam faciunt: quomodo quiſpiam omnia ſcientem Deum, & animis noſtris ſemper congruentem, maximeq́ conducibilem medelam verè meditantem iuſte reprehenderit? Eſt enim medicus ſpirituum quandoque laboribus & afflictionibus, quandoque bonis ex manſuetudine oblatis malarum affectionum noſtrarum feritatem conſopiens*. Hactenus Cyrillus.

Rogat hic Ionas à Domino ſibi mortẽ immitti.

Idem diuinæ prouidentiæ ſuũ iudicium præponit.

Cyrillus Commentatio in hunc locũ.

Deinde rebellionem, & fugam ſuam inſolentem, ſatis propugnat audacter, Deum quaſi puniret innoxiũ inſimu-

Ionas rebellionem ſuam defendit.

Yy lat

lat iniustitiæ; eidem bonitatem & misericordiam suam, cuius si quis alius esse præco ipse debuerat, stultè improperat, volens tantã, tam diuitem, tam nobilem, tam potentem, tot refertam hominibus ciuitatẽ, euerti funditus, & tot cum eo millia interire, tantùm, ne quid sibi nominis, ne quid famæ & gloriæ pereat.

Præ tædio mori Ionas desiderat.

8 Et quoniam hoc se consecuturum desperat, amare se etiã & velle ostendit præmaturam mortem, longioris moræ vitæque iam prorsus impatiens, mortem inquam rem omnium molestissimam maximeque acerbã & grauem; ne leue quidpiam, tædium nimirum ex re iniqua confictum, conceptum, & sibi accersitum vltrò, deuorare cogatur.

Sancti, etiãsi aliquid precibus imperfecti miscerent, sæpè exauditi sunt à Deo.

His parum compositis, parũ domitis affectionibus non obstantibus, sese ad orationem conuertit. Deũ obsecrat, & eum placare precibus studiosè contendit. Nõ vnius IONÆ, inter precandum indulgentis plusculũ sibi, in sacris Litteris memoria est; plures istic reperias qui licet concitatiores, & turbatâ nonnihil mente miscerẽt subinde precibus ea, quæ humanam infirmitatem, & minùs ordinatas affectiones referrent; orandi tamen syncero studio accedentes ad Deũ, ab eo, dissimulante imperfectum illorum, quidquid votis supplicibus postulauerant impetrarunt.

Inter hos Moyses.

9 Inter sanctitate illustres, præ ceteris nouimus, legislatorem populi Moysem, pro idololatris, cultoribus inquã infamis illius vituli aurei, quem Israel conflauerat in deserto, deprecantem magnâ quidẽ caritate, sed non minore spiritu & contentione dixisse:

Exod. c. 32. v. 32.

Aut dimitte eis hanc noxam, aut, si non facis, dele me de libro tuo quem scripsisti. Quæ licet imperantis potiùs, quàm supplicantis voces videantur; non tamen adeò benignissimo Domino fuerunt ingratæ, quin sic petenti, etiam postulata concesserit, & exaudierit deprecantem.

Etiam Elias.

S. Eliam prophetam querulum, ac velut cum Domino expostulantem, cùm pro vidua precaretur, dixisse similiter legimus: *Domine Deus meus, etiamne viduam, apud quam ego vtcumque sustentor afflixisti vt interficeres filium eius?* neque tamen hæc idcircò minùs efficax fuit oratio; nam filio vitam, matri gaudium peperit.

3. Reg. c. 17. v. 10

Homo quã sit fragilis ex Iona discimus.

10 Interim ex hac qualicumque IONÆ precatione discimus nos, in eaque velut in speculo cernimus, imperfectum nostrum: videmus inquam, quàm fragiles simus, quã labamur facilè, & relabamur, quàm leui subinde occasione, impetu quodam animi, parum adhuc compositi, seducamur, & aberremus à via iustitiæ & veritatis.

Magna sapientia est sui ipsius cognitio.

11 Igitur quisquis es, si quid dignũ te nosse cupis, te hominem noueris, hominem te memineris, prorsus instabilem, in nulla re nisi in vna inconstantia constantem. Inscriptum olim fuit Delphis, foribus templi Apollinis, illud Chilonis, introeũntibus prætergredientibusque seruiturum: γνῶθι σαυτὸν, *nosce teipsum*; id & cordibus singulorum inscribendum, imò insculpendum censeo, ne excidat. Magnum istud monitum est, magnum documentum, & si rectè seruatum fuerit, seruiturum ad gratiam ampliorem, seruiturum ad gloriam. Certè, vt ait in aureo suo de Imitatione Christi libello Thomas Kempensis: *Qui benè seipsum cognoscit, sibi ipsi vilescit, nec laudibus delectatur humanis.* Et aliquantò pòst: *Hæc est altissima & vtilissima lectio, sui ipsius vera cognitio, & despectio.* illi ergo studete singuli qui virtutem, qui salutem amatis.

Thom. à Kempis lib. 1. c. 2. §. 1. & 4.

Robur & constantia à Deo petenda.

12 Alterum esto, quod etiam singulis seruiat: Nouerit quisque, post agnitam inconstantiam suam fragilitatemque naturæ, continuò sibi confugiendũ ad Deum, humanã nostram infirmitatem suâ fortitudine, inconstantiam suâ virtute roboraturum; qui & vires addet, vt quidquid aliquãdo proposuerimus, & decreuerimus boni, viriliter, intrepidè, constanter exequamur.

Etiam post lapsus frequentes patet reditus ad Deum.

Itaque lapsus fueris semel iterumque, nil interest, etiam post lapsum iteratum reiteratumque sæpiùs, non-

nondum omnino occlusæ sunt diuinæ misericordiæ fores: patet adhuc tibi, numquam quoad inter mortales vixeris occludenda, benignitatis eius & clemẽtiæ ianua. Inducere quemcumque per pœnitentiam venire cupientem, & intromitti in domus suæ sacra adyta, imò ipsa in penitissima penetralia, paratus est optimus Dominus, qui eiusmodi hospites, quantumuis è terra peregrina & hostili venientes, omni momento cum desiderio exspectat. Atque ne te, si aliunde adueneris, primum putes magni Regis & amantis Patris fauorem, amorem, gratiam experturum; ad maiores tuos, atque inprimis ad IONAM respice, qui licet rebellioni atque infami fugæ, præposteram iracundiam addiderit, à Domino tamen, quem antè offenderat, vbi resipuit, in aulam cælestem inductus est, apud illum iterùm factus gratiosus in paucis.

Induceris & tu in aulam illam Regis æterni, si induci volueris; voles autem, si resipiscas, si voluptati, vanitati, peccato nuntium remittens, quæras quæ sunt IESV Christi, si mundo viuere desinas, Deo vt viuas.

Status Niniue & Ierosolymorũ qualem sibi proponebat Ionas, describitur à S Ephrem. Ephrem ser. in Iona.

13 Priusquàm ad precantem IONAM nunc iterùm conuertamur, eũdem sollicitiorem plus satis de Niniuitarum interitu reuisamus paulisper: & quoniam disserit nobis de hac eius sollicitudine copiosè B. Ephrem, hunc audiamus inprimis, atque ab eo totius Niniue statum, simul & Ierosolymæ, qualem sibi IONAS imaginabatur & proponebat, compositum ad inuicem cognoscamus. *Ionas*, inquit, *dies numerabat & noctes: at Niniuitæ sua enumerabant peccata. In tugurio Ionas precabatur, vt vera locutus videretur: & in ciuitate orabant Niniuitæ, ne morerentur. Timebat Ionas inspiciens ipsorum lacrymas, vnde quod ciuitati euenturum erat animaduertebat.*

Et post pauca subiungit: *Cõspiciebat senes lugentes, & ad Deum confugientes; senes verò Israel seditiosos atque dissolutos. Contemplabatur Niniuen valdè pœnitentem, & Sion fornicantem, suisq. idolis inseruientẽ. Respiciens Niniuen reprehensionem aduersus Ierusalem semper seditiosam ingeminabat. Vidit meretrices Niniuitas resipiscentes, ac pudicitiã sectantes: filias verò Sion furiosè atque insanè scortantes. Vidit mendaces in Niniue veritatem meditãtes: & falsos prophetas semper in Sion dolo ac fraude plenos. In Niniue palàm idola confringebant: & in Ierusalem occultè idola adorabant.* Hæc S. Ephrem totidem verbis.

14 E quibus apparet, quãta & quàm anxia fuerit cura IONÆ Ierusalẽ amantis, & præ illa Niniuen detestantis; quando hanc ad virtutem, illam ad vitium accedentem; hanc vitæ & saluti, illam morti & damnationi proximam vidit. Scilicet tacitus primò ingemuit; deinde etiam in plena mœroris verba prorupit. Quid faceret miser? Amaritudo nimia eum oppleuerat, nec erat quò se verteret nisi ad Deum; apud illum igitur fractum mœrore, & exacerbatum iracundiã animum exonerat, illi omnem suam ægritudinem exponit, apud illum, quem solum inter tam graues molestias sibi posse esse subsidio nouerat, queritur, & omnia sciẽti, omnia aperit, neque quidquam eorum quæ affligunt dissimulat. Prorsus sicut accidere solet graui aliquã, occultã tamen animi ægritudine laborantibus: hi vbi in familiarem aliquem inciderint, quem virum prudentem, magnique consilij arbitrantur, apud quem tutò miserias suas ac necessitates præsentes deponant, nihil vltrà celant, totam explicant mentem, atque se in amici sinum prorsus exonerant. Ita inquam IONAS plenis buccis apud Deum, velut amicum amicus sollicitudinem suam expromit, mœrorem indicat, mœstus queritur, & tandem suas querelas curasque omnes in preces conuertit, & iis priorem suam iracundiam mitigat.

Mœror Ionæ de statu vtriusque.

Querelas suas apud Deum deponit, ibi se suo mœrore exonerat.

Facit, sicut facere amicus apud amicum solet, familiariter.

15 OBSECRO DOMINE, inquit, NVMQVID NON HOC EST VERBVM MEVM? Numquid ante multum tempus benè & verè dixi, quod nunc tandem ad oculum patet, vr-

Dicit Ionas quod futurum erat se dixisse, & idcircò fugisse.

Yy 2 bem

bem ad quam me mittebas, & cui interitum minabaris per me, nequaquam subruendam: sed tuâ clementiâ tuaque bonitate perstituram incolumem. Quod quoniam ex tunc diuinaui, me etiam tuo illi imperio ex tunc opposui, CVM ADHVC ESSEM IN TERRA MEA, cùm inquam in Iudæa terra natiuitatis, atque etiam habitationis meæ mihi apparuisti, & voluntatem tuam de suscipienda profectione in Niniue indicasti.

Narrat mandatum Domini de prima legatione, & quæ illo gesserit olim, ac quis tum sensus eius fuerit.

16 Rectè adhuc memini, neque facilè mente excidet, quomodo me nihil minùs quàm de Gentibus cogitantem, quippe ad Iudæos dicere solitum, iusseris Niniuitis, quorũ tibi curæ & cordi est salus, ne interirent ipsi, interitum nuntiare, iisdem prædicere excidium, ne excidium paterentur; ego verò recusarim, & dixerim: Noui Domine, & nimium benè noui, proindeque ægrè inducendus, vt hoc faciam, tot factis testatam clementiam tuam. Minaris quidem, sed scio quàm non facturus sis quod minaris; indignationem & iram verbo ostendis, sed non opere; nimium citò supplicum precibus, & pœnitentiâ flecteris. Vbi Niniuitas, ad quos me ablegas inuitũ, videris saccis amictos, fame liuidos, & luridos, aspersos cinere caput, in publicum prodire sordidatos, rigare fletibus genas, pectus palmis tundere, auras complere gemitibus, culpam suamà te flexis deprecari poplitibus, ignosces, ignosces. Nam si in ipsos sæuire, si ipsorum vlcisci volebas scelera, quid opus erat quadraginta dierum spatium ipsis concedere: hoc non in illorum perditionem atque interitum, sed magis in incolumitatem vergere nimis mihi est manifestum. Quid igitur prophetare me cupis? quid denũtiare populo, quod nequaquam futurum? Meliùs me mihi reliqueris, tibique in negotioso otio & diuinorum contemplatione quietũ viuere siueris, si non vltrà placeat Iudæis me esse Prophetam.

Pergit narrare quid sit fugam suam secutum cùm deinde venit in Niniue, & causam suam defendere.

17 Sic ego mecum ratiocinabar, sic tecum loquebar, nequaquam futurorum ignarus; & ecce nunc, quod sensi, quod dixi, accidit; vaticinij mei veritas comprobata est. Quoniam verò iam tum videbar mihi errare in sensu meo non posse, adeoque perpensâ diuinâ tuâ clementiâ tam esse certus, quàm qui certissimus cùm te conuertendum ad bonitatem tuam nossem; ego me ad fugam conuerti, & prorsus aliud quàm tu, consilium inij: tu de me mittendo, ego de fugiendo cogitaui. Cùm primum intellexi quid esset voluntatis tuæ ego quoque quod erat voluntatis meæ facere studui; tu volebas properarem in Niniue, ego contrà properaui à Niniue quàm longissimè recedere: PROPTER HOC PRÆOCCVPAVI VT FVGEREM IN THARSIS, Chaldæus *ad mare*, existimans quòd sic me forsitan dimitteres, & ad instituendam legationem tuam alium adhiberes.

Sensus Ionæ de fuga sua verbis Patrum exprimitur.

18 *Hæc est*, inquit D. Basilius Seleuciæ Episcopus in persona IONÆ, *fugæ meæ occasio, tuâ humanitate cognitâ, Prophetæ partes recusabam; sciebam quòd paucis peccatorum lacrymis indignari desinas, commoto non credebam, innatam tibi commiserationem animo reputans.* Paullò aliter Haymo Halberstadensis: *Sciebam*, ait etiam ille in persona IONÆ, *misericordem: nolebam te truculentum & crudelem nuntiare*.

Ionas magnã habuit etiam ante legationem suã de Dei bonitate notitiã.

19 Verùm ipsummet verbis propriis de se disserentem Prophetã nostrum audiamus, & veteris tergiuersationis suæ causas adferentem. Scio, inquit, in Hebraico secundùm Ariam Montanum est, *Sciui*. In quo ostendit antiquam, longoque tempore & diuturnâ experientiâ confirmatam de diuina bonitate & clementia cognitionem se habuisse; non recentem leuibusue coniecturis comparatam, aut nixam, inquit Treminius, QVIA TV DEVS CLEMENS, ET MISERICORS ES, PATIENS ET MVLTÆ MISERATIONIS, ET IGNOSCENS SVPER MALITIA. En quantoperè IONAS Dei bonitatem & clementiam commendet: quàm eius prædicet patientiam, vt vel inde verum

rum

Ionas fuit Deo familiaris tamquam Propheta.

rum fuisse prophetam appareat, cum eo, quem ita commendat, quotidianâ consuetudine & arctissimâ familiaritate coniunctum; cuius proinde & naturam nouerit, & agendi morem habeat penitissimè perspectum.

Sicut Dauid & Ioel.

Non minùs quàm Dauid, qui cùm esset vir secundùm cor Dei, dicebat ex vsu familiaritateque cum eo: *Tu Domine Deus miserator & misericors, patiens, & multæ misericordiæ, & verax.* Neque minùs quàm Ioël, qui pópulū ad pœnitentiā inuitans, hanc ei quoque benignitatem Domini velut probè sibi perspectam commendabat dicendo: *Conuertimini ad Dominū Deum vestrum: quia benignus & misericors est, patiens & multæ misericordiæ, & præstabilis super malitia.*

Psal. 85. v. 15.

Ioel. c. 2. v. 13.

Deus ex bonitate sua non ex imbecillitate tam clemens est.

In Hebræo ponitur *El*, quod Dei nomen, eius denotat potentiam & fortitudinem; ostenditque Deum non ex imbecillitate, aut necessitate, ad tantam se erga homines beneuolentiam dimittere; sed quia id eius naturæ & infinitæ bonitati maximè congruit.

Ionas, Deū tantoperè commendans, se ampliùs accusat.

20 Quò plura hic in laudem & gloriam Dei & Domini sui dicit IONAS, eò minus apparet, quomodo non contradicat sibi, seque armis propriis iugulet. Ego illum hîc bonâ ipsius pace, vestraque veniâ, paulisper coarguam: Dicis bone vir, & rectè dicis mi IONA: *Deus clemens & misericors est*; & interim contra eum tam clementem agere vis, & si vllo modo possis à tam clemente inclementiam extorquere contendis; commendas eum à misericordia, & interim vitio illi vertis, quòd hanc in Niniuitas exerceat. Ecce quomodo hic propriâ sententiâ condemneris? Apparet sanè facti tui, talia Domino exprobrantis, indignitas.

Quis sanæ mentis igni ob ardorem sibi congenitū & connaturalem, aquæ ob humorem, soli ob lucem claritatemque irascatur? irascitur IONAS ob clementiam Deo, illi tam propriam, etiam propriâ ipsius confessione & testimonio, quàm soli claritas, aquæ humor, igni ardor, & sua quæque proprietas elemento. Numquid ergo prorsus insipienter & stultè?

Ionas Deū laudans, suam insipientiam damnat.

21 Sed & seipsum satis quoque insipientiæ suæ arguit, quando Deum magnoperè à clementia laudat, & eum interim, in hoc ipso quod laudat, imitari piget. Scis Deum esse clementem ô IONA, & idcircò laude eximiâ dignum prædicas, cur quod laudas non imitaris? cur clemens, id est Deo similis esse abnuis? Tecum rectè ratiocinans, culpam tuam protinus agnosces, & dices:

——— *Video meliora, proboq;* Ouid. 7. Metam.
Deteriora sequor. ———

Sed quàm malè sequaris vide.

Deus, vt clemens, à nobis laudandus est, & amandus.

22 Nos aliquantò sapientiùs, discamus, ab hac IONÆ commendatione, Deum vt clementē amare, laudare, venerari. Clemētia ipsius quotidiana, sine vlla commendatione alia, vehementer nos sanè ad amorē prouocat, imò audaces facit vsque eò, vt etiam lapsi ad eius, tamquā amantissimi nostri patris sinum fidentes recurramus; quando scimus nobis fore negotium, etiam tum, cum eo, qui *clemens & misericors est*; adeoque viscera habet misericordiæ, quæ nostris miseriis non possunt non commoueri.

Solatio nobis est, quòd Deus noster sit Pater misericordiarum.

23 Profectò id nobis maximoperè solatio est, quòd Deus noster nominetur, & sit *Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis*; & non quemadmodum rectè obseruauit S. Bernardus, *Pater iudiciorum vel vltionum: eò quòd miserendi causam, & originem sumat ex proprio, iudicandi vel vlciscendi magis ex alieno.* Quare etiam Ecclesia hanc illi concinit laudem: *Deus qui omnipotentiam tuam, parcendo maximè & miserando manifestas, multiplica super nos misericordiam tuam, vt ad tua promissa currentes, cælestium bonorum facias esse consortes.*

Ber. ser. 8. de Natiu. Domini.

Deus etiā in puniendo ostendit clementiā.

24 Æquum quidem est, vt interdum iustitiam suam exerceat atque iudiciū, & ab iis qui deliquerunt pœnas exposcat: interim tamen, etiam cùm hoc facit, ita rigorem iustitiæ clementiâ temperat; vt puniens, magis

bem ad quam me mittebas, & cui interitum minabaris per me, nequaquam subruendam: sed tuâ clementiâ tuaque bonitate perstituram incolumem. Quod quoniam ex tunc diuinaui, me etiam tuo illi imperio ex tunc opposui, CVM ADHVC ESSEM IN TERRA MEA, cùm inquam in Iudæa terra natiuitatis, atque etiam habitationis meæ mihi apparuisti, & voluntatem tuam de suscipienda profectione in Niniue indicasti.

Narrat mandatum Domini de prima legatione, & quæ illo gesserit olim, ac quis tum sensus eius fuerit.

16 Rectè adhuc memini, neque facilè mente excidet, quomodo me nihil minùs quàm de Gentibus cogitantem, quippe ad Iudæos dicere solitum, iusseris Niniuitis, quorũ tibi curæ & cordi est salus, ne interirent ipsi, interitum nuntiare, iisdem prædicere excidium, ne excidium paterentur; ego verò recusarim, & dixerim: Noui Domine, & nimium benè noui, proindeque ægrè inducendus, vt hoc faciam, tot factis testatam clementiam tuam. Minaris quidem, sed scio quàm non facturus sis quod minaris; indignationem & iram verbo ostendis, sed non opere; nimium citò supplicum precibus, & pœnitentiâ flecteris. Vbi Niniuitas, ad quos me ablegas inuitũ, videris saccis amictos, fame liuidos, & luridos, aspersos cinere caput, in publicum prodire sordidatos, rigare fletibus genas, pectus palmis tundere, auras complere gemitibus, culpam suam à te flexis deprecari poplitibus, ignosces, ignosces. Nam si in ipsos sæuire, si ipsorum vlcisci volebas scelera, quid opus erat quadraginta dierum spatium ipsis concedere: hoc non in illorum perditionem atque interitum, sed magis in incolumitatem vergere nimis mihi est manifestum. Quid igitur prophetare me cupis? quid denũtiare populo, quod nequaquam futurum? Meliùs me mihi reliqueris, tibique in negotioso otio & diuinorum contemplatione quietũ viuere siueris, si non vltrà placeat Iudæis me esse Prophetam.

Pergit narrare quid sit fugam suam secutum cùm deinde venit in Niniue, & causam suam defendere.

17 Sic ego mecum ratiocinabar, sic tecum loquebar, nequaquam futurorum ignarus; & ecce nunc, quod sensi, quod dixi, accidit; vaticinij mei veritas comprobata est. Quoniam verò iam tum videbar mihi errare in sensu meo non posse, adeoque perpensâ diuinâ tuâ clementiâ tam esse certus, quàm qui certissimus cùm te conuertendum ad bonitatem tuam nossem; ego me ad fugam conuerti, & prorsus aliud quàm tu, consilium inij: tu de me mittendo, ego de fugiendo cogitaui. Cùm primum intellexi quid esset voluntatis tuæ ego quoque quod erat voluntatis meæ facere studui; tu volebas properarem in Niniue, ego contrà properaui à Niniue quàm longissimè recedere: PROPTER HOC PRÆOCCVPAVI VT FVGEREM IN THARSIS, Chaldæus *ad mare*, existimans quòd sic me forsitan dimitteres, & ad instituendam legationem tuam alium adhiberes.

18 *Hæc est*, inquit D. Basilius Seleuciæ Episcopus in persona IONÆ, *fugæ meæ occasio, tuâ humanitate cognitâ, Prophetæ partes recusabam; sciebam quòd paucis peccatorum lacrymis indignari desinas, commoto non credebam, innatam tibi commiserationem animo reputans.* Paullò aliter Haymo Halberstadensis: *Sciebam*, ait etiam ille in persona IONÆ, *misericordem: nolebam te truculentum & crudelem nuntiare.*

Sensus Ionæ de fuga sua verbis Patrum exprimitur.

19 Verùm ipsummet verbis propriis de se disserentem Prophetã nostrum audiamus, & veteris tergiuersationis suæ causas adferentem. Scio, inquit, in Hebraico secundùm Ariam Montanum est, *Sciui*. In quo ostendit antiquam, longoque tempore & diuturnâ experientiâ confirmatam de diuina bonitate & clementia cognitionem se habuisse; non recentem leuibusue coniecturis comparatam, aut nixam, inquit Treminius, QVIA TV DEVS CLEMENS, ET MISERICORS ES, PATIENS ET MVLTÆ MISERATIONIS, ET IGNOSCENS SVPER MALITIA. En quantoperè IONAS Dei bonitatem & clementiam commendet: quàm eius prædicet patientiam, vt vel inde verum

Ionas magnã habuit etiam ante legationem suã de Dei bonitate notitiã.

Ionas fuit Deo familiaris tamquam Propheta.

rum fuisse prophetam appareat, cum eo, quem ita commendat, quotidianâ consuetudine & arctissimâ familiaritate coniunctum; cuius proinde & naturam nouerit, & agendi morem habeat penitissimè perspectum.

Sicut Dauid & Ioel.

Non minùs quàm Dauid, qui cùm esset vir secundùm cor Dei, dicebat ex vsu familiaritateque cum eo: *Tu Domine Deus miserator & misericors, patiens, & multæ misericordiæ, & verax.* Neque minùs quàm Ioël, qui pópulũ ad pœnitentiã inuitans, hanc ei quoque benignitatem Domini velut probè sibi perspectam commendabat dicendo: *Conuertimini ad Dominũ Deum vestrum: quia benignus & misericors est, patiens & multæ misericordiæ, & præstabilis super malitia.*

Psal. 85. v. 15.

Ioel. c. 2. v. 13.

Deus ex bonitate sua non ex imbecillitate tam clemens est.

In Hebręo ponitur *El*, quod Dei nomen, eius denotat potentiam & fortitudinem; ostenditque Deum non ex imbecillitate, aut necessitate, ad tantam se erga homines beneuolentiam dimittere; sed quia id eius naturæ & infinitæ bonitati maximè congruit.

Ionas, Deũ tantoperè commendans, se ampliùs accusat.

20 Quò plura hic in laudem & gloriam Dei & Domini sui dicit IONAS, eò minus apparet, quomodo non contradicat sibi, seque armis propriis iugulet. Ego illum hîc bonâ ipsius pace, vestraque veniâ, paulisper coarguam: Dicis bone vir, & rectè dicis mi IONA: *Deus clemens & misericors est*; & interim contra eum tam clementem agere vis, & si vllo modo possis à tam clemente inclementiam extorquere contendis; commendas eum à misericordia, & interim vitio illi vertis, quòd hanc in Niniuitas exerceat. Ecce quomodo hic propriâ sententiâ condemneris? Apparet sanè facti tui, talia Domino exprobrantis, indignitas.

Quis sanæ mentis igni ob ardorem sibi congenitũ & connaturalem, aquæ ob humorem, soli ob lucem claritatemque irascatur? irascitur IONAS ob clementiam Deo, illi tam propriam, etiam propriâ ipsius confessione & testimonio, quàm soli claritas, aquæ humor, igni ardor, & sua quęque proprietas elemento. Numquid ergo prorsus insipienter & stultè?

21 Sed & seipsum satis quoque insipientiæ suæ arguit, quando Deum magnoperè à clementia laudat, & eum interim, in hoc ipso quod laudat, imitari piget. Scis Deum esse clementem ô IONA, & idcircò laude eximiâ dignum prædicas, cur quod laudas non imitaris? cur clemens, id est Deo similis esse abnuis? Tecum rectè ratiocinans, culpam tuam protinus agnosces, & dices:

Ionas Deũ laudans, suam insipientiam damnat.

——— *Video meliora, proboq́*.

Deteriora sequor. ———

Ouid. 7. Metam.

Sed quàm malè sequaris vide.

22 Nos aliquantò sapientiùs, discamus, ab hac IONÆ commendatione, Deum vt clementẽ amare, laudare, venerari. Clemẽtia ipsius quotidiana, sine vlla commendatione alia, vehementer nos sanè ad amorẽ prouocat, imò audaces facit vsque eò, vt etiam lapsi ad eius, tamquã amantissimi nostri patris sinum fidentes recurramus; quando scimus nobis fore negotium, etiam tum, cum eo, qui *clemens & misericors est*; adeoque viscera habet misericordiæ, quæ nostris miseriis non possunt non commoueri.

Deus, vt clemens, à nobis laudandus est, & amandus.

23 Profectò id nobis maximoperè solatio est, quòd Deus noster nominetur, & sit *Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis*; & non quemadmodum rectè obseruauit S. Bernardus, *Pater iudiciorum vel vltionum: eò quòd miserendi causam, & originem sumat ex proprio, iudicandi vel vlciscendi magis ex alieno.* Quare etiam Ecclesia hanc illi concinit laudem: *Deus qui omnipotentiam tuam, parcendo maximè & miserando manifestas, multiplica super nos misericordiam tuam, vt ad tua promissa currentes, cælestium bonorum facias esse consortes.*

Solatio nobis est, quòd Deus noster sit Pater misericordiarum.

Ber. ser. 8. de Natiu. Domini.

24 Æquum quidem est, vt interdum iustitiam suam exerceat atque iudiciũ, & ab iis qui deliquerunt pœnas exposcat: interim tamen, etiam cùm hoc facit, ita rigorem iustitiæ clementiâ temperat, vt puniens, magis

Deus etiã in puniendo ostendit clementiã.

adhuc clemens videatur quàm iustus. Visitat quidem iniquitatem patrum in filios in tertiam, & quartam generationem, & tamen simul facit misericordiam in millia, illis qui diligunt eum, & custodiunt præcepta eius. Insuper pro sua clementia à nemine, etiam quantumuis grauiter delinquente, quidquam vltra vires exigit. Si quis ieiuniis, vigiliis, eleēmosynis, castigatione corporis voluntariâ, precibus, aliisve operibus bonis pro delictis suis fecerit satis, rectè quidem; si ad hæc prestanda non satis sit fortis & potens, lacrymas accipit; si nec has fundere possit, placatur vnico intimi doloris verbulo; quemadmodum motum nouimus solâ voce latronis, dicentis: *Domine, memento mei, cùm veneris in regnum tuum*; si nec tantillum fari lingua possit, cordis gemitum non repellit: si fractâ iam voce & pectore, interclusisque suspiriis, ne gemere quidem valeat, etiam bonā voluntatem admittit; vt verè perditio nostra ex nobis sit, cùm tam bonum, tam benignum, tam nostri amantem Patrem, tam clementem Dominum habeamus: certè *Miserationes eius super omnia opera eius*.

Facilè à nobis satisfit Deo.

Luc. c. 23. v. 42.

Psal. 144. v. 9.

25 Dixit aliquādo Dauid, omnino enthεā mente in sublimiorem quandam rerum diuinarum cognitionem veniens: *Semel locutus est Deus, duo hæc audiui, quia potestas Dei est, & tibi Domine misericordia.* Quibus verbis expressit egregiè duas proprietates diuinas, omnium afflictorum solatio plurimum seruientes; nempe misericordiam & potentiā; misericordiam, quâ iis compatitur; potentiam, quâ subuenit. Peccator agnoscis miserias tuas? ad Dei misericordiam te conuerte; quia hic vt misericors iuuare te cupit. Conuerte ad potentiam: quia vt omnipotens potest. *Duo hæc audiui quia potestas Dei est, & tibi Domine misericordia.*

Afflictis solatio sunt Dei potentia, & misericordia. Psal. 61. v. 12. 13.

Non ita feliciter ad homines recurritur. Quare sapienter dixit Ieremias Propheta: *Maledictus homo, qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum.* Demus enim recurri ad aliquem cui promptus ad miserēdum & succurrendum est animus; fortè is non habet vnde subueniat. Si habet, fortasse desunt illi, vnde hoc prouenire deberet subsidium, viscera misericordiæ; erit quidem diues & potens; sed simul crudelis, auarus & tenax.

Hæc quia non ita in hominibus reperiūtur non sic ad eos, vt ad Deum recurrēdum. Ierem. c. 7. v. 5.

26 Si prætereà scrutari velimus, quid inter diuinam & humanam intersit misericordiā; inueniemus haud dubiè interesse plurimùm. In quinque præcipuè vnam ab altera Gregorius Mastrillus discriminat.

Discrimen quintuplex inter diuinam & humanam misericordiam.

Primò, quòd humana amara sit; quare & nominis etymologiam accommodans, *Misericordia*, inquit, *quasi miserum faciens cor*, secundùm illud Pauli ex commiseratione dicentis: *Quis infirmatur, & ego non infirmor?* diuina verò suauis omninò, secundùm illud Dauidicum: *Quia suauis est misericordia tua.*

2. Cor. c. 11. v. 29.

Psal. 108. v. 21.

Secundò, quòd humana plus habeat affectus, quàm operis & effectus: *Induite*, ait Paulus, *vos sicut electi Dei, sancti, & dilecti, viscera misericordiæ:* diuina verò, tantum effectus, quantum affectus; quoniam quidquid voluerit sine vllo obice & plenitudine potentiæ operatur.

Ad Col. c. 3. v. 12.

Tertiò, quod humana mercedis & retributionis spe impendi soleat, attendendo ad illud: *Beati misericordes; quoniam ipsi misericordiam cōsequentur:* diuina nequaquam. *Deus meus es tu*, dicebat Dauid, *quoniam bonorum meorum non eges.*

Mat. 5. v. 7.

Psal. 15. v. 2.

Quartò, quòd humana subinde sit fallax, & cùm indignis impenditur, mala: sicuti medici bonitas nimia, ægritudinem nō minuit sed auget, vulnus magis exasperat, accedente nimirum ob non adhibitam sat seueram sectionem putrefactione quam sanat: diuina autem semper salubris & vera; secundùm quod scriptum est: *Misericordia & veritas obuiauerunt sibi.*

Psal. 84. v. 11.

Quartò, quòd humana valdè sit exigua, & mirum in modum limitata: diuina omninò magna imò infinita, quam sibi deposcens Dauid dicebat: *Mi-*

Psal. 50. v. 3.

Miserere mei Deus, secundùm magnam misericordiam tuam.

Est ergo quòd Deo ob tantã suam misericordiam, quâ præsto est omnibus, gratias agamus immortales: hac enim viuimus, & si velimus, benè beateque viuimus.

Qui angustis naribus sunt, faciliùs irascuntur.

27 Est is non tantùm *Clemens & misericors* secundùm IONÆ testificationem, atque infallibilem veritatem; sed, vt idem testatur, etiam PATIENS. Textus Hebræus habet; *Latus*, vel, vt vult Mariana, *longus naribus*: Editio vulgata alibi *Tardus ad iram*. Solent enim qui angustis sunt naribus irasci faciliùs; qui laxioribus tardiùs. Deus verò, cùm non, vt homines, ad iram sit pronus; neque, vt illi, ad vindictam festinet, dans in se delinquẽtibus spatium pœnitendi amplissimum, rectè epitheto maximè ei proprio, *Patiens* dicitur, vel, vt LXX. variis locis, pro eo quod nos habemus, *patiens*, transtulerunt *longanimis*.

Dei patientia declaratur.

28 Eius longanimitatem, siue patientiam admirabilem expertus est Orbis vniuersus; quando diluuium, demũ post concessos ei ad resipiscendum à carnis corruptione, quâ infectus erat, annos centum & viginti, induxit. Experti sunt Chananæi, experti Ægyptij, quando illos annis ampliùs sexcentis, hos plus quadringentis sustinuit, antequam iis, quibus deinde castigati meritò sunt, plagis & calamitatibus sineret interire. Hunc etiam in finem, ne quid præproperè agere velle Christus Dominus contra Iudæos, nimium tamen diu diuinæ legis oblitos, videretur; verè patiens redditor: *Implete*, inquit, *mensuram patrum vestrorum:* expectans, si fortè, dùm illa impleatur, adhuc resipiscant, & nequaquam debitis flagellationibus castigentur.

Mat. 23. v. 32.

Dei patiẽtia, patientiâ hominum infinitè maior. Lessius de Perfectio. Diuinis l. 12. c. 20.

29 Certè Dei patientia & longanimitas hominum omnium longanimitatem ac patientiam infinitis interuallis excedit; cùm, vti obseruauit Lessius, eæ quæ ipsi inferuntur iniuriȩ, iniuriis quæ aut inferuntur, aut etiam inferri possunt hominibus sint vlla sine comparatione, quia in infinitum maiores; quas & distinctissimè videt, in eius enim fiunt præsentia; & sentit acerrimè; neque tamẽ cùm vindictam in promptu habeat, eâ vtitur; solâ suâ bonitate & clementiâ nostrorum sustinens amaritudines peccatorum. Et quamuis, vti sunt quàm maximè dispares, ita essent omninò pares, quæ illi à nobis, quæque hominibus ab inuicem inferuntur iniuriæ, nulla profectò aut fuit, aut est, aut futura est vnquam, in illis sustinendis paritas ipsum inter & homines. Quis enim aliquando regum, quantumcumque ab omni virtutum genere commendatus, irrogata sibi damna, aut mala, vel à subditis, vel aliis, si quando de iis se vindicandi & vlciscendi iniuriam potestas suppeteret, tantâ patientiâ & longanimitate sustinuit? Vix quemquam est reperire ab omni antiquitatis memoria, qui post remissam ter quatérue grauem in se offensam, nondũ cessantibus iniuriis, in vindictam non aliquãdo proruperit, omni morâ vlteriori seclusâ. Remisit, quas ei intulimus iniurias, nõ ternis vicibus, aut quaternis; sed centenis, fortè & millenis nobis Deus noster & Dominus; iniurias inquam, quibus tanto inferiores sunt quæcumque nobis à quocumque inferri possunt, vt conferri non valeant ad inuicem; habeantque se sicut minutum vnum ad decem millia talentorum, calculus ad montem, gutta ad Oceanum.

Quàm discrepet patientia Dei à patiẽtia hominum clariùs ostenditur.

Dei patientia in variis rebus ostenditur sigillatim.

30 Dicamus igitur oportet, ingenti cum gratiarum actione: Magna Domine patientia tua super nos; sustines eos qui numquam nouerunt te; sustines etiam eos qui ab infantia nouerunt te, & parum amarunt te; patienter agis cum iis, qui ab initio & deinceps multo tempore grauiùs deliquerunt in te, imò & oderunt te; neque minùs indulgenter agis cum iis qui post accepta à te bona & dona plurima, suis se sceleribus diuulserunt & elongarunt à te. Tu quidem quantum in te est vis non modò vt nemo diffidat, nemo desperet, aut metuat; verùm

rùm etiam sciat, probeque intelligat, esse sibi negotium cum eo qui *Patiens* est. Tantùm nobis vicissim videndum & perspiciendum, quod non minùs etiam desideras, ne tuâ patientiâ, quâ delicta tam multa, tam varia, tam nefanda, quæ patramus quotidie, benignissimè tanto tempore sustines, abutamur; quo benè nobis tecum sit semper.

Deus maximè in nos munificus est & liberalis.

31 Commendat IONAS Deum vlteriùs à multitudine & magnitudine largitatis suæ, dicendo esse eum *multæ miserationis*, alij vertunt *beneficentiæ*, id est benefactorem, vt inquit Rochus Mamerotius, liberalissimum, qui omnes benefaciendi nobis occasiones diligenter obseruet, & inexhaustos bonorum suorum thesauros quotidie profundat, adeoque sit omni tempore ad præstanda beneficia, & quidem sine spe vlla retributionis, copiosissimus; tamquam verè, secundùm quod Paulus ait, *Diues in misericordia:* & quidem tam diues, vt quantumcumque largiatur, numquam tamen depauperetur, aut minus habeat; sed semper æquè diues, æquè semper munificus & liberalis, dare perpetuò amplius & amplius gestiat: existens secundùm eundem Paulum: *Diues in omnes, qui inuocant illum:* ita vt nemo prorsus ab eius beneficentia & miserationibus excludatur, nisi qui ab illis excludi voluerit; adeoque tam sit in largiendo profusus, vt summas æstimet diuitias misereri semper & parcere; intereà misericordię suæ thesauro, quemadmodum diximus, semper inexhausto, imò integro permanente.

Ad Ephes. c.2.v.4.

Ad Rom. c.10.v.12.

Ostendit illam liberalitatē quotidie.

32 Beneficentiæ ipsius quotidiana habemus experimenta notasque certissimas, quando videmus nullâ non luce, quòd *solem suum oriri faciat super bonos & malos: & pluat super iustos & iniustos*, quòd creaturæ omnes in nostro obsequio occupentur semper, etiam Angeli, quos Paulus vocat *administratorios spiritus, in ministerium missos propter eos, qui hereditatem capient salutis.* Adhæc si summum, super cetera quæ liberaliter alteri à quoquam conferri possunt, beneficentiæ genus meritò censeatur, ad illi benefaciendum, asperum aliquid & molestum promptè & libenter sustinere; numquid admirabile quoddam & inauditum beneficentiæ genus illud censebimus, quo factum vt filius Dei vnigenitus carnem nostram assumeret, vt sic nostri causâ, aliàs impassibilis, nihil non pati posset, mori etiam immortalis; vt nobis mortalibus beatam immortalitatē largiretur. Quid? quòd infinitâ & immensâ liberalitate, seipsum toties nobis dedit? Canit Ecclesia, tantorum beneficiorum memor.

Mat. c.5. v. 45.

Ad Heb. c.1.v.14.

Summum liberalitatis genus est seipsum dedisse.

Hymno Laudum festi SS. Sacramenti.

Se nascens dedit socium,
Conuescens in edulium,
Se moriens in pretium,
Se regnans dat in præmium.

Pro eo gratitudo à nobis exigitur.

33 Agamus igitur, & adnitamur, vt parum culta & minimè fertilis animi nostri gleba, in qua plerumque

Infelix lolium, vitiorum scilicet, *& steriles dominantur auenæ*,

Virg. Ecloga 4.

tot beneficiorum à Deo imbribus irrigata, non vltrà sterilescat; sed si non aliud, fructum saltem aliquem insignis gratitudinis ferat; & tam munificum in se bonorum præclarissimorum largitorem, linguâ, & ore, sed multò adhuc magis mente vitaque deprædicet.

Deus maximè clemens est & facilis in ignoscendo.

34 Ad extremum IONAS Deum commendat plurimum, ab eo, quod nobis & optatissimum, & vtilissimum est: videlicet, *quia ignoscit super malitia.* Ioël Propheta eodem sensu ait: *quia præstabilis super malitia.* Malitiam interpretatur Treminius, supplicium seu pœnam scelestis illatam, aut inferendam. Dionysius Carthusianus quod hîc dicitur: *præstabilis super malitia*, explicat: culpam remittit, pœnam relaxat, & sæpè quod comminatus fuerat, vti Niniuitis euenit, nequaquam exequitur, sic vt, si etiam ad percutiendum improbos manum extenderit, eandem, horum perspectâ pœnitentiâ, adducere & reuocare nullatenus reformidet.

35 Neque tamen, quòd tam facilè

igno-

Nouit tamē omnes iniurias sibi illatas exactè. *ignoscat super malitia*, ex eo prouenit quòd hanc ignoret, aut minùs habeat perspectam. Nolite arbitrari, nolite dicere, *Non videbit Dominus, nec intelliget Deus Iacob:* nimis clarum videt, nimis apertos habet oculos, nihil illi occultum, patent illi & manifesta sunt omnia; non eum latent quæcumque toto terrarum orbe geruntur, nouit omnem omniũ perfidiam, attentatam ab aliis religionis euersionem, ab aliis intentatas seruis suis minas, persecutiones, supplicia, coniecta in eos opprobria, scommata, maledicta: nouit quotquot committuntur adulteria; nouit nefandas omnis generis, quæ vbiuis locorum patrãtur, libidines; non eum latent vlla homicidia, quantumuis occulta, non rapinæ, nõ bonorum quæ fiunt direptiones, non oppressiones pauperum; audit omnes impias, blasphemas, sacrilegas voces; percipit verba quæcumque, tam multis vbique maledictis, periuriis, execrationibus cumulata; intelligit omnem legum Ecclesiasticarum violationem; mandatorum suorum contemptum obseruat, & penitissimè conspicit. Cumque hæc, quæ iam recensuimus, & quidquid est rerum aliarum, videat, audiat, & intelligat; atque sapientiæ suæ libellâ trutinet iniuriarum, quod ex illis accipit pondus immensum, eaque ratione non parùm ad vindictam prouocetur; cohibet tamen iram, & vindicem manum mille licet armatã fulminibus, mille instructam suppliciis, in reos nequaquam extendit.

Psal. 93. v. 7.

Prouocat nos Deus vt expetamus liberalitatem ipsius in ignoscendo nobis. 36 Neque tantùm abstinet à vindicta, sed præterea munificus & liberalis, vt antè, beneficia pristina neque intermittit, neque omittit. Insuper, vt ad mentem reuertamur saniorem, & nobis ignosci velimus, ipse prior nos excitat, per publicos veritatis Christianæ præcones, per sacrorum voluminum lectionem, per angelicum ministeriũ, per motiones interiores; ostentatis præmiis, intentatis suppliciis, propositis exemplis, obiectis terroribus, immissis infirmitatibus, inflictis etiam interdum variis aliis, quæ hic experiamur flagellis; vt misericordiæ ipsius fruamur bonis, neque æternum pereamus. Quare meritò hæc grata quadam memoriâ recolentes, & simul vitæ nostræ ordinem tam inordinatum & peruersum, dicere cum Ieremia possumus, & si quo modò grati esse velimus, omninò debemus: *Misericordiæ Domini quia non sumus consumpti.* *Thren. c. 3. v. 22.*

Ostenditur Ionas non benè, alios docendo, seipsum docuisse. 37. Sciens igitur & cogitans IONAS, atque alios etiam docens & monens, quoniã Dominus pro bonitate sua immensa, ipse est *Deus ignoscens super malitia*, nũquid docere saltem, & monere seipsum debuisset, & discere primò quod alios scire cupiebat; proindeque nolle vllo modo Niniuitarum interitum; sed magis salutẽ, atque ita exerceri in illos à Deo, sicut & in omnes alios, misericordiam, non verò iudicium: exoptando non solùm ne pereant; sed etiam vt viuant, educandi nutriendique ad beatam immortalitatem in cælis.

Debemus, Dei exemplo esse mansueti, longanimes, & clementes. Etiam nos hic discamus oportet, Domini exemplo, cùm mansuetudine benignitatem, longanimitatem, clementiã iungere; sic vt offensi nõ offendamus; impetiti alicuius in nos nequiter sæuientis linguâ, calamo, manu, feramus iniuriã, nullo admisso vlciscendi desiderio, nullo vindictæ stimulo ad agendum talionis lege incitati: sed sicut Deus *ignoscentes super malitia.*

Laudatur Deus à Iona, à Patre æterno Christus. 38 Qualem IONAS Propheta hic nobis Deum, talem etiam Patrem suum æternum *Christus* IESVS *mysticus Ionas* deprædicat: *Numquid*, ait, *non hoc est, verbum meum cùm adhuc essem in terra mea; sciui hoc te esse facturum, non ignorabam misericordem, propterea seuerum & truculentum nuntiare nolebam, ideò fugere volui in Tharsis, vacare contemplationi rerum; & in mari istius sæculi quiete potiùs & otio perfrui: dimisi domum meam, reliqui hæreditatẽ meam, egressus sum de sinu tuo, & veni. Si misericordem dicerem atque clementem, & ignoscentem malitiæ, nullus ageret pœnitentiam: si crudelem, & tantùm iudicium nuntiarem, sciebam hoc tuæ non esse naturæ. In hoc ergo ambiguo positus, malui fugere*

Hieron. in c. 4. Ionæ.

fugere potiùs, quàm aut pœnitentes lenitate decipere, aut te prædicare quod non eras. Tolle igitur Domine animam meam, in manus enim tuas commendo spiritum meum: melior mihi est quippe mors, quàm vita. Hæc apud B. Hieronymum, *mysticus Ionas Christus* IESVS.

39 Ab vtroque discamus nunc aliquid; & quidẽ primò à *mystico* IONA, accepta, atque in nos largè collata, quæ enarrauit iam antè in persona ipsius Hieronymus beneficia, cùm multa gratiarum actione agnoscere, & prædicare: à IONA Propheta, ad mysticum illum, clementem, misericordem, patientem, ignoscentem super malitia confugere; atque illius exemplo aliorum etiam misereri, vt nobis benè sit. *Beati* enim, vti docuisse Christum discipulos suos, vobis etiam paullò antè in memoriam reuocaui, *misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Hanc, quia optamus, & mox ampliùs optaturi sumus omnes, quando vel maximè eâ indigebimus, nunc etiam in alios, præcipuè in indigos exerceamus oportet, sicut & mansuetudinem. Ad quam obtinendam quia omninò opus præclarâ, & præclarâ valdè, de propriis affectionibus, subinde instar tigridum & ferarum, nisi fræno rationis, magis autem timoris Domini coërceantur, insanientibus ac tumultuantibus, victoriâ; quisque diuinâ ope imploratâ, strenuè secum ipse pugnet, & continuum sibi contra has bellum indicat & moueat; mansuetudinis & patientiæ Christi, simul & clementiæ exemplo proposito; quo illius imitator effectus, quas hic expertus fuit *misericordias Domini, in æternum cantet* securus in terra viuentium.

Quid ab vtroque Iona discere possimus ostenditur.

Mat. c. 5. v. 7.

LECTIO TERTIA.

ET NVNC DOMINE TOLLE QVÆSO ANIMAM MEAM A ME: QVIA MELIOR EST MIHI MORS QVAM VITA. *Vers. 3.*

ARGVMENTVM.

Factum IONAE, *iam extra mortis discrimen constituti, mortem tamen optantis, cùm aliàs in discrimine ipsam diffugeret, discutitur. Eiusdem pusillanimitas damnatur. Quàm sit meritò idcircò reprehensus à Deo ostenditur. Mortem optare num liceat quæritur. Quando, & quo modo liceat declaratur.*

1 QVOD hoc loco IONAS à Deo Optimo Maximo vehementer efflagitat, communi videlicet lucis huius vsura priuari, atque è mortalis vitæ statione decedere; res videtur non admodum optabilis. Interim hac ipse de causa, cum eo hìc agit, atque eundem affari mihi videtur propè in hunc modum: En ego diuinæ tuæ Maiestati, obitâ fideliter constanterque legatione mihi commissâ, feci iam satis; sed non animo meo, cui tanti expectatione mali turbato concitatoque vehementiùs, nullâ re aliâ, quàm vitæ huius tam calamitosæ exitu satisfacere posse cùm videar, diem quo ille mihi obueniat, quæso, accelera; & citò optatam votis omnibus mortem immitte. Rogo autẽ hoc facere ne tardes; sed NVNC DOMINE TOLLE QVÆSO ANIMAM MEAM A ME: accipiam, si ipsum quod peto mihi præstare dignatus fueris, magni id beneficij loco, atque arbitrabor aduenientem diem vltimam præmium legationis meæ. QVIA MELIOR EST MIHI MORS

Causam cur mori postulet, Ionas insinuat.

QVAM VITA: adeoque quàm res quæuis, quam hîc consequi possim. Cùm enim hactenus, nullum tam acerbo animi mei dolori, & quam sentio tantoperè, nominis mei iacturæ remediũ attuleris, video vnicum mihi fore in morte solatium, & hanc idcircò opto medullitus, atque à te, qui vitæ necísque es dominus, quoniam eam mihi ipse consciscere non possum, vehementer efflagito.

Cur Ionas post recensitas Dei laudes suũ de morte desiderium exponat.

2 Quòd immediatè post multa in Dei laudem recensita sapienter, post fusas ad eum preces IONAS mortis meminerit, videtur ipse ad hanc quam tam appetebat instanter, comparare se eâ ratione aliquatenus, antequam obueniret, ne fors imparatum offenderet, voluisse. Rectè autem, non ex mea tantùm, sed etiam Tertulliani scriptoris antiquissimi mente, quando eum diutius agere inter mortales tædebat, præmisit postulationi suæ optimi Dei titulum, super malos patientissimi, abundãtissimi misericordię & miserationis super agnoscentes & deplangentes delicta sua; futurum ex hac tanta eius bonitate, patientia, & misericordia arbitratus, vt si sibi pro voto mors obueniat, transitus per eam ex orbe hoc in alterum, difficilis aliàs & molestus, iucundus accidat; quem nimirum sit consecutura, numquam deinceps terminanda felicitas. Et hic modus est, quo se Sancti extremæ ægritudinis tempore solari consueuerunt, tamquam hîc exules, mox in patria futuri bonis omnibus diuites; quibus ibidem fruantur, numquam destituendi, numquam ampliùs spoliandi.

Tertull. lib. 1. contra Marcionem.

Declaratur quomodo Ionas aliàs mortem deprecatus, eam nunc appetat.

3 Mirabimini forsitan nostri Prophetæ tantã & tam mirabilem inconstantiam. Anteà voratus à ceto, atque in eius ventre latitans, morti quàm vitæ propinquior, petiit votis supplicibus, & obsecrauit Deum, viuere sibi diutius, esseque incolumi vt liceret: *Subleuabis*, inquit, *de corruptione vitam meam:* nunc verò longè aliter, tamquam si nimium diu vixerit, hac mortalitate defungi cupiens, atque ipsum à Deo postulans ait: *Tolle quæso animam meam à me.* Verùm minùs mirabimini, si perpenderitis, alia fuisse & alia tempora, rationes etiam alias, quibus tum cùm moriturus videretur, viueret & nunc cũ diutius victurus erat, mori cupidus mouebatur. Certè quòd rebellis & profugus, deductus in ceti ventrem, ibique detentus captiuus, carceris illius tenebrosi, & grauè olentis molestias sentiens, deprecetur, quam merito prospicere videbatur, imminentem sibi mortem, nec satis honestam, nec tutam futuram nisi à pœnitentia; facit reorum more, supplicium deprecantiũ, prorsus sapienter: maximè non omninò certus, an satis diluto rebellionis crimine, quod se admisisse certò nouerat, cùm ad æterni Iudicis sisteretur tribunal, nihil vltrà pro eo esset grauiùs exoluendũ, nihil æternis piandũ suppliciis. Quòd verò, functus imperatâ sibi legatione, præmium aliquod impensæ operæ & laboris sui expectet, hic mori ardentiùs cupit & flagitat; nequaquam, vt antè, de sua salute sollicitus, quam non abs re longè magis tutam esse & securam poterat opinari. Accedebat, quòd tolerandam sibi ignominiam minùs veridici vatis, cum sua, Deique, vt ipse interpretabatur, iniuria minimè existimaret.

Ionæ c. 2. v. 7.

c. 3. v. 3.

An optare Ionas mortem potuerit, quæritur.

4 Verum mortem à Deo postulando rectène fecerit & sapienter, an secùs, disquirendum nobis nunc est: & inprimis quod de hac re auctores grauissimi sentiunt proponendum.

Sententia R. Aben-Ezra, id eum ex caritate fecisse.

Rabbi Aben-Ezra, celebris inter suos, fecisse optimè, fecisse sapientissimè opinatur: motum quippe eximiâ in populum suum caritate, vbi vidit Israëlem ita esse à probitate, bonis moribus, virtute, & quod hæc omnia restituere potuisset, pœnitentia alienum, ait veritum IONAM ne quid illi sinistri accideret, & statutam decretamque Niniuitis pœnam, à qua hi iam erant immunes, ipse incurreret; confectum mœrore, delegisse mori potiùs, quàm adeò dilectum sibi populum videre tantis calamitatibus obru-

obrutum, & cum illo perpetuò lugere.

Aliorum sententia fecisse ex fide & fortitudine.

5 Alij non secus ac Rabbinus hic, IONAM quoque rectè fecisse autumāt, sed alio ex capite: nam eius, quod hîc legimus, moriendi desiderium fidei & fortitudini tribuunt: tamquam si mortem non modò non timuerit, sed exspectarit etiā intrepidè, imo eandem idcircò optarit, postularit. Ferè sicuti facere solent ij, qui benè sibi conscij, præteritorum suorum laborum vnà cum morte mercedem expectant; secundùm illud Gregorij (locum illum Lucæ, *Cùm venerit & pulsauerit, confestim aperiant ei*, interpretantis.) *Qui de sua spe & operatione securus est, pulsanti confestim aperit; quia latus iudicem sustinet, & cū tēpus propinquæ mortis aduenerit, de gloria retributionis hilarescit.* Aut sicuti faciūt Martyres coronę auidi, fecitque inter ceteros S. Ignatius Antiochenus, qui ad Tarsenses scribēs satis ostendit quā anhelaret ad palmā martyrij his verbis: *Nihili pendo supplicia, neque tanti facio vitam meam, vt eam plus amem quàm Dominum. Quare paratum me offero igni, feris, gladiis, cruci, dummodò Christum videam saluatorem & Deum meum, qui propter me mortuus est.* Et scribens ad Romanos: *Obsecro vos, ne intempestiuâ beneuolentiâ me complectamini. Sinite me ferarum escam fieri, per quas licebit Deum adipisci, frumentum sum Dei, dentibus ferarum molar, vt mundus panis Dei inueniar.* Atque ex eodem zelo sunt illa quæ habet hac ipsa epistola paullò pòst: *Ignes, crux, ferarum concursus, sectiones, laniena, ossium discerptiones, membrorum concisiones, totius corporis solutio, diaboli tormenta in me veniant, tantummodo vt* IESVM *nanciscar.* En quo Ignatius vitæ melioris, adipiscendæ licet per tam acerbum martyrium, desiderio flagrarit. Simili fortè flagrasse IONAM etiam illi putant. Verùm, an tantoperè, vti vidimus, expetita à IONA mors fuerit in eo actus fortitudinis, an potiùs infirmi atque imbellis animi, mox aperiam.

Lucæ 12. v. 36. Gregor. hom. 13. in Euāgelia.

Alberti magni sententia ex fide, fortitudine, honestate fecisse.

6 Albertus Magnus postulationem hanc illius ita laudat, vt in ea non tantùm fidei ac fortitudinis sed simul etiam honestatis habitā ab eodē censeat rationē. Ait enim. *Virtuoso & honestatis amico multò tolerabilius est mori, quā labem pati in virtute*, de IONA hic loquens; atque in huius suæ confirmationem sententiæ, adducit illud Eleazari, nolentis in esum porcinæ carnis etiam clanculum consentire, proindeque dicentis: *Fortiter vitâ excedendo, senectute quidem dignus apparebo: adolescentibus autem exemplum forte relinquam, si prompto animo, ac fortiter pro grauissimis ac sanctissimis legibus honestâ morte perfungar.*

2. Machab. c. 6. v. 28.

Alij intentionem Ionæ laudāt, non modū agendi.

7 Sunt etiam nonnulli, qui mortis quidem desiderium in IONA nostro commendant, atque intentionem laudant, importunitatem tamen illius in hac petitione damnant. Aiunt enim, rem non per se malam petiuisse; sed modo indebito: videlicet ex perturbatione animi vehementiore, neque eâ moderatione, religione ac reuerentiâ, quæ agentem cum Deo Prophetam decebat, dicendo tacitè ei sua liberiùs in hunc ferè modum: Tu Domine viuentibus, tu mortuis dominaris, tu vitæ & morti, tu animis & corporibus imperas; impera igitur etiam animæ meæ, & iube vt quamprimum ex his vinculis, ex hoc ergastulo corporis, in Abrahæ sinum læta abeat; vbi secura à laboribus, & molestiis, atque inprimis à tanto hoc tædio, quo non modicè crucior, conquiescat: *Tolle quæso animam meam à me*; atque id facere ne cuncteris; nam ob rerum nonnullarum, quæ mihi continuò deuoranda sunt, tædia, nimium me vitæ meæ tædet pigetque.

S. Tobias cū resignatione mori postulat.

Tob. c. 3. v. 6.

8 Sanctus quidem Tobias ob multitudinem improperiorum quæ à coniuge & consanguineis perpessus fuerat, cùm vitam haberet in tædio, clamauit quoque ad Dominum: *Præcipe in pace recipi spiritum meum: expedit enim mihi mori magis quàm viuere*, sed non vt IONAS; quia hoc dumtaxat petiit, in quantum diuinæ foret consonum voluntati, adiiciendo idcircò peti-

petitioni suæ verba hæc: *Domine secundùm voluntatem tuam fac mecum.* Quare neque peccauit, neque Deum hoc postulando offendit.

Postulat etiam idipsum Elias, sed non eo modo.

3. Reg. c. 19. v. 4.

9 Postulauit etiam Elias idipsum, quando fugiens persequentem se Iezabelem sedens subter vnam iuniperum dixit: *Sufficit mihi Domine, tolle animam meam: neque enim melior sum quàm patres mei.* Scilicet afficiebatur & ille tædio, ob mala quæ sibi intentari à Iezabele non ignorabat: sed quia non tantâ coniunctione voluntatis suæ cum diuina hoc postulauit, non placuit Domino postulatio, licet facta mente bonâ fineque optimo; vt nimirum suis perfunctus laboribus, simul etiam defungeretur periculis, & pseudoprophetis gladio iam peremptis, ipse sinu Abrahæ placidè conquiesceret.

Si displicuit Deo Eliæ desiderium, multò magis ei displicere IONÆ importuna postulatio debuit: de Dei voluntate & gloria parum, de sua plus satis solliciti; quando actus vehementiori ambitionis æstu, tolerandã mortem putans, & non tolerãdam, quam sibi fingebat, pro animarum salute iniuriam, petit mori potiùs, quàm mendax videri.

Desideriũ mortis in Iona ex pusillanimitate prouenit.

10 Sensum motionesque animi IONÆ nonnulli rimantes profundiùs, pusillanimitatem illi mortem tantoperè optandi causam dedisse crediderunt; & quantum mihi quidem videtur, non malè. Negat id scio Theophylactus, & à pusillanimitate eum purgare contendit, sed frustrà: verissimum est enim, quod ait Theodoretus, & insinuaui ego iam antè, vitâ defungi maluisse, quàm cùm ignominia viuere, veritum ne mendax haberetur; quod non est excelsi animi, sed prorsus humilis atque abiecti. Rem certè tantillam, tametsi cum propria aliqua, quod tamen non erat futurum, coniunctam infamia æquo animo ferre non posse, non est viri magni alta sapientis; huic, si verè fortis dici ac esse cupit, longè plura & maiora absorbenda sunt, ad exercendam, commendandam, probandamque aliis fortitudinem suam. Benè proinde IONAS, hoc malum parum generosè sibi imprecatus, à Domino arguitur; & tam degeneris animi atque ignauæ mentis nequaquam damnatur immeritò; audiens ab eo, cum aliquo, vt plures volunt, improperio: PVTASNE BENE IRASCERIS TV?

Mori velle, ob aliquid quod ferendum est incommodi, est hominis pusillanimis.

Ionas, adhuc praeoccupatus passione, nõ videtur satis errorem suum agnoscere.

11 Sed nescio satisne hoc iustum, siue improperium, siue monitum agnoscat & credat, cuius necdum omninò capax videtur; constitutus sicuti solent ij, in quibus adhuc primus affectionum impetus durat, neque potior ille malarum cupiditatum æstus satis deferbuit: proindeque aut parum, aut nihil omninò de proprio sensu remittunt. Profectò aliud sibi, quantum quidem apparet, persuadere non potest, quàm quòd benè, quòd iustè, quòd laudabiliter, mortem tamquam vitâ meliorem exoptet, expetat, flagitet: sicuti etiam quemadmodum mox videbimus, quòd benè iusteque irascatur, quòd meritò indignetur.

Ostenduntur signa viua adhuc passionu in Iona.

12 Hoc sanè, nisi prorsus sibi haberet persuasum, non tam audacter diceret: *Melior est mihi mors quàm vita.* Scimus enim quàm optent mortales omnes Mathusalemi ætatem, quàm sperent æuum Nestoris, nisi aliud aliquid ab animi inquietudine potiùs, quàm ab inclinatione naturæ accesserit, quo mortem vitâ sibi meliorem arbitrentur. Mortem igitur IONAS hoc loco, cum vita sua tam tristi, inquieta, atque, vti sibi fingebat, miseriarum & infelicitatis plena, prorsus componit; cuiusmodi vitam ferè quotidianam mortem censere consueuimus, iuxta illud Senecæ:

Viuere in continuus miserius, est quasi perpetuò mori.

Seneca in Herc. Oeteo Choro 1.

——— *Mortis habet vices*
Lentè cùm trahitur vita gementibus.

Et Ouidij cùm dicit:

Viuere me dices, sed sic vt viuere nolim
Nec mala, tam longâ nostra leuata morâ.

Ouid. lib. 3. Trist. Ele. 7.

Alibi verò

Viuere non potui, da mihi posse mori.

Ouid. l. 2. de Arte.

Ad IONAM quod attinet tantumdem est, ac si dicat clarè & manifestè: In tantis viuens ærumnis quotidie morior, & numquam emorior; vnâ vice mori malo, & simul emori potiùs, quàm sic viuere, & quotidie in illis meis quas patior miseriis, quasi cum continuis mortis doloribus luctari; idque quia, vti nunc me affectum sentio, *Melior est mihi mors quàm vita.*

Rectè cecinit Cornelius Gallus.

Cor. Gallus Elegia 1.

Dulce mori miseris, sed mors optata recedit,
Est omni peius funere, velle mori,
Et non posse tamen.

Quare hominibus, potissimùm reprobis, in malorum cumulum obueniet in nouissimo die quod ait in sua Apocalypsi Ioannes: *Quærent homines mortem, & non inuenient eam: & desiderabunt mori, & fugiet mors ab eis.* Apoc. c. 9. v. 6.

Duplex hominum genus mori cupientiũ describitur.

13 Nunc verò duplex ferè est hominum genus mori magis quàm viuere cupientium; vnum eorum, qui cognitis miseriis vitæ huius, alterius verò æternâ felicitate, ad illam suspirant, illam expetunt, timentes ne ex ęrumnis præsentibus in aliquod impatientiæ crimen labantur, & coronam, pro qua diu certarunt, amittant: præsertim cùm non ignorent, quemadmodum etiam notauit Petrus Blesensis, quòd *licet bonum sit benè viuere, tamen longè melius sit benè mori.* Petrus Blesensis in c. 40. Iob.

Alterum est eorum, qui cùm nec initium, nec finẽ videant impendentium sibi malorum, proindeque nullum sperent, nisi cum morte, & à morte subsidium, eam animi quadam impotentiâ totis optant affectibus, ad eam totis suspirant præcordiis. Sed non rectè, cùm enim esse debeant malis omnibus superiores, iis turpiter cedũt contra illud Poëtæ Ethnici monitum.

Virg. lib. 6. Æneid.

Tu ne cede malis: sed contra audentior ito.

Ionas debuisset se vincere, nec ob luctum quo cruciabatur, mori velle.

14 Quod certè, si quem alium, Prophetam Domini facere decuisset, neque vllum dare importuno & intempestiuo mœrori locum: sed sicuti de Niniuitis iam victor euaserat; ita de se, nimium, nec satis ex iusta causa, lugente, nobilem referre victoriam, omni animi molestiâ superatâ. Cogitasset, sibi vt ampliùs imperaret, deberi pœnarum aliquid rebellioni suæ ac fugæ, illique hanc afflictionem tribuisset: sed nec tantillum à se impetrare mœstus animus potuisse videtur, vni mortis desiderio intentus. Quare, sicuti illi in votis erat mori posse; ita illud in mente, illud in ore, esse sibi mortem vitâ meliorem.

Ionas non moritur, cùm mori cupit.

15 Verùm non auditur sic querulus IONAS, neque cùm vult moritur: *Mors enim suo graditur pede,* vti Philippus Bonæ spei Abbas sæpè à nobis citatus loquitur, *& sicuti felicium voluntatibus non applaudit; sic infelicium vota querula non exaudit: sed tam illis, quàm istis inuenitur grauiùs importuna, dum indiscreto iudicio negat omnibus importuna. Nam sicut cæca, sic & surda est. Quæ enim in tabernaculis felicium odiosa frequentiùs conuersatur, fastu quodam vel negligentiâ miserorum præsentiam auersatur, & eorum clamor vix huius auribus innotescit; sed ad eum audiendum durius & seuerius obsurdescit.* Hæc ille. Philippus Abbas de silentio Clericorũ c. 83.

Frustrà quis mortẽ optat, quæ suo tẽpore siue optata, siue non optata aduenier.

16 Frustrà quis igitur humanarum rerum tædio mortem implorat, quæ suo tempore, serò citò, etiam non aduocata, non desiderata adueniet. Nam

Horat lib. 3. Car. Ode 2.

— Et fugacem persequitur virum,
Nec parcit imbellis iuuentæ
Poplitibus, timidoq; tergo.

Ibidem.

Nec quia aduocatur citiùs veniet: verissimum enim est, quod ait idem Philippus Abbas: *Afflictus quisque non pro voto eam citiùs experitur, & cùm ille huius morâ vel absentiâ contabescit; ista illi misero non præsens, non exaudiens acquiescit.* Quid igitur agit illa sæua & inexplebilis bellua? ita ab Emisseno vocatur. Respondet Philippus Abbas: *Apud se pœnale iudicium hoc decreuit; &, si diligentiùs perpendatis, hoc decretum tenere consueuit, vt non compatiendi affectu quorumcumque voluntatibus se addicat, sed vt auersione cæcâ & surdâ eis libentiùs & frequentiùs con-*

Euseb. hom. 2. de Pascha. Philippus Abbas vbi suprà.

contradicat. Et in hoc quod suum est agere se perpendit, dum scilicet explere voluntatem quorumlibet non intendit, eorumq́; votis & precibus propitia non assistit; sed victrici sæuitiâ gaudens obuiat & resistit.

Mors importunè non petenda, & cùm aduenerit, non molestè ferenda.

17. Procul igitur à morte importunius atque impatientiùs imploranda vestrûm omnium mens sit; procul ab ea, quod frustrà ageretur, vbi non vocata aduenerit, repellenda. Caret enim, sic fingitur, sic pingitur, auribus ne precantes obaudiat; caret oculis, ne lugentium miseratione moueatur; caret fronte ac genis, ne sæuitiam ipsa suam erubescat; caret linguâ ac labiis, ne solatiolum aliquod vocale ab illa expectemus; caret carne, vt humanitatis sensu careat. Soli nerui, & artus, & musculi, sola ossa supersunt; arcus videlicet & sagittæ, spicula & ramenta, ad miseros mortales feriendos. Quare suo tempore

Mors omnes inuadit, parcit nemini.

Horat. lib. 1. Car. Ode 4.

——*Aequo pulsat pede, pauperum tabernas*
Regumq́; turres. ——

neque quemquam esse patitur ab arcu suo & sagittis immunem; omnes & singulos, nulli parcens, è vitæ colliculo in mare præcipitat æternitatis, estque vt loquitur Bernardus, *senibus in ianuis, adolescentibus in insidiis*. Vobis etiam imminet, vos inueniet, seu iuuenes seu senes, vos feriet, & in mare æternitatis cum aliis præcipitabit, vtinam paratos.

Bern. de Conuersione ad Clericos c. 14.

Viuendum inter miserias vitæ cum patientia, cum promptitudine ad mortem & vitam vlteriorem vti Deo placuerit.

18 Interim dum moratur, & eam omni horâ tamquam venturam expectatis, præ Iona sapite, aduersa præ illo æquanimiter tolerate; neque vos mœstis doloribus atteri & consumi patiamini: sed, si quid præter spem, præter opinionem sinistri acciderit, illius hoc prouidentiæ adscribite, cuius nutibus omnia vitæ nostræ momenta decurrunt. Sic verò agite in hoc exilio, vt si quando mors ab eo ad patriam vos euocatura aduenerit, dixeritque vocem illam suam fatalem, *Moriendum est*: dicere vos vicissim amicis vestris, quos relicturi estis superstites, possitis, quod ferunt dixisse suis aliquando B. Ambrosium Mediolanēsium Antistitem iam moriturum: *Non sic vixi, vt pudeat me inter vos viuere; sed nec mori timeo, quia bonum Dominum habemus.*

An mortē optare & petere liceat, & quâ ratione?

19 Questus sum paullò antè de Iona, & cum argui mori desiderantem & postulantē, numquamne igitur optare mortē licebit? Licebit omnino: verùm ex mœrore, tædio, impatientia nequaquam; ex cęlestium bonorum & patriæ supernæ desiderio quàm maximè. Vnde dixit rectè S. Augustinus: *Sunt homines, qui cum patientia moriuntur; & sunt quidam perfecti, qui cum patiētia viuunt.* Cum patientia moriuntur, qui non moriuntur libenter; cum patientia viuunt, qui mori mallent quàm viuere. Anhelarunt ad mortem, optarunt eam cum laude & merito Sancti, non vt præsentis vitæ terminum; sed vt melioris initium, in qua scilicet Deo pleniùs, meliùs, securiùs viuerent.

August. epist. 10.

Sancti optarunt mortem ob meliorem vitā, quam sperabant à morte.

20. Audite quàm super vita hîc quàm vellet longiore, diuturnioreque suo exilio, ingemat Dauid: *Heu mihi*, inquit, *quia incolatus meus prolongatus est*. Et alibi, ad illius finem aspirans, exclamat: *Quando veniam, & apparebo ante faciem Dei.* Paulus verò Philippensibus scribens, satis quid de hoc sentiat exponit, dicendo tamquam si sit ipse aliquis è remigum numero ad triremes damnatorum: *Desiderium habens dissolui, & esse cum Christo.* Horum Sanctorum voluntates sanctaque desideria expendens Philippus Abbas. *Huius morbi*, inquit, *quo Propheta & Apostolus ægrotabant, cùm scilicet ingratum præsentis vitæ dispendium tolerabant, nullum conuenientius remedium, quàm mortem corporis æstimabant, cuius absentiam genus mortis non immeritò reputabant. Etsi enim eos nondum mors adueniens absoluebat: sed tenaci connexione corpus adhuc animam obuoluebat, genus tamen esse mortis ipsa absolutionis dilatio videbatur, cùm plerumque nihil grauius quàm viuere contra libitum habeatur.*

Psal. 119. v. 5.
Psal. 41. v. 3.
Ad Phil. c. 1. v. 23.
Phil. Abbas c. 83. vbi sup.

Paulus non ita optabat mori, quin paratus esset pro Dei gloria amplius laborare.

21 Morbo tamen illo desiderij vitæ melioris, si is morbus vocandus est, non ita laborabat Apostolus, vt (quãuis peteret dissolui & esse cum Christo, nihilque magis illi futurum esset iucundum, optatum, acceptum, quàm posse præsentibus periculis, incommodis, molestiisque defungi) detrectaret idcircò vlteriùs pro Philippensium, quibus scribebat, aut aliorum quorumcumque salute, se totũ quàm maximè, quàm diligentissimè, quàm diutissimè, si id diuinæ placitum esset Maiestati, generosè impendere.

S Martinus similiter.

Sic B. Martinum Turonensem Episcopum morti proximum, ad eamque velut ad introitum liberũ, atque apertam in æternam requiem ianuam vehementer anhelantem, nihilominùs in hoc, propriis tantisper, licet piis & sanctis cedentem desideriis, dixisse nouimus: *Domine si adhuc populo tuo sum necessarius non recuso laborem*; adeò non detrectabat, etiam cum graui sua molestia, diutius viuere; dummodò aliis vitæ suæ, exilij inquam huius, prolongatione prodesset.

Sulpitius in Epistola de trãsitu Martini.

Carere cælo velle ad tempus, pro maiore Dei gloria perfectionis est.

22 Perfectionis illud est, magno amore ferri in patriam, illamque optare vehementer; interim tamen eãdem etiam ad tempus pro maiore Dei gloria, & proximorum salute carere velle, atque illis cælitum gaudiis tantisper destitui. Ceterùm sicuti optarunt Sancti liberi ab hac mortalitate gaudere beatâ immortalitate in cælis, ibique Deo suo perfrui; ita si quis idipsum desiderat, bonum & sanctum opus desiderat. Certum est enim, quòd illi cùm hoc optarent sciebant, & nos scimus, quia melius est mori in Christo, quàm viuere in carne.

Climachus Gradu 6.

Dictum est beati Ioannis Climachi: *Probatus ille est, qui mortem diebus singulis expectat: sed ille sanè sanctus, qui hanc singulis horis desiderat.* Ex quo apparet quâ ipse mente fuerit; & hîc ab eo docemur, quâ nos esse debeamus; videlicet mortem optantes & postulantes magis, quàm eam metuentes; atque hoc ad imitationem Sanctorum fine bono, causâ iustâ, debito modo & ordine congruo.

Exempla plurium ss. qui mortem optarunt cæli desiderio.

23 Sic fecit, ille tam Deo carus, & inter Apostolos præ ceteris dilectus Christo Domino Ioannes. Hic namque iam ætate decrepitâ, grauis annis & meritis; quippe peractâ benè longâ ferè centum annorum peregrinatione, anhelus ad patriam, & Christum videre desiderans, sub finem suæ Apocalypseos ait: *Veni Domine* IESV.

Apoc. 22. v. 17.

S. Hieron. in vitâ Pauli I. Eremitæ.

Sic Paulus Antonio ad se venienti dixit: *Olim te conseruum meum mihi promiserat Dominus. Sed quia iam dormitionis tempus aduenit, & (quod semper cupiebam dissolui & esse cum Christo) peracto cursu, superest mihi corona iustitiæ; tu missus es à Domino, qui huma corpusculum tegas, imò terram terræ reddas.*

S. Gregor. Naz. in Ora. Funebri Basilij.

D. Basilius minanti sibi mortem Præfecto Valentis Imperatoris respondit: *Mors beneficij mihi loco erit: citiùs enim me ad Deum transmittet cui viuo, & munere meo fungor, maximaq; ex parte mortem obij, & ad quem iam pridem propero.* Ex quo apparet quàm morti posthaberet vitam, nullis, de ea sibi adimenda, quantumuis grauibus & acerbis minis perterritus.

Aug. in Soliloquiis animæ ad Deum c. 1. Tom. 9.

Augustinus similiter, accensus melioris vitæ, quã sit hæc caduca & mortalis, desiderio, exclamat ad Deum in Soliloquiis: *Concupiscit & deficit anima mea de memoria tua, quando veniam, & apparebo tibi letitia mea? cur faciem tuam abscondis? Fortè dicis non videbit me homo & viuet? Eia Domine, moriar vt te videam; videam vt hîc moriar. Nolo viuere, volo mori: dissolui cupio & esse cum Christo. Mori desidero, vt videam Christum; viuere renuo, vt viuam cum Christo. O Domine* IESV, *accipe spiritum meum: vita mea, suscipe animam meam.*

Greg. lib. 4. Dial. c. 11.

Gregorius Magnus narrat Vrsinum Presbyterum morbi tempore visis cælestibus recreatum exclamasse sæpiùs: *Venio, venio, gratias ago*; innuendo sic desiderium quod habebat, vt esset cum iis, quos è cælitibus præsentes spectabat, ipsoque cum cælitum Rege.

24 No-

Suspiria B. Petri Damiani ad cælum. 24 Nota sunt passim omnibus B. Petri Damiani olim Cardinalis & Episcopi Ostiensis viri integerrimi atque sanctissimi, feruentia hæc Dei cælique amore suspiria, & ad beatam patriam vota:

Ad perennis vitæ fontem
Mens sitiuit arida;
Claustra carnis præsto frangi,
Clausa quærit anima;
Gliscit, ambit, eluctatur,
Exul frui patriâ.

Desideriũ S. Bernardi. Bernardus in Iubilo. Et S. Bernardi, non multò posterioris ætate, voces æquè calidæ & feruentes, dicentis:

Desidero te millies,
Mi Iesv *quando venies,*
Me lætum quando facies,
Me de te quando saties.

B. quoque Catharinam Adornam Genuensem præ amore dilecti sui, captam mortis desiderio, eam sæpè vt pulcherrimam, vt speciosissimã commendasse & laudasse accepimus: vnicum id in ea damnando, quòd se quærentes fugeret, & quæreret fugientes.

Recensentur multi cũ magno gaudio mortui. Beda in vita S. Burgundoforæ. 25 Quid dicemus de tã multis à quibus omnis abcessit in morte mœror, successit lætitia: numquid his vel maximè in desiderio, votoque mors fuit? numquid hi intellexerunt abundè, quia melior sibi mors esset quàm vita. Talis Quisilinda Virgo monialis, quã refert Beda morientem cœpisse orationes dulci modulamine canere. Talis B. Elizabeth, quæ vt habet Surius in vita, etiam moriens concinebat. Talis S. Maria Oegniacensis, quæ imminente morte, occinens alleluia, totam noctem traducebat in iubilo. Talis Maria Gabriela, auia B. Francisci Borgiæ IV. Gandię Ducis, quę vidua Ioannis II. Ducis ad Diuæ Claræ facta religiosa, cùm per se ipsa destituta viribus canere non posset, rogauit moriens, vt simul ac exspirasset à virginibus cantaretur, *Te Deum laudamus*, cum gratiarum actione, quòd aliquando Dei benignitate velut vinculis libera emigrasset.

Surius 19. Nouemb. Idem 23. Iun. Scottus in vita Borgiæ lib. 1. c. 6.

26 Neque desunt etiam in hoc genere virorum sanctitate illustrium exempla.

Conradus Germanus Ordinis Prædicatorum moriens, magnâ voce intonuit: *Cantate Domino canticum nouum*, & ore hilari serenâque fronte Deo spiritum reddidit. Surius 24. Nouemb.

Electus adolescentulus Ordinis Minorum, in ipso mortis articulo, ter & voce semper maiore cantauit: *Ascendo ad Patrem meum.* Petrus Rodulphus hist. Seraphicæ lib. 1.

Michaël Ordinis Iesuatorum aduenienie mortis horâ, pro viribus cecinit, nec priùs à cantu quàm à vita destitit. Taceo alios complures, qui morientes cordis gaudium pluribus canticis, iisque suauissimis, indicarunt. Morigerus in vitâ B. Columbini.

27 Mirum est, & inauditum, quod narrat Ieremias Drexelius, Ludouicum Cortusium Iurisconsultum Patauinum lamentationes & lacrymas testamento suo omnibus interdixisse, voluisseque adesse ad funus aulædos, citharœdos, & omnis generis musicos, qui vnà cum candidato clero funeris pompam partim præirent numero quinquaginta, partim sequerentur, & singulos dimidium aureum accipere. Sed & feretrum suum portari à duodecim innuptis puellis, quæ viridi veste indutæ, altâ voce cantarent, quidquid lætitia suggereret, iis certâ pecuniâ dotis loco destinatâ. Quo hic impulsu ad ea moueretur incertum; hoc saltem certum videtur, ipsum mortem suam quàm maximè in votis habuisse, quam tantâ festiuitate & gaudio ab omnibus excipi iussit. Factum id anno millesimo quadringentesimo decimo octauo, hoc enim est mortuus, die Iulij decima septima S. Alexio sacrâ, sepultusque in templo S. Sophiæ Pataiuij, centum funalibus dum efferretur stipatus, præeunte omni Clero, & totius vrbis monachis, iis tantùm exclusis, qui nigri habitus essent; hos enim testamento à suo funere amouit, ne hilaritatem publicam atris cucullis funestarent, quod satis lepidum & ridiculum videtur.

Ludouicus Cortusius cum omni solemnitate & gaudio se tumulari mandat. Drexelius Prodromi c. 1. §. 15.

28 Ad

Cyprianus libellum de non timenda morte, inscriptum de mortalitate, vulgauit.

28 Ad præsentem de mortis desiderio materiam quod attinet, eam pertractauit egregiè S. Cyprianus Carthaginensis Antistes nobilis Orator & inclytus Martyr; edito, cùm tota Africâ spatio annorum quindecim fœdè grassaretur lues, eaque neque intermitteret, neque quidquam remitteret, eleganti libello, quo non timendam, sed optandam mortem, grauissimis rationibus commonstrauit. Inter cetera verò illo contēta, quibus pręclarè se & suos ad mortem animat, atque ad eandem sine metu, magis autem cum gaudio præstolandam hortatur, hæc habet: *Amplectamur diem, qui assignat singulos domicilio suo, qui nos illinc ereptos, & laqueis secularibus exolutos, paradiso restituit & regno cælesti. Quis non peregrè constitutus properaret in patriam regredi? Quis non ad suos nauigare festinans, ventum prosperum cupidus optaret, vt velociter caros liceret amplecti? Patriam nostram paradisum computamus, parentes Patriarchas habere iam cœpimus, quid non properamus & currimus, vt patriam nostram videre, & parentes salutare possimus? Magnus illic nos carorum numerus expectat, parentum, fratrum, filiorum, frequens nos & copiosa turba desiderat, iam de sua immortalitate secura & adhuc de nostra salute sollicita. Ad horum aspectum & complexum venire quanta & illis & nobis in communi lætitia est.*

Causa cur non timenda, sed optanda mors à S. Cypriano assignantur.
Cypr. lib. de Mortalitate.

Adhortatio eiusdē pro optanda morte.

Et post pauca subiungit: *Ad hos, Fratres dilectissimi, auidâ cupiditate properemus, vt cum his citò esse, vt citò ad Christum venire contingat, optemus. Hanc cogitationem nostram Deus videat, hoc propositum mentis & fidei Dominus Christus aspiciat, daturus eis gloriæ suæ ampliora præmia, quorum erga se maiora fuerint desideria.* En quàm S. Cyprianus mortis desiderium commendet, quàm ipsam desiderantibus ampla præmia polliceatur.

Causa cur mortem formidemus à S. Chrysostomo allata.

29 Ipsum etiam non minùs nobis commendat Chrysostomus: & datâ ratione cur à nonnullis minùs appetatur, ob metum nimirum atque formidinem, tres quoque illius causas assignat, quibus sublatis, non sit quod quis mortem ampliùs metuat; sed vehementiùs etiam atque instantiùs optet & flagitet. Prima, secundùm illum causa formidinis est: *Quòd non vulneret nos*, ita loquitur, *regni amor, non nos futurorum amor accendat. Adhæc*, inquit, quæ secunda est causa, ab eodem assignata, *non timemus gehennam, propterea mortem timemus; supplicij intolerabilem grauitatem non nouimus, proptereà pro peccato mortem timemus. Quòd si ille animam nostram timor occupasset, iste subrepere non potuisset.* Tertiam denique tradit: *Quòd non viuamus cum diligentia, non habeamus conscientiam puram.* Pharmaca igitur optima, & medicina certissima, secundùm ipsum, contra mortis timorem, erunt amor futurorum bonorum, gehennæ timor, mens pura, secura conscientia: vno verbo, sic vixisse & viuere, vt securè dicere liceat, atque etiam placeat illud Pauli: *Cupio dissolui & esse cum Christo.* Quod nemo nisi rectè viuendo assequetur.

Chrysost. hom. 5. ad Populum, Tom. 5.

Ad Phil. c. 1. v. 23.

30 Benè dixit S. Bernardus: *Dum viuis in carne, morere mundo; vt post mortem carnis, Deo viuere incipias. Quid enim si conciderit mors saccum corporis tui, dum te subinde circumdet lætitia?* En quàm doceat Bernardus artem rectè & viuendi, & moriendi; & quidem moriendi hilariter, ob maiorem lætitiam, quæ paullò post mortem excipiet. Subiungit deinde plura de mortuorum felicitate, nonnulla illorum ex sacris Litteris mutuatus hoc modo: *O quàm beati mortui, qui in Domino moriuntur, audientes à spiritu, vt requiescant iam à laboribus suis! Non solùm autem, sed & succedit iucunditas de nouitate, ac de æternitate securitas. Bona proinde mors iusti propter requiem, melior propter nouitatem, optima propter securitatem.* Sicuti verè *mors peccatorum pessima*, quia, secundùm D. Chrysostomum, sequuntur eos postquam hinc migrauerint, *pœna intolerabilis, tormenta sempiterna, vermis virulentus, ignis inextinguibilis, tenebræ exteriores, vincula insolubilia, dentium stridor,* tri-

Ars rectè viuendi & moriēdi ex Bernardo.
Bern. ep. 105. ad Rom. Romanæ Curiæ Subdiaconum.

Qualis mors sit iustorum ex eodem.

Qualis mors peccatorum ex Chrysostomo.

tribulatio & angustia, & æterna damnatio.

31 Eia agamus nos, atque ita actiones nostras omnes instituamus, vt dicere in veritate possimus cum Paulo: *Mihi viuere Christus est*: tunc mihi vobisque polliceri audeo facilè dicturos nos quoque cum eodem, magnaque alacritate dicturos: *& mori lucrum.* Quod lucrum, si quando à nobis certo sperabitur, optabitur quoque vehementer, atque eo aliquando frui dabitur, cum summo atque inexplebili gaudio; vtinam breui. Libet enim etiam nobis inter vitæ huius grauissimas ærumnas exclamare cum Dauide non minùs fortè quàm ille, harum tædio præ cæli amore affectis: *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est. Quando veniam & apparebo ante faciem Dei?*

Ad Phil. c. 1. v. 21.

Psal. 119. v. 5.
Psal. 41. v. 3.

32 Præter illos qui cogitatione toti iam commorantur in cælis, licet, præpediti corporis vinculis, eò necdum subuolare possint, & propterea aliud non faciunt nisi ducere quotidiana in hoc corporis sui ergastulo ad Deum suspiria, de quibus latè superiùs egimus, etiam ab aliis vsurpari potest iniquum illud IONÆ postulatum: *Domine tolle quæso animam meam à me; quia melior est mihi mors quàm vita*, meliore mente maioreque fructu quàm id ipse vsurpauerit. Ab iis inprimis qui volentes turpitudinis suæ pristinæ, cuius eos pridem puduit & pœnituit, immemores viuere; necdum euulsis de toto peccatorum radicibus, atque inolitâ consuetudine malâ (sicuti

Verba Ionæ à variis rectè vsurpari possunt.

Maximè ab iis, qui, conuersi à peccatis, recidiuam metuunt.

Quo semel est imbuta recens, seruabit odorem
Testa diu.)

Horat. epist. lib. 1. ep. 2.

non omninò obductâ, vident acrem sibi instare luctam, ingens apparari in pectore suo duellum, atque in eo imminere sibi pericula multa & magna; cùm ob graues multorum hostium incursus imbecillitatemque virium suarum, quæ necdum exercitatione sunt confirmatæ; tum potissimùm ob eam, quam in se sentiunt procliuitatem ad malum, & ob vetera, contracta ex lapsibus anterioribus, quæ subinde in se sentiunt recrudescere, nouorum accessione vulnera, ingemiscunt & clamant cum Paulo: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* præeligentes mori potiùs & mori millies, quàm vel semel iterùm lethali noxâ diuinam, cui reconciliati sunt, Maiestatem offendere.

Ad Rom. c. 7. v. 24.

33 Dicebat de se, non magnus aliquis peccator, sed deuotissimus Bernardus: *Viuere erubesco, quia parum proficio; mori timeo, quia non sum paratus: mallo tamen mori, & misericordiæ Dei me committere, quia benignus & misericors est, quàm de mala mea conuersatione scandalum facere.* Tam erat sollicitus magnus ille Sanctus, ne quẽ suis peccatis offenderet, vt vel idcircò mori præoptarit, quid ni igitur nos magni peccatores magis solliciti simus? Similis cogitatio mouit quoque Hugonem Cardinalem, virum suo tempore magnum, vt diceret: *Citò mori bonum est, quia diu viuendo maiorem super se homo aggrauat damnationem.* Non mirum igitur, si quis tam suæ infirmitatis conscius, quàm amans salutis, malit mori potiùs, licet cum incommodo proprio, quàm viuere cum diuini honoris detrimento suoque periculo: mirum magis foret si quis secùs optaret. Quæ causa cur dicat S. Cyprianus, iis qui mortem horrent: *Mira certè res, tot persecutiones animus patitur, tot periculis pectus vrgetur, & delectat hic inter diaboli gladios diu stare.* Felix omnino qui libenter moritur vt simul peccato moriatur, libenter vitâ hac mortali defungitur, vt æternâ potiatur in cælis.

S. Bernardus optat mori, ne quem peccando offendat.

Bern. lib. de Interiori domo c. 35.

Melius est citò mori, quàm cum periculo diutiùs viuere.

Cypr. in lib. de Mortalitate.

34 Non malè etiam dicit, qui dicit cum IONA & petit: *Domine tolle quæso animam meam à me: quia melior est mihi mors quàm vita*: ne videat scelera & peccata, quibus Deus offenditur, simul etiam mala gentis suæ, ob hæc ab eo acriter puniendę; aliâ prorsus mente quàm IONAS; qui, quòd pro sensu voluntateque sua non punirentur Niniuitæ, hæc verba vsurpat mori postulans, cùm vel idcircò, exhilarandus nimirum illorum pœnitentiâ, magis sibi

Petere mori, ne videat quis peccata & afflictiones populi, licet.

sibi prolongari vitam, ad nouum hoc & tam iucundum spectaculum postulare debuisset.

1. Mach. c.2.v.7. *Exempla circa hoc varia Sanctorum.* Sic Mathathias Machabæorũ pater, videns dilaceratam Dei legem templumque in manus traditum impiorum, vitam suam luxit exclamans: *Væ mihi, vt quid natus sum videre contritionem populi mei, & contritionem ciuitatis sanctæ, & sedere illic cùm datur in manibus inimicorum.* Postquam verò plurima verè lugenda, eo loco copiosiùs enarrasset, ad extremum concludit: v. 13. *Quò ergo nobis adhuc viuere?*

Sic S. Polycarpus apud Eusebium exclamare solitus legitur: *O bone Deus,* Euseb lib. 5.c.19. *in quæ me tempora reseruasti, vt hæc patiar.* Sic Augustinus Wandalis Hipponem, cui Episcopus præerat, per trimestre obsidentibus, dixit ad suos aliquando conuiuas: Possidius in vitâ c. 29. *Noueritis me hoc tempore nostræ calamitatis id Deum rogare, vt aut hanc ciuitatem ab hostibus circumdatam liberare dignetur; aut si aliud ei videtur, suos seruos ad perferendam suam voluntatem fortes faciat, aut certè vt me de hoc sæculo ad se accipiat.* In quo postremo à Domino exauditus est; acutissimâ enim correptus febri, sensit statim mortẽ sibi proximè imminere.

Sic Sancti alij plurimi, populi grauibus, quæ quotidie patrabantur, sceleribus ita afflicti sunt sæpè; vt ne hæc scirent, viderent, audirent, mortem præ vita delegerint; & omnis hora ac mora in hac mortalitate inter tam sceleratos posita, peracerba illis videretur.

35 Ad rem nostram: Optabat, vt vidimus, atque peroptabat vehementer mori IONAS; verùm ex mœrore, *Quo animo Ionas mortẽ optarit exponitur.* perturbatione animi, indignatione, atque iracundia. Scilicet longè illi carior erat, vel vnica, vti apparet, honoris proprij guttula, integro diuinarum laudum & gloriæ oceano. O quàm perperam! Optandum ne qui hodie reperiantur in hoc IONÆ similes; sed optandum magis, quàm sperandum. Non enim ignoramus plures esse, prô dolor! ita parum sui potentes, suarum affectionum non dominos sed seruos; vt quando verentur, ne non quod voluerint accidat, malint statim, nescio quo æstro insanæ mentis, vitâ potiùs quàm concupitis destitui: dicentes non minori proteruiâ, quam IONAS olim, communi omnium Domino: *Ex impotentia animi multi mori cupiunt.* *Tolle quæso animam meam à me: quia melior est mihi mors quàm vita.*

36 Causam tam ineptæ postulationis apparet non esse aliam à voluntate propria, quâ hi metienda sibi omnia, non verò Dei beneplacito arbitrantur. *Ex impatientia nõnulli mortem optant & eam venientem exoratam vellent.* Cui parum iustæ sæpè cùm fieri satis non possit, neque etiam vt fiat expediat, aliter res mortalium pro sua infallibili prouidentiâ Deo immortali moderante; in angustiis, mœroribus, & cura perpete, eaque inutili constituti, post rerum omnium tædium, tandem etiam ipsius vitæ tædio affici incipiunt, & eo conficiuntur interdum quodammodò inuiti, mori importuniùs postulãtes: licet subinde quadret in eos quod ait Augustinus: Aug. ser. 17. de verbis Dom. *Nonne audimus & videmus homines in aliquibus tribulationibus & angustiis, & cõflictationibus, & ægritudinibus dũ sunt constituti, & vident se laborare, nihil aliud dicere, nisi Deus mitte mihi mortem, accelera dies meos. Et quãdo venit ægritudo, curritur, adducuntur medici, solidi & munera promittũtur. Dicit tibi ipsa mors, Ecce adsum quam paullò antè à Domino petebas. Quid me modò fugere vis? Inueni te falsatorem, & miseræ vitæ amatorem, cuiusmodi erat è veteribus qui dicebat:*

Sæpè precor mortem, mortem quoque deprecor idem.

Sanè apud S. Cyprianũ tales increpat Angelorum quidam dicens: Cypr. lib. de Mortal. c.7. *Pati timetis, exire non vultis, quid faciam vobis?*

37 His tamẽ & ceteris omnibus grauiùs errant, qui vsque eò sunt sui immemores, absorpti siue amarulentiâ, *Alij mortem sibi inferunt.* siue nequitiâ, vt mortem, quam alij sibi imprecantur, expetunt, atque exoratam à Deo vellent, ipsi violentis manibus sibi consciscant: quod nimium sæpè factum inferni hostis machinationibus vehementer ingemiscimus & lugemus, licet vnum ad terrorem sufficere possit Iudę proditoris exemplum.

Vsque

Ionas hoc non facit. Vsque eò dementiæ needum processerat IONAS: nam licet suum non satis iustum desiderium calidiùs aliquantum proponat, & exorare velle, quod non satis est æquum, videatur: Deo tamen vitæ mortisque auctori se totum committit, eique quidquid euenerit acceptum, etiam cum gratiarum, vt opinor, actione, relaturus, licet hoc eius postulatio non contineat.

Christus quomodo dicere potuerit, melior est mibi mors quàm vita. 38 Vt de mystico Iona aliquid etiam dicamus, atque ita finem imponamus hodiernæ Lectioni, eleganter de eo ait Eusebius Emissenus, & totidem propè verbis S. Hieronymus: *Dicat hoc rebus Dominus noster* IESVS *Christus, quia melior est mihi mors quàm vita: id est, viuens vnam Iudæorum gentem, vtpote incredulam, saluare non potui; moriar, vt vniuersus mundus vnâ morte saluetur.* Aggressa est igitur mors Christum, sed nequaquam nolentem; neque tam vicit, quàm victa est; secundùm quod canit Ecclesia: *Mors mortua tunc est in ligno quando mortua vita fuit.* Emiss. hó. 2. de Pascha. *Mors Christum non nisi volentē aggressa est.*

39 Quomodo verò sit ipsum aggressa, ignara illius qua valebat potentiæ, exponit nobis Philippus Abbas eleganter: *Dum, inquit, Christum hominem nescit esse cuiusdam excellentissimæ potestatis, vt mori, vel non mori, suum esset in eius arbitrio voluntatis, ipsum quoque solitâ confidentia duriùs appetiuit; eumque non solùm viuentem, sed & vitam suis nexibus irretiuit. Ceterùm eadem mors triumphalem in illo victoriam non accepit; quia Christus non coactus, sed spontaneus hanc suscepit, & cùm eam licet homo virtute posset ingenitâ non sentire, eâ tamen bonitate, quæ sua est, nostris voluit legibus consentire.* *Quomodo eũ aggressa sit.* Philip. Abbas de silentio Clericor. c. 85.

40 Est igitur quòd illi omni tēpore, tametsi infinitis titulis aliis, hoc tamen potissimùm, quàm maximas, quàm amplissimas gratias agamus. Quoniam, vt loquitur Paulus, *Traditus est propter delicta nostra; & resurrexit propter iustificationem nostram;* videlicet vt nos quoque peccatis mortui, iustitiæ viuamus. Quod & nobis faciendum, si velimus eius nobis mors, eius resurrectio, prosit ad salutem, prosit ad vitam æternam, prosit ad gloriam. *Christo pro nobis mortuo grati esse debemus.* Ad Rom. c. 4. v. 25.

LECTIO QVARTA.

ET DIXIT DOMINVS: PVTASNE BENE IRASCERIS TV?

ARGVMENTVM.

Dei IONAM *opportunè monentis, verba expenduntur. Notatur in hac monitione, magna eiusdem in Ionam, grauiorem monitionem commeritum, clementia. De iusta iniustaque iracundia disputatur; hæc quàm sit periculosa in exemplo ostenditur. Non hominibus, sed peccatis irascendum, irâque subinde moderatâ opportuno tempore tamquam medicinâ vtendum, docetur.*

1 DEVM irato homini, ipsumque in æstu suæ iracundiæ deprecanti, respondere sine vlla tergiuersatione ac mora, euidentissimum indicium est, nihil ab eo fieri per vim solam, atque potentiam; sed æquè per virtutem summam, summamque sapientiam, quàm per potentiam eundem ex ratione moderari omnia. Quid igitur ait ad preces postulationemque IONÆ tam parum opportunam & sanam? Prorsus ostensurus verum esse, quod ipse antè precando dixerat, quia *Misericors est:* pro sua misericordia & bonitate miserum hominē oppressum dolore, atque inflammatū iracundiâ, nequaquam deserens, sic ægrum curare *Deum non per solam potentiam, sed etiam per sapientiam moderari omnia ostenditur.* *Monetur Ionas sed suauiter.*

re lenitate incipit, dicens: PUTASNE BENE IRASCERIS TU? Ecce, vti apparet, monet quidem eum, sed amanter, sed placidè; atque ita monitum, suamque agnoscere & detestari infirmitatem edoctum, paulatim pristinæ restituit sanitati.

Monitio illa pro medicina ipsi fuit ad obtinēdā sanitatem. 2 Ad hanc obtinendam valuit pro pharmaco potenti, & valido illa paucorum verborum monitio. Monitionem nullam adhibuit Deus cùm de ventre ceti quasi de naufragio IONAS in aridā emersit incolumis; quia pharmaco istoc nil opus tunc erat homini multo de se demissiùs sentienti. Effecerat quippe mutationem qualis optari potuisset in animo ipsius longa vexatio tridui; & fecerat efficaciùs, quā facere vlla, quantumuis grauis, admonitio atque etiā increpatio potuisset. Hîc verò monetur atque arguitur, amicè quidem & placidè, sed efficaciter; idque postquam commissum sibi negotium & sedulò, & feliciter adimpleat; adeoque adimpleat feliciter, vt susceptum in eo non summum ipsius laborem, immensæ multitudinis conuersio maxima sequeretur.

Causa cur moneatur Ionas. Causam vultis? Ea est: quia Deus, mutato iterùm affectu, rediisse videbat in homine ambitionis spiritum, à quo priùs & in mare, & in ceti vētrem coniectus, diuinis reluctans imperiis fuerat. Scilicet Dei furorem demissio frangit, ambitio exacuit.

Discipulorum gloria vana à Christo damnatur. 3 Missi, annuntiandi Euangelij gratiā, à Christo discipuli, secundo rerum cursu inflati, complacuerant sibi in suis operibus & virtute non parum, adeoque reduces facti, elatiores animo dicebant: *Domine, etiam dæmonia subiiciuntur nobis in nomine tuo.* Displicuit illa res Christo Magistro eorum; quare responsum accipiunt, quod minimè præstolantur. *Videbam satanam quasi fulgur de cælo cadentem:* quasi diceret, aliquanto seueriore in eos animaduersione Christus, dum in re feliciter gesta nimium vobis applauditis, scitisne qualesnam vos mundo, quales mihi exhibeatis? Satanæ, vanā de donis suis cogitatione superbienti, proindeque sicut fulgur de cælo cadenti, persimiles. Quare & illi similem vobis ruinam paratam existimate, si vnquam ambitioso inflati spiritu, cœperitis grauiùs insolescere. Atque ita hunc locum Magnus interpretatur Gregorius. *Mirè,* inquit ille, *Dominus vt in discipulorum cordibus elationem premeret, indicium ruina intulit, quod ipse magister elationis accepit; vt in auctore superbia discerent, quid de elationis vitio formidarent.*

(Lucæ c. 10. v. 17. — v. 18. — Greg. lib. 23. Moral. c. 7.)

Deus ita curat Niniuitas, vt Ionam nō negligat. 4 Obseruatione dignum est, ex quo mirum Dei, in omnium bonum, studium curamque cognoscimus; ita hîc Dominum esse curandis Niniuitis intentum, vt tamen Prophetam suum, licet culpâ propriâ gementem, mœrentem, iratum, & præ ira mortem sibi nimium incautè optantem, non negligat: sic illis volens redditam sanitatē, vt huic tamen exinde nulla iactura, nullū suæ salutis dispendiū obueniat; vtrorumque pari studio, pari voluntate, incolumitati prospiciēs. Prorsus sicut in parabola prodigi paterfamilias ita adolescēciorem filium cum gaudio excipit pœnitentem, vt tamen etiam seniorem non deserat indignantem. Nam & ad eum egressus sciscitari incipit, atque percunctari quæ animum eius perturbatum componant, sæuientem indignantemque mitigent, dicere etiam eiusmodi, quibus se esse vnius æquè atque alterius patrem, vtrumque amare se, atq; de vtriusque bono & salute gaudere ostendat.

Ionas non laudatur, non damnatur: sed rogatur in causa propria. 5 Notarūt D. Hieronymus & Haymo, quod etiam habet Glossa, non dici hoc loco à Domino IONÆ; malè iratus es: ne supra modum tristem & vehementiùs commotum seuerâ istac reprehensione commoueat & conturbet ampliùs. Sed neq; dici benè iratus es; ne probare & collaudare factum nullâ laude ac commendatione dignum videatur; atque ita aliquid suæ sententiæ, iudicio, veritatique contrarium, verbo innuat: verùm ipsum indignabundum, & grauiùs irascentem, velut reum, interrogari in causa propria; quæri inquam ab eo, *Putásne benè.*

benè irasceris tu? vt det iustas iræ, indignationis, ac mœroris sui causas; quas si dare nequeat, suo se silētio damnet; & sic verum iustumque Dei iudicium, eius quoque, tametsi rei, taciturnitate comprobetur.

Chatardi sententia cur mitius hic agatur cum Iona.

6 Ioannes Chatardus existimat Deum ideò Ionæ non ita hîc grauiter succensere; quia zelus illius à proximi caritate non omninò abhorret: quin imò, ait, videri cum illo velut colludere, ad eum modum quo agere familiariter & paterno more cum Abrahamo, Isaaco, Iacobo, Moyse, Dauide, aliisque amicis suis consueuerat, huic sicuti ipsis sua arcana & μυστήρια reserans. Non sicut agit cum impiis, quibus loquitur in ira sua & quos in furore conturbat, tractatque sicut hostis inimicos suos in porta.

Psal. 2. v. 5.
Psal. 126. v. 5.

Explicantur verba illa Putásne benè irasceris tu?

7 Pro eo quod in Codicibus nostris Latinis habemus: *Putásne benè irasceris tu?* vertit Chaldæus: *Numquid valdè irasceris?* LXX. *Si vehementer contristatus es?* Symmachus *numquid meritò contristatus es?* Quasi Ionæ dicatur à Deo: Quid doles tantoperè? Quid vsque adeò commoueris irâ & excandescis? vel, vti interpretatur Rabbi Aben-Ezra: Quare ira est tibi vsque adeò? Rectène, congruenter, & iustè hoc facis, an verò perperam & indebitè? Ipse considera & iudica actus tuos, ac tum dicito mihi, num bonum quo ego afficio Niniuitas te compellat ad iracundiam, atque nouos in te inuidiæ ignes exsuscitet, efficiatque vt ex quo illi boni, tu malus esse incipias, an non?

Per modū alicuius ioci Domini cum Iona secundū quosdam.

8 Sunt qui putent sermonem hunc esse Domini iocantis cum seruo, vti suprà diximus ex Chatardo, sed alio modo; nimirum sensus vt sit recensitorum iam antè verborum: Satísne tibi videris iratus ô Iona? an verò paullò ampliùs irasci adhuc cupis? estne aliquid quo possit vlteriùs prouehi indignatio tua? an verò hæc iam ad summum peruenit? Atque hæc interpretatio satis cum Hebraico textu consentit, in quo, loco illius quod nos habemus, *Putásne benè irasceris tu?* positum est, *Num vehemens ira tibi?* quomodo etiam ex Hebræo transtulit Xanctes Pagninus. Tigurina verò *Numquid iustè tibi irasci videris?* Vt, quemadmodum notauit Ioannes Mariana, plena sit ironia, quæ interdum habere vim mitigandi iracundiam, potissimùm inter amicos, solet; idcircò adhibita, vt hac ratione meliùs fortè quàm aliâ aliquâ, ad quietem mentis & tranquillitatem pristinam reducendus, eandem constanter Propheta resumat.

Explicatur per modum seria commonitionis:

9 Sunt alij, inter ceteros Theodoretus & Theophylactus, ferè cum D. Hieronymo & Haymone consentientes, qui rem omninò seriò agi hîc putant; adeoque Ionam opportunè coargui, atque in ius vocari à Deo, illi quodammodò dicente: Tecum maturè prudenterque considera, seclusis affectionibus & appetitionibus tuis, tam parum ordinatis atque compositis, vbi deferbuerit paulisper ebullientis naturæ tuæ impetus, rationem conturbans, & illius dictamen subruens atque subuertens, num causam habeas iracundiæ iustam? Quod vbi perpenderis, te iudica, de te ipse decerne.

Probatur explicatio & ampliùs declaratur.

10 Sum & ego in hac quoque sententia, & dico, perquàm sapienter & cautè, vt ab ipso reo (quod iudici maximoperè optandum) delicti extorqueatur legitima iustaque confessio, hoc illi à Deo, vti supremo rerum omnium arbitro, fuisse propositum; tamquam si illum dicentem sibi audierit, quod etiam ex hoc modo formaque loquendi satis intellexerit: Age mi Iona, licet in propria causa sis iudex qualem te hodie statuo, tamen si æquus fueris, & volens aberrare à veritate nolis, non potes excusare intemperantiam atque immoderatum animum tuum. Dic igitur, quodnam tantum tuum est meritum, vt honoris tui quàm gloriæ meæ maiorem habere rationem debeam? num fortè ne tu mendax habeare, crudelis ego fieri debeo? An defuturam mihi rationem arbitraris, quâ etiam saluâ & in statu suo pristino permanente Niniue, ego tibi

tibi tuoque honori, si ita faciendum existimauero, possim consulere? Nimium sanè arrogas tibi, si rebus omnibus posthabitis, atque etiam plurimorum millium salute neglectâ, tua dumtaxat à me curari debere putes?

Commonitione hac suaui Ionā mouerí debuisse ostenditur.

11 Videtis factum quidem illius reprehendi, sed non nisi quàm suauissimè. Etenim quid ad leniendam alicuius iram dici possit accommodatius? quidnam suauius eo quod hîc Dominus ait: *Putásne benè irasceris tu?* Intelligenti tamen hoc sufficit; quippe hinc facilè assecuturo, quid esset de se factoque suo censendum.

Prou. c. 15. v. 1.

Dixit Salomon *Responsio mollis frangit iram*. IONÆ tumultuantis iram quid frangeret, si hoc non frangeret? Ille nulla ex causa iusta irascitur, Deus etiam ex iustissima & grauissima nequaquam irascitur. Ille aduersùs sanctissima Dei opera hominique saluberrima indignatur; Deus aduersùs tam iniquè & improbè indignantem non indignatur. Ille, eò quod factum non sit quod fieri voluisset, mori cupit; Deus tam malè affectum, tam sinistrè sentientem mori non patitur.

Diuina patientia in iudiciis hominum tolerandis maior est quàm nostra in diuinis.

12 Profectò non est quemquam reperire mortalium, qui se argui ab homine tam ferat moderatè, quàm ferat ægritudines nostras, & nostrum obmurmurantium diuinis suis consiliis inconditas voces, is cuius beneficio viuimus, mouemur & sumus. Omnia discutimus, omnia ad iniquam iudicij nostri trutinā pōderamus, statuere volumus de omnibus quæ statuit Deus. Cur nimirum à fide exciderit Israel & vocatæ sint Gentes; Cur Deus dilexerit Iacob & odio habuerit Esau; cur hunc prædestinet, illum reprobet; hunc trahat, illum non trahat; huic vnum talentum, illi quinque largiatur; & interim nolumus vt ipse de nobis statuat, nolumus vt nòs nostraque redarguat. Verùm qui sumus nos vt ei obloquamur, vt iustum eius non patiamur iudicium? Numquid dicet lutum figulo quare me fecisti? In hoc negotio si in vllo, imò magis ferè quàm in vllo patet, quàm sit clemens & misericors Deus, quámque illi sit proprium misereri semper & parcere.

Dei in Ionam clementia à D. Basilio deprædicata.

D. Basil. Seleu. Ora. 12.

13 Vt de ceteris modò taceamus, eius singularem in IONAM clementiā, parum hanc licet commeritum, D. Basilium Seleuciæ Episcopum deprædicantem audite. *Benè*, inquit ille, *Deus, qui peccatores miseratus, iustos etiam ad benignitatem manu ducit, Prophetam non despexit inclementiæ morbo tentatum. Ecquid ait clementiam meam vituperas ô Propheta? etiámne me leuitatis accusas? non te emollinit ceti terror? etiamnum aduersùs peccatores immisericors es, quos sui pœnitet, eorum te non miseret? sententiam non demutas? Putásne benè irasceris tu? Expecta paulisper, manifesto signo paullò pòst docebo, iniquum ac irrationabilem esse dolorem tuum.* Et ita factum euentus docuit; quando eum, vti vidimus, perturbatum vehementius, rebus magis quàm verbis, compositaue oratione, in aliam pertraxit sententiam; & redargutionis suæ confirmationem illustri exemplo adornauit, hederæ propositâ similitudine; quâ eum, quomodo parcendum potiùs pœnitenti populo, quàm ipsius improbis desideriis obsequendum, aptissimè docuit.

Quibus medicinis Ionas æger à Deo sit curatus ostenditur.

14 Itaque diuina bonitas, quemadmodum suprà retulimus, industriâ quadam & suauitate, non violentiâ curauit ægrotum; medicinam adhibuit, quæ plagam & dolorem illius leniret, non exulceraret malum, aut laborantem morbo crudeli perderet. Adhæc ægri pertinaciam constantiâ superauit, demissione superbiam, curâ socordiam, stultitiam prudentiâ, humanam infirmitatem virtute diuinâ. Hinc illi paucorum verborum pharmaco: *Putásne benè irasceris tu?* aliud modò non iungit; mox tamen daturus alteram illam, de qua aliquid iam insinuauimus, & posteà plura dicturi sumus suo loco, magis operum quàm verborum medicinā; quâ æger intelligat, ob diuinam in resipiscentes misericordiam, sibi non solùm non indignandum, sed exultandum magnoperè; atque ita sanitati pristinæ red-

redditus, in eo, qui est vera salus, toto corde totoque mentis affectu exultet.

15 Etiam ergo verba hæc *Putásne benè irasceris tu?* sumpta vt sonant simpliciter, sine ioco vllo, aut sarcasmo, si rectè appendantur, si considerentur attentè, magnam vim habent. Etenim inter eos, qui subinde irasci consueuerunt, sunt nonnulli qui benè, iracundiâ videlicet vtili & fructuosâ; sunt alij qui malè, iracundiâ nimirum noxiâ atque inutili irascuntur. Benè irascebatur Moyses, quando videns idololatrantem populum fœderis tabulas indignabundus comminuit atque confregit: malè Saul, quando Dauidem de more psallentem, in eum inuidiâ & odio concitatus, lanceâ quam manu tenebat putauit configere cum pariete. Rogatur ergo IONAS quonam æstuet genere iracundiæ, salubris an noxiæ? seu, quod est idem, cùm tantopere irascatur, num irascatur benè an malè? sat eâ ratione petendi insinuans Deus, non benè, sed malè eum irasci. Ac si dicat manifestè: Tibi cùm nulla suppetat iusta causa iratum, admodum malè irasceris. Nam quòd ex mea erga homines caritate & beneficentia, quam tu ipse, & iure quidem, deprædicas, tanti occasionem sumas doloris atque iracundiæ, non vides quàm agas iniquè & perperam? An quia ego bonus sum, oculus tuus nequam esse cupit? numquid te seruum meum donatum à me prophetiæ gratiâ æmulari magis bonitatem atque clementiam meam oportuit quàm ob eam commoueri? Quid quæso tibi mali ex Niniuitarum conuersione pœnitentiaque obuenire potest? An tu magis quàm ego populi Israëlitici, in quem tot tantaque, & tanto quidem tempore, contuli beneficia, cuius gratiâ tam ingentia edidi non semel prodigia, salutem quæris? Vide quæso quò amentiæ processeris, quando iam tuo magis quàm meo iudicio, tuâ magis quàm meâ niteris sapientiâ.

Aliquos benè, alios malè irasci ostenditur.

Ostēditur malè Ionā irasci.

16 Porrò quia non benè irascebatur IONAS, & de hoc rogatus ac reprehensus à Domino idipsum agnoscebat, prorsus conticuit pisce mutior. Non enim habebat quod diceret, non occurrebat quod responderet, nisi fortè dando sui causam silentij illud Iobi. *Insipienter locutus sum.* Quare nunc respondere quid possum? melius est meam tacendo agnoscam insipientiā, quàm vt adhuc loquendo insipientiùs me excusem.

Ionas reprehensus non habet quod respondeat.

Iob c. 42. v. 3.

17 Quæstio hæc *Putásne benè irasceris tu?* nobis etiam proposita, valebit ad institutionem nostram, æquè ac IONÆ ad suam. Facilè enim ex illa intelligemus, quàm nos in laxando iracundiæ fræno cautos, quàm in eodem cohibendo sollicitos esse oporteat; quàm non illi indulgendum nimium, imò quàm nec minimum, nisi iustis de causis. Examinet ergo se, quisquis huic obnoxius infirmitati, motibus agitur iracundiæ crebrioribus & feruentioribus, siue deliberatâ voluntate, siue ratione aliquâ aliâ propè inuitus victus à se; sibique proponat sæpiùs hæc verba Domini ad IONAM, *Putásne benè irasceris tu?* Et si quidem, sese discutiens, iratum se malè atque iniustè aduerterit, ne vlteriùs locum det iræ, ne locum simul dedisse diabolo videatur.

Examinare se homo iratus debet.

18 In hoc genere prorsus horribile est, quod B. Petrus Damianus suis temporibus in Vrbinate territorio, & tantò horribilius quòd personis Deo sacris, Sacerdotibus inquā, scriptori historiæ Damiano vti apparet non ignotis, euenisse deplorat. Rem enarrabo, quò illius certior sit fides, totidem verbis atque illā disertissimus Pater conscripsit. *Aduesperascente iam die,* inquit ille, *duorum quorumdam Presbyterorum cordibus sol inocciduus occidebat, eosq́. aduersum se mutuis iniuriarum iurgiorumq́. conuiciis auctor discordiæ spiritus accendebat: cumq́. Presbyter compresbyterum probrosis contumeliarum irrisionibus laceraret, & alter alterum multò mordacius sale maledictorumq́. relationibus conspersisset, vnus eorum minaciter intonans, & dentibus stridens, correptā lanceā*

Iracundi hominis terribile exemplum.

Damian. lib. 4. epistolarum epist. 17.

iter arripuit, atque ad domũ suam longiùs constitutam furibũdis properare gressibus cœpit. Sed cùm illum iam superueniens caligo noctis obnuberet, cor etiam interiores tenebræ perniciosiùs possiderent, ecce quinque nigri equites cum caballis æquè nigrantibus obuiant, eiq; is qui maior inter eos videbatur insultat. Sæpè, inquit, institi vt te mihi subderes, vt in clientelam meorum contubernaliũ deuenires. Toties itaq; subterfugiens iam non poteris iugum meæ ditionis euadere. Videbatur enim nobilis quidã vir esse Romanus nomine, qui frequenter eũ sollicitauerat vt sibi subditus fieret: Presbyter igitur nimij terroris horrore perculsus ad præcipientis imperium manus vtrasque complosit, atque illius manus deditiorum more deosculans, se velut in herilis fidei tuitione commisit. Quem protinus ille percunctãs, Scis inquit qui sim? ille præsto respondens ait: Nonne tu es dominus meus Romanus? At ille: Absit, absit; sed ego sum inquit diabolus, cui tu nunc commissus es, & indiniduâ deinceps societate constrictus. Sta igitur in fide, & serua quod pollicitus es. Et post huiusmodi verba, vel gesta, præstò disparuit. Tunc ille tremefactus, confusus, atque perterritus, ad domum non sine magno trepidationis horrore peruenit; & paullò pòst ad Episcopum suum Sanctæ Memoriæ TeuZonem nomine, me quoque præsente, pœnitentiæ flagitator accessit. Tanto sanè felicior quòd tempestiuè resipuit, culpã agnouit, cum Deo, cumque inimico suo in gratiam rediit.

19 Subiungit Epiphonematis loco, nobis in documentum illustre, idem Damianus: *In quo facto manifestè perpenditur, quoniam iracundus, dum zelo immoderati furoris accenditur, iuxta Scripturæ testimonium à dæmonio possidetur.*

Non est dandus in nobis locus iræ.

Audiendus ergo ante omnia Doctor Gentium Paulus Ephesios suos & nos cum illis exhortans & monens, dicendo: *Sol non occidat super iracundiam vestram, nolite locum dare diabolo*; ne si iracundiæ locum dederimus, dedisse quoque diabolo, quod nullo modo vellemus, videamur; aut saltem, tamquam si fecerimus, aut id facere voluerimus, luamus.

Ad Ephes. c. 4. v. 26.

20 Addo: non solùm solem non debere occidere super iracundiam nostram; sed nec cuiquam irasci nos debere sine iusta causa. Vel enim bonus est cui quis irascitur, vel malus (atque hæc fuit olim Thomæ Mori Angliæ Cancellarij ratiocinatio) si bonus, Dei amico, Dei filio immeritò irascetur: si malus, aut talis semper erit, aut aliquando bonus fiet, & malus esse desinet. Si semper futurus est malus, quæso ne pluribus malis hic à nobis ampliùs oneretur, nil nõ malorũ mox apud inferos habiturus; sin futurus bonus aliquando, erit etiam æternâ nobiscum amicitiâ suo tempore sociatus. Quid ergo modò ab eo disiungi irâ vel odio cupimus, cum quo perpetuò coniuncti, æternum gaudebimus?

Cur nemini irascendum ex Thomæ Mori sententia.

21 Notat hoc loco Rupertus Abbas, in IONA intemperantiùs irato, argui nimium efferuescẽtes Prælatos (quidni etiam dicamus eodem modo argui quosuis patresfamilias) qui, vt ait ille, ita in ira sua intus reuocãdi sunt, vt intentionem suam inspiciant, & attentâ discretione perpendant, vtrùm benè irascantur an malè. Nam si indignẽtur peccatis hominum, non hominibus; si hominum, sibi inquam subditorum vitia oderint, eaque persequantur, non subditos; nisi quatenus illi vitiis dediti, atque ab iisdẽ deducendi, & in virtutis viam reuocandi sunt, recta iustaque est ira: si verò ipsos magis, quàm ipsorum vitia oderint, atque in ipsos, non in ipsorum vitia, vehementioribus & crebrioribus insurgant iracundiæ motibus, non recta, sed prorsus iniqua, & eorum munus omninò dedecens iracundia est. Quæ Ruperti institutio cum communi Theologorum doctrina prorsus consentit.

Quandonã superiores benè irascantur, quando malè, vnde colligi possit.

22 Recolant igitur Prælati, recolant Magistratus & Principes, atque ij omnes, qui cõgregationibus, familiis, domibus, & quibuscumq; seu priuatis, seu publicis cœtibus præsunt, si esse hac in parte irreprehẽsibiles velint, sæpiùs illud Dauidicum, tamquã sibi dictum, quod etiã scribens Ephesiis ad illorum cõmonitionem vsurpauit Paulus, *Irascimini & nolite peccare.* Meminerint, in-

Iidem reflectere debent in se, ne peccent iracundiâ.

Psal. 4. v. 5.
Ad Eph. c. 4. v. 26.

inquam, ita irasci, vt suâ iracundiâ nihil delinquât, aut perdant: sed magis mereantur aliquid, & per eam nô parũ lucro suo apponât. Est enim ira fręno rationis temperata non tantùm nô mala, sed bona, & bona valdè, vtpote cos virtutis & glorię; cùm, sicuti amoris passio ad boni prosecutionem, sic iræ & odij ad malorum propulsationē detestationemque rerum noxiarum sit concessa hominibus à Deo: ne videlicet in opere hoc tam necessario natura velut destituta virtute & viribus omninò torpeat & deficiat.

Ira ratione temperata bona est.

23 Est igitur ira in homine, quod in Republica miles, dicente Basilio Magno, ad rem nostrã apposite: *Vt miles duci, sic iracũdia rationi adiutrix est cõtra peccatũ.* Cum quo cõsentit quod ait Nemesius, esse eam satellitium rationis, datã homini ad executionem vindictæ malorum. Aio insuper datã eandem homini vt vtilem illi, imò propè necessariã ad ardua quæq; aggredienda, superanda, atque ad felicem exitum deducenda. Vtãtur hac igitur moderatores in functionibus suis, & muneris sui rationibus, ita religiosè, sapienter, & cautè, ne intempestiuis illius, aut cõcitatioribus motibus, à recta ratione, atque ab eo quod iustũ est, vllatenus abducantur. Quare, quod Deo orbis vniuersi moderatori ac Domino (à quo sicuti potestas omnis, Paulo dicente, *Nõ est potestas nisi à Deo*, ita emanant quoque omnes iusti regiminis & potestatis leges) tribuit Habacuc Prophéta dicendo: *Cùm iratus fueris, misericordiæ recordaberis*; ipsi quoq. suo modo vsurpantes, cùm irati fuerint, tum vel potissimũ misericordiæ, benignitatis, mãsuetudinis recordentur; seque nõ minùs patres, quàm iudices à Deo cõstitutos meminerint. Quare, si quãdo neglectos se viderint, neque vllam à subditis habitam suę dignitatis rationem; si quando suum imperium, iustũ licet, cõtemptum & spretum; nõ statim in subditos verbis asperis & mordacibus detonare incipiant, nõ eos maledictis incessere, nõ rebellionis, neglecti imperij, aut violatarum legum pœnas quãprimùm deposcere.

Pugnat cõtra peccatum vt miles. Basilius Magnus hom. de Ira. Nemesius lib. de natura hominis c. 21.

Superiores moderatè irã vtantur.

Ad Rom. c.13.v.1.

Habacuc c.3.v.2.

24 Nouerat quàm hoc non faciẽdum mulier Pythagorea, Theano à Strobęo nominatur, quare aliquando in ancillã excandescens, dicebat: *Vapulares iã, nisi irata essem.* Indecorum nẽpe existimabat mulier, quod tamẽ hominũ genus præ viris magis sui impotens esse solet, & quidem Ethnica mulier, tantum suæ indulgere iracundiæ, vt illa ipsi etiam in ancillam verbera imperaret. Monitum est Catonis Christiani.

Mulieris sibi in ira temperantiũ actus præclarus.

Seruorum ob culpam, cùm te dolor vrget in iram,
Ipse tibi moderare, tuis vt parcere possis.

Nec minùs elegans illud Statij Poëtæ percelebris, omnibus quidẽ, sed præcipuè aliorũ moderatoribus seruãdum.

— *Ne fræna animo permitte calenti*
Da spatium tenuemq. moram; malè cuncta ministrat
Impetus.

Statius li.8. Thebaidos.

25 Illustre habemus exẽplum pręclari moderatoris qui nouerat egregiè imperare animo suo apud Theodoretum, testem oculatum illius quod refert. Is fuit Dauides, centum & quinquaginta monachis in cœnobio præfectus, qui in eam se cõposuerat mansuetudinem, vt totos quadraginta quinq; annos egerit in eodem monasterio, absque ira vlla aut excandescẽtia, cùm tamẽ illi, præsertim quãdo præfuit, ad hæc occasiones, & quidẽ quotidianę nequaquã deessent. Quod vt videatis quã verum sit, audite quid dicat Theodoretus: *Cũ*, inquit, *aliquando desiderassem videre illum gregẽ*, cẽtum videlicet & quinquaginta monachorum, cui nẽpe Dauides præerat, *accessi habens etiam alios socios peregrinationis, qui eandem quam ego vitam amplectebãtur. Toto ergo tẽpore hebdomadæ apud illũ virum diuinum degentes, vidimus eius vultum nullam accipere mutationem; neque nunc quidẽ hilaritate diffundi, nunc verò tristitiã contrahi. Oculos quoque similiter non aliquãdo quidẽ truces ac toruos nunc verò lætos; sed in eodẽ semper honesti decoriq. tenore permanere. Hi autem sufficiunt ad arguendam animi tranquillitatẽ.* Ita Theodoretus, qui ne quis arbitretur fortasse nullam ei vnquam fuisse causam iræ, subiungit: *Sederat apud*

Dauides præses monasterio 150. monachorum an. 45. non fuit vmquam iratus.

Theod in Eusebio apud Heribertum Rosvveydum in vitis Patrum pag. 806. col. 2.

apud nos vir ille diuinus, de philosophia agitans rationes, & quærens id quod est summum euangelicæ vitæ institutionis. Cùm autem intercessissent eiusmodi sermones, Publius quidam genere quidem Romanus, moribus autem ipse quoque admirandus, & sacerdotis honore præditus, & illius præfecturæ secundas partes obiens, ad nos venit aduersùs diuinum Dauidem vociferans, & commune damnum illā nominans lenitatem; & omnibus perniciem adferre dicens eius mansuetudinem; & amentiam, non modestiam, summā illam vocans philosophiam. Ille autem habens animam veluti adamantinā accipiebat quidem rationes, non pungebatur autem ab iis, quæ sua natura solent pungere: vultum itaque non mutauit, neque sermonem institutum dimisit, sed cum leni voce, & verbis serenitatē animæ significātibus, illū senem dimisit, rogans eum, vt eorum quæ vellet curam gereret. Ego autē cum his qui ad nos venerunt loquor, vt vides, existimans necessariū esse hoc officium. En quomodo Dauides moderari animo suo potuerit, importunè à subdito suo, pręsētibus hospitibus, quod illi vel maximè ruborē incutere potuisset, interpellatus, atque etiā lacessitus iniuria; non os, non frontē, non vultū immutans aut contrahens, æquè semper serenus, quod verè est Prælatū agere non nomine tātùm, sed re etiam atque opere; & exemplo magis quàm verbo præesse. Eandem artem moderandi animo suo docuit aliquando Sebastianum de Moraes ærarij regij in Lusitania Pręfectum, cùm ei famularetur, Gaspar Barzęus Belga; ipsus ille qui deinde factus Societatis, magnus fuit Armusiæ Apostolus. Cùm enim Sebastianus intemperantiùs in hunc inueheretur, & verbis adiiciens verbera, Gasparē malè mulctaret; tacuit tunc quidem Gaspar, sed vbi hominis iracundiam deferbuisse cōspexit, ad eum vltrò accessit, & fustem eundem quo cæsus fuerat manu gerēs hunc obtulit, dicens: *Sume nunc here fustem, & si quidem tibi peccasse iam, cùm iram posuisti, videor, nocētem plecte. non ego is sum qui peccare velim, puniri nolim: sed quæso te ne aliàs cùm famulos suscipis castigandos, consilium ab iracundia petieris.*

Gaspar Barzæus docet herū suum moderari ira.

Trigaultius vitæ P. Gasparis lib. 1. c. 1.

Cassianus narrat senem Ioānem, magno cœnobio ac multitudini Fratrum præpositū ad senem Pesium (Heribertus Ros-weydus in Vitis Patrum legit Esium) in eremo vastissima commorātem accessisse, & cùm ab eodem velut antiquissimo sodale perquireret, quidnā per quadraginta annos in solitudine minimè à Fratribus interpellatus egisset, dixisse eum: *Numquā me sol reficientem vidit.* hunc vero quod longè maius & mirabilius est, subiecisse: *Nec me iratum.* Vtinam multi nunc moderatores sint qui idipsum dicere possint cū Abbate Ioanne, suauior longè & facilior sit moderatio ac pacatius regimen.

Cassianus lib. 5. Instit. c. 27.

Rosvveydus de vitis PP. l. 5.

26 A moderatoribus, ac aliorum pręfectis, veniamus ad subditos. Etiā hos, ęquè ac illos, imò in multis potiùs considerare oportet, vbi se grauiùs commoueri, irasci, atq; indignari senserint, iustásne ad hæc causas habeant an secus; atq; ne quid improuidi grauiùs delinquāt, & sensim sine sensu ex iracundia in furorem vertantur, secum expostulare dicēdo: *Putásne benè irasceris tu?*

Subditi etiam sibi debēt temperare ab iracundia.

Plures sunt, qui nō multum peccare, neque se delinquere vmquam grauiùs arbitrātur, quàm diu effecerint, ne impetus ille qui cordis penetralibus arctatus, ibi plenè dominium suum exercet, per contumeliosas voces & facta indigna se prodat: imò vicisse se putāt, si ea, quę interiora depascitur, flamma suppressa sic fuerit, vt foras nequaquā erumpat; tametsi bullienti iracundiæ, & efferuescenti semper ampliùs, per rationis ductum & liberā voluntatem prorsus consentiant; multis modis vindictam hostibus machinentur, atque ad illos opprimendos clandestina capetent consilia. Audiant illi loquētem B. Petrum Damianum. *Ira*, inquit, *sæpè tranquillitatis mentita colorem, superficiem quietis ostendit, dum in furoris indignationem apertè non prosilit: sed interim dum intra mentem velut in clibano vehementiùs æstuat, licet extrinsecùs taceat, clamosas intra forum conscientiæ voces format.* Ac si dicat: non idcircò, quia intus latet nocere desinit; non id-

Neque solū ab exteriori, sed etiā interiori.

Quantum malum ex ira interiore prouenians.

Damian. lib. 4. epistol. epist. 17.

idcircò illius, quę inuaserit, quemque iam fecerit suum, conscientiam vulnerare, lacerare, perdere prętermittit. Nam, vt ait etiam apposité ad hoc argumentum & sensum Chrysostomus: *Quamuis plurimâ pace & curâ externâ fruamur, si intra nos cogitationum nascatur tempestas, tumultus & seditio, nihil externa pax nobis proderit. Sicut & neque miserabilius est aliud ciuitate, quæ licet fossis, præsidiis, & muris benè sit munita, intus tamen ciues foueat proditores.*

Chrysost. hom. 34. in Genesim.

27 Abrumpenda igitur quantocyus Dei metu & rationis imperio omnis indignatio, iraque cohibenda, succedente in illarum locum mansuetudine iunctâque patientia. Benè dixit eodem quo supra loco idem Chrysostomus: *Hoc est certissimum signum, quo internoscitur vir ratione præditus, si mansuetus fuerit, si lenis, si mitis, si modestus & quietus; si non quasi seruus ducatur & trahatur, aut ab ira, aut ab aliis affectionibus: sed ratione vincat internos illos incompositos motus, nobilemque suam generositatem seruet, ne in brutorum ferociam negligentia degeneret.* Ita ille.

Mansuetudinis vis.

28 Refert Ælianus Aristotelem philosophorū principem consuluisse Magno Alexandro Regi Macedonum naturâ iracūdo, vt omnibus se superiorem existimans, maledicta contemneret: nempe secundùm illud Poëtæ elegi:

Magnanimitas secundùm Aristotelem frangit iram.

Quò quisque est maior, magis est placabilis ira,
Et faciles motus mēs generosa capit.

Ouid. l. 3. Trist. Ele. 5.

sic facillimè futurum, vt omnem iram & vindictæ cupiditatem superaret. Ego verò vobis auctor sim *Sodales*, vt omnibus vos minores existimantes, quod Christianæ demissionis & Marianæ virtutis est, Dei amore libenter opprobria, maledicta, contumelias perferatis, nullo verò modo pro maledictis malefacta reponatis; sed potiùs, ex Christi Domini sapientissimi Magistri vestri præcepto, *diligentes inimicos vestros, benefaciatis his qui oderunt vos. Benedicatis maledicentibus vobis, & oretis pro calumniantibus vos.* Mansueti hominis est, qualem esse *B.V. Sodalem* ad exemplum Matris suæ inprimis decet, iræ alterius cedere; nec vmquam cum vllius pertinacia contendere, dicto factoque lacessitum non reclamare, non obmurmurare, non frontem contrahere, non corrugare nares, nullum denique signum offensi animi, aut voce, aut gestu edere; atque ita excandescentiā alienā, aut declinare, aut mitigare illius Paullini dicti memoriâ; *Non vosmetipsos defendentes carissimi, sed date locū iræ.* Si qui fortè, conscij infirmitatis suæ, ægrè id se impetraturos à se ipsis putent, Diuam auxiliatricem

Secundùm Christianos humilitas.

Luc. c. 6. v. 27.

Ad Rom. c. 12. v. 19.

——— *In vota precesq.*

adhibeant, neque intermittāt ad eam clamare quotidie cum Ecclesia:

Virgo singularis,
Inter omnes mitis,
Nos culpis solutos,
Mites fac.

Virg. Æneid. lib. 6.

29 Multæ sæpè sunt fateor causæ irarum, quæ volentibus, quæ etiam occurrunt nolentibus; nonnulla quoque subinde grauioris indignationis materies est. Si hæc, quòd rarius, iusta; plerumque certè iniusta, ferè suppeditata ab aliorū laude, felicitate, gloria; nam ex his vix aliud quàm ira, odium, & inuidia pullulant. Sic Iosepho iuueni innocentissimo accidit: narrabat hic fratribus somnium de viso à se erecto manipulo suo, quem circumstantes manipuli adorarent, quo innuebatur, quòd futurus esset dominus fratrum suorum. Quid inde? *Hæc causa somniorum atque sermonum*, ita loquūtur sacræ Litterę, *inuidiæ & odij fomitem ministrauit*; vsque eò, vt fratres reliqui mutuò loquerentur, prorumpente foras quæ latebat indignatione atque inuidiâ, iratique dicerent: *Ecce somniator venit: uenite, occidamus eum, & mittamus in cisternā veterem: dicemusq́, fera pessima deuorauit eum.* Qualia sunt hæc, & quidem in fratrem à fratribus cōsilia? non potuerunt ea nisi ab iratis animis, & prorsus sui impotentibus proficisci.

Causæ iracundiæ, aliquando iustæ, plerumq́ iniustæ, quia ex inuidia & odio.

In Iosepho.

Gen. c. 37. v. 8.

c. 37. v. 20.

30 Miramur quidem illa, interim non desunt etiam huiusmodi hodie. Numquid multi etiamnum, vbi viderint aliis melius esse quàm sibi, alios se esse maiores, siue opibus, siue honoribus

In aliis multis hoc sæculo etiam.

bus, siue scientiâ, auctoritate, gratiâ, siue rebus aliis quæ bona nuncupamus, aut quorum adeptionem in felicitate ponimus, imò si hæc dumtaxat, obseruare visi fuerint, licet reuerà secus sit (quemadmodum non infrequenter accidit nonnullis magis ex sensu suo quàm ex veritate multa metientibus; secundùm quod ait ille:

Ouid. lib. 1. de Arte.

Fertilior seges est alienis semper in agris,
Vicinumq; pecus grandius vber habet.)

facilè commouetur, irascuntur, atque etiam indignantur, neque conceptam semel indignationem atque iram ponunt, nisi in quo vinci se molestiùs ferebant, in hoc se deinde vincere, factosq; esse aliis superiores putauerint.

Iapones nō irascūtur. Tursellinus vitæ Xauerij lib. 4. c. 1.

31 Profectò aliter agendū esse Christianis, cum rubore, suo exemplo docent nos Iapones, gens licet inculta & barbara, quos ita esse iræ potentes, ait in vita S. Fräcisci Xauerij Tursellinus, vt è Stoica disciplina esse videantur, monstrique simile sit apud ipsos, iurgans, iratus, altercans Iapon cum altero. Ad iurgia autem, contentionesque vitandas, negotia grauia & controuersa numquam ipsimet, semper per internuntios agunt: idque non cum alienis solùm, sed cum necessariis quoque & domesticis seruant; atque ita nullo negotio, & ipsi æquitatem animi, & pacem cum aliis tuentur.

Qui potest inuidiam superare & iram, Regibus potentior est.

Optandum esset sic etiam apud nos fieri, apud quos nimium ferè regnat inuidia, quæ magnos sæpè ciet motus animorum. Hanc qui subiugauerit, iramque illius indiuiduam comitem vicerit, næ ille Principibus, Regibusque potentior est, dicente Poëtâ:

Horat lib. 2. Car. Ode 2.

Latiùs regnes auidum domando
Spiritum, quàm si Libyam remotis
Gadibus iungas, & vterque Pœnus
— Seruiat vni.

Maximi viri maximè obnoxij sunt inuidia.

32 Neque verò quisquā existimet, quantūuis sit magnus, supra inuidiam se esse; adeoque timere inuidorum morsus non debere. Ferè quò quisque maior, eò crebriùs, eò vehementiùs, eò à pluribus impetitur. Dixit Marcus Tullius: *Africano virtutem industria, virtus gloriam, gloria æmulos comparauit.* Et verissimum est illud Horatij Flacci.

Horat. lib. 2. Car. Ode. 10.

Sæpiùs ventis agitatur ingens
Pinus, & celsa grauiore casu
Decidunt turres, feriuntq; summos
— Fulmina montes.

Certè viri magni, qui cum vulgo collati adinstar montium sunt, si ipsi alios non impetant, vti facere nō debent, si verè magni esse velint, ferè impetuntur ab omnibus, omnium propè expositi sunt inuidiæ, & illorū minùs quàm aliorum tuta est virtus à dente mordaci, inuido, iracundo: quamquam nec ceterorum omninò secura. In omnibus enim, prô dolor! secundùm illud eiusdem Horatij.

Horat. lib. 3. Car. Ode. 24.

Virtutem incolumem odimus,
Sublatam ex oculis quærimus inuidi.

Ex inuidia iratus se ipsum examines.

33 Intereà nulli potiùs, nulli maiori iure, quàm illi qui aliis ob eorum virtutem, felicitatem, & gloriam succenset, atque in eos simul irâ atque inuidiâ commouetur, dicamus, quod ferè in causa simili dixit Dominus IONÆ: *Putásne benè irasceris tu?*

Consideret cui irascatur sibi an alteri.

Quærendum verò ab eo aliquid etiam vlteriùs videtur, nimirum: Cuinam irasceris? tibi an alteri? Si alteri, idque quia ipse bonus est, iustus, sapiens, prudens, magnus coram Deo & hominibus; ostendis quàm sis improbus; quando alterius bonitatem, virtutes, & gratias ferre ęquo animo non potes; & quæ in te meritò desiderantur, ea quoque desiderari in altero cupis. Si tibi irasceris, quòd his careas; frustranea est hæc ira tua, quæ ad illorum consecutionem conferre nihil penitus potest. Intuere & imitare bonorum exemplum, facilè sic animo tuo absque indignatione vlla facies satis. Mihi crede, quod deesse tibi senseris, non suppeditabunt odium, ira, inuidia; sed hæc tibi ad istud magis difficilem, & minùs expeditam efficient viam. Itaque, si sapis, exardesce non in iram, sed in virtutis & bonorum operum imitationem, atque vt loquitur Paulus, *æmulare charismata meliora*, irascere peccatis tuis, sicque non

1. Cor. c. 12. v. 31.

non solùm non peccabis; sed D. Bernardo teste, etiã *exterminabis quod peccaueras. Neruus*, inquit D. Basilius Magnus, *est animæ quidam indignatio, fortitudinem constantiamq; ac robur ad res benè & ordine agendas prabens: qua animam fortè voluptate delinitam ac lasciuientem, veluti quadam ferri tinctura corroborans, austeram ac fortem ex molli ac valdè remissa reddit. Nec enim si contra iniquitatem desit indignatio & ira, satis eam odio quo decet persequi poteris.* Hanc igitur adhibe aduersùs peccatum: primò proprium tuum, idque vt grauissimum & infestissimum tibi hostem studiosè persequere; deinde etiã aduersùs alienum. *Nam*, vt ait Gregorius, *si sic proximos vt nos amare pracipimur, restat vt sic eorum erratibus, sicut nostris vitiis irascamur.*

Basilius Magnus hom. de Ira.

Greg. lib. 5. Moral. c. 31.

34 Erit fortasse inuenire alicubi aliquem, cui non sufficiat irasci hominibus, nisi irascatur etiam Deo, ægrè ferens quòd diuitias bonitatis suę in aliũ quàm in se ille largitor munerum copiosiùs partiatur ac diuidat. Verũ quæ maior esse insania potest? Numquid de suis meritò diuidit singulis prout vult? & quis ei dicere audeat, Quare sic facis? Quis etiam velit esse eum suæ bonitatis & munificentiæ, cuius obliuisci non potest, immemorem; neque ampliùs thesaurorum suorum hominibus adyta aperire, atque in eos bona sua, vti solet, partiri? Similis iræ indignationisque insaniam redarguit Christus Dominus apud Matthæum, dicens vni operariorum, obmurmurantium aduersùs patremfamilias, quòd non plus acciperent, quàm illi qui vltimâ horâ venerant: *An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum?*

Quorundã amentia Deo irascẽtium.

Mat. c. 20. v. 15.

35 Iustæ igitur iracundiæ atque indignationis leges hæ sunto. Prima: Nulli nisi ob improbitatem irascitor. Altera: Nulli etiam ob hanc, nisi certâ lege & modo irascitor. Causa legis hęc est, ne per iram parata alteri medicina, ei qui hanc parat, vertatur in toxicum, & alium curaturus, seipsum inficiat. Ad quod appositum remedium suggerens S. Gregorius: *Modus*, inquit, *seruanda mansuetudinis est, vt cùm alienos excessus aspicimus, nostra, quibus in aliis excessimus, delicta cogitemus. Considerata quippe infirmitas propria, mala nobis excusat aliena. Patienter namque illatam iniuriam tolerat, qui piè meminit, quòd fortasse adhuc habeat, in quo debeat ipse tolerari; & quasi aquâ ignis extinguitur, cùm surgente furore animi sua cuique ad mentem culpa reuocatur: quia erubescit sibi peccata non parcere, qui vel Deo, vel proximo, sæpè se recolit parcenda peccasse.*

In quo & quousque irasci liceat.

Modus irã aduersus alium compescendi.

Greg. lib. 5. Moral. c. 30.

36 Audiendus igitur & sequendus Basilius Magnus, qui monet, *Iram retineamus vt equum iugalem, nobis ratione ac frano quodam obtemperantem, ac ordinem proprium nequaquam excedentem, & viam ingredientem, quâ recto mentis consilio dirigitur.* Quod non erit factu difficile, si quamprimùm suborientes aliquos iracundiæ motus senserimus, priusquam illi subuertere rationis arcem inceperint, dicamus nobis quod dicit hîc IONÆ Deus: *Putásne benè irasceris tu?* Sic enim neque iniustæ, neque immoderatæ iracundiæ locum dabimus; atque nobis iustè debiteque iratis, iis insuper quibus ob peccata irascimur, benè feliciterque cuncta euenient, & illam quam horrere debemus quàm maximè supremi Iudicis iram euademus.

Ira vt vtilis sit instar equi iugalis freno rationis cohibenda.

Basilius de Ira.

LECTIO QVINTA.

ET EGRESSVS EST IONAS DE CIVITATE, ET SEDIT CONTRA ORIENTEM CIVITATIS: ET FECIT SIBIMET VMBRACVLVM IBI, ET SEDEBAT SVBTER ILLVD IN VMBRA, DONEC VIDERET QVID ACCIDERET CIVITATI. *Vers. 5.*

ARGVMENTVM.

Egressus IONAE *è Niniue tempus, modus, ratio, indagantur. Quid deinde fecerit, vbi sederit, quaeritur. De vmbraculo quod sibi foris construxit fusiùs agitur. Eius paupertas, & rerum humanarum contemptus imitanda proponuntur. Ex hac eiusdem actione, eliciuntur alia quaedam vitae ritè instituendae documenta.*

1 VEMADMODVM IONAS magno spiritu & feruore ciuitatem ingressus, omnia suâ prędicatione compleuit, animos ciuium vehementer immutauit; nullos non ad preces, lacrymas, vitiorum detestationem, pœnitentiam inflexit: ita ipsius erat, vt currentibus calcar adderet, & seriò atque constanter in opus benè inchoatum incumbere pergerent, eos continuò hortari, commonere, vrgere, languentes, si qui forte essent, ne in primo ardore ac contentione deficerent, excitare.

2 Verùm longè aliter accidit, paullò pòst videns feruorem virorũ illorum, adolescentium, atque etiam paruulorum; adeoque totius promiscuae multitudinis vtriusque sexus, cum ingenti mœrore & amaritudine, ciuitate, rerum euentui intentus, egreditur; spectaturus videlicet, an ieiunij & saccorum taedio, ad pristinas delicias redirent & scelera; atque intra definitum quadraginta dierum curriculum, diuinus furor ita denuò efferuesceret, vt propheticas eius minas non futiles aut vanas fuisse aliquãdo constaret. Egreditur inquam, non solùm inquietus, sibique molestus & grauis; sed & indignabundus, quòd post officium tam benè praestitum, nequaquam potiatur optatis, & Deus, quo iubente Niniuitis denuntiarat interitum, illud ipsum quod denuntiari iusserat, non statim adimpleat.

Ionas qui Niniuitas pœnitentes animare ampliùs debebat in opere bono, ab illis recedit.

3 Prophetam haec de seipso narrantem, sed obscurè & breuiter, audiamus.

EGRESSVS EST, inquit, IONAS DE CIVITATE. At quando? Quidã apud Theophylactum censent post elapsos dies quadraginta, terminum indictae pœnitentiae, vbi eam non periisse iam constitit. Laudant & sequuntur Oecolampadius, Caluinus, & hic probat ex eo potissimùm, quòd cum ordine praesentis narrationis illud valdè consentiat. Sed, vt mox videbimus, non vrget argumentum. Neque ego cum illo, aut aliis sic sentientibus, sentio.

Quando Ionas egressus ciuitate sit quaeritur.

Nam quid post lapsos dies quadraginta, quando nullus ampliùs de Niniuitarum interitu metus, quando iam expirauerat illius cõminationis tempus, istic spectaret aut exspectaret IONAS, sederetque ciuitati vicinus, iam prophetiae suae veritate frustratus?

Ostenditur quòd non post elapsos dies 40. destinatos remissioni.

4 Respondet Caluinus; consedisse, quòd nondum certò statuere posset, an ab ipso, Deo mandante, pronuntiata

Argumentum Caluini, quo probare nititur contrarium.

ciata sententia, suo esset effectu caritura. Quare sic secum ratiocinatum IONAM putat: Tu nosti quàm nihil temerè dixeris, quî ergo fieri possit, vt quod à te Deus publicari voluit suo iussu & nomine, nunc cassum fiat & irritum, neque tuæ prædictioni euentus respondeat? Hac deinde secum ratiocinatione habitâ, statuisse adhuc istic morari, cùm crederet, etiam suspensâ ad tempus vindictâ, prædicationem suam irritam esse non debere; adeoque ciuitati, quandocumque demum (cùm de tempore vlteriùs non constaret) & deberi, & apparari interitum, quem exspectarit, etiam elapsis diebus quadraginta, quoadusque longioris moræ affectus tædio, aridâ iam hederâ abcederet, & mœstus aliò demigraret.

Refutatur Caluini argumentum. 5 Sed oppono inprimis: quomodo non certò statuere IONAS potuit, imò non secum statuit vel ex tunc, quod Deo mandãte protulerat, suo effectu, saltem quoad præstitutum tempus, carere; cùm iussus proclamare, & dicere: *Adhuc quadraginta dies, & Niniue subuertetur*; illis iam lapsis videret rem longè se aliter habere, stare immotam ciuitatem, atque vti priùs saluam & incolumem. *c.3. v.4.*

6 Deinde, ponamus cogitasse nihil à se dictum temerè; sciuisse etiã quod Deo imperante edixerat euentu non cariturum: certè non idcircò post dies quadraginta eo loci confidere, aut hærere debuit. Nam cùm hunc terminum posuisset Deus subuersioni ciuitatis, illum post hoc tempus elapsum ibidem commorari, vel ad dicti sui veritatem confirmandam, vel ad Domini beneplacitum infringendum, immutandum, aut etiam explanandum, neque multum, neque parum valuisset. Quorsum igitur tum temporis istic vlteriùs in ignauo otio hæreret?

7 Denique si elapso iam spatio dierum quadraginta ruinæ ciuitatis destinato, adhuc speraret eius interitum; atque hunc imminere etiam tum crederet, implendumque prorsus quod dixerat, quorsum tantus ille eius dolor, luctus, iracundia? Quorsum hęc ad Dominum lamenta, & friuola de præterita fuga excusatio, dicentis: *Propter hoc praeoccupaui vt fugerem in Tharsis; scio enim quia tu Deus clemens, & misericors es, patiens, & multæ miserationis, & ignoscens super malitia.* Insanus omninò videri possit, si nondum spe suâ destitutus sic ingemisceret, sic suas apud Deum imprudens, ac propè impudẽs, partes ageret; sic opportunè, importunè mori, vitæ huius affectus tædio, postularet. *c.4. v.2.*

Ionas statim à concione facta, ciuitate egressus est. 8 Esto igitur certum, egressum ciuitate, non modò ante diem quadragesimum, sed statim à peracta concione, fortè tertio quartove pòst die, si non primo; tum enim, fixo ad Orientem ciuitatis tabernaculo, successum & fructum illius cum patientia ad vsque præfinitum tempus præstolatus, ibidem hæsit, spem inter & metum dubius. Hoc præterlapso, cùm nihil eorum quæ interminatus fuerat euenire aduerteret, & ciuitatem permanere incolumem, vehementer indoluit; neque vllius moræ vlterioris patiens, continuò mori petiit. Atque hæc est vulgatissima grauissimorũ auctorum, veterum & recentiorum sententia: Theodoreti, Theophylacti, Rabbi Aben-Ezræ, Dionysij Carthusiani, Lyrani, Pauli Palatij, Riberæ, Christophori à Castro, Mastrilli, ex Nouantibus Ioannis Drusij, Merceri & aliorum. Scio repugnare quosdam, sed illi pauciores. *Probatur ab auctoritate.*

9 Ad hoc autem quod quærit Caluinus, quomodo IONAS intelligere potuerit quid futurum mox esset, præterquam quod suprà respondimus difficile ei non fuisse, si non ex diuina reuelatione, certè ex bonitate Dei & clementia, iam pridem illi, vt Prophetæ, probè perspecta, cognoscere, quid demum omnes illas quantumuis atroces minas cõsequeretur, videlicet nobilis, & tantâ Maiestate dignus actus clementiæ; dico difficultatem non habere, tametsi id ante egressum nequaquam cognouerit, cùm id opus non esset.

10 De-

Ipsum & eius confirmatio diluitur. 10 Demus ergo non cognouisse, quid inde? Dicet Caluinus: hoc contra seriem est enarratæ in sacris Litteris veritatis; in quibus hoc primum ponitur, quòd, velut præscius futurorum Deum pro auertenda à se calamitate, per mortis accelerationem precetur: secũdum verò quòd ciuitate egrediatur, & sedeat cõtra Orientem. Sic habet vt dicit. Verùm respondeo: non ignorari ab iis, qui vel modicè tincti sunt sacrarum cognitione Litterarum, sæpiùs in iis retrogrado ordine, enarrari quæ priùs facta, posteriùs; & quæ euenere posteriùs, priùs, per figuram ὕστερον πρότερον, siue hysterologiam Rhetoribus nuncupatam. Quod hoc loco fieri disertè docuit Theodoretus. Ipsum audiamus: *Cùm hoc primum factum sit*, inquit, *Propheta extremum posuit. Nam vbi narrasset Niniuitarum pœnitentiam, huic coniungere voluit Dei misericordiam, & tristitiam, quæ ex hac sibi accidisset.* En causam immutati ordinis. Pergit deinde: *Hoc autem loco facta intermedia explicat; videlicet, vt, cùm verbum Domini denuntiasset, ex vrbe exiuit: vtq; cùm tabernaculum fixisset prædictionis finem expectauit: id quod non dubium est quin præ mœrore faceret. Cùm autem post definitorum dierum finem, nihil mali vrbem illam sustinere vidisset, cum anxietate Deum precatus est.* Hæc Theodoretus: cuius sententiæ prorsus subscribendum censeo, & subscribo.

Theod. in hunc locum.

Vauere nostra sententia Theodoretus ostenditur.

Causæ variæ adferuntur tã celeris abitus Ionæ ex Niniue. 11 Videamus modò quorsum tam citò, tam maturè, tam properè abierit ex Niniue IONAS? Causam dant Paulus Palatius, & Franciscus Feuardentius, vterque vir magnus; quòd Gentibus atque alienigenis couti, etiam breui illo paucorum dierum spatio, nollet; quibus vel minimum se commisceri, Iudæi semper sunt arbitrati indignum. Vnde & illæ adhuc tanto pòst tempore, necdum mutatâ eorum mente, voces Samaritanæ mulieris ad Christum: *Quomodo tu, Iudæus cùm sis, bibere à me poscis, quæ sum mulier Samaritana? non enim coniuncti Iudæi Samaritanis.* Scilicet mirabatur illa secum agere Christum ex Iudæis oriundum.

Ioan. c. 4. v. 9.

Et illæ D. Petri Apostoli ad Corneliũ: *Vos scitis quomodo abominatũ sit viro Iudæo, coniungi aut accedere ad alienigenam.* Videlicet putauerit IONAS Niniuitarum se consuetudine maculandum. Sed non video quid responsuri sint: si, sicut missum auctoritate diuinâ, ita mansurum fuisse, si quando maneret, dixerimus. Act. c. 10. v. 28.

12 Aliam meliorem, magisque conformem tum litteræ, tum veritati, causam assignat Ribera; quòd perfectâ legatione, manere diutiùs in ciuitate noluerit: ne si istic moras necteret, & fortasse detineretur, quoad dierum quadraginta ab ipso decantatum spatium effluxisset; incurrens in ora & oculos omnium, omnium quoque linguis, & sibilis peteretur, totâque ciuitate impostor, mendax, nugiuendus audiret. Satius ergo existimat quamprimũ vrbe excedere, & foris exitum, quicumque demum futurus is esset, securè præstolari.

13 Non caret hic IONÆ egressus, secundùm Rupertum, mysterio: hoc enim, vt vult ille, innuitur, quòd Dominus, siue Verbum Domini, totius mundi Gentes initio reliquit; id est, prout Paulus & Barnabas in Actis loquuntur: *Dimisit omnes Gentes ingredi vias suas.* Fecitque sibi vmbraculum; Abraham, Isaac, & Iacob assumens, & genus illorum eligens, in quorum fide requiem inuenit, sedens tum velut in vmbra, *donec videret quid accideret ciuitati*; quia intra illorum generationem se continuit, donec veniret tempus reconciliationis Gentium, quod ille præsciuit. Hæc ferè, vti etiam cetera omnia allegoricè interpretatus, habet Abbas Rupertus.

Egressus Ionæ ex Niniue allegoricè explicatur.

Act. c. 14. v. 15.

In quam sententiam dixit quoque B. Hieronymus: *Antequam Niniue saluaretur, & aresceret cucurbita, antequam Christi Euangelium coruscaret, & compleretur Zachariæ prophetia: Ecce vir Oriens nomen eius: Ionas sub vmbraculo erat. Necdum quippe veritas venerat, de qua idem Euangelista & Apostolus loquitur, Deus veritas est.* IONAS autem, *Christus*, inquam, alter IONAS, secundùm Re- Hieron. in c. 4. Ionæ.

Remigius in hunc locum.

Remigium Antisiodorensem, *sedere hic dicitur in habitu iudicantis; quia sedere iudicantis est; vel quia seipsum humiliauit, & diuinitatis maiestatem in quamdam contraxit breuitatem. Qui enim sedet, videtur stante breuior.* Ita ille.

Egressus Ionæ ex Niniue quid nos doceat?

14 Quàm non careat idem Ionæ egressus non tantùm mysterio, sed etiam documẽtis illustribus videamus. Docet ille inprimis, secundùm Ioannem Chatardum, Dei Legatos, quàm egredi è loco ad quem missi fuerant non debeant, donec ibi suâ fuerint legatione perfuncti; tum verò relictâ turbâ & ciuitatis strepitu in locum quietis & contemplationis cognitioni rerum diuinarum sese recipere possint; ad exemplum Christi, qui Ierosolymis suo perfunctus munere, secedebat in montem Oliuarum, ibidem *pernoctans in oratione Dei.*

Lucæ 6. v.12.

Sed & monentur hic ex eiusdem mente atque sententia iidem, eatenus in ciuitatibus hominumq; frequentia commorari, quatenus eorum saluti fuerint necessarij; ibidem verò voluptatibus nequaquã allici ac detineri, sed sic agere, vt secũdùm Ambrosium, *habentes quidem in vrbibus conuersationem, desertum mente possideant.*

Ambros. ser.34.

Ad exemplũ Ionæ, egredientis è Niniue, nobis è mundi vanitatibus est egrediendũ.

15 Docet insuper ille Ionæ egressus ex Niniue omnes nos, saluti nostræ consulere cupientes, secundùm Remigium quàm sit promptè ex mundo mundique vanitatibus egrediendum. Quod vt euidentiùs ostendat, *Ciuitas quando in malũ ponitur,* inquit, *fiduciam terrenæ spei & cupiditatis mundanæ designat. Nam Cain qui mundum fratricidio cruentauit, primùm legitur ædificasse ciuitatem.* Subiicit deinde: *Ionas de ciuitate egreditur, qui columba vel dolens dicitur; quia omnis simplex, & de peccatis suis dolens, se facit inprimis à sæculi cupiditatibus alienum, spem in mundi vanitatibus non collocat; sed contra Orientem, id est veri solis ortum habitat, ibi euentum expectans in vmbraculo hæret; id est in carnis suæ custodia peruigil, quid ciuitati Niniue contingat, quid inquam de mundo futurum sit, contemplando præstolatur.* Hactenus Remigius.

Remigius loco citato.

Egrediendum de mundo quasi de Babylone.

16 Idem doceri hîc censuit Albertus Magnus: ait namque disertis verbis, Prophetæ nostri egressum significare egressum de mundo; de quo videlicet nobis egrediendum sit, quasi de Babylone, secũdùm vocem à Ioanne auditam de cælo cùm meminit Babylonis: *Exite de illa populus meus: vt ne participes sitis delictorum eius, & de plagis eius non accipiatis. Quoniam peruenerunt peccata eius vsque ad cælum, & recordatus est Dominus iniquitatum eius.* Quod non tantùm de Babylone, sed etiam de vniuerso mundo dici potest: quoniam, vt idem D. Ioannes ait, *mundus totus in maligno positus est.* Sicuti ipse Dominus B. Dominico aliquando aperuit; quando ei Romæ in D. Petri oranti per noctem, cælũ patere visum, Christusque Dei filius exurgere vultu irato ternas manu lanceas vibrans, vnam in superbos, in auaros alteram, tertiam in lasciuos, ad orbis interitum. Tum verò iustæ huic iræ diuinæ sola obsistẽs Virgo Mater, miserorum perfugium, vbi ad pedes accidit filio, supplicans placeret ignoscere iis, quos suo pretioso sanguine redemisset; responsum aliud non accepit, quàm non esse iustitiæ suæ, tot tantaque peccata mortalium orbe toto grassantia sinere impunita; donec tandem duos famulos suos Dominicum & Franciscum, hominibus reuocandis ad pœnitentiam operam suam strenuè impensuros exhibens, gratiam quâ iam perituro ob enormem malitiam mundo parceret, impetrauit.

Albertus Magnus in c. 4. Ionæ.

Apoc. c. 18. v. 4.

Mundus esse plenus malitia in visione ostenditur.

1. Ioan. c. 5 v. 19.

S. Antoninus in 3. Parte suæ historiæ.

Vtinam nos moniti per egressum Ionæ è Niniue de egressu nostro è mundo, illi atque illius negotiis non nimium immergamur & implicemur; ita vt deinde iis nos expedire non nisi ægrè admodum, tametsi velimus, valeamus. Quare hæc tantùm à longè speculantes, atque intuentes eorundem vanitatem, ipsa fugiamus, ne tandem cum iis & mundo damnemur.

17 Pulchra est obseruatio D. Hieronymi ad hunc locum, vnam fugitiuorum ciuitatem appellatam fuisse Ramoth, quod interpretatur visio mortis.

Subdit

Subdit verò: *Quicumque fugitiuus est, & propter peccata non meretur habitare Ierusalem, habitat in vrbe mortis, & est trans fluenta Iordanis, qui descensus exprimitur. Egreditur ergo columba vel dolens de istiusmodi ciuitate, & habitat contra Orientem, vnde sol oritur, & est ibi in tabernaculo suo, vbi labentia quæque tempora cõtemplatus, expectat quid supradictæ eueniat ciuitati.*

Sessio hæc Ionæ, indicat subsecutam à sole vrente afflictionem.

18 Prorsus ita fecit noster Propheta, qui SEDIT CONTRA ORIENTEM CIVITATIS. Hebraicè est. *Sedit ab Oriente ipsi vrbi*, è regione scilicet partis ciuitatis quæ Orientem spectat. Valet hæc annotatio ad indicandam connexionem historiæ & intelligendum quomodo verum sit quod subiicitur, exortum solem statim affligere IONAM cœpisse: neque enim hoc mirum est, cùm sol exoriens eum sic sedentem & constitutum non potuerit non vehementer radiis suis impetere, eique grauem molestiam procreare.

Ionas cur sederit ad Orientem ciuitatis quæritur? & varia à variis rationes dantur.

At quorsùm sedem sibi ad Orientem potiùs quàm ad Occidentem, aut aliam siue mundi siue ciuitatis plagam deligit? Secundùm Ariã Montanum, vt calamitatem, si quæ esset vrbi inferẽda diuinitus, ab Occasu & Meridie venturam, cùm sit in illis partibus Iudæa, vbi veri Dei habitatio, & cultus, & prospiceret citiùs & tutiùs declinaret: futuri enim, vt ait ille, periculi spectator quàm socius esse malebat.

Secundùm Paulum Palatium; vt sic simul in oculis habens Niniuen, simul Ierosolymam, conuersus ad Occidentẽ, vti Iudæis mos erat, oraret. Etenim certum est Ierosolymam, ad quam orabat IONAS Orientem occupans, ciuitati Niniue propè Occidentalem fuisse.

Secundùm Franciscum Riberam; vt ex colliculo, seu monte, qualem ibi aliquem paullò eminentiorem fuisse ipse imaginatur, liberior pateret Prophetæ in ciuitatem obtutus; & inde, velut ex specula videret (vt aliquando Nero Vrbis Romæ incendium) aut flammas, aut tonitrua, aut fulgura, aut quæcumque alia immittenda à Deo, Niniuitis interitum allatura.

Quale sibi vmbraculum Ionas fecerit.

19 Postquam verò sic sedendi locum sibi opportunum delegisset; altera cura ac domicilij, tectique arcendis cæli iniuriis commodi, constituendi construendique ratione supererat; præsertim cùm esset, prout decreuerat, longiores aliquantulum istic moras tracturus. Itaque & isti necessitati facturus satis, ne quam ad cetera adferret molestiam aëris intemperies, FECIT SIBIMET VMBRACVLVM IBI. Ex arborum, ni fallor, ramis à syluæ vicinia suppeditatis, adinstar tugurioli, quo vel opiliones hyberno tempore dum gregem tuentur & pascunt, vt se defendant à pluuia, niue, pruina, grandine, immodico etiam frigore, nocturno præsertim; vel potiùs, quo vinitores æstiuo, vt se à calore diei meridiano solisq; radiis vrentibus tueantur, leui manu expeditè fabricato, vti pro præsenti necessitate consueuerunt.

Sedit extra ciuitatem Ionas æstiuo tempore.

Porrò æstatem fuisse, & quidem adultam satis, cùm hæc acciderunt, colligi videtur ex eo quod in historica narratione subiicitur: *Sedebat subter illud in vmbra.* (c. 4. v. 5.) Nouimus enim quã non soleat quisquam, nisi in æstate vmbram sectari, & sub arborum foliis viridantibus, aut amœnitatis, aut commoditatis gratiâ delitescere: aliàs magis solem optans & quærens, quàm vmbram.

Ionas sedens ex aduerso ciuitatis secundùm Augustinũ figura fuit populi Israel carnalis.

20 Ex S. Augustini sententia, quòd IONAS tabernaculum sibi constituerit, considens ex aduerso ciuitatis, ibi quid eidem futurum esset expectans, alterius significationis personam gestabat: *Præfigurabat enim*, inquit ille, *carnalem populum Israel. Nam huic erat & tristitia de salute Niniuitarum, hoc est de redemptione & liberatione Gentiũ. Vnde venit Christus vocare non iustos sed peccatores ad pœnitentiam.* (Aug. epist. 49. ad Deo gratias q. 6.)

Ionas sibimet vmbraculum extruit vera paupertatis amãs.

21 Nescio an obseruaueritis, quod hîc dicitur: *Fecit sibimet vmbraculum*, sine vllius nimirum subsidio, sine vllius adminiculo, *sibimet*, *sibimet*, cum nullo visus velle habere commercium, vmbraculum siue tuguriolum suum mani-

manibus propriis extruxit, idem architectus qui incola, in supellectile pauper, in structura tugurioli sui humilis & demissus, in omnibus ad externam speciem vilis, abiectus, contemptus, & contemptor omnium; qui tamen suam paupertatem & contemptum nouerat esse diuitiis omnibus & Niniuitarum gloria potiorem. Verè

Horat. l. 3. Car. Ode 16.

Contempta Dominus splendidior
rei.

22 Notate quæso quod dico, quàm non superbum palatium, sed vile tugurium; non laqueatas trabes, sed tenues arborum ramos quærat; sub quibus latitare, non luxuriari possit, multò adhuc expeditior, quàm ille qui dicebat.

Horat. l. 2. Carm. Ode 18.

Non ebur, neque aureum
Mea renidet in domo lacunar:
Non trabes Hymettiæ,
Premunt columnas vltimâ recisas
Africâ.

Concionatores Euãgelici paupertatem amare debent propriis commodis repudiatis.

Quippe cui quidquid sors dabat, & industrius manuum propriarum labor, ad commorandum erat satis. Exemplo iis qui Euangelicam annuntiant veritatem, vt paupertatem sectentur, temporalium rerum commodis repudiatis penitùs & contemptis. Quod vt facerent, monuit Christus discipulos suos ad prædicandum missos, quos deinde ceteri imitarentur: *Nolite portare sacculum, neque peram, neque calceamenta. In quamcumque domum intraueritis*, alienam videlicet, nam propriam non habebant, neque etiam habituri erant, vt tantò essent expeditiores, *primùm dicite: Pax huic domui.* Mirabatur proinde Petrus claudũ à se paupere eleëmosynam postulare, & secundùm B. Ambrosium dicebat: *Vides me Christi discipulum, & aurum quæris? Non habeo quod non dedit, sed quod dedit habeo. In nomine* IESV *surge, & ambula.* quæ erat nobilissima eleëmosyna, omni auro argentoque potior.

Luc. c. 10. v. 4.

Ambr. in c. 10. Lucę.

23 Certè olim etiam apud Romanos, adhuc Ethnicos licet, omnia optimè in paupertate agebantur, in diuitiis pessimè, dixit enim Iuuenalis:

Iuuenal. Sat. 6.

Nullum crimen abest, facinusq́; libidinis, ex quo
Paupertas Romana perit.

Quid nunc mirum si pessimè omnia, apud Christianos dum paupertas exulat, regnant diuitiæ, cùm magis de domibus terrenis cogitatur, quàm de æternis in cælis. Dictum est S. Bernardi: *Non decet membrum delicatum esse sub capite crucifixo.* Decétne igitur magistro tam paupere, vt dicat: *Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos: filius autem hominis non habet vbi caput reclinet*; discipulos diuites esse, atq; in palatiis cõmorari. Certè, vt inquit ille.

Bern. de Passione Dom. super illud Ego sum vitis c. 4.

Mat. c. 8. v. 20.

Viuitur paruo benè.

24 De facto hoc IONÆ foris commorante, ibique faciente sibi vmbraculum, loquens B. Albertus Magnus. *Fide*, inquit, *demoratus est in terra repromissionis, tamquam in aliena in casulis habitando, cum Isaac & Iacob cohæredibus repromissionis eiusdem:* seruans nimirum quod filij Rechabitarum, qui misso ad se à Domino Ieremia, dixerunt illi: *Non ædificauimus domos ad habitandum, & vineam, & agrum, & sementem non habuimus, sed habitauimus in tabernaculis.* Qua de causa, obediẽtes in hoc pręcepto Patris sui, amplã à Deo dicente: *Non deficiet vir de stirpe Ionadab filij Rechab, stans in conspectu meo cunctis diebus*; benedictionem acceperunt.

Ionas, secũdum Albertum, hic habitans in tugurio, fide habitauit in terra repromissionis.

Iere. c. 35. v. 9.

Narrat hoc loco idem Albertus, Didimum Brachmannorum regem scripsisse in epistolâ quadam ad Alexandrum: *Antra nobis domus sunt, quæ dum viuimus, proficiunt in hospitium: dum morimur, in sepulchrum.* Parum hoc modò cogitamus, multò minùs sic loquimur & scribimus, omnium verò minimè secundùm hoc agimus, quando

In antris nobis commorãdum magis esset quàm in palatiis vt memores simus sepulchri.

Contracta pisces æquora sentiunt
Iactis in altum molibus.

Horat l. 3. Carm. Ode 1.

quando eriguntur minitantia cælo tecta; adornantur, etiam à priuatis, substructiones superbæ, regio apparatu instruuntur conclauia, quibus non tam vtantur, quàm diuites, potentes, splendidi, videantur.

O curas hominum! ô quantum est in rebus inane!

Aulus Persius Sat. 1.

25 Longè profectò melius fuerit sub vmbra in tuguriolo, vel paupere casa, sedere cum IONA, ibique videre, & secum studiosè perpendere, quid ciuitatibus, domibus, & præcipuè domui huic luteæ, tabernaculo corporis nostri futurum sit aliquando, cùm vt ait ille,

Horat. lib. 2. Ode 14.

Linquenda tellus, & domus, & placens
Vxor, neque harum quas colis arborum,
Te præter inuisas cupressos,
Vlla breuem dominum sequetur:

Quàm cùm illis sæculi diuitibus, in palatiis, vitæ ac mortis immemorem, inter cupedias degere; & in potentia, luxu, opibus, superbire, ac domum in terris æternam, stultè stolideque confingere.

26 Scio non capiunt hanc diuinæ sapientię philosophiam mortales, quia immortalitatis immemores: hinc illæ deinde lacrymę. Iam quidem multum sapere se existimant, sed vel maximè in hoc desipiunt, quòd cùm stulti sint, in eo ipso quod stulti, sapientes videri velint, & vt tales omni contentione appetant, quæ momento prætereunt, pereunt.

Quomodo Sancti veteris ac noui testamenti habitarint miserè, de domibus nō solliciti.
Ad Heb. c 11. v. 38.

Non sic IONAS, non sic prophetæ, nō sic olim sancti, qui, vt loquitur scribens ad Hebræos Paulus: *Errabant in solitudinibus, in montibus, & speluncis, & in cauernis*: in his erat eorum commoratio, seu diuersorium potiùs, cùm tamquam peregrini vbiuis agere ad tempus pro Dei maiore gloria nòn reformidarent, nusquam verò commorarentur. Quos imitati deinde philosophi Christiani, ea quæ mundi sunt nudæ magistri sui Christi inopiæ postputantes, & ipsi in mōtibus, syluis, speleis ferarum, in antris, atque cauernis, abiectiùs & viliùs, quàm olim in dolio suo Diogenes; in columna quoque nonnulli multorum spatio annorum ad miraculum, vlla sine intermissione constiterunt; mundi quidem ipsi ludibrium facti, sed multò magis mundum habentes ludibrio.

27 Ad historiā nunc iterùm redeuntibus nobis occurrit quærendum: cur ciuitate exeat, & quidē illâ de quâ est optimè meritus, quam suâ prædicatione seruauit incolumem IONAS? si vmbram sectaturus, illam in hac faciliùs & certiùs quàm in campis patentibus reperiret. Quid igitur hæc sibi vult fuga?

Cur Ionas egrediatur Niniue, cōmodiùs & meliùs in ea, quā extra eam habendus.

Nusquam accusatos Niniuitas legimus, quòd cum eo indignè, inhumaniter, barbarè egerint, quòd minùs benignè ac reuerenter eum acceperint; vt proinde expedire se ab illorum consuetudine debuerit, aut eos indecentiùs secū agentes declinare. Quinimò omninò simile vero est, quod ait S. Ephrem, & post eū Dionysius Carthusianus, magno istic in honore ab omnibus habitum, fuisse quoque à sanctitate, ac vitæ integritate, ciuibus, totique populo commendatum. Indicio est habita eius sermonibus tam subitò fides; &, vt Carthusianus ait, quotidiana ciuium de eius victu ac necessariis sollicitudo. Sed nec ambigunt auctores citati, quin, cùm foris sederet spectator, magno numero ciuitatis incolæ, petituri deploratissimis rebus, cùm solatium, tum etiam auxilium, quæ præsens ipsa in ciuitate præstare meliùs potuisset, ad eum turmatim confluxerint.

28 Quid igitur, tam benè ab omnibus habitus, tam ciuitati necessarius, ex ea egreditur, & sub vili sedens cespite, tectus leuibus arborum foliis, velut in deserto commoratur, quid vmbram deserens vmbram quærit? Non probaui, nec probo, quod dicunt nonnulli, fugisse eum Niniuitarum, etiam pœnitentium, rectęque modò agentium societatem, illos, & alios quoscumque, qui de sanctorum Patriarcharum progenie non essent, & auersando, & suo conspectu consuetudineque indignos censendo.

Cur ergo à tanta sese multitudine ità nauiter & sedulò bonis intenta operibus, vir tam bonus & sanctus secernit? Ex propriis eius verbis rationem accipite.

29 DONEC, inquit, VIDERET QVID ACCIDERET CIVITATI. Chaldæus: *Quid ad extremum vrbi contingeret.* En tota

Ratio egressus assignatur vt videat quid ciuitati futurum. tota egressus ratio, vt videat quid ciuitati futurum. Numquid etiam ibi manens videre hoc poterat, quorsum ergo istęc loci mutatio? Quid si timuerit, ne manens inter ciues, quãdo ipsi, prout vaticinans dixerat, cum ciuitate sua perirent, pereuntium quoque numero accenseretur? Fortassis etiam, quod est probabilius, videns Niniuitarum & Sodomæorum mores, non omninò dissimiles, meminerit Lothi, qui in communi incendio ad montem egressus incumbẽtem ciuitati, ibi saluti suæ prospexit, sibi quoque in monte, de maiori securitate prouidendum in omnem euentum putauit.

Sperabat Ionas aliquo modo Deum ostensurum veritatem sui vaticinij. 30 Quidquid hac de re sit, dum istic sedet, & Niniuen lugentium ac pœnitentium theatrum aspicit, animus ipsius videtur fuisse, obseruare vlteriùs quo pacto suas indies acturi partes incolæ, an in eadem forma & habitu, in luctu perseueraturi ac pœnitẽtia, non dubitans de eorum salute si fecerint; sic tamen vt pro honore suo, & vaticinij veritate, aliquâ saltem, licet mitiori pœnâ plectẽdos, vt vult Menochius: aut, vt Palatius, ostensurum Deum nouo prodigio, sui Prophetæ integritatem vaticiniique veritatẽ, nequaquam diffideret. Paullò aliter S. Cyrillus Alexandrinus. *A spe,* inquit, *non penitus discedit, opinaturq́, quoniam dare se pœnitentiæ voluerint, suppliciorum gratiam illis ad tempus factam: sed omninò quiddam pœnarum luituros; quandoquidem pœnitentiæ labores delictorum grauitatem non æquauerint. Quid enim iuuet triduanus sudor omni genere nefandarum actionum sepultos, & peccatis adeò tetris obrutos? Hæc secum, vt verisimile est, volutans ab vrbe recedit, & exspectat videre quid incolis futurum sit.* Ita Cyrillus.

Egrediens ciuitate Ionas est imago hominis singularis. 31 Relicto paulisper IONA ad nos conuertamur; in illo nos, & nostra spectemus. Laudauimus eum à rerum humanarum contemptu; nescio an pariter, laudare possimus à vita extra ciuitatem ducta solitariè. Certè Iacobus Aluarez de Paz non magnoperè hinc commendandum putat; ait namque imaginem referre hominis singularis, qui communem iustorum societatem spernens, & nouam atque inusitatam viuendi rationem inducens, aut æstu superbiæ cruciatur; aut, si præ corporis imbecillitate perseuerare non possit, verme iracundiæ, atque indignationis eum affligente ac corrodente consumitur.

Tom. 1. de vita spirituali l. 5. p. 3. c. 36.

Singularitas in religiosis damnatur. 32 Non probatur secessus IONÆ è ciuitate, & illa commoratio extra communem populi Niniuitici, cui prodesse verbo & exemplo potuisset, consuetudinem & consortionem: multò minùs probandum videtur in communi iustorum & hominum Deum timentium (religiosorum præsertim, qui vnis iisdemque legibus viuunt, quique iisdem armis instructi, eandem militiam sunt amplexi) cœtu congregationeque, quemquam aut videri, aut esse singularem: neque enim quidquam æquè offendere commilitones solet.

33 Quare si quis, siue vt licentiùs & liberiùs, siue vt arctiùs, & vt ei videtur, Deo coniunctiùs viuat, hanc appetit, is in graui errore versari se putet. Itaque sui corporis amator immodicus, ad vitandum ciborum, vestium, & propriorum commodorum vsum non omnibus communem, ne quo modo singularis videatur, æternarum se rerum desiderio exacuat. Similiter propriorum commodorum in speciem contemptor, qui communi aliorum viuendi ratione nequaquam contentus, contra superiorum beneplacitũ, immoderata ieiunia, vigilias, flagella, aliasque corpori affligendo exercitationes vsurpat, cum ceteris in victus vestitusque ratione non consentit, eos vt carnis deliciis deditos aspernatur, meliùs se ad eorum, à quibus pendere debet nutum directionemque conformet: & sciat, vt suæ singularitati, quæ superbiæ filia, pari cum matre gressu graditur, mederi valeat, non esse placitam Deo illam viuendi agendique rationem, tametsi externâ specie optimam, quæ

ſcindit vitæ religioſæ vnitatem, & arctum illud communis conſuetudinis ac ſocietatis vinculum aut abrumpit, aut ſoluit. Si placet audire ſingularitatis mala in vno vitio plurima, enarrat ea Petrus Bleſenſis in hunc modum: *Qui ſingularis eſt, aſpernatur ceteros,& ſe ſolum religioſè viuere proteſtatur;ſuſurro in fratribus,fomitem odij & ſeminaria diſcordiæ miniſtrans;quibuſdam latenter detrahit, quorumdam benefacta patenter decolorat: manus eius contra omnes, & manus omnium contra eum.* Ad extremum verò ſubiungit: *Timendum eſt ne exterminet eum aper de ſylua,& ſingularis ferus deuoret ſingularem.*

Bleſenſis ſer.50.

34 Ex quo ſatis apparet, quàm ſit vitium illud fugiendum, quàm modis omnibus deteſtandum; multoque magis ex eo, quòd ſingularitatem amantibus atque ſectantibus, hoc ipſum tam ceſſerit malè. Petrus Collegio Apoſtolico ſociatus Chriſtum confitetur dicens: *Tu es Chriſtus filius Dei viui.* Ab Apoſtolis ſegregatus, ait: *Neſcio hominem iſtum quem dicitis.* Cum ceteris audit: *Beatus es Simon Bar-Iona, quia caro & ſanguis non reuelauit tibi; ſed Pater meus qui in cælis eſt.* ſegregatus à ceteris, ne in maledictione ſua pereat à Domino benignè reſpici debet, & ad gregem reduci. Thomas extra communem Apoſtolorum cœtum Chriſti reſurgentis conſpectu priuatur, tantaque cordis duritie tangitur, vt dicat: *Niſi videro in manibus eius fixuram clauorum,& mittã digitum meum in locum clauorum,& mittam manum meam in latus eius, non credam.* Cauſam tantæ duritiei diſertè notans Bernardus, ait: *Falleris Thoma, falleris, ſi videre Dominum ſperas ab Apoſtolorum collegio ſeparatus; non amat veritas angulos, non diuerſoria placent, in medio ſtat; id eſt diſciplina communi, communi vita, communibus ſtudiis delectatur.* Hoc verò ſat patuit, quando Thomas deinde aſſociatus aliis, cum ipſis quoque videre Dominum meruit.

Mat.c.16. v 16. Marci c. 14. v.71. Mat. c.16. v.17. Ioan.c.20. v.25. Bern. ſer. 6.de Aſcẽſione.

Ob ſingularitatem Petro & Thomæ vt vidiſtis malè, ſed Hieroni eremicolæ peſſimè euenit; hic enim Caſſiano teſte, cùm in deſerto Thebaidis annis quinquaginta commoratus, ſingularem ibi continentiæ rigorem tenere vellet ſummè abſtemius, ſolitudinis quoque ſectator eximius, cum fratribus numquam neque manducans, neque colloquẽs, miſerè illuſus à dæmone eſt, qui eum blandè aggreſſus, tanti eſſe meriti dixit, vt ſi ex alto in imum rueret, lædi nõ poſſet; itaque id ipſum vt faceret ſuaſit atque perſuaſit. Nocte igitur concubiâ ſurgens, ſe in puteum non modicæ altitudinis dedit præcipitem; neque, ſemianimis ex eo extractus, induci potuit, vt ſe eſſe illuſum agnoſceret; verùm in ſua obſtinatione ac peruicacia animam exhalauit infelix. En ſingularitatis fructum inſignem, ruinam ſcilicet atque interitum ſingularem.

Caſſian. coll.2.c.5.

35 Adhæc IONAS indignabundus ciuitate egrediens imaginem refert hominis proprio plus ſatis ſtantis & fidentis arbitrio: ita vt, quemadmodum apud Comicum legimus, *niſi quod ipſe facit, nihil rectum putet.* Et quod vult, nullius alterius adhibito, nullius admiſſo conſilio, omninò faciendum exiſtimet. Hic namque, ſic ſuo ſenſu iudicioque omnia metiens, omnes etiam cupiens ſuis cupiditatibus, deſideriis, voluntati obſequentes; minimè poteſt in aliorum cœtu commorari, ciuitatem deſerat oportet; in qua aliàs viuere ſine vllo ſuo incommodo, magnâ verò voluptate potuiſſet. Mox autem non tantùm ciuitate, ſed & domo ſua, in qua ſolis æſtum vitare non erat difficile, infelix egreditur; ſibique, vt IONAS, vmbraculum facit: ſed ſicut parum firmum & ſolidum, ita vehementer aëris cælique iniuriis expoſitum. Quare ſuperuacuo dolore cruciatur, ſemper inquietus, ſollicitus, anxius, ſibi & aliis moleſtus, cùm multa quæ nolit videat; multa quæ oderit patiatur inuitus; & tandem, quod frequens eſt, & maximè miſerum, ingenti mœrore non aſſecutus quod voluerat, & obtenturum ſibi opinabatur, contabeſcat.

Ionas figura eſt hominis, qui ſui eſt iudicij. Terẽtius in Adelphi.

36 Itaque

Quietem magnam inducit, proprij iudicij non esse.

36 Itaque qui lætam, quietam, & omnis perturbationis expertem vitam ducere voluerit, neutiquam proprio fidat iudicio; aliis plus quàm sibi tribuat, & quod caput est vnius Dei voluntate duci regique se sinat, idque optimum putet quod illi magis conforme. Hoc verò is, cuius ipse concreditus est curę directionique quem Dei loco habere debet rectissimè sapientissimeque decernet.

Opportunissimum hîc mihi videtur monitum Epicteti, nisi quod diuinæ voluntatis vtpoto homo Ethnicus nequaquam meminerit: *Si is cum quo dissenris te sit melior, audiendus est, eiq; parendum: si inferior, ei persuadendum: si par, assentiendum.* Adiiciens verò huius subiectionis iudicij fructum: *Sic*, inquit, *numquam in contentionis crimen incides.* omnino verè.

Epictetus in sententiis.

Superiores magis de subditorum salute quã de temporalibus. bonis esse solliciti debent.

37 Hactenus de subditis: nunc vt aliquid etiã dicamus de iis qui regunt & imperant; his quoque videndum ne de ciuitate exeant, non secùs quàm sui intempestiuè. Faciunt hoc, quando de concreditorum sibi subditorum salute parum solliciti, sollicitiores sunt de bonis temporalibus; in horum amissione efferuescunt, turbantur, conficiuntur mœrore ampliùs, quàm in filiorum, aut eorum quos habere pro filiis debent, interitu. Scilicet hoc illis in potiori parte curarum est, corradere vnde lautè viuere & pergræcari sui possint, vnde domi forisque ad splendorem & pompam ipsi componere atque adornare omnia; non verò, ne ruant in interitum ij, quibus prouidere de subsidio, & velle cautum deberent, atque vt sit reipsâ prospicere.

D. Bernardi in eos qui secùs faciunt acris censura.

Bern. Declam. in verba Apostoli Ecce nos reliquimus omnia.

38 Verùm quid dico? num quisquam hoc sæculo talis? quàm vereor ne si nobis sit rediuiuus B. Bernardus iterùm inueniat aliquos, quibus declamet illud sui æui, licet, vti spero, pauciores, in quos æqualiter quadret: *Quod delectat eligunt & amplectuntur, quod molestum est fugiunt, & declinant. Cum militibus nempe superbiæ fastus, amplam familiam, & nobiles apparatus, equorum phaleras, accipitres, aleas, & similia quæque frequentant: aliqui fortè, & dependentes à collo rubricatas muricum pelles, ornatos thalamos, balnea, & mollitiem omnem atque gloriam vestium, à mulierculis mutuantur.*

Quomodo interim vitare similes soliti sint, quod quoque in statu molestum est; vt eos, quasi sine molestia vlla viuere cupientes, quod non est in hoc sæculo datum, confundat ampliùs, proindeque nullis in die retributionis agnoscendos ostendat, propositâ breui interrogatione in hunc modum subiungit: *Cùm cœperint resurgere homines vnusquisque in ordine suo, vbi putas generatio ista locabitur? Si ad milites fortè diuerterint, exsufflabunt eos, quòd minimè secum labores, aut pericula tolerarunt. Sic agricolæ, sic negotiatores, & singuli quiq; ordines hominum à suis eos similiter arcebunt finibus; vtpote qui in hominum labore non fuerint. Quid igitur restat, nisi vt quos omnis ordo repellit pariter & accusat, eum sortiantur locum, vbi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat.*

Dura sanè Bernardi sententia: sed heu nimium vera.

Qui indigna statu suo agunt, magis Ierusalem quàm Niniue egressi videntur.

39 Hæc his & similia, alia etiam longè indigniora ab eodem istic relata, mihi ob aurium & oculorum verecundiam tacenda, dum fieri subinde intelligimus, numquid meritò censeamus, auctores eorum, non tam terrena & peccatrice egressos Niniue, quàm Ierusalem cælesti & sanctа; sic vt circa eam non ampliùs, quemadmodum circa Niniuen IONAS, quiescant; sed recedant ab ea quotidie longiùs; atque dum pœnitentiam negligunt, in tantùm recedant, vt non velle reuerti ampliùs videantur: eò miseri magis, quòd nullo vsquam quietis loco reperto; sese, vti primò sceleribus, ita deinde ex delictorum conscientia mœrore conficiant.

Super quibus longè maiori quàm super IONA opus foret lamento; quando eis extrema, quã hic subinde iusto Dei iudicio patiuntur, calamitas, in altero etiam sæculo ęternum minatur in-

interitum. Quippe hæc, migraturis paullò pòst ex ergastulo infelicis huius corporis, aliud non spondet quàm locum longè infeliciorem, æternorum tormentorum, flammarumque perennium; à quo vt tuti sint, tempestiuè accedant ad Deum, & cum illo ex nunc commorari incipiãt mente, ac spiritu, vt deinde etiam corpore æternùm iungendi commorentur.

Quomodo Christus sibi & nobis fecerit vmbraculum, ostenditur.

40 Concludam Lectionem hanc cum mystico IONA IESV CHRISTO. Is, secundùm Ioannem Chatardum, cuius verbis maxima ex parte insistam adinstar Prophetæ nostri, (qui post lustratam Niniuen, habitamque in ea ad populum concionem, egressus, sedit contra Orientem ciuitatis, ibique multos dolores pertulit, cùm ab vrente vento, & solis ardore tostus, æstuare atque exanimari cœpit) post conciones plurimas, editaque non pauca miracula, tandem Ierosolymâ ciuitate egressus cum discipulis suis trans torrentem Cedron, extra portam passus est, faciens sibi vmbraculum in monte Caluariæ, patulam inquam crucis arborem, in qua lætus pependit; ac tandem velut obdormiens conquieuit. Hoc vmbraculum *sibimet fecit*; mortem enim turpissimam, quâ condemnandus erat, sibi non alteri præparauit, atque ad illam sponte sua contendit. Nam *oblatus est quia ipse voluit*. Pendens verò in crucis arbore, fecit nobis quoque periucundum & amœnum valdè vmbraculum, sub quo quicumque sederit (sedere autem debet qui protegi cupit, non tantùm ab ardore solis, sed etiam ab igne inextinguibili) cum per diem sol non vret, neque luna per noctem: mox etiam in domo Domini, vbi multæ mansiones sunt, lætus securusque conquiescet, non ampliùs ad labores & molestas peregrinationes huius sæculi rediturus. Isa. c. 53. v. 7.

LECTIO SEXTA.

ET PRÆPARAVIT DOMINVS DEVS HEDERAM, ET ASCENDIT SVPER CAPVT IONÆ, VT ESSET VMBRA SVPER CAPVT EIVS, ET PROTEGERET EVM (LABORAVERAT ENIM.) *Vers. 6.*

ARGVMENTVM.

Quis frutex, an hedera, an quis alius, IONAE *caput obtexerit, quæritur. De eiusdem ortu, & vmbra, deque beneficio, quod per eum Ionas consecutus est, agitur. Deus quantam suorum curam habeat, & quomodo hac velut medicinâ Ionam curarit, ostenditur. Hederæ mysteria explicantur, atque ex illius natura quædam ad institutionem nostram depromuntur.*



1 CVM IONÆ mœsto atque oppidò fatigato, constructum manibus propriis, ad arcendum ingentem solis æstum, ex virgultis, ramis arborum, & foliis arescentibus, vmbraculum opere tumultuario, nequaquam sufficeret, æstiuo calore penetrãte omnia; Deus Prophetę sui misertus, confestim ramosum fruticem fecit succrescere; cuius vmbrâ & tegeretur ab æstu, & reficeretur. Quod hìc ipse enarrat, cùm ait: PRÆPARAVIT DOMINVS DEVS HEDERAM, ac deinde subiungit: ET LÆTATVS EST IONAS SVPER HEDERA LÆTITIA MAGNA. Præparatio hæc non magni conatus fuit, moliminis, aut laboris; suffe-

suffecit illi voluisse. Quare exponens Theodoretus verbum *Præparauit*, adiicit *suâ voluntate*. S. Cyrillus *annuens*, inquit, *& volens tantùm*: hac enim ratione effectum est statim, vt & oreretur, & altiùs assurgeret, & in fruticem vmbram densiorem facturum erecta, totum vmbraculum conuestiret: efficeretque vt Ionas deinceps immunis ab æstu, eam quam passus erat caloris inclementiam, vlteriùs sibi nequaquam haberet infestam.

Quomodo Deus Ionæ hederam præparauit?

2 De *hederæ* huius ortu & vmbra, deque beneficio per eam à Propheta nostro Dei benignitate obtento, priusquam disserere copiosiùs incipiam, disquirendum inprimis est: an reuera frutex hic fuerit hedera, an verò nomen suum dumtaxat ab hedera mutuatus.

An reuerà fuerit hedera, an frutex alius qui Ionam obtexit?

Vetus ista quæstio est, & controuersia celebris, etiam inter magnos à mille ducentis & ampliùs annis vehementiùs agitata: aliis volentibus cum D. Hieronymo fuisse, aut potiùs tamquam proximè vero dici ac nuncupari debuisse hederam; aliis, quod contendit Augustinus, cucurbitam; aliis vineam albam, vt ait ex quorumdam sententia Chatardus, aliis certum quoddam fruticis genus ignoti nominis, prout aliter atque aliter versum à variis Hebræum kikaion.

Secundùm LXX. fuit cucurbita.

3 LXX. verterunt κολοκύνθην, id est *cucurbitam*, sicuti etiam Syrus, & Sanctes Pagninus. Quibus assentientes alij nonnulli, rationem aliquam excogitarunt cur hæc versio siue interpretatio optima videretur: dicendo cucurbitam, quoniã ampla est foliis, vmbram facere copiosam, eamque quandoquidem ipsa etiam naturâ est frigida frigidam, & Ionæ vsibus tali loco ac tempore aptiorem, ac maximè opportunam.

Secundùm alios, & D. Hieronymum hedera.

4 Aquila, Symmachus, Theodotion, eosque secutus D. Hieronymus verterunt *Hederam*. Qua de causa plurima est passus D. Hieronymus, Romę à quodam Canthelio grauiter accusatus, à Ruffino explosus, dicente: *Scribamus etiam in sepulchris veterum, vt sciant & ipsi, qui hic aliter legerunt, quòd Ionas non habuit vmbram cucurbitæ, sed hederæ.* Etiam ab ipso S. Augustino redargutus, quasi à vetere translatione recepta iam pridem in Ecclesia temerè recedere ausus fuerit. Quare ab eodem etiam monitus est de exorto tumultu in templo quodam, nonnullis cum ad Episcopi iussionem legeretur ex versione ipsius: *Præparauit Dominus Deus hederam*, vbi anteà legi solitum erat *cucurbitam*, ad nouitatem indignantibus, & publicè reclamantibus. Augustini ad Hieronymum verba sunt. *Quidam frater noster Episcopus, cùm lectitari instituißet in Ecclesia cui præest interpretationem tuã, mouit quiddam longè aliter à te positum apud Ionam Prophetam, quàm erat omnium sensibus memoriaq́ inueteratum, & tot ætatum succeßionibus decantatum, factus est tantus tumultus in plebe maximè Græcis arguentibus & inclamantibus calumniam falsitatis; vt cogeretur Episcopus Iudæorum testimonium flagitare.* Mox addit: *Quid plura? coactus est homo velut mendositatem corrigere, volens post magnum periculum non remanere sine plebe.* Ex eo autem quod subdit ibidem ad extremum Augustinus: *Etiam nobis videtur aliquando te quoque in nonnullis falli potuiße*: satis apparet, translationem illam Hieronymi ei nequaquam placuisse; minimè verò eandem in lectione publica fieri per Ecclesias solita introduci, ab eodem laudatum probatumque; quòd ferè nouitas omnis odiosa sit, certè iudiciis calumniisque multorum exposita.

Ruffinus lib. 2. Inuectiuarũ.

Augustinus Hieronymũ idcircò reprehendit. Aug epist. 10. ad Hieron.

5 Sed Augustino circa hoc stylo aliquantulum fortiore respõdet Hieronymus, in fine illius Epistolæ, quam ad ipsum dedit, & recensetur inter Epistolas D. Augustini vndecima operum ipsius Tomo secundo; inter Epistolas verò S. Hieronymi Tomo quoque secundo sub finem: *Vbi LXX. interpretes cucurbitam, & Aquila cum reliquis hederam transtulerunt, in Hebræo volumine Kikaion scriptum est. Hoc ergo verbum de verbo edisserens, si ciceion trãsferre voluissem, nullus intelligeret: si cucurbitam,*

Respondet Hieronymus Augustino. August. Tom. 2. epist. 11. Hieron. Tom. 2. sub finẽ.

curbitam, id dicerem quod in Hebraico non habetur: hederam posui vt ceteris interpretibus consentirem. Sin autem Iudæi vestri, vt ipse asseris, malitiâ vel imperitiâ hoc dixerunt esse in voluminibus Hebræorum, quod in Græcis & Latinis codicibus continetur, manifestum est eos aut Hebræas litteras ignorare, aut ad irridendos cucurbitarios voluisse mentiri.

Hieronym. perstringit Cantelium. 6 Contra Cantelium verò agit idem Hieronymus, libro Commentariorum suorum in IONAM, atque illum satis, vt apparet, bibacem, pro meritis ibidem, iocando licet, perstringit egregiè, dicens: *Timuisse, ne si pro cucurbita hederæ nascerentur, vnde occultè & tenebrosè biberet, non haberet.*

Caluinus contra Augustinum & Hieronymum agit, & vtrumque damnat. Huius Cantelij partes egit suo tempore satis studiosè Caluinus, eandem quam ille aduersus Hieronymum accusationem instituens: sed maiori, vt solent hæretici, libertate, maiori impudentiâ. Nam cum infidæ versionis, atque etiam imposturæ, non veretur arguere. Sed neque minùs Augustinum quàm Hieronymum idem & accusat, & damnat: quasi nimium superstitiosum, qui mutari receptam semel hoc loco versionem noluerit: scilicet non poterat minùs tam egregius nouator, quàm illud in Augustino damnare, ne suas damnare alioquin nouitates videretur. *Genius hæreticorũ licentiosus indicatur.* In quo ipsius, & hæreticorum omnium genius elucet, quærentium etiam in Patribus antiquis, quod possint cùm pro suo supercilio carpere, tum pro sensu arbitrioque suo, vt ipsi noui sunt, siue innouare, siue antiquare, nullâ S. Ecclesiæ, nullâ maiorum habitâ ratione.

Versionis suæ rationẽ reddit D. Hieronym. 7 Audiamus interim ipsum pro se dicentem Hieronymum: *Nos,* inquit, *eodem tempore quo interpretabamur Prophetas, voluimus id ipsum Hebrææ linguæ nomen* (Kikaion videlicet) *exprimere; quia sermo Latinus hanc speciem arboris non habebat: sed timuimus Grammaticos, ne inuenirent licentiam commentandi, & vel bestias Indiæ, vel montes Bœotiæ, aut istiusmodi quædam portenta confingerent, secutiq́ sumus veteres translatores, qui & ipsi hederam interpretati sunt.* Hieron. in c. 4. Ionæ

Hæc D. Hieronymus. Ex quo apparet non esse ipsum, quod ab aliis impingi ei videbatur, nouitatis aut auctorem, aut sectatorem.

8 Quid autem sit propriè *kikaion*, vt in Hebræis habetur, lingua Syrâ & Punicâ *Elkeroa*, cuius occasione orta hæc quæstio est, ab eodem Hieronymo accipite.

Est, inquit ille, *genus virgulti, lata habens folia in modum pampini, & vmbram densissimam, suo trunco se sustinens, quæ in Palæstina creberrimè nascitur, & maximè in arenosis locis, mirumq́ in modum, si sementem in terram ieceris, citò consota consurgit in arborem, & intra paucos dies, quam herbam videas, arbusculam suspicis.* *Kikaion quid sit à S. Hieronymo explicatum.* Hieron. ad eũdem locum Ionæ.

9 Ex quibus apparet, tametsi verè hedera non sit, quàm sit hederæ similis: quippe quæ & lata habet folia, & densam facit vmbram, & arenosis locis nascitur, & citò crescit. *Licet non sit hedera est tamen hederæ similis.* Cùm igitur illud virgulti genus, ad obsequium IONÆ enatum, Græcis æquè ac Latinis nullo nomine proprio, vtpote quo apud vtrosque caruisse videtur, innotuerit; non incongruè ob similitudinem, ab Aquila, Symmacho, Theodotione, D. Hieronymo, & aliis hedera nuncupatur. Quod nomen grauissimi interpretes huc transferre non immeritò sibi licitum putauerũt: quando aut magis proprium, aut significantius non habebant.

10 Neque alia ex causa LXX. & alij, æquè impropriè, aut magis, pro *kikaion Cucurbitam* posuerunt; quòd hic frutex instar cucurbitæ proserpat, excrescat, & vmbram faciat densiorem; cùm & ipsis aptius quo id exprimerent, nihil occurreret. *Est etiam similis cucurbitæ.*

11 Fauet D. Hieronymo, & iis qui cum illo senserunt, quod habet Matthiolus, hederæ speciem vnam reperiri maiori folio, quæ non serpit, sed per se crescit, etiam in arborem, instar Kikaion siue Elkeroa. *Hieronymi sentẽtia ex Matthiolo confirmatur.* Sicuti ergo pisces, ad similitudinem terrestrium animalium, equos, canes, lupos vocamus; quid ni similiter per Catachresim siue Abusionem, tropum rhetoribus familiarem

liarem frutex hic vocetur hedera? cùm ad nullum eorum, qui nobis sunt noti, aut proprietatibus, aut similitudine magis accedat.

Item ex natura hederæ.

Addit alterum, quod fauet Hieronymo, Ioannes Treminius: nimirum maiorem esse hederæ viriditatem & foliorum densitatem quàm sit cucurbitæ, adeoque gratiorẽ illius vmbram, atque sub eadem auram gratiorem: Quare cùm sit viuacior, hanc cum D. Hieronymo potiùs quàm cucurbitam ponentes, maius apparuisse dicemus in subita eius arefactione miraculum, ad Ionam quoque de iusta Dei erga Niniuitas benignitate commouendum ampliùs valiturum.

12 A veteribus multũ dissentiunt recentiores quidã, arbitrati Hebręũ Kikaion fruticem illum esse, quem aliquâ vocis similitudine, Græci κίκι vocant, Latini ricinum, pharmacopęi cheruã, seu catapuciam maiorẽ, nos palmam, seu manum Christi ob foliorum articulationem. Ex qua teste Dioscoride exprimitur oleum ricininum. Ita Benedictus Arias Montanus, Paulus Palatius, Rochus Mamerotius, Franciscus Feuardentius & ex Nouatoribus Mercerus.

Refutatur interpretatio.

13 Sed nemo veterum nisi fortè Rabbinus aliquis sic sensit. Deinde, vti obseruauit Christophorus Castrius, natura fruticis huius, cum opere, cui impendendus nequaquam consentit. Est enim minimè opacus, inamœnus quoque, & ingratus oculis; vt eius siue aspectu, siuè vmbrâ delectari Ionas, quod tamen hîc factum dicitur, non magnoperè potuerit. Quid, quòd herbas seu frondes gignat venenatas? nec vmbram producat dissimilem? non sit autem credibile, Deum Prophetæ suo, ad recreationem, & qualecumque in angustiis suis, & dubiis rebus solatium, præparare vmbram noxiam voluisse? cùm non deesset illi aliud quoduis herbarum & fruticum genus; quo ad omnem horam & momentum, vel illud producendo de nouo, vel iam producto incrementum dando, vt ei delicias faceret vteretur. Itaque ricino tectum olim vmbraculum Ionæ nemo facilè nobis persuaserit.

Kikaion, esse nomen commune cucurbitæ & hederæ, vult Ribera.

14 Franciscus Ribera vir apprimè eruditus & perspicax ac mirè felix in Scripturarum elucidatione, magis accedens ad veterum sententiam, probabiliùs putat *Kikaion* esse nomen cucurbitæ & hederæ, fortè & aliis similibus virgultis commune; sicque vtraque translatio, tam eorum qui cucurbitam, quàm qui hederam pro eo ponunt, vera esset & propria.

Sententiam suam vt ampliùs confirmet, docet exemplis, illam esse Hebræorum in pluribus consuetudinem, vt verborum copiâ destituti, vno quasi generaliori vocabulo res plures inter se cognatas complectantur, & exprimant.

Dicendum, cum Hieronymo, neutram translationem esse propriam. *Epist. 11. ad Augustinum.*

15. Hoc quamquam suâ probabilitate in multis non careat; nihilominùs hîc magis D. Hieronymo inhærendum puto, & dicendum; neutram translationem, neque LXX. Interpretum, ponentium *cucurbitam* i. neque Aquilæ, Symmachi, Theodotionis, quos ipse est secutus ponentium *hederam*, propriam esse: sed tam ab his, quàm illis, quid nominis substitutum, quo ignotus frutex exprimeretur; cùm nomen proprium, vt suprà diximus, rem meliùs explicans, nullum occurreret.

Et hanc causam arbitror, cur Chaldæus, eumque secutus Vatablus, Hebræum nomen *Kikaion* retinuerint; vti & Ioannes Mariana, qui hanc ipsam vocem nullâ aliâ pro ea suppositâ interpretatus, ait arborem esse infructiferam, ex cuius baccis oleum pellendo frigori conficitur.

Kikaion qualis sit planta describitur.

16 Diutiùs opinione meâ hæsimus in quæstione & controuersia satis spinosa; nec admodum vtili, in qua cùm de nomine magna ex parte disputatio sit, & certi aliud dicere non possimus, quàm *Kikaion* plantam fuisse, quomodocumque demum Latino sermone appellandam censuerimus, ramosam & frondosam valde, adeoque vmbræ faciendæ aptissimam, nihil vlteriùs moue-

mouebimus. Multas de ea Iudæi fabellas comminiſcuntur; nonnullarum Petrus à Figueiro in ſuis Commentariis meminit; ego apud vos meminiſſe nolo, quia nec auribus veſtris, nec calamo dignæ; ſibi eas mendaciorum architecti Rabbini, non nobis, confinxerint.

17 Nunc quædam circa fruticem hunc, quem cum D. Hieronymo ex vulgata verſione *hederam* impoſterum nuncupabimus, maiori nobis emolumento futura, obſeruemus.

Deus hederam hanc fecit & creauit.

Sit primum: Deum eſſe eius auctorem & conditorem; eundem nempe illum, qui vt Dauid ait, *Omnia quæcumque voluit fecit in cælo, in terra, in mari, & in omnibus abyſſis.* Hanc verò ſic condidit etiam quo tempore, modo, ratione, formâ voluit. Hinc quamquã, vt hederæ noſtræ ſiue cucurbitæ ſimilis ſit, non debeat in arborem creſcere; ſed magis per terram ſerpere, & non niſi adminiculis fulta in altum aſſurgere (niſi cum Matthiolo nouam aliquam hederæ ſpeciem nobis ignotam agnoſcamus) Deo tamen cupiente, & naturam, ſi opus fuerit immutante, nullo niſi ſui ipſius ſuſtentaculo, in ſublime quemadmodum hic videmus, de repentè conſurgit, excreſcit in arborem, luxuriat foliis, ſe longè lateque diffundit, & vmbram placidiſſimam, amœniſſimam Prophetæ noſtro efficit. Ex quo diſcamus vnde etiam nobis afflictis aliquando ſperandum, vnde petendum auxilium, vnde gaudium atque lætitia: ab eo videlicet ſolo, cuius in manu omnia, quique condidit vniuerſa.

Pſal. 134. v. 6.

Idem eandem præparauit.

18 Alterum obſeruate: quòd vti hic dicitur, idem qui condidit etiam præpararit eam: ne caſu genitam, caſu excreuiſſe in altitudinem tantam, dediſſeque gratiſſimam vmbram Prophetæ, caſu arefactam opinemini. Nam etſi in illius generatione, eiuſdemque per applicitum vermem arroſione, atque interitu per ſolis æſtum & venti calidi vrentiſque immiſſionem, ad naturæ propriæ rationes operatus omnia auctor naturæ Deus videatur; certum tamen eſt, præter communem rerum curſum & ordinem, hanc die vno in tantam altitudinem excreuiſſe, vt apta eſſet IONÆ tuguriolum operire.

Cur Deus illam hederam Ionæ præparauit. Prima ratio.

19 Voluit verò hoc ita magnus ille mundi arbiter; vt IONAS, & quotquot poſt eum idipſum audituri erãt lecturive, agnoſcerent admirabile opus Excelſi, atque ex re in ſpeciem non magna, ſed manifeſta ſatis & euidenti iudicium facerent de multis magnis & mirabilibus, ſed abditis & occultis; circa quæ ipſe etiam oſtenſurus eſſet ſuo tempore voluntatem ſuam atque potentiam.

Secunda ratio.

Inſuper hoc ipſum voluit; vt vel ſic intelligerent omnes, etiam illa quæ vel à fortuna, vt Ethnico more loquamur; vel à natura proficiſci videntur, arcanâ quadam, & certâ ipſius prouidentiâ gubernari, atque ab eo proficiſci omnia, quibus vtimur & fruimur, quæque videmus quotidie; nempe quòd herbæ creſcant, quòd plantæ, frutices, arbores incrementum accipiant; quòd iterum aut vento aut ſiccitate marceſcant; aut à vermibus corrumpantur, aut vrantur à ſole, aut quouis alio modo, factæ aridæ, pereant.

Hedera in Ionæ gratiam vnâ nocte creſcit in fruticem.

20 Obſeruate inſuper quòd *hedera* hæc in ſolius IONÆ gratiam vnâ nocte creſcat in perfectum fruticem, magno quidem Dei beneficio, ſed non minore prodigio; idque vt laborantem protegat, eique in tanto illo ſolis ardore ſit benè, ſit commodè. En quàm in ſeruum ſuum Dominus munificus eſt & liberalis. Fecerat, vti diximus, ipſe ſibimet IONAS vmbraculum ex arborum ramis, parum denſis, breui ſiccis & aridis futuris; adeoque non diu eius commodis ſeruiturum. Quare Domino ſollicitiori de ſeruo ſuo, non hoc viſum ſufficere, niſi ſuam ipſe quoque de eo curam modo ſingulari oſtendẽs, longè meliorem, denſiorem, amœniorem vmbram ex nouo frutice ramoſo, viridi, frondoſo illi appararet; atque hac magis commodâ, quàm erat illa quam fuerat nactus ex labore ſuo, id eſt, ex leuiter & malè compaginato,

quod

quod sibi struxerat, tuguriolo, vtetetur.

Deus, dans medicinā ardoribus corporis Ionæ, dat etiam medicinam ardoribus animi illius.

21 Verùm quid sibi vult tanta Dei & quidem tam continua cura de IONA? Quid interest paullò plus aut minùs ille à solis ardoribus patiatur? Agnosco mysterium: Deus dum fruticis enascentis vmbrâ expositum solis ardoribus corpus eius defendit & protegit, æstumque vehementem, quo torreri quodammodò videbatur, suaui vmbrâ mitigat; ita eius calamitatibus medetur, vt multò magis hac cum occasione instituat, quo pacto præ corporis & capitis æstu, æstus mentis, nimij inquam feruores animi & concitatiores impetus reprimendi sint, & superandi. Laborabat, inquit Palatius, IONAS morbo ex animi fortassis dolore; quid si addamus? atque impatiētia, ex ira obueniente: hic reuera morbus, vt esset homini benè, ante omnia sanandus videbatur.

Idem, cum prioribus afflictionibus fatigatum, recreat.

22 Sed & dandum erat IONÆ, edocto iam malis veteribus, aliquid: & tametsi hic iterùm videbatur dedocendus quod fecerat, atque ob iteratum errorem suū denuò castigandus; nihilominùs ne omninò mœrore contabesceret, de aliquo etiam in ægritudine sua solatio illi erat prouidēdum. Huic optimè locus tam opportunus quieti, vmbrâ tam suaui & commodâ, sub qua respirare, in otio considere, deliciari posset instructus, congruebat. Nempe hoc homini ex clamore, & prædicatione fatigato, ex præuisa repudiatione populi sui afflicto, ex longa profectione languenti, ex timore faciendæ iacturæ nominis honorisque proprij mœsto, deberi gratiæ videbatur; quò paululum respirare posset, atque ad mentem simul cum quiete redire: ne affligeretur vltrà quàm sustinere iam factus imbellis & prorsus deiectus animo, valeret.

Deus numquam suis deest in afflictionibus.

23 Sic cum suis agere benignissimus Dominus solet, tantâ illorum curâ susceptâ, quantam humana mens vel assequi cogitatione non potest; nouis semper iis succurrendo præsidiis; & talibus quidem, quæ omnem nostrum captum, omnem intelligentiam superant. Quare eos in magnis tormentis magnâ sæpè & incredibili perfundit lætitiâ.

Probatur exemplis.

Testes sunt tot tamque illustres Martyres, qui quòd Dei causam agerent, inter armillas & compedes, inter equuleos & catastas, inter catenas & vincula, inter barbaras manus, inter linguas nefarias, inter probra & opprobria Tyrannorum, angelico recreati alloquio, facti eorū cōspectu valentes, corporis & animi viribus fortes; euasere, quantūuis scorpionibus cæsi, dissecti gladiis, rotis protriti, laminis ferreis & candētibus excarnificati, tortoribus & carnificibus fortiores: his simul cum crudelitate, suam etiā imbecillitatem, & impotentiā & ignauiam exprobrantes; quasi non tam multa, & tam acerba comminisci possent tormenta, quin ipsi multò plura, & acerbiora, & pati cuperent, & auxiliante Domino possent.

Trium puerorum in fornace Babylonica victoria describitur. Dan. c. 3. v. 49. & 50.

24 Nouimus tres illos pueros, inuictissimos inquam heroas, in fornace Babylonica, de Rege Nabuchodonozore inter flammarum incendia longè lateque exundantia triumphantes, lætum Domino carmen concinuisse; & tandem nihil contra eos valentibus tam sæuis ignibus qui tamen contra hostes eorum potentes fuerunt, exustis videlicet illis qui eos in flammas immiserant, exisse illæsos: Quid ita? miserat Dominus, cuius gloriæ studebant, è cælis angelum, *qui descēdit cum Azaria & sociis eius in fornacem, & excussit flammam ignis de fornace, & fecit medium fornacis quasi ventum roris flantem.*

Fortitudo Stephani.

25 Nouimus Protomartyri Stephano, illam, quâ vndique impetebatur, lapidum grandinem, parum fuisse molestam; cùm, quasi tormentorum immemor, in summo se impetentium feruore & impetu, etiam pro lapidantibus oraret. Causam vultis? Aderat pro se patienti Dominus. Quare, vt credo, meminiſtis eum magis cæli quàm terræ, magis quietis instantis quàm doloris præsentis, magis Christi pro

pro quo, quàm Tyranni à quo patiebatur intuitu exclamasse, ad omnia imperterritum: *Video cælos apertos, & filium hominis stantem à dextris Dei.*

Act. c.7. v.55.

Laurentij constantia.

S. Leo ser. in festo S. Laurētij.

26 Nouimus dixisse Laurentium Tyranno, cùm in craticula positus lento assaretur igne, ei insultando, deficientibus quidem sensim corporis viribus, sed non animi; prorsus inuictâ patientiâ, inuictaque constantiâ: *Assatum est, tam versa, & manduca.* Scilicet, vt ait Leo Magnus: *Nihil obtines, nihil proficis sæua crudelitas. Subtrahitur tormentis tuis materia mortalis, & Laurentio in cælos abeunte tu deficis. Flammis tuis superari charitatis Christi flamma non potuit: segnior fuit ignis qui foris vssit, quàm qui intus accendit.* Vnde tātum Laurentio robur? vnde illi animus tantus? ex gustu cælestis suauitatis prouenięte à summo illo imperatore, atque agonotheta, militem suū deprę liantem spectante, animante. Hic tam fortis animus & generosus inflammatus amore diuino, ex semimortuo corpore voces illas expressit, non terroris aut luctus; sed quietis & gaudij: *Carbones mihi refrigerium parant.* Benè hîc iterùm Leo: *Mirabilis Deus in Sanctis suis in quibus nobis & præsidium cōstituit & exemplum: atque ita per vniuersum mundum clarificauit gloriam suam, vt à solis ortu vsque ad occasum Leuiticorum luminum coruscante fulgore; quā clarificata est Ierosolyma Stephano, tam illustris fieret Roma Laurentio.*

Martyris Ignatij magnanimitas.

27 Nouimus Ignatium nobilem illum pugilem Antiochenum, damnatum ad bestias, ab iis non modò non abhorruisse; sed ipsas quoque vltrò inuitasse, anhelasse ad diem illum, eundem peroptasse, velut tempus festiuitatis & gaudij, licet verè futurus esset dies cruciatuum & ingentium tormentorum. Tantus erat ardor desiderij, quo flagrabat dari in prædam leonibus, atque ita pro Christo suo pati! Audite quid dicat de se in epistola quam ad Romanos conscripsit; videte quomodo in sola tormentorum iam propinquorum memoria illic exultet, quomodo ad obeunda fortiter atque constanter quæuis supplicia se animet. *A Syria, inquit, Romam vsque terra mariq; cum bestiis depugno, noctu diuq; alligatus decem leopardis, quæ est militaris custodia, qui & beneficio affecti peiores fiunt.* Et post pauca: *Fruar bestiis mihi paratis, quas opto truculentiores mihi inueniri, quas & blanditiis demulcebo, vt crudeliùs me deuorent; non vt quosdam metuentes non attigerunt: & illæ si sponte nolint, ego illas vi adigam.* Ac tandem subiungit: *Ignes, crux, ferarum concursus, sectiones, laniena, ossium discerptiones, membrorum concisiones, totius corporis solutio, diaboli tormenta in me veniant, tantummodò vt* IESVM *nanciscar.*

28 Qualis hæc fortitudo: quàm inaudita in homine: hanc homini dedit qui super homines est. Dicam cum Dauide: *A Domino factum est istud: & est mirabile in oculis nostris.* Hic Dominus, tam fortes milites, tam generosos athletas facit. Idem robur, eosdem animos, eandem & constantiam, & in aduersitate atque etiam tormentis (si tam beati sitis, vt iis aliquando pro religione, pro Deo, Deique gloria impetamini) sperate lætitiam, dummodò cum hostibus nominis Christiani, quibuscumque tandem, depræliaturi, descendere in arenam, diuino nixi auxilio non viribus propriis audeatis.

Psal. 117. v.23.

29 Meministis credo, ne quid vos sperare frustrà iubeam, ne quid incassum & absque exemplo, quod polliceor tam audacter & liberè, videar polliceri, sola spe vacuâ & inani pascēs atque oblectans animos vestros, quid factum sit aliquādo virgunculis, sexu, corpore, ætate tenerrimis; quomodo inquam etiam illæ de maximis, fortissimis, potentissimis hostibus victoriam victoriæque insignia reportarint? Quomodo & castitate, & fide seruatâ, duplici lauro decoræ, venerint ante conspectum sponsi sui cælestis, canentes canticum nouum? Versentur quæso, si tam illustrium factorum sitis aliquando immemores, vobis ob oculos ipsamet Lucia, Agnes, Catharina, Cæcilia, Euphrosyna, Thecla, Vrsula, aliæque sexcentæ; quæ & virgunculæ,

Virginum fortia certamina.

&

& tenellulæ, & sanguine nobilissimæ, nobiliores adhuc factæ Christianâ constantiâ, animo plus quàm virili, aduersùs non vnum armatum luctatæ, & eluctatæ; modò cælesti lumine hostes vitæ ac pudicitiæ percellente; modò eos terrente Angelo; modò aut ad proprias, aut ad sociorum preces ipso Domino seu visibili, seu inuisibili formâ miro & efficaci modo luctantibus opem ferente, ostenderunt quid possent: & videbitis quàm vera loquar, quàm certa pollicear; quando, etiam secundùm Apostolum, *Fidelis Deus est, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione prouentum vt possitis sustinere.*

1. Cor. c. 10. v. 13.

30 Prolixior aliquantum in his fui, præter opinionem meam, nescio an etiam præter votum vestrum, & desiderium: certè non nisi vt animarem vos feci. Nunc ad IONAM reuertor, à quo libenter, non dubito, intellecturi estis, quid ab *hedera* sibi per Dominum præparata, beneficij acceperit. Hoc ipse enarrans: ASCENDIT, inquit, SVPER CAPVT IONÆ. Erat Dei eandem parantis intentio, IONAM peregrinum, in agro hærentem, sine lare, sine tecto, sub vili tugurio à se tumultuariè extructo, modico valdè eoq; forsan ex parte rimas agēte & patulo, ex parte ramis discerptis, & arescentibus ad solis æstum quoquo modo, conuestito, parūper latitantem huius assurgentis vmbrâ protegere. Hinc eo quiescente, nihilque minùs cogitante, imò nec aduertēte quidem, repentè in eam excreuit altitudinem, vt magis arbori quàm frutici similis, ipso IONA procerior, vmbram faciendo, & caput, & hominem totum à caloris intemperie, quæ in loco patente & arido solique exposito non poterat non esse vehementissima, tueretur.

Beneficium quod Ionas per hederam accepit declaratur.

De hac hedera ampliùs D. Cyrillus: *Continuò*, inquit, *bella & pulchrè florida prodit, subitoq; totum tabernaculum contegens in morem nemoris ad iucūditatem gratissimam vmbrā fundit.* Ex quo appareret, hunc fruticem frondibus densum fuisse, penè in morem siluulæ, si Cyrillo credimus proindeque vmbrâ copiosum.

31 Cur autem hac vmbrâ egeret, ne inutilē putemus, ipse subnectit, dicēs: LABORAVERAT ENIM. Fatigatus prędicatione, inquit Godefridus Tilmānus, cui iam solatium temporaliū erat necessariū. Etiam æstu, vti cum Emanuele Sà exposuimus aliàs, animi & corporis. Animi, iterùm dico, ob cōceptam, de ruina Niniue ad eius vocem prædicationemque nō statim secutâ, indignationem; corporis, ob vrentis solis ardorem, quem spectās quid accideret ciuitati, iam diutiùs sustinuerat quā capitis debilitas pateretur: si præsertim verum est, quod Rabbi Aben-Ezra ex aliorum suæ gentis hominum excerptum fabellis enarrat, cutē IONÆ à reditu ex ceti alueo post triduanas latebras tam teneram effectam, vt æstum vehementiorem ampliùs non ferret: adeóque vel idcircò tanto maturiùs, fruticis incrementum præter naturæ ordinem promouente Deo, illi de vmbra prospici debuisse.

Cur vmbra Ionæ fuerit necessaria.

Fabella Iudaica de cute Ionæ teneriore in ceto facta.

32 Verùm meo iudicio ad plausum hoc excogitatum sat benè, non ita ad veritatem. Nam vnde Iudæis, & de teneritudine cutis IONÆ vbi primùm è ceto prodiit, & de hac in id vsque tempus durante, & de adhibenda, dum sedet foris suæ concionis euentum præstolans, isti malo à Domino medicina, tam certa cognitio? Si id reuelatum sibi ostenderint, etiam id nos doceri ab illis libentes volentes patiemur: alioquin apud nos fide laborat hæc ratio.

33 Magis simile vero, Deum licet potissimùm animo curando, tamen recreando corpori IONÆ etiā intendisse; cumque mœstus vix quidquam solatij admitteret, ciuitate manente cum nominis sui vti ipse imaginabatur detrimento intactâ, pro doloris qualicūque medicina (quemadmodum lacrymantibus pueris ludicrū aliquid quo oblectētur dari cōsueuit, vt pręsentis rei voluptatulâ capti, obliuiscantur doloris) hederam

Seruiit etiā vmbra hederæ ad mitigandum dolorem Ionæ.

Ccc

hederam hâc exurgere in fruticem ramosum, procerum, & copiosum; faceréque mœrenti vmbram iussisse; quo & amœnitate viroris, & vmbræ temperie recreatus Propheta afflictionis pristinæ dolorisque sui non amplius meminisset.

Item in præmium prædicationis ipsius. 34 Addo videri IONAM istâc *hederæ* vmbram aliquo modo prædicatione suâ promeritum. Sunt enim illâ & longè maiori digni gratiâ, qui in Domini vinea excolenda sustinuerunt pondus diei & æstum, quique vt IONAS, in propagando Dei semine nauiter laborarunt. Agant ergo illi rem sibi commissam strenuè, & laborent modò; dabitur illis mox tempus & locus refrigerij; sicut & iis qui hîc ambulant in viis Domini. Quippe audituri deinde ex ore Christi magna cum sua commendatione, neque minori cum præmio: *Hi sunt qui venerunt de tribulatione magna, ideò sunt ante thronum Dei. Non esurient, neque sitient ampliùs, nec cadet super illos sol, neque vllus æstus: quoniam Agnus, qui in medio throni est reget illos, & deducet eos ad vitæ fontes aquarum, & absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum:* dãdo videlicet singulis suum vmbraculum, requiem, & gaudium æternum in cælis. Apoc.c.7. v.14.& 15.

Vmbra hederæ secundùm Augustinum, typus fuit promissionum veteris Testamenti. 35 Atque de his hactenus. Nunc quid sit in hac *hedera* mysterij videamus. D. Augustinus vmbram huius typum ait fuisse promissionũ veteris Testamenti, & designasse data tum temporis patribus bona, quæ erãt futurorum velut vmbra; vt quæ ab æstu incommodorum temporalium eos in terra promissionis tutarentur. August. epist. 49. q.6.

Secundùm Rupertum Legis veteris. 36 Rupertus ait, in hac totam legem veterem figuratam; quòd sicut *cucurbita* & *hedera* (nam vtrumque nomen hîc ipse expressit) illius naturæ sunt, vt per terram repent, lata habeant folia per modũ pampini, & absque adminiculis quibus innitantur altiora nõ appetant; ita Legis littera, & cunctarum eius cęremoniarũ lata sit, atq; seipsam vmbrâ densissimâ obscuret; imò nisi spiritualis intelligentiæ adminiculis subleuetur, neq; alta sit, neq; pretiosa.

Docuit igitur secundùm Rupertum hîc Deus Iudæos, tam pręsentes quàm futuros ac reliquos Ecclesiæ filios cuiuscumquę gentis, conditionis, ac ordinis, quid esset synagoga: *hedera* nimirum, quæ aliquãdo deserta à Deo exaresceret. Quid verò Gẽtes: altera scilicet Niniue; quæ, vti illa, credentes in vnum Deum viuum & verum, aliquando desertis erroribus pristinis & peccatis agerent pœnitentiam.

37 Haymo, secutus D. Hieronymum, *hederam*, hoc loco non Iudęorũ legem, aut synagogam; sed ipsos Iudęos interpretatur. Per *hederam*, inquit, *infirmam & suis viribus nihil valentẽ, plebs Iudaica potest signari, citò crescens, & omnia se facturam promittens, quæ Deus præcepit: sed citiùs languescens, & præcepta non implẽs. Hæc quondam Ionam, id est Christum, protegebat spe sua saluationis, & non paruam ei lætitiam faciebat: sed citò percussa aruit; quia radicem firmã fidei non habebat, & quasi tabernaculum, tecti prẹferens imaginem, domorum non habẽs fundamentum.* *Secundùm Hieronymum & Haymonẽ typus Iudæorum.*

Declarans hæc fusiùs aliquantulum atque enucleatius Ioãnes Chatardus: Quemadmodum, inquit, *hedera* errabundo flexu per terram serpit, viret, ac in altum, non sine adminiculis, erigitur & propagatur, mox tamen aret: sic Iudaicus populus, lege, cæremoniis, templo ornatissimo ad tempus floruit (quare IONAS, ceteri Prophetę, viríque omnes Dei amãtes magnâ lætitiâ affecti sunt) sed quia Gens illa templo & cæremoniis quibusdã externis tantùm innitebatur, relicto sæpè vero Dei cultu, atque ingrata pro tot tantisque beneficiis, iure quoque contabuit, & exaruit.

38 Hęc & his similia, cùm nascente, tum arescente *hedera*, in sacris Litteris symbolicè designari nihil est nouum: quandoquidem per externa signa seu symbola perque varias propositarũ rerum seu animatarũ, seu inanimatarum species, de iis quæ mox euentura erãt, edocere homines, eosque non minùs signis & figuris, quàm verbis instruere fuerit Prophetis, & Deo auctori Prophetarum quàm maximè vsitatum. *Per symbola Deus & Propheta sæpè significarunt futura.*

Sic

Isa. c. 20. Sic Isaias vir nobilis de stirpe regia per triduum, vel vt alij volunt, per triennium, in vrbe Ierusalem, dicens ad populum, pleno die nudo corpore, etiam, vt habet Chaldęus, pudendis, incessit; hac formâ ostendens, quid futurum de Æthiopia & Ægypto, videlicet prorsus spoliādas & nudandas re omni per Assyrios; & quidem vsque eò, vt etiam ipsi homines ad ignominiam nudi in captiuitatem abducerentur. Hoc verò ita ab Isaia fieri Dominus iussit; vt species insolita dicentis ad stuporem & terrorem comparata dictioni respondens, illos ad pœnitentiam permoueret, quos alioquin consueta dicendi forma, & habitus pristinus Oratoris à vetere peccandi consuetudine non abduceret.

Isaias nudus incedit, ad indicandam spoliationē Æthiopiæ & Ægypti.

39 Similiter Ieremias multo tēpore vincula collo gestauit; lignea primū, illis verò ab Hanania pseudo-propheta confractis ferrea; idque ad tempora ferè Regis Iudæ Sedechiæ; vt indicaret, re magis quàm verbo, imminentem Iudęis captiuitatem; & immittenda iis sub Rege Nabuchodonozore vincula, dura omninò, & verè ferrea. Quod & contigit adhuc regnante Ezechia: nam & ipse Nabuchodonozoris iussu priuatus oculis, & vinctus catenis, abductus est in Babylonem, vbi hæc Iudęorum captiuitas durauit ad annos septuaginta, cum summa afflictione populi, vrbisque Ierosolymitanæ ac templi immani ruina atque interitu.

Ieremias ad indicādam Iudaeorum captiuitatem futuram vincula collo gestat. Ierem. c. 28. v. 13.

40 Iussus quoque est Ezechiel in latere vno delineare Ierusalem, Domino ei imperante atque dicente: *Et tu fili hominis sume tibi laterem, & pones eum coram te, & describes in eo ciuitatem Ierusalem.* Quasi dicat, volo lapidem sumas, in quo, veluti in quadam mundi mappa, obsessam à Babyloniis Ierosolymam pingas. Hoc verò vt accuratiùs atque exactiùs, adinstar eorum qui simile quid ex arte moliuntur, præstare valeas; ponas eum ante te, & delinea secundùm geometrica præcepta; primò murum Ierusalem; deinde exercitum è regione castrametantem, machinasque admouentem contra munitiones. Quænam huiusce causa imperij? Non alia quàm, vt reali hoc prophetandi modo, propositâ velut in imagine imminente sibi calamitate, Iudæi efficaciùs de futuris Babyloniorum crudelissimis aduersùs Ierosolymam pręliis monerentur, seque ad dictam calamitatem, vel auertendam pœnitentiâ, vel tolerandam patientiâ, fortiùs compararent.

Ezechiel ad Ierosolymæ obsidionem indicandam, eam in latere vno describit. Ezech. c. 4. v. 1.

41 Denique, vt plures taceam, quorum vnus virgam vigilantem, & ollam succensam, alter vncinum pomorum, tertius quadrigas equorum, alij alia viderunt; cur Oseas, & ipse Propheta, iubetur in vxorem ducere fornicariam, & ex ea procreare filios fornicationis, vti & fecit, nisi vt arguat suo illo coniugio manifestiùs quàm verbis, idololatras Iudæos violatæ religionis, & iis clarissimè ostendat, in tribus trium prolium nominibus, Synagogę repudium, ac Gentium surrogationem; hæc illorum oculis velut in viua imagine ita obiiciens, vt cùm nominarent Oseæ proles, aut ab alijs nominari audirent, seipsos velut proprio nomine compellari intelligerent.

Oseas ad indicandā idololatriā Iudæorum ducit vxorem fornicariam. Ierem. c. 1. v. 11. & v. 13. Amos c. 8. v. 1. Zachar. c. 6 v. 2. Oseæ c. 1. v. 2.

42 Si per Isaiæ, Ieremiæ, Ezechielis, Oseæ, aliorumq; plurium Prophetarum actiones illa, quæ vrbibus, populis, gentibus, regnis, euentura erant prænuntiata fuerint: nihil mirum, aut nouum, per IONÆ hederam, simile aliquid fuisse populo, vniuersæque tam Iudæorum, quàm Gentium, vti diximus, multitudini indicatum.

Iona hederæ nil mirū si aliquid simile significarit.

43 Hæc quæ de *hedera* diximus hactenus, ad sensus mysticos, & allegoriā spectant; ad mores institutionemque nostram nunc tandem veniamus.

Hedera significat tēporalia.

Quidnam est *hedera?* Godefridus Tilmannus: *hedera,* quæ non sine adminiculo surgit in altum, & si eo careat serpit in terram, viror est temporalium, cuius adminiculū virtus, quâ subtractâ temporalium viror serpit in terram. Facit enim terrena appetere.

Hedera, nec minùs bene, etiam symbolum est vanitatis sæculi, dicetur de ea paulò pòst quod *sub vna nocte nata est, & sub vna nocte periit*. Hebraicè *filia noctis*. Quid vobis videtur, numquid verè filia noctis, honor, gloria, diuitiæ, deliciç, & quidquid apud homines hic in pretio est? quoniam vnâ nocte obueniunt, vnâ nocte durant, si durant, & non illâ ipsâ quâ obuenerũt nocte perdantur, & pereant, secundâ certè vel die vel nocte nõ permanent. Erosit, vt mox videbimus, vermis IONÆ *hederã* subitò: an non sic mors, morbus, rapinæ, inuidiæ, & quicumque casus aduersi, adinstar vermium, bona mundi, & quidquid esse videbatur summç felicitatis inter homines, propè in puncto tollunt? Nemo quçso fortunæ suæ, prosperitati, & secundis nimium fidat successibus. Putat sçpè, at infelix vehementer quia non prouidus satis, quiescere se in opibus suis, & ea quã obtinet dignitate securũ; sed fallitur, tantũ sub vmbra *hederæ* delitescit, & quiescit pro modico tempore: nam mox adfuturus aduersæ fortunæ *vermis* arrodet *hederã*, vmbram eripiet, spes omnes vanas & fragiles tollet. O quoties, & quã bene, Deus superbis diuitibus, quemadmodũ IONÆ, hanc vmbrã subducit, vt videãt spes omnes inanes, fallaces, & futiles esse, quæ in bonis quibuscũque præsentis sæculi collocãtur. Hæc igitur flocci facere & aspernari nouerimus, iam antequam nobis eripiantur; ne eadem non tam deserere videamur, quàm ab illis deseri: & ita conuenit, vt spes nostra fixa sit & firma in cælis.

Item symbolum est vanitatis sæculi.

44 *Hedera* quoq;, arctè, vt videmus, complexu quodam arbores sibi vincit & implicat; sed vinciẽdo simul officit, cõsumit, & necat. Idem faciunt voluptates obscœnæ, seu turpes amores: hi enim suos amatores inter se, nõ minùs quàm hedera, nodis arctissimis & propè indissolubilibus vinciunt, sed simul miserrimè etiam perimunt. Quotidianum est quòd proci amasias, amasiæ procos implicãtes impuri amoris subdolis nexibus, iisdem quoque sese mutuo in interitum trahant. Neque olim alia de causa Romç Flamini Diali tangere hederam, imò nominare erat nefas, quàm vt innueretur à Romanis etiam Ethnicis, quanta castimonia, quanta deceat sacerdotem libertas. Etenim amare quempiam, nisi amore diuino, æquè ac implicare animum curis & sollicitudinibus sæculi, mera seruitus est. Certè non ita hedera ei cui proxima est arbori, sicuti animus semel abreptus & fascinatus amoris philtro, illi quem semel deperire cœperit adhærescit: separari enim ab eo non posse nisi solâ morte videtur. O turpem & abominandam amantium insaniam! Dicebat illa apud Poëtam:

Voluptates obscœnæ sunt vt hedera.

— *Si versus amor tuus est in tædia nostri*
Quam sine te cogis viuere, coge mori.

Ouid. in epist. Briseis Achilli.

Et de se Lyricus, sed puriori amore eo saltem loco, scribens ægro Mecœnati suo:

Ah te meæ si partem animæ rapit
Maturior vis, quid moror altera,
Nec carus æquè nec superstes,
Integer? ille dies vtramque
Ducet ruinam.

Horat. l. 2. Car. Ode 17.

45 Ad feliciorem *hederam* à qua prouenit vmbra melior, gratior, & suauior vos nunc ducere statuo; sub qua fracti laboribus, diffluentes sudore, calore æstuantes, quiescatis hilares & securi. Hæc semper viret, numquam emoritur, numquam flaccessit, numquã non vmbram facit amœnissimam ac gratissimã, quamdiu diuinis mãcipati obsequiis, Dei filij fuerimus, id est quàm diu voluerimus: non enim nisi nostrâ incuriâ peruersaque voluntate, illius virore atque vmbrâ priuabimur. *Hedera* vmbra de qua hic loquor, gratia est Spiritus sancti, quæ numquã recedit, numquam nos deserit, nisi nostris peccatis depulsa. Hoc, qui sapientes sunt, satis agnoscunt, & illam sibi exhiberi *hederam*, sub illius vmbra requiescere posse, omnibus diebus vitæ suæ vehementer efflagitant, magno ardore dicentes quotidie: *Veni sancte Spiritus, in labore requies, in æstu temperies, in fletu solatium.*

46 Cer-

46 Certè Spiritus hic in æstu carnalium voluptatum, verè vmbraculum est; quod noxias flammas non solùm ad tempus sedat & mitigat, sed prorsus etiam extinguit. Est nobis vmbraculum illud, in terra hac deserta & vastæ solitudinis degentibus, vbi prauorum calore desideriorum vehementiùs subinde torremur, apprimè necessarium; vtpote sine quo nequimus vllo modo subsistere. Quare quod ex pio & sancto Ecclesiæ vsu, rogamus, accincti ad iter, & de loco in locum, de ciuitate in ciuitatem transeuntes; *Esto nobis Domine in procinctu suffragium, in via solatium, in æstu vmbraculum, in pluuia & frigore tegumentum*; multò potiùs & instantiùs rogemus, accincti magno illi itineri, quod quotidie decurrere pergimus, quo ex sæculo hoc ad alterum, à mortalitate ad immortalitatem properamus: vt in itinere tam longo, periculoso, & molesto, protecti ab æstu, protecti à frigore, protecti ab ingruentibus tentationum ventis, salui & incolumes, ad æternam beatitudinem, Sanctorum domicilium, veram & optatissimam patriam nostram, pertingamus.

S. Eccles. in Itinerario Clericorum.

LECTIO SEPTIMA.

ET LÆTATVS EST IONAS SVPER HEDERA LÆTITIA MAGNA. *Vers. 6.*

ARGVMENTVM.

Discutitur causa lætitiæ Ionae, *& ea satis futilis esse ostenditur. Eiusdem inconstantia, sicut & aliorum, in tam subita alternatione gaudij & mœroris, damnatur. Hederam esse indicem vanitatis, quâ coronati homines sæculum sapientes, instar bacchantium insaniant, declaratur.*

Gaudia immoderata esse non debent. Cato.

1 Ixit, & benè dixit, quicumque dixit:

Interpone tuis interdum gaudia curis.

Causa cur id faciendum hæc est, ne sollicitudo sollicitudine, mœror mœrore cumuletur; & vtraque simul hominem exedant, & consumant. Verùm vt oblectent & curas leuent non nimium esse immoderata debent iis interposita gaudia; ne mox sublata animum ampliùs conturbent, curas & sollicitudines magis augeant, & mœrorem afflictionemque procreent ampliorem.

Deus in subsidium mœroris dat Ionæ hederam.

2 Fuerat mœstus & anxius pro concredita sibi de Niniuitis cura non vna de causa, & grauiter quidem Ionas; igitur ne contabescat, & immoriatur angoribus, quam ipse sibi non impendit medicinam, hanc illi Deus impertit; offerens, quâ recreari possit, virentem *hederam*.

Porrò sicuti est prouidi & periti medici tale remedium præscribere, quale exigit & morbi natura, & ægrotantis affectus: atque sic moderari medicinam, sic amara dulcibus, frigida calidis permiscere, vt cùm non de toto placeat, non tamen etiam de toto displiceat; insuper vt neque otiosa sit, neque nimium molesta; vt ad eam non adeò nauseet ægrotus, & tamen à noxiis humoribus eius virtute liberetur, ac venenũ interiora depascens pellatur. Ita summus animorum, simul & corporum medicus Deus cum Iona hîc agit; dum crescente *hederâ*, quâ oblectatur; arescente, quâ supra modum affligitur; amara dulcibus, læta tristibus miscens, illi suam dementiam ostendit, exprobrat crudelitatem

Hæc illi seruit pro medicina animi, simul & corporis.

tem, atque hominem ad veritatis agnitionem adducit, & quemadmodum verosimile, imò certissimum est, licet nequaquã sacris Litteris expressum, efficit vt suum ipse peccatum agnoscat, & de eo, non secùs ac Niniuitæ de suo, pœniteat.

Hedera quid Ionæ præstiterit à D. Basilio describitur. Basil. Seleuciæ Orat. 12.

3 Mistam medicinæ acerbitati suauitatem à condimento enascentis *hederæ*, vidimus quidem; sed eandem paullò copiosiùs describentem D. Basilium Seleuciæ audiamus: *Virescens*, inquit, *colocyntha* (sic ille ponit, LXX. secutus, pro hedera cucurbitã transferens) *in faciem tecti explicata Ionam circumtegebat, & quoddam veluti pratum supra caput elatum erat, atque vndique flores fructusq́; expensi ad delicias vsque spectabantur, proiectumq́; solis radium vice muri frangebant. Spectando Ionas oblectabatur, ipsiusq́; tristitiam minuebat flos animumq́; lætitiâ perfundebat herba tuguriolo circumfusa.* En amariori medicinæ admista suauitas, quæ quousque ad mentis interiora penetrarit, & an ita attemperata malo, vt illi leuando prodesse posset præsens, & subtracta nequaquam nocere, videamus.

Quid sit Hebræis lætari lætitiâ.

4 Verba sunt ipsius Prophetæ: LÆTATVS EST IONAS SVPER HEDERA LÆTITIA MAGNA. Conduplicatio vocis satis Hebræis vsitata, lætitiæ magnitudinem ampliùs exprimit, vel certè si vultis duplicata vox lætitiam duplicatam designat. Locutioni Hebrçæ inhærẽdo, censet Ioannes Drusius magis propriè vertendum, *Lætatus est lætitiam*, quàm *lætitiâ*. Fuit hîc dicendi loquendique modus olim, & est etiamnum Romanis quoque vsitatus. Latinè dixit Terentius: *Hunc scio, mea solidè solùm gauisurum gaudia.* Et Virgilius.

Virg. l. 12. Æn.

— *Hunc oro sine me furere ante furorem.*

Alij pugnare pugnam, & his similia. Interim siue legamus *lætatus est lætitiam*, siue *lætatus lætitiâ*, sit hoc nullâ aut sensus, aut veritatis mutatione: neque enim dubium esse potest, quin, vti verba hæc sonant, magnoperè exultarit IONAS: & quia magna fuit eius lætitia, fuit similiter hanc consecutus, deperditâ vmbrâ *hederæ*, dolor magnus. Nam quod cum amore possidetur, vix vmquam sine dolore amittitur.

Sapiens neque in gaudium, neque in mœrorem effundi solet.

5 Non solet homo alta sapiens effundi aut in dolorem, aut gaudium, quoniam, vt ait ille,

Sperat infestis, metuit secundis
Alteram sortem benè præparatum
Pectus. ——— Horat. l. 2. Car. Ode 10.

& sic seipsum continet, quocumque casu, aut spe, aut metu. Hic in gaudium IONAS, vir tantus, tam pius, tam eruditus, tam sapiens totus effunditur: quærenda est igitur ratio, eaque discutienda; vt qualis, quanta, quàm iusta sit videamus; constetque nobis, tantoperè hic in gaudium, alibi in mœrorem, de quo suo loco acturi sumus, effusus Propheta; sapienterne egerit, an secus. Occasio certè tam profusæ lætitiæ tanta fuisse non videtur, quæ hîc eum abripuit longiùs; videlicet nocte subitò enatam *hederam*, de die ipsi vmbram facere quiescenti. Quare nisi inde aliquæ illi obuenerint, quæ non ita ad oculum patent, causæ grauiores lætitiæ tantæ, eam aliquantulum moderando, longè meliùs facturus fuisse, omnium sapientum iudicio censebitur.

Sapienter tantoperè lætatum fuisse Ionã opinantur Palatius & Feuardentius.

6 Hoc nunc disquiramus: Sunt qui opinentur egisse non tantùm sapienter, sed quàm sapientissimè; adeoque lætari tantoperè potuisse, idque non nisi valdè iusta ex causa fecisse. Ita Paulus Palatius, & Franciscus Feuardentius: causam ipsi in hoc referunt, quòd viderit tantoperè se curæ esse bonitati diuinæ, vt ad medendum præsenti languori suo produxerit, nouâ quadam & inusitatâ ratione, atque etiam in altum eduxerit, in similitudinem frondosæ arboris, idque breuissimo temporis spatio hũc opportunissimum fruticem, quem ipse interpretatus sit, esse certissimum diuini in se amoris & beneuolentiç argumentum.

7 Valebat autem & seruiebat hic frutex homini ægro ad sanitatem cùm cor-

Quo pacto hedera, Ionæ ad sanitatem corporis & animi profuerit ostenditur.

corporis, tum animi. Ad corporis sanitatem: quia languenti & æstuanti gratius nihil potest accidere, quàm sub vmbra virentis arboris requiescere: atque si verũ est quod ferunt, *hederam* non solùm aduersùs solis æstum præbere vmbraculum; sed & habere vim discutiendi contractam ex æstu & lassitudine grauedinem capitis, peropportunè atque percommodè hic illi vmbra hederæ præ ceterarũ arborum & fruticum vmbra obuenit. Ad sanitatem animi: quia illi, qui in Deum grauiùs aliquãdo peccando deliquit, vti noster IONAS, maior lætitia non potest contingere, quàm si post actam pœnitentiam, atque adhibitum studium cum sibi nouis officiis & maximarum exercitatione virtutum faciendi propitium quem offenderat; id iam reipsâ factum certissimâ testificatione cognoscat. Ad hoc autẽ cùm seruire sibi nouum illud à lapsu suo beneficium enascentis *hederæ*, seque oblectantis & protegentis interpretaretur IONAS, quid ni gaudeat, & maximoperè, acceptâ tantâ lætitiæ causâ, exultet.

Causa assignata à quibusdam cur Ionas ita lætatus fuerit super hedera.

8 Verùm alij, tametsi *hederam*, vti omnes omnino Interpretes, estque ex verbis sacris clarissimum, dedisse IONÆ causam illius lætitiæ opinentur; non tamen tamquam si symbolum fuerit redintegrati fœderis initæque rursus amicitiæ inter ipsum & Deum; sed vt nota certior sui apud Niniuitas honoris, aut instaurati, aut certè seruati. Volunt quippe arbitratum Prophetam vel ex hac insigni pergula, sub qua Domino illi subseruiente deliciabatur, cognituros quamprimùm Niniuitas, quàm esset acceptus Deo, quãq; vates non mendax; cùm ab eo, quo fuerat mandante vaticinatus, tanto in honore haberetur, vt nouum quoddam germen, nouas frondes curaret in gaudium illi solatiumque exurgere. Neque id absimile vero, quando præsertim satis constat, quàm semper fuerit nominis sui amans in paucis; quàm senserit non euersam Niniuen suâ in eam semel interminatione sententiaque prolata; idque ob eam potissimùm causam, quòd vereretur, quasi minùs verax, aliquod famæ suæ discrimen incurrere.

Secundùm Sanchium quia inde spem concipiebat etiam seruandum honorem suum.

9 Gaspar Sanchius, ab hac opinione non multùm dissentiens, arbitratur IONAM lætatum vehementiùs, non tam causâ *hederæ*, aut prouenientis ab ea suauis vmbræ; sed quòd concessâ sibi semel à Deo vltrò hac gratiâ, putaret fore facile, vt & alteram impetraret, quam ardentiùs postulabat; cumque qui tam promptè ipsi de vmbraculo præter naturæ communem cursum & ordinem, suamque expectationem prospexit, de reliquis quoque, & de eo quod est præcipuum, honoris sui conseruatione, tametsi id fieri deberet cum ipsius interitu ciuitatis, non minùs promptè & liberaliter prospecturum.

Secundùm Fab. Iustin. lætatus est super hedera quia in ea volũtas eius implebatur.

Fab. Iustin. in Tob. c. 3. v. 6. docum. 3.

10 Fabianus Iustinianus explanans Tobiam, causam lætitiæ IONÆ ait fuisse adimpletionem propriæ voluntatis. Sic namque ipse IONAS dum prophetiam in Niniuitas prolatam magis iuxta suum iudicium, quàm Dei voluntatem adimpleri vellet, timens aliter euenturum quàm ipse prædixerat, maximâ afficiebatur tristitiâ: paullò verò pòst, cùm *hederam* super caput suum ascendentem vidisset, atque illâ se ab iniuriis solis protectum, *lætatus est lætitiâ magnâ*, quòd id secundùm suam voluntatem contigisset: deinde hac à verme corrosâ tantâ est iterùm affectus tristitiâ, vt mori optauerit, quoniam illud rursum erat illius voluntati desideriisque aduersum. In quo rectè animaduertit idem Iustinianus, eos qui suã non Dei quærunt facere voluntatem, esse semper inquietos, semper instabiles; neque id mirũ videri debere, cùm semper quiescere velint sub infirma & instabili hedera propriæ voluntatis: eos verò, qui diuinam agnoscentes voluntatem, illi se planè subiiciunt, in nomine Domini exultare, & in summa pace quieteque viuere.

11 Magis corporis quàm mentis solatia spectant ea quæ referuntur ab

aliis causæ lætitiæ IONÆ. Sunt namque qui dicant lætatum ob herbæ in sui gratiam productæ pulchritudinem & virorem, cuius conspectu maximoperè refectus recreatusq; fuerit: sicut omnis viror, vnus tamen altero amplius, humanos oculos non parum oblectat. Sed & recreationem hanc non modicè auctam ferunt ex arbusculæ nouitate; sicuti omnia noua hominibus grata esse solent & cara.

Secundum quosdam lætatus est ob virorē plantæ.

12 Alij ferunt lætatum propter vmbram, nihil in hedera hac spectando vlterius: quemadmodum peregrini expositi solis ardoribus, si quando in via frondosam repererint arborē, mirè recreantur, atque sub ea requiem quærunt vrentes solis radios declinando. Quod solatij genus studuisse impendere magnâ caritate Abrahamum Patriarcham iter agentibus, eos præstolādo sub meridiem, quando æstus est maximus, & dicendo: *Requiescite sub arbore*, testantur sacræ Litteræ. Similis igitur vmbra sub arbore, & sub ea amœna requies IONÆ peregrino nostro solatio fuerit; &, vt aiunt illi, maximam in animo eius lætitiam excitarit.

Secundum alios propter vmbram.

Gen. c.18. v.4.

13 Alij recreationem eius & lætitiam in hoc potissimùm referūt, quòd iuxta Niniuen, in terra videlicet aliena, tam amœnam sui soli & patriæ plantam repererit. Certum quidem est, secundùm Hieronymum, *Kikaion* siue vt ipse nominat *hederam*, apud Assyrios, vbi erat non procul à Niniue tuguriolum IONAE, fuisse vix agnitam: in Palæstina verò circa Ierosolymam, vbi vetus illius domicilium, frequentem & vulgò notam omnibus fuisse. Certum similiter quotidianâ experientiâ nouimus, quòd sicuti, cùm quis remotus à patria, loco aliquo vbi tum eum esse fortassis contigerit, suæ gentis virum quemdam, conciuem, aut notum videt; ad conspectum eiusdem plurimum recreatur: ita recreari quoque non parum, si ibidem in oculos derepētè incurrerit aliquid, cuius cùm istic rarus sit vsus, rarus conspectus, è contra frequentissimus, & maximè in eius patria obuius; eò quòd hac ratione solum natale, ad quod quò ab eo longiùs abest, eò maiori affectu rapitur, secundùm illud Poëtæ Elegi,

Secundum alios ob plantam patriæ suæ repertam in terra aliena.

Nescio quâ natale solū dulcedine cūctos
Ducit, & immemores non sinit esse sui.

Ouid l. 1. de Ponto.

videre sibi denuò videatur.

14 Quod ergo IONAS remotus longiùs à Palæstina solo suo patrio ob repertum ibidem regionis suæ fruticem, decorum frondibus, suo virore amœnum & gratum, ei ad delicias vmbram parantem, lætetur aliquantisper; nil mirum; hoc facilè etiā viro graui & sapienti concedendum putem: sed quòd idcircò lætitiâ tantâ exultet, hoc & mirū, & tali tantoque viro indignum videtur. Certè Prophetam, maioribus & sublimioribus iam assuetum, neque repertus in terra aliena suæ patriæ frutex, neque viroris illius amœnitas, neque commoditas vmbræ, neque hæc simul omnia commouere tantoperè debuissent.

Tantoperè ob hæc omnia lætari Ionas non debuit.

15 Sed nec illud, quod ait Arias Montanus, sperasse eum, enascente iam tam densâ frondosaque hederâ, fore se imposterum à molestiis resarciendi tuguriolisui, subinde ob ramorum ariditatem ex solis enatam ardoribus rimas agentis, prorsus immunem. Nam quantillus ille est labor, locum perexiguum, subinde nouis ramis & frondibus petitis è vicinia conuestire, vt hunc tantoperè formidare, eoque solutus tantâ exultare lætitiâ debeat? Atque hæc & his similia corporis quidem solatiola aliqua sunt, etsi tenuia, & vilia satis; nullo verò modo oblectamenta animi, talia præsertim, quæ virum magnarum rerum capacem reficiant.

Neque etiam quod liberaretur labore resarciendi tuguriolū suum.

16 D. Cyrillus Alexandrinus vt aliquatenus excuset præposterum IONÆ luctum & gaudium, vtraque hæc illius innocentiæ tribuit; quam, vbi animo alicuius insederit, fateor flectere eundem ad dolorem & hilaritatem facillimè solere. Adducit ad hoc probandum infantium familiarissimum

Cyrillus profusum dolorem & lætitiam tribuit eius innocentiæ.

Cyrill. in c.4 Ionæ.

rissimum exemplum, qui vait ipse, & verè: *Frequenter sine causa dolent, & in rebus exiguis plorant largiter. Contrà nonnumquam re paruâ demulsi gaudent, repenteq; à tristitia ad lætitiam prosiliunt.* Quod ipsum familiari confirmans similitudine subdit: *Quemadmodum in corporibus humanis, quæ firma ac robusta esse non solent, impulsu aliquo facilè cadunt; quamuis id non validè, sed velut teneriore manus tactu fiat. Ita & animus calliditatis non difficulter cedit iis, quæ ipsum quocumque impellere aut afficere molestiâ queunt.*

Ionas inconstans fuit.

17 Ego de Ionæ innocentia non habeo quod dicam, propugnator illius non sum, neque etiam accusator calliditatis aut imprudentiæ eiusdem: hoc scio, mutatum & quidem leui satis ex causa sępiùs illius animum fuisse; quod non magnæ constantiæ est, innocentiæ fortasse maioris.

Quidquid deinde sit de veris iustisque causis lętitiæ, quâ exultauit immodicè, de quibus non ampliùs disputo, hoc certum: dedit illi lætitię occasionem *hedera*, à qua boni aliquid sibi sperabat. Ita nos docet Textus sacer. Ceterùm ob quod ex ea commodum id acciderit, diiudicare liberum sit cuique.

Nō est laudanda Ionæ in hac re tam profusa lætitia.

Ad me quod attinet, nisi fortè assentiri velimus Palatio & Feuardentio suprà citatis, dicentibus Ionam tantoperè lętatum ob diuini in se amoris beneuolentięque per virentem *hederam* locuples testimonium; nón video quo modo lętitiam illius profusionemque tantam commendare possim, laudare certè non debeo. Etenim non satis sui dominus, in continendis affectionibus suis atque in iisdem frenandis minùs potens, plus quàm debebat mœrori primùm, deinde lętitiæ, mox iterùm mœrori indulsit, varius semper, inconstans, & minimè stabilis; quod virum fortem, diuinis pręsertim mancipatum obsequiis, nullo modo decebat.

Ostenditur Ionæ atque exhibetur futilitas rei ob quam tam variè commouetur.

18 Ostendimus nuper, quàm non tantùm malum, quin potiùs ingens sit bonum, Niniuen post actam pœnitentiam fuisse à Domino intactam relictam, licet non satis ex Ionæ arbitrio: quare etiam illi exprobrauimus quodammodò dolorem suum, vitæque, quod inde conceperat, tædium iure meritoque damnauimus. Nunc cum hîc iterùm rogo nimium immodicè exultantem: Quodnam mi Iona tantum bonum, plantula vna, frutex, aut arbuscula nescio quæ tibi vmbram aliquam faciens, ceteroquin sterilis atque inutilis, vt propter illam, tu qui anteà tantoperè eras afflictus & tristis, ita subitò commutatus, non minùs nunc rursus læteris? Et quæ rursum deinde causa doloris tanti & luctus, quę tantæ indignationis materies, quando hæc exesa à verme, tosta à vento calido & vrente marcescit, atque virore suo destituta consumitur; vt propè consumatis etiam tu, & quodammodò contabescas mœrore; irascaris insuper & indigneris, mori quoque molestioris vitę atque doloris impatiens cupias; idque eâ quâ modò frueris lucis vsurâ vitaque, longè melius arbitreris?

Ostenditur quàm importuno loco & tempore Ionas lætetur.

19 Ionae ad hæc responsum, si quod fortè daturus sit, pręstolabimur aliàs; quando hanc eandem illi propositam quęstionem à Domino supremo Iudice penitiùs disquiremus. Quod ad rem spectat præsentem, mirari satis non possum, quomodo in oculis mœstissimæ ciuitatis, secundùm prolatum ab eo iudicium sententiamque; atque vt ipse optabat, certè sperabat, omninò breui, siue misso de cęlo igne, siue exurgente terrę hiatu, siue hostili gladio, incendiis & ruina perituræ, ob modicam hederæ vmbram Ionas exultet. Scilicet in tanta consternatione numerosissimi populi, in tanto tam multorum metu, in communi omnium luctu, inter cinerem, cilicium, saccum, complorationem minimorum iuxta ac maximorum ipsum vnum gaudere propter *hederam*, & quidem lętitiâ tantâ tali viro digna res erat! Si vt loquitur Paulus oportet *flere cum flentibus*, magis cum flere cum Niniuitis quā sine iis lętari decuisset. Ad Rom. c.12. v.15.

20 Ex

Ex Iona inconstătia nobis discenda constantia est.

20 Ex hoc illius actu, non omninò sapientissimo, fiamus aliquantò sapientiores nos, & dum inspicimus, ac notamus hic mores illius pueriles ac leues; & in viro tanto obseruamus non modicam inconstantiam; discamus quæso non esse vltrà, aut effici pueri sensibus, non in actionibus nostris leues, non in consiliis propositisque instabiles. IONAS, qui nunc *lætatur lætitiâ magnâ*; mox dolore maximo cruciatur: qui nunc hilaris totus, vitæque suæ amantissimus; mox mœstus mortem vitâ suâ æstimat potiorem: qui nunc sic gaudet ob enatam hederam, vmbramque illius obnubentem caput suum, paullò pòst non minus dolebit expositus solis ardoribus ob eandem arefactam, & vmbram illam quâ destituitur: quasi nullus alius reperiri possit aut frutex, aut ramus, aut arbor, nullumue arcendis caloribus flagrantissimis, æquè ac illa qua fruitur vmbra hederæ, opportunum remedium. En quàm hic inops consilij, quàm sui oblitus homo miser! imaginari sibi, tantum videtur in re tantilla incommodum, vt hoc vel ipsâ morte redimendum videatur. Sed parum benè. Nos melius aliquantulum, quando neque ob salutem Niniuitarum dolendũ cum illo, neque ob vmbram hederæ lætandum cum illo, neque ob eiusdem interitum dolendum iterum nouimus. Benè dixit Lyricus

Lætus in præsens animus, quod vltra est
Oderit curare, & amara lento
Temperet risu ——

Causam verò cur hoc faciendum adiungit

— *Nihil est ab omni*
Parte beatum.

Iob c. 14. v. 2.

21 Verissimum quidem est quod ait Iobus, non tantùm de hominis ætate; sed & de moribus atque ingenio: *Numquam in eodem statu permanet.*

Inconstantia vi superanda.

Interim tamen & mores prauos, & ingenij inconstantiam, & quidquid est vitiosum prognatum siue ab originalis culpæ contagione velut prima mali radice, siue aliunde facilè corriget, si ad hoc fuerit connixa solida germanaque virtus. Conatu tamen contentioneque non minima est opus ad extirpanda vitia primò, deinde ad virtutem inserendam: ad quam tantùm

Fit via vi —— *Virgil. 2. Æneid.*

Passiones faciunt plerosque profusos in gaudium & mœrorem.

22 Dolendum quidem vehementer, tantum posse non modò apud omnes passim Christianos, quod satis est turpe; sed etiam apud eos qui religiosiores ceteris totos se in Christi militiam transcripserunt, affectionum prauarum longè lateque dominantium impotentiam, quod est longè turpissimum: longè adhuc ampliùs has tãtum posse solâ nostrâ ignauiâ deplorandum est. Profectò non minùs quàm IONAS, si non ampliùs, cùm quid nobis subinde pro voto acciderit, ita in gaudium effundimur, ita viuimus nobis, vt vix Dei memores, ipsum etiam ne vix quidem accepti boni, ob quod gaudemus, largitorem agnoscamus. Si quid verò præter votum voluntatemque nostram contigerit, ita vinci nos mœrore, ita consumi tristitiâ patimur; vt nullam eluctandi viam, nullum modum quo morbo iam ad extrema tam repentè deducto succurratur necessitatiq; præsenti quam sentimus consulatur, fore, nobis vmquam residuum arbitremur.

Defendunt plerique suarum passionum impotentiã ineptè.

23 Interim vbi quis hanc animi nostri impotentiam, hanc dementiam arguit, non nos pudet, quod est omnium deterrimum, causam nostram, iniquam prorsus, velut æquissimam propugnare, atque Deum ipsum velut in ius vocare; vt qui aliquid cum sensu voluntateque nostra pugnans effecerit; quasi perperàm neque satis ex æquo nobiscum sit actum, si quid nobis, quod credebamus esse alicuius felicitatis, si quid gaudiorum, puerilium licet aut leuium, iure suo ademerit ille qui statuere de omnibus, suo arbitratu vel dans, vel adimens, sine vllius iniuria potest.

Idem ex̃pliu ostenditur.

24 Numquid sic agitur; cùm quis nobis aliud desiderantibus, morte sublatus est eorum, quorum ex consuetudine multum commodi felicitatisque sperabamus; aut certè eorum quos

nobis

nobis iunxit natura vinculo cōsanguinitatis arctiori: cuiuſmodi ſunt parentes, filij, coniuges, agnati, aut quicumque propinqui. Similiter cùm quis vel vrbis direptione quam incolit, vel turpi incendio, vel fœda tempeſtate, vel neſcio quâ bonorum rapinâ in graues anguſtias, atque ex iis in anguſtā pauperiem actus, de conditione ſua vitæque rationibus immutare, atq; imminuere pluſculum cogitur: cùm tamen ob hæc vel minimum de virtute priſtina conſtantiaque remittere, tam ſit ab officiis hominis Chriſtiani alienum, quàm quod alieniſſimum.

Moderatè gaudere, & triſtari, licitum eſt, & honeſtū.

25 Fateor dolere, conqueri ob res aduerſas, multoque magis ingemiſcere, ſicut humanum eſt; ita, cùm fit moderatè, non eſſe illicitum; vti & gaudere tempore, loco, iuſtaque de cauſa: neque enim truncos, aut ſaxa nos fecit Deus, qui nullo mali, nullo boni ſenſu tangamur. Nouimus ipſum Chriſtum Dominum omnis virtutis & perfectionis exemplar abſolutiſſimamque idæam, fleuiſſe ſuper Ieruſalem, fuiſſe contriſtatum ad mortem, queſtumque in cruce: cur igitur id nobis non liceat? Eſt tantùm, vti dixi, moderatione opus, quâ diſcamus in Deum auctorem largitoremque ac Dominum omnium animos altiùs attollere, ac eum in omnibus rebus conſiderare operantem ſiue nobis bona & læta, ſiue mala triſtiaque obueniant; eaq; de manu eius promptè, alacriterque ſuſcipere: quoniam, vt ait Poëta,

Ouid. l. 4. de Ponto.

Ludit in humanis diuina potentia rebus.

Tum verò non modò omnia vt rectè & iuſtè ab eo facta laudabimus; ſed ita nobiſcum comparatum credemus, vt ea aliter fieri, ſecundùm diuinam prouidentiam in ſuis diſpoſitionibus falli neſciam, neque potuerint, neque debuerint.

Animi æquabilitatem docet Horatius Licinium.

26 Elegans eſt hominis Ethnici non Ethnicum monitum dignum memoriâ poſterorum omnium, ad quemdam amicum ſuum Licinium, quo docet eum, retinendam eſſe in vtraque fortuna æquabilitatem, animique fortitudinem, conſtantiam, his verſibus:

Horat. l. 2. Car. Ode 10.

Rebus anguſtis animoſus, atque
Fortis appare, ſapienter idem
Contrahes vento nimium ſecundo
—— Turgida vela.

Iiſdem ſingulos vos monitos velim: quamuis maiora nobis documenta à Chriſtiana diſciplina petita non deſint.

Paſſiones quotidianæ hominum circa res ſæculi proponuntur.

27 Supereſt nunc vt quales ſint huius ſæculi homines, & hominum mores in IONA pauliſper videamus. Non quòd fuerit talis olim ipſe, ſicut iam multi, qui quaſi proprio inſtituto hoc agunt mundo vt ſeruiant, veriſſima vanitatum mancipia; cùm fuerit IONAS noſter ab huiuſmodi voluntate longè alieniſſimus: ſed quòd nobis ipſe occaſionem hîc præbeat aliquâ ſuâ imperfectione & inexercitatione animi moderati per profuſiorem lætitiam in re nihili, poſt mœrorem nimium, poſt impatientiam, poſt querelas non ſatis legitimas; ampliùs dirigendi oculos in imperfectum noſtrum; videndique accuratiùs quomodo non ſolùm profuſiores paululū, ſed profuſiſſimi & inſolentiſſimi ſimus oblectando animum artificioſo & ambitioſo venatu lucri, voluptatum, commodorum, honorum; Dei interim eiuſque legis ac mandatorum immemores: his autem nos ludificantibus; id eſt labentibus, fugientibus, ſeu, vt res ſunt ſæculi huius quæcumque, pereuntibus, in iras exurgamus; æſtuemus indignatione, inquieti intus, foris, etiam tumultuemur, cælum Deumque ipſum venenatis improbæ linguæ iaculis petamus, maledictis inceſſamus, mortem nobis corporis, iam pridem ſic agendo æternam commeriti, nimium infelici omine imprecemur.

Homines ſæpè ſæculi vanitate velut ebrij ſunt.

28 Porrò ne hoc tam inſanum illorum factum miremini, credite illos eſſe verè hederâ coronatos; id eſt non ſatis ſobrios, ſed mente quodammodò captos, ſi non à vino, certè ab inani fumo rerum ſæculi. Veſtiuit IONÆ vmbraculum quondam hedera, nunc hæc caput & tempora mortalium veſtit.

Noui-

Qui interrãt Bacchi sacris hederâ coronabantur. Nouimus olim hedera coronatos, qui Bacchi sacra celebrabant, aut eius Orgiis tertio quoque anno solenni ritu peragi solitis, vnde & Trieterica dicebantur, intererant. Id testantur libri Machabæorum, in quibus legimus de Iudæis ab Antiocho rege ad nefaria quæque compulsis, quòd, *cùm Liberi sacra celebrarentur cogebantur hederâ coronati Libero circuire.* Ex eo verò quòd hedera perpetuò virens, numquam destituta foliis, sacra sit Baccho, ortum putat Leuinus Lemnius, illud quod dixerũt nonnulli, ebrietati eam obsistere, & dolores capitis cõtractos ex temulentia dissipare. Sed vnum & alterum friuolum est.

Libro 2. Machab. c. 6. v. 7.

Lemnius de herbis Biblicis c. 33.

Meliùs aliquid discamus ex hedera. Quid illa? virorem quidem habet, quo oculos pascit, fructum nõ habet: prorsus ita sæculi voluptates, gloria, potentia, vana sunt omnia; foris quidem ad speciem instar viroris in oculos incurrentis oblectant: sed cùm nihil menti fructus adferant, tantum intus cruciant, quantum foris afficiunt; vt verè illis, qui sic se pascere inaniter studẽt, audiendum aliquando sit: *Quem fructum habuistis tunc in illis in quibus nunc erubescitis?* quod alterum est ab illis voluptatibus malum.

Ad Rom. c. 6. v. 21.

Voluptates sæculi sunt sicut hedera. Igitur hæc vana seu stulta potiùs (sic enim meritò censentur omnia quæ cælum non spectant) quicumque sectantur, hederâ coronatos se putent, ad similitudinem veterum Bacchantium, ex quo abundè appareat viris sapientibus, atque altiora spectantibus, quòd non satis sani ac mente sobrij sint, cùm huiusmodi futilibus, aliquando deserendis saltem ex necessitate, tantoperè nunc ex vanitate & animi leuitate adhæreant.

Quomodo eadem transeant ostenditur. 29 Quàm velim hi considerẽt paullò accuratiùs atque attentiùs, ea quæ hîc appetunt, & tantâ auiditate appetunt, quæque tam improbo consectantur labore, esse velut somnia dormientium, transitura breui, & relictura deinceps dominos suos vacuos & inanes. Verè dixit S. Gregorius multis similitudinibus mundi & rerum mundanarum varietatem & inconstantiam, gloriã quoque quam sectantur improbi nobis proponens: *Iniquorum potentia fæni floribus comparatur: quia carnalis gloria cùm nitet, cadit; dum apud se extollitur, repentino intercepta fine terminatur. Sic aurarum flatu, in altum stipula rapitur; sed casu concito ad ima reuocatur. Sic ad nubila fumus attollitur; sed repentè in nihilum tumescendo dissipatur. Sic ab infimis nebula densescendo se erigit; sed exortus hanc solis radius, ac si non fuerit, abstergit. Sic in herbarum superficie nocturni roris humor aspergitur, sed diurni luminis subito calore siccatur. Sic spumosæ aquarum bullæ inchoantibus pluuiis excitatæ ab intimis certatim prodeunt; sed eò celeriùs diruptæ depereunt, quò inflatæ citiùs extenduntur, cumq; excrescunt vt appareant, crescendo peragunt ne subsistant. De iniquis igitur temporalis gloriæ elatione tumentibus; sed tamen nulla in hac soliditate durantibus, dicitur rectè, Eleuati sunt ad modicum & non subsistent.*

Greg. l. 17. Moral. c. 5.

30 Attentæ harum & similium rerum considerationis defectu, ferè accidit, quod est pessimum, vt mortales, quantumcumque insaniant, nequaquam tamen insanire se credãt; imò se vel maximoperè sapere arbitrentur: videlicet melle præsentium bonorum velut intoxicati, quàm diu eius aliquo gustu sapidiore fruuntur eoque ad tempus modicum gaudent, benè sibi esse, quin & futurum perpetuò putãt: at vbi, commutatis nonnihil vocibus, ille primus mellis liquor paulatim in fel conuerti incipit, & alia ex illo Circæo poculo amariora, nondum exinanitis fæcibus, propinantur; tum demum fraudem agnoscentes, insaniam suam simul agnoscere, simul damnare incipiunt; factique propriâ calamitate tandem aliquando sapientiores, vtinam non nimium serò, nequaquam in rebus conditis quibuscumque, speciosis licet, commodis licet, gratis & suauibus licet (quoniam omnes omninò fugaces sunt & pereunt, magnam pro accepta ex iis dulcedine acerbitatem & amaritudinem adfe-

Homines quò magis delirant, eò ampliùs sapere se putant.

adferunt & nouũ velut in animo vulnus relinquunt) sed in earum conditore Deo, à quo, & in quo est omne bonum, spem omnem suã, cogitationesque defigendas esse intelligunt. Id & vos, sed maturè intelligite, neque exultetis, quemadmodum Ionas super inani ac fallaci *hedera*: verùm, secundũ Dauidis sapientissimum consilium, *Lætamini in Domino*, in quo solo vera solidaque reperitur lætitia, numquam euanescens, numquam deficiens, sed permanens in æternum.

Psal. 31. v. 11.

31 Secundùm Catonem de re rustica teste Leuino Lemnio hederaceũ poculum, dedolatum in quã siue tornatum ex ligno hederæ, vinum dilutum non capit; sed si quod simile immissum in illud fuerit, vinum per quandam velut antipathiam ab eo reiectũ infernè per lignum diffunditur. Non hoc tamquam verissimum assero, sed rem ab eo narratã narro. Illud interim asseuero, hederaceũ, vt sic loquar, cordis humani vasculũ, admistũ aqua terrenarum voluptatũ cæleste vinum nequaquam admittere; sed respuere penitus, cùm non possit etiã in hac mortalitate, per quandã quę inter hęc est antipathiam, dulcedo spiritus, & quidã supernorum bonorũ gustus, tamquã nobilissimum vinum cum aqua voluptatũ sęculi vllo modo in corde humano cõsistere: sed horũ admistione inter se facta, aut potiùs conatu tantùm ad hãc faciendam adhibito quoniã cõmisceri inter se hęc duo non possunt, vinum illud cæleste cõtinuò euanescere, dissipari, diffundi.

Hedera nõ fert dilutum vinũ, nec cor humanum, cælestia terrenis admista. Lemnius vbi suprà c. 33.

32 Miser Ionas mox vidit quã fuerit vana atque inanis illa, quâ tantoperè exultarat, lętitia, quãdo adesse vermẽ corrodẽtem eam, sub cuius vmbra latebat summo cũ gustu, hederã sensit, eius vigorem & virorem penitùs deperire, se vidit optatâ amœnitate cõmodoq; destitui. Scilicet, vt ait D. Basilius Seleuciæ Episcopus, *Vt Deus Ionã colocyntha* (sic ipse, vt antè diximus, vbique legit pro hedera) *lætitia capi vidit, mittit vermem, & è vestigio siccatur planta, citiùs periit quàm germinauerat. Ecce tibi tecto nudatur Propheta, & extemporario tuguriolo priuatur, æstuansq́, flamma dum acriùs adspirat, caput adurebat, animi consternatio voluptatem excepit.* Ita ille.

Ionas vanitatem lætitiæ suæ edocetur. Basil. Seleuciæ Or. 12.

Consternationem deinde secutus est nouus dolor, noua lucta, & iteratum quoddã non sine graui mœrore ac tædio, desiderium mortis. De his acturi sumus suo loco: sicuti etiã proximè ampliùs ostẽdemus, quid sit factũ de *hedera*, sub qua Ionas periucũdè, sed nõ nisi breuissimo tẽpore latuit & delituit.

33 Nunc dumtaxat memineritis, sicut Ionam noluit Deus diu bonis frui pręsentibus, ita nos quoque moneri hoc loco, vt iisdem repudiatis antequã ipsa vltrò à nobis tollantur, solùm æterna spectemus. Quod vbi fecerimus facilè vilescent omnia, dicente B. Gregorio: *Mens quæ iam talis est vt* (queãdmodum paullò antè dixerat) *nulla quæ in mundo sunt concupiscat, præsentis vitæ longitudinem pœnam deputet, exire festinet, & amoris amplexu in cælesti sponsi visione requiescere: nullam præsentis sæculi consolationem recipit, sed ad illam, quam diligit, medullitus suspirat, feruet, anhelat, anxiatur, vilis fit ei ipsa salus sui corporis; quia transfixa est vulnere amoris.* O amicum vulnus! hoc vtinam, quotquot hîc sumus, sauciemur aliquando, vt dicere nobis liceat cum S. Augustino, pari cum illo mente, spiritu, fructu, idem iam expertis: *Sagittaueras tu Domine cor meum*; atque illo diuini amoris iaculo saucij, mundoq; mortui, soli Deo perpetuò viuamus.

Repudianda, & deserenda sunt bona terrena, antequam ipsa nos deserant. Gregor. hom. 15. in Ezech.

34 Interim tamen, dum sumus in hac vita mortali, & peregrinamur à Domino, aliqua nobis gratæ & amœnę arboris vmbra quærenda est; sub qua lassi subinde quiescamus. Verùm alia quàm fuerit illa *hedera* Ionam olim tutantis ab æstu; quæ paucos caperet: fuit enim arbor minimè spatiosa & procera, adeoque ad vnius dumtaxat Ionæ producta solatium. Sicut & vetus lex solos Israëlitas sub figuris & vmbris, quibus abundabat, tutabatur. Ad aliam ergo arborem accedamus amplam & spatiosam omnes omninò cõplexu suo & securè & iucundè excipientẽ, omnium

Sub vmbra Crucis Christi, nobis est quiescendum.

saluti & commodo in medio terræ, in mõte Caluariæ, vt pateat omnibus, cõstitutã: Crucem, inquã Domini nostri IESV Christi, cui venerabũdi Christiani omnes Elogiũ illud meritò occinimus:

Crux fidelis inter omnes,
Arbor vna nobilis,
Nulla sylua talem profert,
Flore, fronde, germine.

De qua etiã dici potest, quod dixit de Ecclesiæ vinea Propheta Dauid: *Operuit montes vmbra eius. Extendit palmites suos vsque ad mare, & vsque ad flumen propagines eius.* Cõmodè latere sub hac omnes, & quiescere possumus; atque, vt simus ab æstu voluptatum desideriorumque carnaliũ securi, debemus. (Psal. 79. v. 12.)

Maxima occasio lætitiæ est quiescere sub vmbra crucis Christi.

35 Numquam oblata fuit talis ac tanta occasio lætitiæ IONÆ sub vmbra *hederæ* suæ quiescenti; sed neque Israeli glorianti in sacrificiis & cæremoniis suis, meris futurorum vmbris, quanta mortalibus omnibus suæ salutis studiosis sub huius sacræ arboris vmbra quiescentibus. Quoniam præter hanc suauissimam de qua agimus vmbrã atque gratissimam, quam arbor ipsa suppeditat, eiusdem arboris fructus vitam nobis largitur, viam in cælum aperit, & aquas sæculi huius, per quas transcũdum est, ex amaris dulces facit: omnes inquam afflictiones à singulis sæpiùs absorbendas, miro modo condit & temperat. Quotiès enim laborum & cruciatuum Christi in ea toleratorum meminimus, minimum esse videmus quod patimur, & tamen per hos illius minimi mercedem maximam præstolamur. Quare sicuti Apostoli *Ibant gaudentes à conspectu concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine IESV contumeliam pati.* Ita & nos *Gloriamur in tribulationibus: scientes quòd tribulatio patientiam operatur; patientia autem probationem; probatio verò spem, spes autem non confundit.* (Act. c. 5. v. 41. Ad Rom. c. 5. v. 3.)

Describitur festum Tabernaculorum.

36 Iudæis inter festa ab eis culta vnum erat admodum celebre & solemne, dictum festum Tabernaculorum, Græcè Schenopegia à figendis tabernaculis: σκηνὴ enim est tabernaculum, πηγία fixio siue compactio, celebrari solitũ quotannis in memoriam protectionis diuinæ, quæ Hebræos in deserto annis quadraginta, sine domibus in solis tabernaculis viuentes præclarè tutata est. Porrò ad festum illud ex more celebrandum singulę familiæ singula tabernacula construebant, siue tuguriola quædam ex lignis seu palis (quale fuit tabernaculum siue vmbraculum IONÆ) quæ deinde etiam ipsi ramis arborum rudi modo, vti noster IONAS, opere tumultuario vestiebant, diebus septem (tam diu enim durabat festi illius solemnitas) ibidem commoraturis seruitura: hac ratione & Deo gratias agentes, & simul gratulantes sibi solutam captiuitatem, adeptam libertatem, obtentamq; tam felicem patriam, qualis erat Chanaan, in qua iam domibus ex promissione Domini nullâ suâ operâ, labore atque impensâ erectis, vtebantur. (Leui. c. 23.)

Sub tabernaculo crucis Christi degentes, paramus iter in cælum.

Nobis per Crucem Domini aditus patet in domum longè augustiorem, quàm fuerit vlla terræ Chanaan, aut sit etiam quæcumque toto orbe terrarum quantumuis maximo sumptu vmquam erecta. Domus hæc cælum est: hanc nobis Crux Christi clausam tot annorum millibus reserauit; cuius beneficij, quoniam nullum maius esse potest, memoriam habere nos oportet perpetuam.

A Iudæis per festum tabernaculorum exigebatur gratitudo.

37 Dixit Moyses genti Iudææ, ne quo modo ingratitudinis notã incurreret, obliuione beneficij illius quod à Deo acceperat: *Cũ introduxerit te Dominus Deus tuus in Terram, pro qua iurauit patribus tuis, Abraham, Isaac, & Iacob, & dederit tibi ciuitates magnas & optimas, quas nõ ædificasti, domos plenas cunctarum opum, quas non extruxisti, cisternas, quas non fodisti, vineta & oliueta, quæ non plãtasti, & comederis & saturatus fueris: caue diligenter ne obliuiscaris Domini, qui eduxit te de Terra Aegypti, de domo seruitutis.* Sed non profuit eius monitio, cœpit enim populus ille donatus iam libertate, fruens terrę opulentæ, genialiter viuere, ædes ædibus iungere, ad luxum magis quàm necessitatẽ, diuitias cumulare; de manè in vesperam bi- (Deut. c. 6. v. 10.)

bibere & epulari, atque largiùs genio indulgendo obliuisci Dei ac Domini sui, tā in se munifici ac liberalis; vnde nec defuerunt illi suo tēpore flagella.

A nobis multò maior gratitudo requiritur, ob bona vitæ æternæ data per Christum.

38 Cauendum nobis *Sodales*, ne sic quoque faciamus. Illa quæ nobis per Crucem suā bona acquisiuit Christus, infinitis superāt parasangis, non modò possessiones omnes terræ Chanaan, sed quidquid est bonorū sæculi: quare vt illa nobis acquireret, impendit etiā pretiosissimum sanguinis sui pretium. Meritò igitur adlaborandū est nobis, ne immensi illius & immortalis beneficij apud nos irrepat obliuio, cuius solius memoria, non solū auocare à malo, sed prouocare etiam ad bonum, ad gratitudinem autem vel maximè omnes nos debet. Quod dum facimus, de accepta semel libertate filiorum Dei lætantes, catenas peccatorū, quibus olim serui circūdati eramus, ad radicem arboris illius simul tumulare conemur: vt cum Seruatore & Redemptore nostro aliquando soluti mortali hoc corpore, quod instar hederę, vmbraculum IONÆ obnubentis, siccatur paulatim atque consumitur, sine fine lætemur.

LECTIO OCTAVA.

ET PARAVIT DEVS VERMEM ASCENSV DILVCVLI IN CRASTINVM, ET PERCVSSIT HEDERAM ET EXARVIT. *Vers. 7.*

ARGVMENTVM.

De verme, qui arrosit hederam, quæstio instituitur. Christum rectè posse nuncupari vermem ex SS. Patribus ostenditur. In verme nonnulla significata symbolicè, nonnulla moraliter indicantur. De variis vermibus, nimirum mortis, propriæ conscientiæ, atque inanis gloriæ agitur. In hedera tam citò pereunte, rerum humanarum & quarumcumque sublunarium fragilitas indicatur.

Omnia diuinæ prouidentiæ subiacere, ex præsenti ostenditur.

1  MNIA etiā minima, diuinæ subiacere prouidentię, Dei nutu geri vniuersa, illi de omnibus & singulis, minimis ęquè ac maximis, curam esse, certissimum est. De quo, si quis aliquando dubitauerit, modò saltem pleniùs edoceri poterit, ex eo quod hic noster Propheta enarrat. Is enim cùm dixisset: *Præparauit Deus hederam.* nunc subiicit: PARAVIT DEVS VERMEM. Vt vtrumque, tam quòd crescat subitò *hedera*, quàm quòd eadem iterùm subitò parati *vermis* corrosione marcescat & pereat, eius opus esse nouerimus. Syrus habet: *Præcepit Deus vermi.* Verbum *Præcepit* exponit Cornelius à Lapide, ordinauit, disposuit, incitauit, impulit, secundùm visitatum sacris Litteris loquēdi modum; quo ibidem naturalis instinctus sæpiùs vocatur præceptum.

Quid sit in S. Scriptura præparare Deū, & parare aliquid ac præcipere creaturæ.

Per creaturas Deus Ionæ infirmitati medetur.

2 En Domino omnium famulatur hic *vermis*, vel recens conditus, vel adductus aliunde, ad faciendam iterùm IONÆ ægro medicinam. Ad hoc ipsum aliā occasione seruierant venti, seruierat acris tempestas, seruierat cetus: videbimus postmodum an hac æquè medicinâ, ac nuperâ illâ ventorum, tempestatis, & triduani carceris in vētre ceti, sit recepturus sanitatem, atque agnitâ culpâ postulataque erraci veniâ cum Deo rediturus in gratiam.

Quis vermis arroserit hederā quæritur.

3 Verùm ante omnia quærendum hîc nobis, quis ille *vermis* à Deo paratus, eidemque tam obsequens promptè, atque eiusdem nutui tam alacriter studioseque deseruiens.

Secundùm quosdam eruca. D. Cyrillus Alexandrinus, & Theophylactus vocant erucam, ab erodendo sic dictam, secundùm Columellam. Ferunt illam ex rore sub auroram (quando etiam erodere, terere, & consumere vermis hic radicem hederæ cœpit) habere suæ generationis principium. Opponit Christophorus Castrius, erucam teneriorem censeri, quàm vt tantillo tempore potuerit fruticis huius radicem detercre; cùm sensim tantùm, & satis lentè caules depascatur.

Secundùm alios terebella. 4 Benedictus Arias Montanus vocat *vermem* hunc terebellam, siue teredinem; mollem quidem, vt ait ille, ad tactum, intereà tamen instructam pro naturæ suæ ratione dentibus durissimis atque acutissimis; ita vt etiam ipsos arborum truncos perforare, atque terebrare possit.

Nullum illi vermi nomen imponunt Albertus Magnus & Paulus Palatius; ille tamen ait fuisse venenosum; & causam assignat, quia rasurâ dentis, ita loquitur Albertus, non ità subitò aruisset hedera; hic verò ait adhæsisse arbusculæ, eamque exsiccasse, nouo miraculo, quo sit effectum, vt cùm primùm illi adhæsit protinus exaruerit.

Inutilis videtur de natura & nomine huius vermis disputatio. 5 Mihi, saluo meliori iudicio, neque de nomine, neque de natura huius vermiculi videtur pretium operæ quæstionem aliquam instituere: cùm non multum mouere nos debeat, ad certi aliquid in alterutram partem statuendum, quid ex innata naturæ *Ratio redditur.* vi teredo, quid eruca possit. Demus enim horum vermium neque vnum, neque alterum, agere tam fortiter tamque violentè, tempore adeò exiguo, in radicem hederæ, vt illam aut absumeret, aut detereret vi sua, potuisse; potuit saltem vterque, quod nemo negauerit, vi sibi ad hoc opus à suo conditore concessâ, quando eam concedere atque elargiri eidem placuisset. Nam in manu illius erat, sicuti vermem hunc creare & condere, eundemque loco certo constituere; ita illi dare robur & vires ad id, cuius rei gratiâ conditus erat, facillimè exequendum; quod & fecisse non dubium est.

6 Certè quidquid de *hedera*, quidquid de *verme* hac historiâ recensetur, id omne Deo volente, ordinãte, mandante accidit. Ipse est qui *vermem* siue destinato ad hoc opus cõdidit, siue iam conditũ ad vmbraculũ IONÆ adduxit; ipse est qui illi arrodendi & vitiandi radicem hederę tribuit facultatem, ipse est qui eidem totã arefaciendi arbusculam, & Prophetę suas subducendi delicias, potestatem fecit. *Dei opus est & vermis & facta à verme corrosio hederæ.*

7 Quare non arbitror absimile vero, quod censuit Cornelius, *vermem* hunc IONÆ infirmitatibus ad medicinam seruientem, neque erucam, neque teredinem fuisse; sed alium aliquem, illis ac similibus longè mordaciorem; ad hoc singillatim à Domino comparatum, factum, destinatum; proindeque instructum potentiis & organis necessariis, ad opus ex voluntate destinantis, quàm optimè, quàm expeditissimè adimplendum. *Vermis hic probabiliter mordacior fuit, quàm communiter esse vermes soleant.*

8 Igitur ne longas disputando de *verme* illo, quis inquam ac cuius fuerit speciei, quod scire certò non possumus, trahamus vlteriùs moras; sufficiat nobis, quod hîc clarè docemur, fuisse *vermem* paratum à Deo, & quidem ASCENSV DILVCVLI IN CRASTINVM. Id est, postridie illius diei, quo hederam præparauerat. Chaldæus habet: *Sub ascensum auroræ sequentis diei:* ac si dicat, die proximo sub auroram. Vnde apparet, quod sicuti germinatio hederæ IONÆ inopinanti accidit, vt qui eam summo manè, cùm è somno euigilans aperuisset oculos suos, conspicatus est planè virentem, & super tugurium suum longè lateque magño suo commodo & voluptate expansam, ita etiam accidisse eius interitum: Deo quippe sic disponente, superuenit *vermis*, qui radici adhærens eam interemit. Quod ipsum die altera proximè insequente, ad ortum auroræ à somno excitatus, protinus animaduertit, factumque indoluit. *Hedera arrosa est à verme manè sub auroram.*

9 En

Res gesta narratur.

9 En paucis, si placet tantisper attendere, totius rei gestæ seriem. Vnâ nocte orta est hedera, totum diem sequentem durauit & vixit vmbræ suæ amœnitate & commodo fatigatum IONAM reficiens & oblectans: die deinde alterâ, cùm ipse vlteriorem amœnitatem speraret, statim ad ipsius auroræ exortum *vermis* PERCVSSIT HEDERAM, atque in ea vitæ fontem radicem illius; cuius vulnere omnis continuò venustissimarum frondium honor periit, omnis ramorum viror emarcuit, atque ipsa, vt ipsemet IONAS enarrat, tota EXARVIT: idque, quemadmodum philosophatur ex fruticis huius natura Arias Montanus, labore minimo, minimaque vermis eundem erodentis fatigatione. Ait namque ricinum (sic ipse *Kikaion*, quod alij cucurbitam, alij nobiscum hederam, interpretantur) ex sententia Dioscoridis caudice & ramis esse concauis in arundinis morem; adeoque vermem illuc penetrare faciliùs, & sic humorem omnem, qui plantarum, fruticum atque arborum quarumcumque vita est, facillimè exugere; quo fiat vt nullo negotio subitò exarescant.

Arrosam facillimè, & arefactam fuisse hanc plantam Montanus affirmat.

10 Verùm suprà reiecimus interpretationem illorum qui pro *Kikaion* ricinum posuerunt, atque ita cum illis Ariam Montanum in hoc quod dixit iam antè damnauimus. Diximus etiam nihil opus esse rationes quærere, quibus probetur hoc fieri ex vi naturæ animalculi illius potuisse; cùm actus hic mirus, & nouus ordinatus à Deo ad maius aliquid & sublimius, quàm primâ fronte appareat, dirigeretur etiam ab eo non incongruè mediis quibusdam maximè aptis ad propositum finem, tametsi ea essent præter vires cursumque communem.

Interitus hederæ secundum Treminiũ momentaneus fuit & miraculosus.

Quæ causa mouisse mihi videtur Ioannem Treminium ad opinandum interitum huius hederæ & momentaneum fuisse, & cùm fuerit momentaneus, etiam miraculosum; cùm neque bruchus, neque eruca, neque teredo, neque aliud vllum insecti genus, plantam præsertim grandiorem interimat subitò.

Ionam id aduertisse ait Palatius.

Idem quoque permouisse videtur Paulum Palatium, ad dicendum facilè animaduertisse IONAM id non casu sed virtute factum diuinâ. Cui similiter tribuendum censeo, quod recens excisa, atque etiam (vti hic fit, quodque longè magis est mirum) corrosa ad radicem à verme arbuscula, præter quam videmus quotidie fieri, virorem, aut ipsas frondes suas tam citò perdiderit; quandoquidem ramis iam mortuis etiam siccæ & aridæ frondes illis adhærere satis tenaciter, vmbræ parandæ non inidoneæ, saltem ad tempus aliquod consueuerint.

Alterum miraculum notatur.

Cur Deus verbo vno non siccarit hederam sed per vermem.

11 Mirum fortè cuipiam videbitur, quod hîc legit & audit: *Parauit Deus vermem ascensu diluculi in crastinum, & percussit hederam, & exaruit:* diceteque, non potuit, qui apud Matthæum sine verme ficum ex virente & viuēte aridam fecit & mortuam, dicēs: *Numquam ex te fructus nascatur in sempiternum*, vno etiam verbo amœnitate suâ & virore spoliare hederā, eandemque simul succo, simul vitâ suâ destituere. Facilis, indubitata, certaque responsio est: potuit, prorsus potuit; numquam enim Dei est aucta, numquam imminuta potestas; semper fuit, est, eritque omnipotens. Cur ergo non fecit? Rogo similiter: Cur nec plura alia? Vna eademque responsio est: quia Diuinæ eius non placuit Maiestati. Addo tamen aliud: *Vermem* ad hoc opus adhibuit, vt in eo magna latere sciamus mysteria. Hæc nunc pro modulo nostro scrutemur aliquantò profundiùs; eaque quoad licuerit referemus, non tamen nisi ex Sanctorum Patrum aliorumque grauium auctorum sensu atque sententia.

Mat. c.21. v.19.

Duplex responsio.

Vermis secundum Rupertum Romanos significat.

12 Rupertus Abbas, quod etiā sensisse alios quosdam suo tempore testatur D. Hieronymus, per hunc *vermem* symbolicè Romanos intelligit, illos inquam, qui annis circiter quadraginta à Christi Resurrectione, instar vermis vrbem Ierusalem, atque cum ea

totam Iudæorum gentem, paucis exceptis (qui velut rami dissecti, delati in alienas terras, ibique transplantati quodammodò, aliquantulum succreuerunt; sed numquam in arborem) prorsus corroserunt & subuerterunt. Vnde Iudæa vniuersa facta eneruis & arida, atque populus omnis amisso regno, sacerdotio, & sacrificio in captiua dispersione, magno, non secùs ac IONAS, est æstu tribulationis adustus.

Secundùm Chatardū infidelitatem Iudæorum. 13 Ioannes Chatardus per *vermem* vult intelligi infidelitatem Iudæorum ex duritia cordis eorum & peruicacia natam, idque putat esse ex mente Apostoli; quem, sicut hîc Deus per hederam Iudæos intelligit, ait eosdem etiam intelligere per ramos illos quorum facit mentionem in epistola sua ad Romanos. Quâ igitur ratione, fracti sunt rami, eâdem secundùm Chatardū emarcuit hedera. Verba Apostoli sunt: *Dices ergo: fracti sunt rami, vt ego inserar. Benè: propter incredulitatem fracti sunt. Tu autem fide stas: noli altum sapere, sed time, &c.* Ex quibus ait Chatardus perspicuè patere, *vermem* quo percussa *hedera* exaruit, esse incredulitatem, quâ velut lethali telo icti & confixi aruerunt & perierunt Iudæi. Hæc incredulitas percussit hederam, præcipuè ascensu diluculi in crastinum; id est cùm lux mundi & sol iustitiæ Christus orbi illuxit, & tenebras peccati atque caliginem veteris legis discussit, euangelico splendore suo cuncta collustrans, quem noctuæ illæ Iudaicæ intueri & perferre noluerunt.

Ad Rom. c.11.v.19

Secundùm Hieron. & August. Christum.

14 D. Hieronymus, D. Augustinus Haymo & Remigius per *vermem* ipsummet Christum intelligunt. Si quis obiiciat, nimium vile videri, Christum appellare vermem, Augustinum is audiat respondentem: *Cachinnent Pagani, & iam vermem Christum & hanc interpretationem prophetici sacramenti superbiore garrulitate derideant, dum tamen & ipsos sensim paulatimq; consumat.* Dicant ergo quodcumque voluerint, Christus est de quo dici potest: *Quasi tenerrimus ligni vermiculus* non *octingentos*, sed innumeros *interfecit impetu vno.* Et verò ponamus, quod res est, tam pro nobis vilem videri haberique eum voluisse; certè, pro vt benè dixit B. Gregorius: *Tantò ab hominibus dignius honorādus est, quantò pro hominibus indigna suscepit.* Quod satis agnóscens Bernardus, dicebat: *Quantò pro me vilior; tantò mihi est carior.*

August. ep.49.q.6.

2. Reg. c. 23. v.8.

Greg. in epist.

Bern.

Quomodo Christus sit vermis. 15 Videamus modò, quomodo ad sensum loci huius aliquando *vermem* se Christus ostenderit. Ante eius mortem vigebat & virebat lex vetus, instar hederæ IONÆ vmbraculum obtegentis antequam *vermis* eam arroderet: sicuti verò mox accedente & petente radicem hederæ verme ipsa vigorem amisit & periit; ita lex vetus veniente Christo prorsus euanuit. D. Hieronymi verba sunt: *Antequā oreretur sol iustitiæ, virens erat vmbraculū, & non arebat Israel; postquā ille surrexit, & tenebræ Niniuiticæ illius luce discussæ sūt, paratus vermis in crastinū ascensione diluculi, de quo vigesimusprimus Psalmus inscribitur: pro assumptione matutina, & qui absque vllo semine de terra oritur, & dicit: Ego sum vermis & non homo: percussit vmbraculum, quod desertum auxilio Dei omnem virorem perdidit.*

Declaratio Hieronymi. Hieron. in 4.c. Ionæ.

Fusior Augustini Aug. ep. 49. ad Deo gratias q.6. 16 Audiamus de hoc ipso argumento fusiùs aliquantò & clariùs loquentem B. Augustinum. *Vermis*, inquit ille, *matutinus quo redeunte cucurbita exaruit idem ipse Christus occurrit; ex cuius ore Euangelio diffamato, cuncta illa quæ temporaliter apud Israëlitas velut vmbratili priùs significatione viguerunt, euacuata marcescunt. Et nunc ille populus amisso Ierosolymitano regno, & sacerdotio & sacrificio (quod totum vmbra erat futuri) in captiua dispersione magno æstu tribulationis aduritur.* Pergit & non multò pòst iam recensita subiungit: *Ab isto verme tamquam à tinea comeduntur, qui sub eius dente Euangelico per singulos dies paucitate suâ deficiendo minorantur* (vel vt alia lectio habet, *paucitatem suam deficiendo mirantur.*) *Vermis est propter humilitatem carnis, fortassis etiam propter Virginis partum. Nam hoc animal plerumque de carne, vel de quacumque re terre-*

na,

na, sine vllo concubitu, nascitur. Matutinus est, quia diluculò resurrexit. Ita Augustinus.

Enucleatior Remigii & Haymonis.

17 Posteriora hæc ampliùs declarat & enucleatiùs Christo applicat Remigius Antisiodorensis Episcopus, & totidem verbis Haymo Halberstatēsis à quo Remigius, Haymone annis saltem quadraginta posterior videtur eadem nullâ voce mutatâ mutuatus. Vtriusque eadem verba sunt hæc: *Vermis sine semine de terra oritur, repit humilis, mouetur sine sonitu; & Christus de virgine terra natus est, humilis inter probra, non reclamans in passione. Itaque antequam oreretur sol, id est antequam resurgeret Christus, virebat hedera, florebat Iudæa. Postquam verò ille surrexit, & Niniue, id est mundus, erroris vmbram repulit, veritatis lumen recepit, paratus vermis percussit hederam Iudaicæ plebis, & exaruit, Dei auxilio destituta. Hoc autem factum est in ascensione diluculi, quia Christus mane prima sabbati surrexit.* Hactenus ille.

Tilmanni de Christo verme applicatio moralis.

18 Profectò, si quis alius, hic *Vermis* omninò depascit virorem hederæ: consideratâ enim, vt ait Godefridus Tilmannus, Christi paupertate, omnia temporalia vilescunt; & ita percussa hedera exarescit. Idem ille *Vermis* morte sua ampliùs arefecit omnia atque vmbras sustulit; cùm vitæ quasuis delicias, vitamque ipsam fragilem esse docuit & caducam. Maximè autem id ipsum fecit, post Resurrectionem suam; cùm euacuatis omnibus quæ ad tempus apud Israëlitas vmbratili significatione viguerunt, hæc ipsa de vmbra ad veritatem feliciter transtulit.

In vermiculo, & in omnibus creaturis, agnoscendus creator, & considerandus.

19 Discussimus historiam, & mysteria in ea latentia scrutati sumus: superest vt ex eadem nobis illustriora quædam ad vitam rectè instituendam documenta, futura suis opportuna temporibus conquiramus. Occurrit primò *Vermiculum* intuentibus suo tam obsequentem conditori, in eodem agnoscendum, considerandum, laudandum ipsum conditorem illius. Tribus pueris Chaldæis, hærentibus in fornace Babylonica inter flammas illæsis, non suffecit ipsos laudem dare Deo, & rerum creatarum intuitu maximoperè ad hoc faciendum animari, nisi easdem ad illud ipsum præstandum prouocarent, & voce suâ velut nobiles præcentores ampliùs accenderent. Indicant hoc cantici ipsorum priora verba siue exordium: *Benedicite omnia opera Domini Domino, laudate & superexaltate eum in sæcula.* Quo satis ostendunt quàm desiderent nihil rerum creatarum, cùm de Domini Creatoris sui & conseruatoris laudibus agitur, esse elingue vsque ad ipsa inanima. Huc spectant etiam illa, quæ vlteriùs excurrentes in diuinas laudes ipsi subiiciunt, recensendo ibi longo ordine quidquid est rerum conditarum à Deo, nihil non illarum ad idem generosè & constanter præstandum multo maximo affectu stimulando.

Dan. c. 3. v. 57.

Augustinus Deum in minimis æquè ac maximis agnoscebat.

August. lib. Soliloqui. c. 9. tom. 9.

20 Speculatur in rebus creatis, minimis æquè ac maximis operantem Deum, & non minùs potenter operantem, eleganter & doctè, vt solet, Augustinus in suis Soliloquiis: hunc vt nos etiam idem in iisdem facientem, propiùs intueri possimus, laudare & admirari, differentem & nos docentem audiamus. *Omnipotens manus tua*, inquit ille, *semper vna & eadem creauit in cælo Angelos, & in terra vermiculos: non superior in illis, non inferior in istis. Sicut enim nulla alia manus Angelum, ita nulla posset creare vermiculum: sicut nulla cælum, ita nulla posset creare minimum arboris folium; sicut nulla corpus, ita nulla vllum capillum album posset facere aut nigrum; sed omnipotens manus tua, cui omnia pari modo sunt possibilia.* Hæc verissimè Augustinus.

In minimis æquè ac maximis idem laudādus est.

Aug. l. 1. Confess. c. 1.

21 Vnde certò euidenterque deducitur, eundem in omnibus æquè agnoscendum, laudandum, venerandum: quoniam idem ipse fecit, & creauit, & quidem propter nos, omnia. Quæ causa cur alibi etiam dixerit idem Augustinus: *Cælum & terra clamant Domine vt amemus te.* Neque cælum tantùm & terra hoc clamant; sed

voce vnanimi res creatæ omnes, quæ hominibus adhuc vlteriùs inculcant, quotiescumque ipsæ sub aspectum eorum veniunt, vt alibi diximus tria illa: *Accipe, redde, fuge. Accipe beneficium, redde debitum, fuge supplicium.*

c. 1. Lect. 7. n. 10.

Hic sicuti omnia dat, ita & auferre potest, ac subinde aufert.

22 Occurrit hoc loco alterũ cognoscendum & discendum: nimirum Deum sicuti absque labore largitur omnia, ita & posse hæc auferre, nosque necessariis destituere, si id vel peccata nostra mereantur, vel nos eo modo erudiri necesse sit. Quod enim hic accidit, vt vnius arrosio vermiculi, IONÆ suam, quâ nihil habebat carius, surriperet hederam, idem sæpiùs experimur; quando pruina, grando, aut ventus aliquis turbulentus, horæ vnius spatio prosternit segetes, atque totius anni prouentũ intercipit; quando lapsum de cælo fulmen, obortum casu incendium, fur aliquis aut prædo, aufert simul fortunas omnes, vel eæ nobis velut ignorantibus intra manus diffluunt. Sed & in corpora nostra manum suam sic Deus extendit; fit namque per eum, vt vel calor, vel frigus immodicum in iis morbos pariant, quibus debilitati & velut in portis mortis constituti, iam acturi animam videamur. Audite verba illius plena minarum ad populum Israel: *Si spreueritis leges meas, & iudicia mea contempseritis, vt non faciatis ea, quæ à me constituta sunt, & ad irritum perducatis pactum meum, ego quoque hæc faciam vobis: Visitabo vos velociter egestate, & ardore, qui conficiat oculos vestros, & consumat animas vestras.* Pluraque addit rerum temporalium incommoda, quibus eos sit subiecturus, si malè egerint. Proderit nobis in horum ac similium consideratione multum attenteque versari, vt intelligamus, tam mala, quàm bona diuinitus nobis obtingere; sic enim fiet, vt nec oblatis datisque donis abutamur, nec quia ablata sint indignemur: quin certum sit iusto Dei iudicio, quidquid in hoc genere euenerit, euenire. *Omnia*, canit Ecclesia, *quæ fecisti nobis Domine, in vero iudicio fecisti: quia peccauimus tibi, & mandatis tuis non obediuimus.*

Leuit. c. 26. v. 15. & 16.

Introitus Missæ Dom. 20. post Pentecost.

Hedera hæc docet nos instabilitatem rerum sublunarium.

23 Tertium & præcipuum est quod restat cognoscendum, & discendum ex decora hac hedera, subitò ad morsum vnius vermiculi pereunte, videlicet rerum omnium, quibus hîc gaudemus, fragilitas, atque earundem ortus & interitus incertus & breuis. Certè quæcumque est, aut esse potest, mundi aut rerum mundanarum gloria & felicitas, ea *quasi flos egreditur, & conteritur, & fugit sicut vmbra.* Hoc velut in tabella viuis coloribus vobis esse propositum iudicabitis, si illam, de qua hîc nobis est sermo hederam vnâ nocte natam, alterâ deinde die superstitem, sequente quæ secunda lux futura erat, vix exortâ, horis inquam matutinis, sub ipsum diei crepusculũ, arrodente eam verme morientem intueamini. Idemque censebitis de rebus omnibus in oculos nostros hîc incurrentibus, licet eas maximi faciamus, & cùm ad gustum voluntatemque affluunt, in iisdem plurimùm, sed indebitè gloriemur. Sunt enim, quæcumque hîc sunt, orta vt occidant, aucta vt consenescant. Sæpè vix nobis apparuerunt mentita colore suo & formâ vitam longiorem; cùm eam in limine ipso deperdunt: nempe auferuntur à nobis penè tam citò quàm data fuerant; vt magis ostensa tantùm, quàm concessa fuisse videantur; ad momentum exhilarant, & longo deinde tempore, quia sunt deperdita, cruciant.

Iob c. 14. v. 2.

Cum omnibus rebus creatis, vel certè in ipsis, vermis nascitur.

24 Verissimum ergo certissimumque existimate, cum re omni quantumuis maxima, prosperitatibus sæculi nixa vermem nasci: quoniã eo ipso quòd est corruptioni obnoxia, & paulatim ad interitum tendit, habet etiam ab intus siue ex conditione naturæ suæ, quod citò consumitur; licet subinde id sensim fiat, & quasi sine sensu. Hinc non malè Godefridus Tilmannus *vermem* consumentem *hederam* interpretatur ablationem temporalium. *Vermis* est, quidquid hanc mundi corruptibilis gloriam & diuitias honoresque rodit, & destruit, atque à mun-

mundanis possessoribus iusto Dei iudicio repentè aufert; qui tunc oritur, *hederam* exsiccat, atque vmbram dissipat, cùm illi exultant ampliùs, atque hęc se possidere securiùs arbitrantur.

Quis putaret, hanc Ionæ *hederam* vix natam, tam citò perituram; futurumque vt Propheta, suo destitutus vmbraculo, priuatus solatio, solis calore æstuaret; atque quod longè peius illi erat igne indignationis arderet? Quid dico? quid rogo? Imò verò quis non perituram putaret tam citò hederam cùm ea sit visibilium conditio, vt velut insomnia citò nobis atque ex improuiso appareant; cito, & cùm vel minimè putamus, euanescant. Dixit rectè Poëta Elegus

Ouid. l. 4. de Ponto Eleg. 3. *Omnia sunt hominum tenui pendentia filo:*
Et subitò casu quæ valuere ruunt.

Animam res creata non satiat, sed solus Deus.

25 Quæ tam citò fugiunt & labuntur, quæ tam subitò euanescunt & pereunt, animum semper manentem, & totâ duraturum æternitate, satiare non possunt. Verissimum enim est illud D. Bernardi Abbatis Claræuallensis: *Anima rationalis ceteris omnibus occupari potest, repleri non potest: capacem enim Dei, quidquid Deo minus est, non replebit.* Quæ causæ cur aliquot ante eum sæculis dixerit, idem optimè habens perspectum, S. Augustinus: *Domine fecisti nos ad te; & inquietum est cor nostrum donec requiescat in te:* Quod rectè cum dicto S. Bernardi consentit, secundùm quem cùm homo, nullâ re nisi solo Deo satietur, sequitur eundem non posse etiam nisi in vno Deo conquiescere; secundùm illud Dauidicum: *Satiabor cùm apparuerit gloria tua.* quod tantùm erit in quiete æterna.

August. l. 1. Confess. c. 1.

Psal. 16. v. 15.

Vanum & insanum est adhærere creaturis.

26 Vanum igitur, ampliùs dicere audeo, etiam insanum est, tanto ambitu tantaque sollicitudine bona præsentis sæculi quærere, quæsitis partisque labore magno ita tenaciter adhęrere, atque summam in illis repositam habere fiduciam: quasi nobis malè esse non possit cum illis, neque benè sine illis. Reuerà decipimur vehementer, dum sic agimus, pro rebus veris & solidis, res nihili siue vmbras sectantes. *Ionas lætatur sub vmbra hederæ lætitiâ magnâ:* sic modò diuites sub vmbra diuitiarum, nobiles sub vmbra honoris, voluptuarij sub vmbra delectationum. Verùm sicuti illius lætitia cum hedera euanuit; ita horum vmbratile gaudium euanescit, dum res illæ in quibus tantoperè gaudebant post modicum temporis exarescunt.

Animaduertit hoc Dauid sed seriùs; nimirum postquam aliquamdiu sub voluptatum vmbra delituerat. Quare hoc deinde grauiter deplorat dicens: *Lumbi mei impleti sunt illusionibus: & non est sanitas in carne mea.* Psal. 37. v. 8. Quasi dicat, dum me mundi huius vanitatibus posse repleri arbitrarer, deceptus sum miserè, & hostium meorum, mundi, carnis, dæmonisque illusionibus sum repletus.

Qui gloriantur in rebus sæculi ædificant super arenam.

27 Faciunt, vt mihi quidem videtur, amatores sæculi huius temporalium rerum vmbras sectando, æquè insipienter & infeliciter ac illi, qui super arenam ædificant, quibus accidit quod apud Matthæum legimus: *Descendit pluuia, & venerunt flumina, & flauerunt venti, & irruerunt in domum illam, & cecidit, & fuit ruina illius magna.* Mat. c. 7. v. 26. Nam & hi, quòd sic opere tumultuario, neque vllo solido virtutis fundamento construxerunt, ingruentibus aduersitatum ventis, subitò perdunt. Tum verò vbi se cogitati operis, multique in eo temporis impensi destitutos fructu vident, suspirant & eiulant: at frustrà, cùm & ille cassus omnis sit mœror, æquè ac labor.

Deus auferendo à nobis illa, quibus nimium adhærebamus, multū nobis benefacit.

28 Quare sicuti optimo iure, ita non minore nostro bono, nobis nihil minus cogitantibus, ne nimium rebus tam futilibus atque inanibus adhærescamus, & seduci nos patiamur vmbris inanibus; Deus, qui nouit quòd illæ deprauare animum, & pertrahere ad magis noxia possent, eas aufert; atque omnem non rectè ordinatum ad eadem affectum tollit. Sinit etiam vt de sublatis immoderatiùs doleamus, & subinde grauiùs cruciemur; quò deinde

inde

inde omni mœrore deposito, cognitaque rerum inanitate, maior nobis succrescat in cælum & cælestia animus; & assuescamus, spretis & pro nihilo habitis reliquis omnibus, in ipsum solum spes nostras omnes cogitationesque defigere.

Locatâ semel in Deo spe certâ & fiduciâ cetera omnia esse vana cognoscuntur.

29 Hoc quoadusque fecerimus, nulla erit animo nostro quies, nullum solidum gaudium; quandoquidem verâ luce destituti, versemur in tenebris grauissimorum errorum; quibus aliquando depulsis, videbimus, quasi in meridie constituti, quantum à veritate, quantum à felicitate nostra deflexerimus, & lugẽtes dicemus cũ Marco Tullio, sed aliquanto maiore fructu, vti & cognitione pleniore; tantùm caueamus ne nimiùm serò: *O fallacem hominum spem, fragilemq́ fortunam, & inanes nostras contentiones! quæ in medio spatio sæpè franguntur & corruunt, & antè in ipso cursu obruuntur, quàm portum conspicere potuerũt!* Prorsus sic fit, imaginamur nobis spatia vitæ longissima, & vix vmquam terminanda: vbi tamen

Cic. lib. 3. de Oratore.

Vitæ summa breuis, spem nos vetat inchoare longam.

Horat. l. 1. Car. Ode 4.

Decipiuntur qui lõga hic sibi spondent gaudia.

30 Noster IONAS in suo tuguriolo, sub suaui virentis arbusculę vmbra, longas sibi imaginabatur delicias, ampla & diuturna gaudia; sed post diem nõ ampliùs vnũ, hęc suũ destituere hospitẽ: nos verò non post diem vnũ, sed sępè in momento destituunt. Parum sibi res humanæ constãt, leues sunt & breues. *In momento*, inquit S. Ambrosius, *cuncta prætereunt, & sæpè honor sæculi abiit, antequam venerit. Quid enim sæculi potest esse diuturnum, cùm ipsa diuturna non sint sæcula. Mundus transit, & concupiscentia eius.* Quod nominatim de honore hic dictũ est ab Ambrosio, æquè est de omnibus sæculi rebus certum & verum. Quæcumque enim habemus, quæ habere possumus, quæque secundùm corporis fortunæque bona sub votum nostrum cadunt; multis sunt casibus, & dubiis obnoxia euentibus, & quò iis diutiùs vtimur, aut fruimur, magis ruinæ propinqua. Heri (quotidianum est quod dico, atque in omnium nullo non die incurrit oculos) flôs egreditur; & hodie conteritur: heri affecit quempiam voluptate & gaudio frondium nitor; hodie mœrore afficiunt decidentia folia, & voluptas deperdita.

Ambr. lib. de Bono mortis.

31 Quære igitur florum, frondium, fructuum, arborum, pratorum, camporum, rupium, vallium, montium, fontium, fluminum, quascumque amœnitates, delicias, diuitias; illis oblectare, pascere, fruere affatim, & dic sociis tuis eiusdem tecum farinæ hominibus, cum insipientibus, æquè vt illi insipiens: *Venite & fruamur bonis quæ sunt, & vtamur creatura tamquam in iuuentute celeriter. Vino pretioso & vnguentis nos impleamus; & non prætereat nos flos temporis. Coronemus nos rosis, antequam marcescant; nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra.* Puta etiam, quod ampliùs dico, & in speciem gratius, hęc tibi omnia ex voto sensuque tuo euentura; demus & euenisse; post hæc quid tandem? quid erit præmij? meliorne finis tuus futurus fine illorum, qui eadẽ ante te, nec minùs sollicitè ambierunt, iisdemque non minùs etiam copiosè quàm tu sunt fruiti? Neutiquam. Mox vt illi, videbis & gemes, plorabisque priorem insaniam tuam, & execraberis pręsentem calamitatem, animaduertens quòd illusus vanitatum fascino, & voluptatum philtro intoxicatus, perdideris quidquid habebas solidorum bonorum & gaudij, obstruxeris insuper aditum, tibi ad maiora anteà patefactum, atque effeceris ne consequi quidquam vlteriùs posses eorum quæ tibi nullo negotio obuentura erant si perstitisses in via iustitiæ & sanctitatis. Quare sicuti mores insipientium es imitatus, ita eorundem exitum perhorrescens, iisdem iunctus voce modoque simili clamabis, iam præteritorum pertæsus, sed frustrà: *Quid nobis profuit superbia? aut diuitiarum iactantia quid contulit nobis? Transierunt omnia illa tamquam vmbra, & tamquam nuntius præcurrens, & tamquam nauis, quæ pertransit fluctuantem aquam: cuius*

Post voluptates & gaudia quid futurum sit ostenditur.

Sap c. 2. v. 6. 7. 8.

Sap. c. 5. v. 8.

ius, cùm præterierit, non est vestigium inuenire.

Vanitatibus sæculi renuntiare magna sapientia est.

32 Sapit igitur, qui rebus facilè inducturis hominem in pedicas & laqueum tempestiuè renuntiat, ventura cautus prospicit, & omne periculum studiosè declinat. Adhuc sapit ampliùs, qui præter hæc, blandimenta omnia sæculi, & quęcumq; malorum irritamenta aspernatur.

Quare dico, & repeto iterùm, velim enim id valdè inculcatum singulis, & rectè ab omnibus intellectum, desipere prorsus eos, qualescũque, quicumque, quotcumque fuerint, qui rebus sæculi huius aliquid firmitatis existimant tribuendum, iisque fidendum in minimo. Posuit Iustus Lipsius elegans sibi epitaphium in æde sacra Patrum D. Francisci Louanij in qua est conditus, atque in eo præclarum hoc monitum, quod ipse viuens altè menti suæ infixerat voluitque moriens esse posteris sui monumentum.

— *Nil hic orbis quod perenne possidet:*

Pergit & viatorem alloquitur, alloquor & ego vnumquemque vestrûm, eadem ipsius voce, & dico:

Vis altiore mente me tecum loqui,
Humana cuncta fumus, vmbra, vanitas,
Et scenæ imago, verbo vt absoluam, nihil.

Res omnes sæculi huius Sodomæ pomis sunt similes.

33 Atque vt à proposito, & argumẽto nostræ huic Lectioni proprio non recedamus; cùm, vti diximus, non habeat homo quidquam, inter ea quæ habet, aut possidet, tam amœnum, virens, & floridum, quod etiam in ipso suo virore & flore paratum à Deo vermem non habeat, quo mox non percutiatur, arescat, & pereat: credamus oportet Sodomæ pomis similia esse, quæ intuemur gustu magno magnaque voluptate quotidie; pulchra, inquam aforis & decora; verùm quæ contrectata manibus in fauillam subitò conuertuntur & cinerem: & sicuti primò ex nihilo facta sunt, ita reuertuntur paulatim in nihilũ. Ah miseri mortales subinde per ætatem, robur, formam, opes, & gloriam, subinde per alia quædam naturæ & fortunæ bona, magna nobis & eximia pollicemur; hoc est rubemus ad aliquam sæculi prosperitatem, immemores quid simus, quid fuerimus, secundùm illud D. Bernardi

Bern. lib. Meditat. siue de Anima c. 3.

Forma, fauor populi, feruor iuuenilis, opesque,
Surripuere tibi noscere quid sit homo.

Sed, quod non cogitamus, aut nimium serò cogitamus, vbi in Dei ac Domini nostri manus inciderimus, subitò eius facti potentiâ in puluerem infelices recidimus, tuncque expletur quod idem monet,

Post hominem vermis, post vermem fœtor & horror:
Sic in non hominem vertitur omnis homo.

Valere autoritate & gratiâ non est perpetuum.

34 Sunt nonnulli, fateor, apud multos in pretio & honore, apud magnos etiam magni, cari Regibus, Principibus, Reipublicæ: verùm si putent nihil sibi propterea accidere posse aduersi, exulare sinistra omnia medius fidius vehementer errant: etiam reperiuntur vermes, qui eiuscemodi felicitatem aggrediuntur, & subruunt. Carum esse Reipublicæ siue Regibus, siue Principibus, non omninò perpetuum est. Dixit verissimè Marcus Tullius, atque ab experientia dixit: *Nihil est tam fragile, & tam flexile, quàm voluntas erga nos sensusq; ciuium, qui etiam in rectè factis sæpè fastidiunt.* Idem de Optimatum & virorum quorumcumque dignitate ac potestate illustrium est voluntate censendum: his enim veritatem dixisse ferè eosdem offendisse est, & simul omni fauore gratia beneuolentiaque excidisse: ergo vel adulandum est semper, vel aliquando communis alea subeunda.

Cic. in Orat. pro Milone.

Nulla valet industria, vt quis certò semper aliorum fruatur beneuolentiâ & gratiâ, neque ab ea excidat.

35 Reponet mihi quispiam, aulæ legibus iam pridem assuetus: Illa pro tyronibus valeant, qui aliorum fauore non satis cautè vti possunt; ego artes quibus istic est opus sat noui, de industria mea aliquid in hoc genere posse mihi videor polliceri; spero etiã quod constans erit in me, de omnibus optimè

mè meritum, ciuium & Senatus, si opus fuerit, multo verò maximè Optimatum, Principum ac Regis fauor. Sperarunt etiam alij bone vir, & quidem te magis industrij, gratiosi in paucis, ab incunabulis in aula, ad ipsa vt sic dicam genua magnatum, fortè & ipsius Regis enutriti, & tamen exciderunt. Vt hoc fiat, etiam post multos labores tuos & sudores, magnam curam, studiosamque industriam, tantùm verme vno est opus, siue ille inuidiæ, siue suspicionis sinistræ, siue superbiæ alicuius fuerit, qui in tuum exurgat interitum. Scilicet erit quis, & ille quidem vt ampliùs ac cautiùs noceat, teque certiùs supplantet amicus foris, intus hostis, qui te præ se & aliis tam potentem, industrium, gratiosum, æquis oculis videre non possit: quid tum inquies? Quid tum? caue: nam breui actum erit de te. Struet ille tibi calumniam, ad quam marcescet subitò omnis viror gratiæ tuæ prioris, & mox multum tibi qui auctus eras opibus, honoribus, gloriâ fortasse videbitur pro potentia & conatu aduersarij tui, vel vitam ipsam conseruare posse. Hoc si non ita frequens est, neque quotidianum vno propè momento deperdi omnia; frequentissimum est aliquem derepentè ex magna felicitate excidere; alium ex abiecto & contempto in eam erigi, secundùm illud Horatij loquentis more Ethnico de rebus humanis.

3. Car. Ode 29.

Fortuna sæuo læta negotio,
Ludum insolentem ludere pertinax,
Transmutat incertos honores,
Nunc mihi, nunc alij benigna.

Exempla eorum qui ex magna felicitate deiecti sût.

36 Quis credidisset omnes Amani, primi Satrapæ Regis Assueri, fortunas perituras, ipsumque altam in crucem, quam alteri præpararat, tollendum; & quidem tum, cùm vnus ipse ex tot, tam magnis, tam potentibus plurium regnorum Optimatibus, ad conuiuium ab Esthere Regina esset vocatus cum Rege. (Esth. c. 7. v. 10.)

Quis putasset Xerxem, Græciam decies centenis militum millibus ingressum (vt non immeritò proditum (Iustinus lib. 1.) sit ab exercitu eius siccata flumina) & nauibus mille ducentis, sic destituendum copiis & nauigio commodo, vt cùm pontem Abidone à se factum pararet traiicere, eundemque hybernis tempestatibus reperiret solutum, coactus fuerit scaphâ piscatoriâ fugere, atque ad suos redire? Quod enarrans Iustinus historicus abbreuiator Trogi Pompeij, rectè subiungit: *Res digna spectaculo, in exiguo latentem videre nauigio, quem paullò antè vix æquor omne capiebat.*

Quis dixisset Polycratem armis occupatâ Samo insulâ, in qua & tyrannidem exercebat, suâ felicitate totâ Græciâ & Ioniâ notissimum, cùm nihil tam moliretur arduum, quin ipsum pro voto succederet, & nihil vnquam haberet aduersum; aliquãdo ab Oronte Darij Regis præfecto, in excelsissimo Mycalensis montis vertice cruci affigendum? (Val. Max. lib. 6. c. 11.)

37 Quid memorem Dionysium Tyrannum Syracusanum, olim tam potẽtem, vt possideret copias pedestres ad centum millia hominum, equitum etiam nouem millia, haberetque in prõptu omnem apparatum bellicum, quingentis nauibus reconditum, frumentum ad centum modiorum myriades, & armamentarium instructissimum; certè is ad tantã aliquando deuenit calamitatem, vt victus ab Icete Leontinorum tyranno, post spectata adultorum iam filiorum suorum funera, & constupratas filias virgines, post violatum ab hostibus cõiugis corpus, atque in altum demersum, post amissa denique omnia, Corinthi coactus præ inopia fuerit pueros litteras factus iam abiectissimus & contemptissimus magistellus docere. (Ælianus lib. 6. & 9. varia Lect.)

38 Notum est cuiuis vel mediocriter in Romana historia versato, quid acciderit Seiano. Quomodo nimirum hic cùm esset orbe toto celeberrimus, sub Tiberio Cæsare (quem iam apud Capream insulam diutiùs hærentem, pro insulæ rectore quodã, se verò pro Imperatore habebat) eoq; iam existimationis prouectus, vt ipsi tamquam deorum (Dio hist. Rom. lib 58.)

rum alicui res sacra fieret, in litteris publicis à Senatu, sicut Tiberij ita & Seiani nomen inscriberetur, sicut Imperator, aureo curru in theatrum veheretur, iurarentque omnes per fortunam eius. Hic inquã quomodo mox depositus iussu Reguli Consulis suffecti, consentiente Senatu coniectus in vincula, atque ibidem multatus capite, deinde in Gemonias vnco tractus, & per triduum à populo ludibrio habitus in Tiberim missus sit: liberis quoque ex S. C. maximè verò filia, quã pater pactus fuerat Claudij filio, priùs à carnifice cõstuprata, interemptis. Huic non absimile exemplum nostra ætate dedit Gallia in Marchione d'Ancre, cui etiam mortuo & in cloacas pertracto populus insultauit.

Eufeb. ad an. Christi Domini 261. Nihil dico de Valeriano qui ex Imperatore Romano aliquando Sapori Persarum Regi à quo victus fuerat, & captus, equum conscensuro incuruatâ ceruice pro scabello seruiit; nihil de aliis innumeris: hæc sufficiant vt quis cognitâ rerum humanarum inconstantiâ præsenti felicitati non admodum credat; sed in rebus prosperis modestè se gerens, neque se extollat nimium, neque plus satis exultet, paullò pòst fortassis ampliùs deprimendus; & quantum nunc aliquunde lætitiæ, tantum aliunde doloris hausurus.

Exempla eorum qui ex diuitibus pauperes facti sunt. 39 Sed num fortasse magis cautum diuitibus, & securiores sunt illi qui abundant opibus, quàm qui honoribus, & quàm illi qui valent apud Principes, aut populum gratiâ? Nullo modo. Audistis suprà Dionysium æquè ex diuite pauperem factum, quàm ex magno & potente admodum Principe abiectum & contemptum magistellum. Vnius horæ infelicitas tollit protinus omnia, omnia pauci fluctus mergunt, omnia vna sæpè flamma consumit. Ex fortuna amplissima ad infimam egestatem, & quidem breuissimo tempore, variisque de causis redactos plurimos omnium temporum annales loquuntur.

40 In sacris Litteris habemus Iobum, regiâ, vt ipsemet innuit, dignitate fulgentem; & si Pinedæ credimus, Regem regum in terra Hus virtute suâ sapientiaque factum ad tantam peruenisse inopiam, vt spoliatus bonis omnibus, domo, liberis, insuper corporis sui sanitate & robore, plenus vlceribus sederit in sterquilinio testâ saniem radens; illud dumtaxat in testimonium paupertatis & calamitatis suæ effatus: *Nudus egressus sum de vtero matris meæ, & nudus reuertar illuc.* Iob c. 1. v. 21.

Quid Ægyptios memorem non paucos aliquos, sed omnes patriæ nobilissimæ & potentissimæ incolas? Hos certè constat ex magna fertilitate in tantam incidisse sterilitatẽ, vt pro alimento in perpetuam se tradiderint seruitutem, à Iosepho quasi beneficij loco postulando: *Eme nos in seruitutem regiam, & præbe semina, ne pereunte cultore redigatur terra in solitudinem.* Gen. c. 47. v. 19. Neque ignotum est in obsidione Ierosolymitana, præter innumeros ex potentibus & diuitibus pauperes factos, inter ceteras matronam nobilem, vti Iosephus, D. Chrysostomus & Cyrillus Alexandrinus referunt, ad tantam inopiam & famem fuisse redactam, vt necessitate stimulante filium occidens, eundemque comedẽs, maternum vterum in sepulchrum conuerterit.

41 Non opus est filium prodigum apud D. Lucam tam celebrem notum omnibus recensere, qui ex diuite tam factus est pauper, vt optarit aliquando saturari de siliquis porcorum, quas adhuc nemo illi dabat in hoc ipsis infelicior porcis. Nempe verissima est gnome, & thesis vniuersalis à Virgine Matre in Cãtico suo proposita de Deo Domino nostro: *Esurientes impleuit bonis, & diuites dimisit inanes.* Quod in multis nullo non sæculo adimpletur. Longum esset omnes & singulos recensere. Contentus hîc ero reliquis silentio suppressis, monere vos verbis Dauidis, cùm tam incertæ sint opes tamque instabiles: *Diuitiæ si affluant, nolite cor apponere.*

Lucæ c. 15. — Lucæ c. 1. v. 53 — Psal. 61. v. 11.

Aduersa priuant hominem diuitiis. Dixit more suo Ouidius, fortunæ tribuens omnia, non diuinæ prouidentię quam ignorabat:

Ouid. l. 3. Trist. Ele. 7.

Nempe dat, & quodcumq; libet fortuna rapitq;,
Irus & est subitò, qui modò Crœsus erat.

vel sic ostendens quàm parui faciendę essent diuitię, & quātò minùs in iis cogitationes omnes defigendæ; atque etiam sperandum, vt loquitur Paulus, *in incerto diuitiarum.* 1. ad Tim. c. 6. v. 17.

42 Sed non minùs quā diuitias multi casus aduersi; auferunt voluptatē omnem & carnis delicias morbi. *Morbi, senectus, & maximè mors, voluptatibus.* Quòd si verò hi corpus minùs infestent adhuc robustū & validum, mox saltem infestabit illa, quæ declinari non potest, tristis senectus. Nam, vt ait ille:

Ouid. l. 3. de Arte.

——— cito pede labitur ætas,
Nec bona tā sequitur, quàm bona prima fuit.

Porrò senectus & ipsa morbus est, senectutem verò, & quæcumq; sunt pręsentis vitæ, in quibus aliquid nobis repositum erat solatij, tandem,

Virg. l. 3. Georg.

Et labor, & duræ rapit inclementia mortis.

Mors est vermis vitam hominis consumens. Mors enim verè vermis est cuius dētes aculeatos nemo mortaliū potest euadere. Hęc instar teredinis iam à primo die natiuitatis nostræ mordere, terere, & consumere vitam nostrā incipit, & quosdā quidem consumit citiùs, quosdā seriùs, prout alij citiùs aut seriùs, in iuuētā, ętate virili, aut senio moriūtur, nemo interim ab illius dētibus immunis est, cōsumit omnes, nemini parcit.

Virg. in Mecœnatis obitū.

Illa rapit iuuenes primâ florente iuuentâ,
Non oblita rapit, sed tamen illa senes.

Horatius.

— Aequâ lege necessitas
Sortitur insignes & imos.

43 Præter vermem mortis ineuitabilem, est & alter vermis admodum mordax, quem non possunt non sentire, qui vmbras voluptatum sæculi huius sectantur: *Vermis est remorsus conscietiæ.* vermis inquam conscientiæ, siue mira quædam inquietudo animi, quæ cor voluptatibus deditum, & prorsus immersum peccatis, assiduè lancinat, & instar vulturis rodit, ac edit; non tamen consumit. Sentiri hîc à nobis vermem illum non displicet S. Bernardo, ait namque: *Optimum est tunc sentiri vermem, cùm possit etiam suffocari. Itaque mordeat nunc, vt moriatur, & paulatim desinat mordere mordendo. Rodat interim putredinem, & rodendo consumat; vt ipse quoque pariter consumatur; ne foueri incipiat in immortalitatem.* Bern. ser. de cōuer. ad Clericos c. 6. *Melius est cum nunc mordere quàm postea.*

44 Sed numquid mellisflue Bernarde, licet à te in hoc quod dixisti nequaquam dissentiam, melius est vt nihil vllo tempore habeat quod mordeat hic vermis, quàm vt mordeat quidem, sed paulatim, vt tu inquis, desinat mordere mordendo. *Optimum cum nihil vnquam habere quod mordeat.* Meum igitur consilium est, quod tibi quoque non improbandum fuisse sat scio, vt nusquam sub hedera gaudiorum vitæ præsentis quiescamus, nusquam ibi otium agamus, nusquam commodis nostris seruiamus, ne deinde nos hic conscientiæ vermis exagitet; donec in loco æternæ beatitudinis quiescere liceat sub vmbra alarum tuarum Domine: vbi ille vermis emortuus, nullum ampliùs tormentum suppeditare, nullam potest molestiam atque inquietudinem parere.

45 Væ autem illis, in quibus ante obitū non moritur, & per salutarem pœnitentiam non extinguitur; quia in morte viuus permanens, & conscientiā cruciās, nō desinet cruciare perpetuò, nō enim morietur in æternum. *Qui cum mala conscientia moritur, vermem illius perpetuò sentiet.* Verba sunt Christi Domini apud Marcum Euangelistam de damnatorum pœna agentis: Marci c. 9. v. 42. *Bonum est tibi debilem introire in vitam, quàm duas manus habentem ire in gehennam, in ignem inextinguibilem: vbi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur.* Quod licet multi de propriè dicto verme intelligant, existimātes in inferno futuros veros vermes, eosque horribiles, fœdissimos, mordacissimos adinstar salamandræ in igne illo perpetuò victuros, ad damnatorū tormentū (vti inter ceteros Hugo Victorinus, qui in libris de Anima, *In inferno*, inquit, *omnes cōburuntur, & à vermibus corrodūtur, nec consumuntur, quorū vermis non moritur, & ignis nō extinguitur)* Hugo Victor. lib. 4. de Anima c. 13.

tur)neq; hoc improbabile sit; alij tamẽ mysticè interpretantur, secundũ sensum de quo antè egimus; putãtque de remorsu cõscientiæ ad instar vermis animũ torquente ibi fieri mentionẽ. Huius Poëtæ etiã suo modo meminerunt, fingentes Tityum terrę filium ob adamatam Latonam, ab Apolline sagittis confixum, & hac apud inferos pœnâ damnatum, vt vultur eius iecur perpetuò arrodat, hinc aiunt illud iam arrosum & exesum semper renasci vt vultur perpetuò quod arrodat inueniat. Vnde canit Virgilius:

Virg. 6. Æneid.

—— Rostroq; immanis vultur obunco
Immortale iecur tondens, habitatq; sub alto
Pectore, nec fibris requies datur vlla renatis.

Innoc. III. Pont. l. 3. de Contẽptu Mũdi c. 1. De hoc verme loquẽs Innocentius III. Pontifex. *Vermis*, inquit, *conscientia tripliciter lacerabit: affliget memoria, sera turbabit pœnitentia, torquebit angustia.*

Vermis inanis gloria omnibus rebus se insinuat.

46 Præter vermẽ mortis omnes omninò mortales, & vermem consciẽtiæ improbos potissimùm cruciantem, est & alius, qui ferè meliores, sanctiores, & præ ceteris virtutem ac perfectionem amantes vehementer cruciat; tenuis ille quidẽ & exiguus, verũ non parum molestus & noxius; quoniã nihil ab illo tutum est: omnia, etiã sanctissima quæque, peruadit & penetrat, atque in abditissima sese insinuat. Ipse est inanis gloria, hic vermiculus radici arboris, intentioni inquam nostræ actionis applicitus, eam protinus arrodit & destruit. Et quẽadmodum vidimus vermem, pręparatum à Deo ascensu diluculi, percussisse IONÆ hederã, eamque inde exaruisse: ita hic non à Deo; sed ab humani generis hoste præparatus, hominum studia sanctasque cogitationes sic percutit, vt quantum ad meritum confestim arescant.

Quàm primum pugnandum est contra gloriã inanem, ne semel locum occupet.

47 Adlaborandum est igitur, vt cùm primùm in animum sese insinuare vermiculus ille cœperit, idq; fuerit animaduersum, cõculcetur subitò, proteratur, vincatur; atque vt hostis periculosus & noxius admodum, dum adhuc imbellis & paruulus est quodammodo elidatur in semine; ne excrescens latebras paulatim quęrat, easque inueniat, & si aliquando clanculũ penetrare profundiùs cœperit, omnia interiora depascat, atque vt est paruulus, etiam maximo cuique ruinam & perniciem creet.

Meministis credo, quod quemadmodum ait ille,

Ouid. l. 2. de Remedio.

Parua necat morsu spatiosum vipera taurum,
A cane non magno sæpè tenetur aper:

Magnos viros illa vicit.

Memẽtote similiter, vt pro obtinenda hac victoria tanto sitis ampliùs solliciti, ab hoc vermiculo sæpè proceras admodum arbores vitiatas fuisse atque destructas: sæpè, inquam, viros sanctissimos, sapiẽtissimos, & in omni genere maximos, ab inani gloria fuisse superatos. Quę causa cur dixerit scitè & prudenter B. Basilius Magnus: *Fugiamus inanem gloriam, dulcem spiritualium operum spoliatricem, iucundum animarum nostrarum hostem, tineam virtutum, blandissimã bonorum nostrorũ deprædatricem, eandemq; mellis illitu fraudis suæ veneni cololatricem, & mortiferi hominũ mentibus poculi porrectricẽ.* Videbat videlicet hæc dicens Basilius, quibus nos illa non tantùm exponeret periculis, sed etiam bonis spoliaret.

Basil. Cõstit. Monasticæ c. 11.

Ab ea cauendum, & fugiẽdum.

48 Dico igitur & moneo ex eiusdem Basilij doctrina, cauete ab ea; sedulò inquã cauete, ne clanculũ irrepat, fores obseruate gnauiter, ne in cordis vestri domicilio locum diuersandi inueniat, & cũ cœperit diuersari, etiã stabilem commorãdi sedem semel admissa importunè accipiat. Scitote nusquam eã hærere sine graui hospitis sui detrimento, numquã non illi nocere: blandâ enim amoris proprij specie eundem primò paulatim eneruat, deinde pleniùs ad suam progenitricem & matrem superbiã nimirum ambitionemque deducit; à qua dũ incautus attollitur, via sternitur vt grauiùs præcipitetur, & periculosiùs in profundũ cadat, ac certiùs perimatur. Hæc monuisse mihi sit satis: vigilare vestrũ est. Ita agite, viuetis hic securi, & deinde æternum felices.

LECTIO NONA.

ET CVM ORTVS FVISSET SOL, PRÆCEPIT DOMINVS VENTO CALIDO ET VRENTI: ET PERCVSSIT SOL SVPER CAPVT IONÆ, ET ÆSTVABAT: ET PETIVIT ANIMÆ SVÆ VT MORERETVR, ET DIXIT: MELIVS EST MIHI MORI, QVAM VIVERE. *Verſ.* 8.

ARGVMENTVM.

Qui ſit ventus calidus & vrens, de quo hic fit mentio, quæritur. Idem, quàm Deo IONAM *exercere volenti ſtatim ſubſeruierit, hunc affligendo, declaratur. Agitur deinde de ardore ſolis Ionam ampliùs premente, proindeque mortem iterùm exoptante. Denique humani ingenij inconſtantia in Iona proponitur.*

Docetur Ionas reipſâ quàm immeritò doleat de non ſecuto Niniuitarũ interitu.



1 OLVIT Deus Optimus Maximus Prophetã ſuum IONAM exemplo hederæ ad oculum inſtituere & docere, quàm doleret, iraſceretur, indignaretur immeritò, de non ſublatis communi interitu Niniuitis, ipſaque vrbe eorum euerſa, vti futurum ipſe prædixerat. Itaque quò ſentiret grauius, eſſe ereptam ſibi à corrodente verme hederam, ſub cuius vmbra mirè recreatus ſuauiſſimè vno die conquierat, orto iam ſole, ſubmiſit ventum vrentem, nubes & nebulas, & ſi quid aliud temperare æſtum poſſet diſſipauit ac ſuſtulit, atque in eius caput ardentiſſimos ſolis radios immiſit; vt quem arefactum vmbraculum, contractis iam ex tanto ardore ac ſiccitate foliis, non protegebat ampliùs, hunc peruius ſol calore ſuo fortiùs premeret, & incommoditas exinde nata magis vrgeret; ſicque ipſe vehementiùs æſtuaret. Quemadmodũ enim nuper in fugientem Deus fluctuum & ventorum vim omnem contorſit, eundem in mare demergi fecit, à marina bellua deuorari, ac tandem viuum euomi: ita modò, quando in ſua perſiſtit proteruia, iubet cælum & terram in eum iterùm armari & animari; vt diſcat aliquando à ſua tam peruicaci ſententia dimoueri.

2 Hoc eſt quod hîc dicitur: CVM ORTVS FVISSET SOL PRÆCEPIT DOMINVS VENTO CALIDO ET VRENTI, qui, vt ait Albertus Magnus, vapores ſoluit & eleuat, Hebraicus textus habet: *Parauit Deus ventum.* Blanditiis ac diuinis fauoribus duriſſimum IONÆ cor emolliri non poterat; emittuntur ergo illi à Deo noua flagella, vt vel ſic reſipiſcat.

Dignum eſt obſeruatu, paucis lineis, imò dictionibus interpoſitis, ter repeti verbum *parauit.* Primò cùm de hedera eiuſque vmbraculo, deinde cùm de verme, denique cùm hîc de vento ad affligendum IONAM terris immiſſo eſt ſermo; vt ſciamus, & certò ſciamus, tam prædita animâ ſiue rationali, ſiue ſenſitiuâ, ſiue vegetatiuâ dumtaxat, quàm prorſus inanima, vt inter cetera ventos, à Deo *qui ambulat ſuper pennas ventorum* parari, ab illo immitti, ſecundùm quod ſcriptum eſt: *Producit ventos de theſauris ſuis*; atque tum hos, tum alia omnia eius prouidentiâ gubernari. Porrò hîc, vt paullò antè

Omnia Dei prouidentiâ gubernari ex verbis S. Scripturæ oſtenditur.

Pſal. 103. v. 3.
Pſal. 134. v. 7.

antè dicere cœpimus, malum malo cumulauit: quia Ionas, quamuis monitus, diuina non agnoscebat iudicia; sed magis ea secundùm suæ mentis consilium appendebat, vim illis inferre contendẽs. Porrò moneri hoc loco ait Chatardus eos, qui Dei iudiciis sanctissimæque voluntati nequaquam, vti par est, alacritate magna paruerunt, ac parent; de grauibus, quas daturi sunt pœnis, nequaquam minuendis, quoadusque diuinæ voluntati atque iudicio iudicium illorum prorsus cesserit, fueritque subiectum.

Quis ventus ille calidus & vrens fuerit quæritur.

3 Agitari hîc plerumque quæstio solet, in cuius resolutione plurimum hæretur: nimirum quis fuerit ventus calidus & vrens, Ionæ caput vmbrâ iam destitutum ferire iussus. Inter eos qui Subsolanum fuisse aiũt, in regionibus Oriẽtalibus admodum noxium, & ita vehementem, vt surdas faciat colloquentium aures, censetur Arias Montanus.

Subsolanus secundum Ariam Montanũ.

Verũ ventus ille, cùm vehementior sit, minùs videtur ad æstum inducẽdum augendumue calorem opportunus: vehementiores enim venti auram temperare potiùs, & inducere frigoris aliquid, non æstus augmentum consueuerunt.

Australis secundum Albertum.

Probabilius proinde esset, quod ait Albertus Magnus, fuisse ventum Meridionalem siue australem, nisi quod hic humidus sit secundùm quod ait Poëta

— *Pluuioq; madescit ab austro.*

neque in eum quadrare possit quod hîc additur, *Vento calido & vrenti*, siue, vt ait idem Albertus, *exsiccanti*.

Orientalis secundum plerosque.

4 Quare dicemus cũ plerisq; Orientalem ventum fuisse, Eurum videlicet, de quo idem, qui suprà Ouidius.

Ouid. l. 1. Metam.

Eurus ad auroram, Nabathæaq; regna recessit.

Sic verterunt ex Hebræo Pagninus & Vatablus: interpretati sũt Chatardus, Drusius, Mariana, Cornelius à Lapide, & Menochius. Hunc ventum sunt qui dicant hyeme esse frigidissimum, æstate verò, quâ Ionam sub vmbraculo suo ad spectandum exitum Niniue consedisse creditur, calidissimum. Alij ferunt in Iudæa, Assyria, & locis vicinis semper esse calidum & vrentem, quantumuis sit apud nos frigidus. Ita cum Ioanne Drusio affirmat Menochius. Sic olim quoque sensisse Theodoretum indicat quod habet ipse quæstione octaua in Genesim, Euro flante dissolui glaciem; cum igitur ventum admodum calidum istic esse oportet. Quod ne cui mirum videatur, ait Drusius partem mundi Orientalem igne elementari abundare, quem Eurus eliciat.

Silens ventus cur dicatur is, quem nos dicimus vrentem.

5 Paraphrastes Chaldæus, pro eo quod nos legimus *Vento calido & vrenti*: vertit *vento calido & silenti*; idque secundùm Rabbi Salomonem, eò quòd cùm ille flauerit, reliqui sileant. Sed veriùs, & magis apposite meo sensu, Chaldæus posuit *Vento silenti*; ad indicandum fuisse eum placidum & minimè sonorum, quod ad æstus augmentum valet plurimùm; vti ventus vehementior magisque streperus ad eiusdem imminutionem. Alij silente vento indicari volunt minùs velocem ac celerem, interpositâ subinde morâ flantem quod ad æstum maiorem non parum etiam conferret. Vnde apparet, quàm benè habeat vulgaris nostra translatio: *Vento calido & vrenti*.

Caluini translatio reiicitur.

6 Nouum est, quod habet Nouator Caluinus, transferens pro *vento calido & vrenti*, *vento tempestuoso*, nullius veterum exemplo, nullius auctoritate quàm propriâ; quâ, vt multa alia, hoc etiam sibi licitum putat. Quòd autem ait quosdam vertere *vento arationis*, eò quòd verbum in Hebræo positum etiam arare significet, nescio an credere debeamus. Ego certè illud neque apud veterum, neque recentiorum quempiam legi. Absurdum autem inprimis mihi videtur, quòd per ventum arationis intelligi velint ventum siccum & frigidum, qualis grassari solet dum aratro terra proscinditur; quia nihil magis pugnare potest cum eo quod passim habent translationes omnes antiquæ, in quibus legimus *vento calido & vrenti*: non verò, vt vult ipse, sicco

ſicco & frigido; qui etiam rei à Deo hîc intentæ minimè conueniſſet: nàm hæc erat IONAM æſtu torrere & premere; vt exinde diſceret, qui vſque adeò ſuis commodis ſtudebat, non minùs compati Niniuitis, eoſque nequaquam euerſos cupere. Sed nec effeciſſet ventus ille, quemadmodum hîc refertur, vt Propheta æſtuaret; verùm potiùs prouenientem ab ardentibus ſolis radiis calorem æſtumque temperaſſet, quò ferre commodiùs, & minore moleſtiâ auram illam feruentiorem poſſet.

Ventus vrens fuit qui Ionam diuexauit.

7 Ventus igitur ſiue Eurus, ſiue quis alius, ad exercitationem IONÆ mandante Domino iſtic præparatus, & ſuſcitatus, omninò calidus fuit; neque calidus tantùm, ſed etiam vrens. Acceſſit, ad calorem æſtumque maiorem excitandum in eiuſdem caput, ſol; ardentibus ſuis radiis illud pertinaciter feriens. Verba ſunt ſacra: PERCVSSIT SOL SVPER CAPVT IONÆ. Quàm ſit res alicui moleſta ſol æſtiuus cùm ardentiſſimus eſt in meridie, eius petens verticem, nemo ſatis nouit niſi expertus; moleſtiorem verò eſſe, quando aura, ſolis ardore ſemel inflammata atque ſuccenſa deſtituitur vento omni, ſiue frigido, ſiue aliquo modo temperato; moleſtiſſimum quando vento tepidiore prædominante aura ex eo æquè ac ex ſolaribus radiis magis inardeſcit, facilè eſt cogitatione aſſequi. Cùm hæc aliquando ob æſtum nimium, etiam vſque eò noceat, vt prorſus lethifera ſit: quemadmodum fuit olim viro Iudith Manaſſi de quo legimus: *Inſtabat ſuper alligantes manipulos in campo, & venit æſtus ſuper caput eius, & mortuus eſt.* Facite nunc coniecturam, quomodo & ſole ardente, & vento vrente, de induſtria ex præcepto Domini ad IONÆ tormentum concurrentibus, affligi miſer debuerit; vt mirum non ſit quod ſubiicitur: ET ÆSTVABAT.

Aura ex ſole & vento calido inflammata noxia eſt.

Iudith c. 8. v. 3.

Deus peccatores terra mariq; perſequitur.

8 Monet hoc loco opportunè Chatardus: Expendamus aliquantulum, IONÆ exemplo, quàm variè Deus peccatores exagitet, eoſque terra marique perſequatur. Dicebat IONAS ſecundo capite, *Circumdederunt me aquæ vſque ad animum: abyſſus vallauit me, pelagus operuit caput meum.* Nunc illud eius caput, vrentis ſolis æſtus, venti flatu auctus, in continente percutit, & propè adurit; ita vt vſurpare poſſe videatur illud Dauidicum: *Tranſiuimus per ignem & aquam.* Nos ſimiliter Deus ſæpe tam diu multis malorum fluctibus obruit, quoad vſque peccati ſordes noſtris lacrymis & pœnitentiâ eluerimus, & tamquam aurum igne expurgauerimus vetus noſtrum fermẽtum, donec ſimus noua conſperſio. Hęc ille. Certum autem eſt quòd ſicuti æſtus nimius interdum ſubitaneam & improuiſam mortem inducit; ita eundem ſæpiùs febrim, capitis dolores aliosque morbos generare. In Apocalypſi D. Ioannis legimus: *Quartus Angelus effudit phialam ſuam in ſolem,* efficiendo videlicet, vt ſol ſolito ardentiùs vreret, *& datum eſt illi æſtu affligere homines & igni,* Gręca habent tanto æſtu, vt eſſe ignis quodammodò videatur: *& æſtuauerunt homines æſtu magno:* Quod ſatis indicat moleſtiam, incommoda, morboſque ex tanto ſolis ardore ſecutos. Nulli Romipedæ ignotum eſt, vel ob ſolos ardores ſolis & æſtum, ingreſſum in Vrbem certis anni menſibus eſſe peregrinis auræ illi nequaquam aſſuetis aut lethalem, aut certè grauiter noxium. Si hoc Romæ, quid erit alibi, vbi maior eſt acceſſus ad zonam torridam, quæ vt ait Poëta,

Ionæ c. 2. v. 6.

Pſal. 65. v. 12.

Calor nimius cauſat morbos.

Apoc. c. 16. v. 8.

— *Non eſt habitabilis æſtu.*

Quid erit, quando vt hoc fiat, ab eo qui facere poteſt omni momento intenditur, atque is ipſum etiam ex compoſito facit.

9 Demus nunc ægrotaſſe IONAM affectaque fuiſſe valetudine ex tanto ardore ſolis & æſtu; fecit certè illa ægritudo corporis, ipſius animæ magis ęgræ ſalubertimam medicinam; quam ſummus animorum æquè ac corporum medicus vel idcircò adhibuit, vt mox habitaret mens ſana in corpore ſano. In hanc ſententiam ſic philoſophatur Petrus à Figueiro: Medicum

Ionæ ægritudo corporis & moleſtus calor fecit medicinam animæ.

dicum agebat Deus, & infirmus erat IONAS, qui humore nimio laborabat; itaque curandus erat. Quid remedij? quid morbo huic medicinę? Detergendus, exsiccandus, tollendus humor noxius. At quomodo? Ardore solis & vento calido: hæc quidem corpus afficient, affligent, cruciabunt; at mentem magis ægram sanitati restituent.

Hebræi dicunt eodē momento adhæsisse arbori vermem & fuisse ventum suscitatum.

10 Hebræorum quorumdam obseruatio est, an vera & solida spondere non audeo, eodem momento temporis, quo adhæsit arbusculæ vermis, eamque arefecit, ventum hunc excitatum fuisse, qui suas etiam partes ageret, & in ea siccaret, si quid superesset necdum aridum planeque emortuum; vt sic IONAS omni destitutus vmbrâ, siue proueniente ab arborum ramis, ex quibus sibi tuguriolum fabricarat; siue ab enata Dei ope subitò hedera, foliis omnibus cùm venti suauiter spirâtis, tum vi solis ardentis consumptis & tostis quodammodò colliquesceret. Quare vt eius tali loco ac tēpore constitutionē corporis quoquo modo assequamur, ponitur id, quo nihil verbo vno dici significantiùs poterat, nempe verbum ÆSTVABAT: id est, ita deficiebat præ ęstu ardoreque nimiò, vt propè animam ageret. In quem sensum transtulerunt Tigurini *Prope exanimatus est æstu.* Porrò is propriè æstuare dicitur, qui aut loci alicuius conclusus angustiis, aut vi caloris ingentis pressus vndique, intercluso anhelitu, sublataque respirandi quodammodò facultate, viribus destitutus, paulatim deficit & emoritur. Sic de Alexandro Magno cupidissimo gloriæ, & præ nimia illius cupiditate languente ac sui impote cecinit Iuuenalis:

Indicatur, verbo æstuabat, cruciatus Ionæ.

Quid sit æstuare propriè.

Alexandri Magni ambitionis æstus.

Iuuenalis Sat. 10.

Vnus Pellæo iuueni non sufficit orbis,
Æstuat infelix, angusto limite mundi.

Indicare quippe hac ratione volebat Poëta, ingens quod ille habebat desiderium; & ostendere calorem ardoremque vehementem, quo agebatur eius animus ambitionis æstu turgidus; eò quòd necdum esset vnius Orbis victor, qui omnium Dominus, cùm de pluribus recens cognouisset, esse meditabatur.

Pusillanimitas Ionæ indicatur.

11 Paraphrastes Chaldæus, pro eo quòd nos legimus ÆSTVABAT, transtulit in eumdem sensum: *Erat animi deliquium patiens:* seu *penè exanimatus est*, LXX. vno verbo ὠλιγοψύχη, id est, *minuebatur illi anima.* Vnde apparet in illo tanto æstu IONAM factum de toto pusillanimem, deficientibus paulatim, simul corporis, simul animi viribus. Destituitur ergo aliquantisper, sed vt non destituatur omninò; æger est, sed vt sanetur.

Docetur Ionas à Deo non dolere de Niniuitarum salute ex hedera nascente, & moriente.

Placuit Deo, illum enati fruticis tantisper commoditate, & gaudio perfrui; placuit illum sub eiusdem vmbra suauiter delitescere; sed non nisi die vno (neque enim Saliano subscribendum censeo, volenti incrementum fruticis vitamque illius, adeoque moram IONÆ sub eiusdem vmbra, fuisse dierum circiter quadraginta) vt qui eum nasci, crescere, augeri, ditarique frondibus, mox etiam arescere, non casu, sed virtute diuinâ aduertisset, simul etiam intelligeret, quod inprimis discendum illi erat, nequaquam esse sibi de Niniuitarum incolumitate dolendum.

Sol contra Ionam pugnat, & pugnabit in die iudicij contra peccatores omnes.

12 Volo vos aliquantò accuratiùs nunc spectare nouum illum summi Imperatoris satellitem, cuius suprà meminimus, sic in Domini sui obsequium; contra infidelem & obmurmurantem seruum prodeuntem in aciem; solem inquam, aureis inuectum quadrigis. Ab hoc quis aliquid metuat mali? cùm tam sit munificus & liberalis, diffundens æqualiter lumen & calorem suum in omnes? Pugnat tamen etiam ille in IONAM, sicut olim tempore Iosue contra Gabaonitas quando stetit immotus. & porrò pugnabit contra insensatos, cum creaturis omnibus, in nouissimo die. Quid causæ? Causam dat D. Bernardus: *Propter creaturas*, inquit ille, *relinquis creatorem, & ideò contra te insurgent omnes creaturæ, qui offendendo creatorem offendisti omnem creaturam. Ideò creaturæ quæ factæ sunt in ministerium & vtilitatem*

Causa datur à S. Bernardo.

Bern. ser. de miseria humana.

 tuam,

tuam, conuertentur in vindictam & pœnam tuam. Et va tibi erit sine fine, quia noluisti habere bonum sine fine.

Amica maximè & grata mortalibus Deo seruiunt cùm eos punire vult.

13 Profectò cùm punire Deus delinquentes & in eum peccantes voluerit, protinus ei seruiũt omnia; quæque sunt vel maximè amica mortalibus, iisdem inimicissima ad eius non solùm imperium, sed ad minimum quemque nutum redduntur. Quid splendente sole, quid ventis placidis lenibusque eorum susurris, quid vermiculis, aliisque animalculis terræ, ad hominũ voluptatem, amœnitatem, lusum & iocum magis aptum & comparatum videtur? horum conspectu quomodo refici, quãtum recreari solet homo. Hęc tamen, tam aliàs amica, qualia nunc in IONAM, velut hostem suum, arma non sumunt? Quomodo tantum virum, Prophetam talem tamque eximium prosternunt? quomodo exanimatum propè dolore luctuque conficiunt? Neque hoc nouum; nam sic olim locustæ, sciniphes, ranæ, pusilla terræ animalcula, mirum in modum afflixere Ægyptios. Itaque omnes, & omnia timeat, qui Deum non timet: quot enim creaturas, tot vbi peccauerit Dei legem transgressus, in se armatos hostes videre se putet.

Eadem, contra hominem arma sumũt.

Amicitia alter sol est.

14 Solis naturam si mente, non verò splẽdorem corporeis oculis, ne quid peccemus, propiùs intueamur, cognoscemus fortassis aliquid, quod hactenus ignorauimus: conuenire videlicet cum sole amicitiam, hancque alterum quodammodò solem videri. Certè dixit, neque omninò malè, Marcus Tullius, quòd qui amicitiam sustulerit, solem sibi sustulisse de mundo videatur. Etenim arbitrabatur ille, amicitiam, æquè ac solem, esse hominibus apprimè necessariam, vtpote sine qua non viuitur, saltem non sat feliciter viuitur. Interim euenit non rarò hominibus quibusdam, vt ab aliorum amicitia idem patiantur incommodum quod IONAS à sole; qui cùm sit suo calore passim omnibus vtilissimus, & luce peramœnâ gratissimus, illi tamen suo æstu grauissimè infestus, & fulgore splendoreque suo incommodus, molestiam longè peperit maximam. Hoc inquam accidit sæpè, cùm nimirum amici ex amicis, quod nimium est frequens, in inimicos degenerant; tunc enim magis plerumque nocent ardore iracundiæ, quàm vnquam aliàs luce beneuolentiæ, & calore caritatis quantumcumque eximiæ profuerunt.

Quod Ionas à sole incommodũ habuit, habent quidã ab amicitia.

15 Sed & sole designari persecutiones notauit aliquando B. Gregorius, secundùm quod apud Euangelistam legimus, nata sine radicibus semina orto sole aruisse. Hoc enim fit, vt ait ille: *Cùm verba vitæ in corde terrenorum hominum temporali momento virentia, superueniente persecutionis ardore siccantur.*

Sole secundùm Gregorium subinde persecutiones designantur. Greg. l. 34. Moral. c. 7.

Vlteriùs quomodo ea, quæ hîc dicuntur consentiant cum iis quæ de persecutionibus insinuat Gregorius videamus. Concurrit ad torquendum IONAM cum sole ventus vrens: concurrit similiter cum persecutionibus eas prouocans, incitans, & in nos inflammans diabolus. Vrens ille ventus solis ardorem IONÆ molestiorem fecit; facit quoque persecutiones hominibus molestiores, & praua suggerendo, & ad impatientiam prouocando malignus spiritus, qui in sacris Litteris venti vrentis nomine designatur. In quem sensum explicat Gregorius illud Ieremiæ Prophetæ: *Ollam succensam ego video, & faciẽ eius à facie Aquilonis.* Ait enim: *Olla succensa cor humanum est, sæcularium curarum ardoribus desideriorumq́; anxietatibus feruens, quæ à facie Aquilonis succenditur, id est diaboli suggestionibus inflammatur. Ipse enim vocari nomine Aquilonis solet, qui dixit: Sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis, ascendam super altitudinem nubium. Ab huius igitur vrentis venti, vniuscuiusque electi mens adustione temperatur, quando in ea vitiorum feruor extinguitur, & desideriorum carnalium flamma frigescit. Vnde & sancta Ecclesia in sponsi sui laudibus læta clamat: Sub vmbra illius quem desideraueram sedi.* Hæc Gregorius.

Ventus vrens diabolus est secundùm Gregoriũ.

Ierem. c. 1. v. 13.

Greg. l. 18. Moral. c. 12.

Secundùm Rupertum sunt persecutiones, quas Christus in suis discipulis pertulit.

Nec

Nec multum discrepat ab iis quæ iam diximus, quod ait hoc loco secundùm allegoriam Rupertus; per ventum vrentem, qui Ionæ caput percussit, in mysterio designari tribulationem quam à Iudæis in discipulis suis Christus pertulit, dum parabatur vermis ad percutiendam hederam; id est dum in Iudæorum euersionem differretur Romanorum aduentus.

Secundum Bernardū ingratitudo.

16 Aliter ventū vrentem interpretatur Bernardus: hunc enim ait ille, esse ingratitudinem, quem dicit, vti & verum est, *siccare fontem pietatis, rorem misericordia, fluenta gratiæ*. Ab eo tamquam maximè infelici, periculoso & super omnia noxio nobis est vehementer cauendum. Nam vt ait idem Bernardus. *Peremptoria res est ingratitudo, hostis gratiæ, inimica salutis: quoniam nihil ita displicet Deo, præsertim in filiis gratiæ, in hominibus conuersionis quemadmodum ingratitudo.*

Bern. in Cant.

Bern. ser. 1 de Euāgelio 7. Panum.

Ionas bis aliquid passus est ab æstu.

17 Notastis, vti opinor, in hac Ionæ historia, bis ei calorem nimium ardoremque solis fuisse noxium & molestum. Primò cùm egressus de ciuitate sedere cœpit contra Orientem illius; & tum fecit in sui defensionem vmbraculum quod Deus hederâ conuestiuit; deinde cùm deficiente ad morsum vermis hederâ, priuatum vmbrâ se vidit; & tum grauiùs ab æstu torqueri cœpit quàm antè. Nam, vt hîc dicitur, *Æstuabat*.

Quid significet, quòd æstus secūdus, quem passus, est Ionas, priore maior fuerit.

Præsagium, ait Ioannes Cotreau, hoc videri fuisse illius quod erat futurum post ascensionem Christi in cælum: cùm nimirum maiores quàm vmquam anteà Iudæi persecutiones paterentur; tum ratione stupendæ & inauditæ ingratitudinis suæ; tum ratione enormis delicti in morte Iesu Christi Dei filij perpetrati. Patres quidem ipsorum prophetas occiderant; sed ipsi cruci affixerant Patrem prophetarum; æquum igitur erat, vt ardor persecutionum ampliùs ipsos, quàm ipsorum patres cruciaret. Certè cùm premerent Romani obsidione ciuitatem sanctam Ierusalem, ita arctabantur rerum omnium inopiâ obsessi Iudæi, vt non pauci eorum *æstuarent* & fame morerentur; alij verò idem metuentes, mortem oppetere quauis aliâ ratione studiosè percuperent, dicendo cum Iona: *Melius est nobis mori, quàm viuere*; tali nimirum ratione in tanta fame: cùm fames genus quoddam mortis sit longissimum, crudelissimum, atque durissimum. Verùm quia contra auctorem vitæ pugnauerant, illique violentas manus iniecerant mortalium omnium ineptissimi, implentes illud propheticum: *Mittamus lignum in panem eius*, ipsum etiam qui nobis de cælo obuenerat panem Iesvm Christum extermінare multo labore studioque conati; nil mirum si pane eguerint in subsidium vitæ necessario quando se vltrò pane viuo spoliauerant.

18 Non sic illi, qui post B. Petri & aliorum Apostolorū prædicationem, salutari doctrinâ instructi, baptismum postularunt, mundo mori cupientes ad exuendū veterem Adam, & induēdum nouū, *qui secundùm Deum creatus est in iustitia, & sanctitate veritatis.* Quorum etiam figura esse Ionas flagrās mortis desiderio potuit; vti obseruauit D. Hieronymus, dicens: *Æstuare cœpit Ionas, & iterùm velle mori in baptismate cū Israele, vt in lauacro reciperet humorem, quem negatione perdiderat.*

Ionas mori cupiens fuit figura eorū qui ex Iudæis per baptismum mortui sūt, & in nouā vitam surrexerunt.

Ad Eph. c. 4. v. 24.

Hieron. in c. 4. Ionæ.

19 Exponens hunc locum Haymo, per æstum Ionae, æstum siue desiderium Christi pro conuersione Iudæorum intelligit; sic enim loquitur: *Etiam post Christi resurrectionem, & Iudæorum reprobationem, adhuc mens Domini Saluatoris desiderio salutis illius æstuabat, præcipiens Apostolis, & dicens: Eritis mihi testes in Ierusalem, & in omni Iudea, & Samaria. Vnde & ab Ierusalem prædicationis initium præcepit fieri, dicens: Oportebat pati Christum, & resurgere, & prædicari in nomine eius pœnitentiam, & remissionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus ab Ierusalem.* Hæc ille: atque eadem totidem verbis habet Remigius Antisiodorensis, adiungens, quæ ipse subiungit etiam Haymo, illa quæ paullò antè retulimus ex D. Hierony-

Æstus Ionæ, significat desiderium Christi de conuersione Iudaorum.

Haymo in c. 4. Ionæ.

ronymo, cuius commentariorum in Prophetas vterque confecisse in enarrationibus suis videtur compendium.

Fortitudinem in Iona vicit impatiëtia ex qua mœror & mortis desiderium.

20 Ad Prophetam nostrum vt reuertamur; videte quæso mecum, quomodo ille in hac sua afflictione, proueniente ab ardore solis, & venti permolesti calore, se gesserit. Si viro bono constitisset animus, & voluntas prompta in res arduas & virtutem, non deerat illi modò occasio dandi Niniuitis, & omnibus cuiuscumque gentis & generis posteris, eximium suæ fortitudinis specimen; tantùm tulisset patienter hoc quidquid sibi obueniebat malorum, habitus procul dubio à Deo & hominibus magnus, magnam sibi & immortalem gloriam peperisset. Verùm secus accidit: & quia non parum à recto exorbitans plusculum sibi indulsit, erumpens in motus animi indecoros, non leuis impatientiæ indices, iustam à Domino, de qua postmodum acturi sumus, admonitionē reprehensionemque commeruit. Porrò ex ipsa illa impatientia accidit, vt mortem, quemadmodum anteà etiam fecerat, immitti sibi importunis vocibus, non sat sui memor, postulauerit. Inde etiam prouenit mœror ille, de quo S. Ioannes Chrysostomus ait: *Ionas mœrorem fugiens, ad mortem confugit.* Hoc ipsum cùm fecisse etiam Eliam anteà copiosiùs ostendisset, quasi epiphonemate hunc illius actum concludens, subiungit: *vsque adeò morte grauior est mœror.* Verùm præter mœrorem, aliquid etiam, & sat multum, cùm pusillanimitatis, tum etiam superbiæ in actione hac IONÆ eluxisse, quemadmodum antè dixi, existimo.

Chrysost. ep. 3. ad Olymp. tom. 5.

Res parua Ionam virum fortissimum deiicit

Celada in Iudith c. 5. v. 10. & 11. § 15.

21 Mira res, benè obseruata à Didaco de Celada in Iudith, Prophetam hunc magna pati solitum constantissimè ob defectum hederæ subitò tam grauiter, tam acerbè conqueri. Tantine faciendum erat aliquod herbaceum vmbraculum, vt animo despondceret, & mortem expeteret, quia tenui & malignâ illius vmbrâ priuabatur, vir tantus? Valuit denuntiare Regi barbaro vrbis & imperij sui excidium; valuit ob commune sociorum suorum bonum à nautis petere, vt ipsum in mare, agitatum fluctibus, vorticibus sæuum, procellis tumidum, eiicerent ad certum indubitatumque naufragium; valuit in voraci bestiæ aluo intrepidè habitare triduo; valuit acerbissimos exantlare labores. Hic tamen ille, qui in summis calamitatibus acerbissimisque casibus stetit immotus, quia tenuis vmbellæ tenue leuamen illi subtrahitur, mouetur subitò, grauiter indignatur, animo deficit, & in iras actus, petit animæ suæ vt moriatur. Bone Deus quid hoc est? aliudne faceret in grauissima ærumna etiam maximè pusillanimis quisque?

Opportunè satis Theophylactus id accidisse ait, vt discamus humanam imbecillitatem, quæ leuissimis molestiis impar, acerbè fert exigua incommoda, & rei cuiusuis minutissimæ defectu acerbissimè feritur. Arescit hedera, & vsque ad mortem contristatur; quia tenuis vmbellæ commodo caret.

Notatur Iona inconstantia.

22 Sed & miram hominis animaduertite inconstantiam. Dominus illi anteà piscem parauerat, in cuius stomacho ab innato calore grauiùs vrebatur, quàm nunc à sole & vento vrente; quin imò propè coquebatur in fornace illa ardente: interim tamen, tum temporis quantumcumque (vt ipsemet loquitur, dans de se certissimum testimonium) angustiaretur in se anima eius, pro vitæ suæ conseruatione orabat, obsecrabat; nunc æstum tanto minorem sustinere non valens, pro morte supplicat, atque esse desiderat ab hac molestia, ab his ardoribus & cruciatibus liber. c. 2. v. 8.

23 Quid est afflictionis in æstu hoc præ alio, qui fuit longè grauissimus? Quid sibi iam molestiarum ampliùs quàm nuper Propheta confingit? An illi magis nunc deest euadendi modus quàm anteà? Quâ nuper prece euaserat pericula tam manifesta, tam certa, eâ nunc etiam euadere incommoda omnia, quantumuis grauissima poterat. Euaserant Niniuitæ tam vt videbatur

Ostenditur doluisse Ionam nō ob amissam vmbram, quā alibi nancisci poterat, aut ob incommoda corporis.

batur, certam mortem; cogitare poterat, si Deo supplicaret, non minùs Niniuitis illi se fore acceptum, omneque non minùs quàm illi se suâ prece discrimen euasurum. Poterat quoque, si volebat, arefactâ iam hederâ atque ad latitandum sub ea inutili, aut speluncam aliquam deligere, aut etiam vrbem ingredi; in qua non erant illi defutura vmbracula, non domus ad calores euitandos aptissimæ, non augusta, si & hæc vellet, ad commorandum palatia, vltrò etiam à pluribus offerenda.

Sed afflixisse eum æstum ambitionis.

24 Ego mihi persuadere non possum, ob solum cruciatum ab ardore solis atque vrente vento tam importunè postulaturum Ionam fuisse priuari vitâ luceque communi. Res illæ nimium meo iudicio exiguæ sunt, vt tam parum sanam postulationem, ab eo qui prudens erat, extorserint. Quid igitur? Effecit, vt sic esset constitutus animo, & sic loqueretur, qui illum intus vrebat ambitionis æstus: hic ipsus eundem etiam minimorum incommodorum impatiētem fecit. Accessit deinde & malum auxit metus infamiæ; quòd nimirum, vti est à nobis iam multoties decantatum, vanus propheta, & delirus vates audire apud alios vehemēter timeret. Timori huic comes factus est mœror; atque inde profecta est non satis modesta dignaque viro postulatio.

Quid sit petere animæ suæ vt moriatur.

25 Petivit, inquit Textus sacer, animæ svæ vt moreretvr. Mira locutio, sed Hebræis vsitata. Sic in Libris Regum dicitur de Elia: *Cumq; venisset, & sederet subter vnam iuniperum, petiuit anima sua vt moreretur:* id est, mortem sibi obuenire optauit.

3.Reg. c. 19.

Ionas non petiit mortē animæ, quam sciit esse immortalem.

Quòd si dixero, ad dilucidationem horum verborum maiorem, locutum secum, siue cum anima sua Ionam fuisse, more eorum, quos ob miseriarum præsentium acerbitatem atque molestiam, capit vitæ præsentis tædium; & quia tam diu viuunt indignabundi mussitant & queruntur; nihil prorsus dixero à veritate alienum.

26 Nemo tamen opinetur, quamuis hîc Ionas animæ faciat mentionem, eum illius mortem postulasse. Neque enim tam erat stolidus, tam insanus & amens, vt putaret animas simul cum corporibus interire, & immortalitatem earum, ipse propheta, ipse veri Dei cultor, ipse in eius sanctissima lege enutritus ignoraret; quā nec ignorauit Plato philosophus, nec Oratorum princeps Cicero, Ethnici licet. Ille enim vel idcircò Diuinus dictus est; quòd earum immortalitatem assereret; hic verò ex cognitione quam de hac re naturali lumine fuerat adeptus, ad amicos suos in vita altera commorantes abire festinans in Catone Maiore exclamat: *O præclarum diem, cùm ad illud diuinum animorum concilium cœtumq; proficiscar, cumq; ex hac turba & colluuione discedam!* Dixerat non multò antè: *Equidem efferor studio patres vestros, quos colui & dilexi, videndi: neque verò eos solùm conuenire aueo, quos ipse cognoui; sed illos etiam de quibus audiui & legi, & ipse conscripsi: quò quidem me proficiscentem haud sanè quis facilè retraxerit, neue tamquam Peliam recoxerit.* Ita ibi Marcus Tullius, quo longè fuit sapientior Ionas in diuinis versatissimus.

Cic. in libro de senectute in fine.

Petit separationem animæ à corpore per mortem.

27 Petit igitur hîc idem quod nuper; sibi nimirum vt concedatur animi immortalis à mortali corpore diuortium; quo & præsenti vitâ, & simul eiusdem defunctus miseriis, imposterum Deo viuat securus, in beata tranquillaque vita, omnis mutationis, varietatis, & periculorum experte. Vno verbo animam, quæ sæpè animati corporis vita dicitur, sibi eripi postulat. Quæ res vt non omninò mala, suo etiam tempore bona, postulari potest; dummodo formâ modoque debito, intentione rectâ, animo placido pacatoq; postuletur. Sicuti Sancti, secundùm Augustinum, vitam habent in patientia, mortem in desiderio.

Causa cur Ionas mori petat exponitur.

28 Causam petitionis & desiderij sui hîc Ionas adiungit eandem quam nuper; & eam totidem, licet immutatis

tatis paululùm, verbis exponit, dicendo: MELIVS EST MIHI MORI QVAM VIVERE. Id est, hoc vnum me mouet mortem vt appetam, quòd censeam esse hanc mihi vitâ illâ, quam hîc duco inglorius, longè potiorem & meliorem. MIHI, inquit, non omnibus: si enim dixisset per modum sententiæ vniuersalis complectentis omnes, & neminem excludentis: *Melius est mori quàm viuere*, plerisque, vti contra sentientibus, ita & facilè contradicturis, creditus esset adferre potiùs magnum paradoxon, & aliquid de toto ἀδύνατον, quàm dicere veritatem. Dum verò ait: *Melius est mihi mori quàm viuere*; tantundem est ac si dicat: Mihi vitam ducenti tam miseram, infelicem, afflictam; tot vndique ærumnis circumdatam, tot tantisque calamitatibus plenam, satius est & conducibilius mori, quàm in miseriarum illarum prorogatione diutiùs viuere: hoc quippe planè sibi habebat persuasum. Quare secundùm sensa animi sui dicere idipsum, sine vllius alterius iniuria, & saluâ poterat veritate.

Ionas semel sanus iterùm in morbum incidit, & mori cupit.

29 Petiuerat nuper mori, eò quòd contra quàm futurum sperauerat, & vaticinans dixerat, Deus pepercisset ciuitati. Illi malo facta fuerat medicina ab enata subitò hedera, per quam salua videbantur omnia: verùm vbi hæc tacta à verme euanuit, vetus illud malum optatæ nuper mortis denuò recrudescere cœpit, & iterùm petiuit posse mori vt antè, etiam æquè vt antè impatiens.

Per hederā arefactam intelligens. Synagogā reprobandam Ionas, vult mori secundùm Chatardū.

Arguit hîc IONAM Chatardus ex alio capite; quòd videlicet ruinæ Iudæorum suorum impatientiâ fractus, eam fortitudinem non videatur edere quam deberet. Mori namque, secundùm illum postulat; quia diuino afflatus spiritu, nouit per hederam à verme corrosam & arefactam, Iudæorum Synagogam iusto Dei iudicio reprobandam. Sicuti etiam per solem caput eius ferientem cognoscere potuit, illos ipsos Iudæos, quos plus æquo amabat, tamquam lippos non facilè laturos solis iustitiæ Christi radios salutares, lucemque Euangelicam, quæ *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Ioan. c. 1. v. 9.

Ionas videtur cum Deo contēdere vt ille qui asinum cōduxerat de vmbra illius.

30 Ad IONAM nostrum quod attinet, vt dicam sensum meum, ille mihi non magis sapienter contendere hîc cum Deo videtur, atque indignari, ob ereptam sibi hederæ vmbram, quàm ille apud Aristophanem qui conduxerat asinum, ob eiusdem sibi debitam vt volebat vmbram, ademptam ab altero. Potuisset, vti diximus, IONAS nullo negotio aut subsidij aliquid ad nouū vmbraculum in loco in quo consederat construendum reperire; aut ad locum alium magis commodum, in quo sese abundè offerret vmbra, demigrare. Quorsum igitur, ob id quod tam facilè resarciri poterat, qualecumque, siue incommodum, siue damnum, tantus animi motus, tantaque indignatio? Nempe res est digna viro, ob priuationem solatioli alicuius ex tenuis arbusculæ vmbra obuenientis, ad mortem properare velle, vitaque defungi!

Propria homini est inconstantia.

31 Sed in illo nos vel maximè discimus imperfectum nostrum agnoscere, & lugere. Verè quotquot hic viuimus, tametsi nobis subinde aliquantum supra vulgus sapere videamur, homines sumus; infirmitatibus, miseriis, & imprimis magnæ inconstantiæ obnoxij. Desultoriè sæpè agimus, & æquè ac IONAS de vno in aliud mente ac desiderio ferimur: facilè etiam cogitationes sensusque nostros rei alicui futili & nugaci adhærescere patimur; &, si quid solidi agere instituerimus, si quid exorsi simus boni, id mox nauseabundi imperfectum relinquimus, atque ad alia deuoluimur: quod immediatè antè amauimus, statim odimus; quod voluimus, nolumus; nobiscum ipsi pugnantes, nobismet ipsi graues, ad ipsum vsque etiam non raro vitæ tædium. Quid in eiusmodi rebus consilij? dabit consilium Deus. Mox eum in IONA nos quoque instituentem audiemus. Intereà sinamus ab eo præscribi nobis, quas ille placuerit,

rit, vitæ & mortis leges & terminos, quos prætergredi nequaquam velimus, neque facilè dicamus cum IONA, eâ videlicet mente quâ ille hoc loco: *Melius est mihi mori quàm viuere*; adeoque nec alia, nisi is, in cuius manibus sumus, & nos, & tempora nostra, ita voluerit, ita iusserit. Simus verò semper, ad discedendum è statione vitæ mortalis, quando nos euocare summo nostro Imperatori placuerit, comparati.

LECTIO DECIMA.

ET DIXIT DOMINVS AD IONAM: PVTASNE BENE IRASCERIS TV SVPER HEDERA? ET DIXIT: BENE IRASCOR EGO VSQVE AD MORTEM. *Vers. 9.*

ARGVMENTVM.

Stulta IONAE *damnatur iracundia, vti & aliorum, qui rebus ratione carentibus irascuntur. Ionæ excusatio, quæ Dei quodammodò accusatio est, vt indigna reiicitur. Vis iracundiæ quanta sit declaratur. Non facilè rebus futilibus moueri debere hominem; sed primis statim contra eas obniti initiis docetur.*

1 VDITVRI admirabile quoddam institutum paucis verbis, sed efficacibus inter Deum & IONAM colloquium; quæso, de more, aliquantò etiam suprà morem, oculos si placet, aures, animumque aduertite.

Multi multa quæ nesciunt diiudicāt. In ampla & copiosa familia, à patre familias multa sæpè fiunt quorum domestici rationes ignorant; & quia ignorant, dum suam de rebus minùs benè sibi perspectis sententiam liberè & liberaliter satis pronuntiant, vehementer errant; fitque non rarò, vt ob ea, quæ causam suppeditant copiosæ lætitiæ, ipsi secùs quàm oporteat grauiter contristentur. Bonum igitur est, dominum & magistrum habeant, qui circa hæc illos sapienter erudiat. *Psal. 110. v. 2.* *Magna*, vt nostis, sunt *opera Domini: exquisita in omnes voluntates eius.* Quædam etiam ita sublimia, vt meritò dictum sit à Doctore Gentium: *Quis cognouit sensum Domini? aut quis consiliarius eius fuit?* *Ad Rom. c. 11. v. 34.* Non desunt tamen qui, ea etiamsi sint tam magna & sublimia, vt non assequantur, diiudicare audeant. Intereà bonus ille orbis Magister & Dominus multa sæpè nos docet, multa monet; vt cogitemus & recogitemus meliùs opera ipsius, & quid de iisdem sentiendum sit maturiùs perpendamus. Ita cum IONA hîc actum est: monet eum Deus murmurantem ob arefactam hederam, & in sapientissimo Magistro, id quod non intelligit, condemnantem. *Ionas de hoc etiam monetur.* Quare vt meliùs aliquantùm consideret factum Domini sui, simul etiam affectiones animi sui prauas, ex iis hæc quæ supra se sunt diiudicando & condemnando, agnoscat & corrigat, ait illi: PVTASNE BENE IRASCERIS TV SVPER HEDERA.

Facti sui indignitas ei explicatur.

2 Pauca quidem hæc, & plena beneuolentiæ verba sunt, ad eum directa à Domino, vt videat, num lenitate hac modoque agendi adeò beneuolo mitigare efferuescentem plus satis hominis animum possit: non tamen idcircò minùs sunt efficacia; vtpote quàm maximè ad persuadendum ex æquo & ratione composita. Tantumdem enim est ac si dicat ei: Scio vehementer iratus es, non me latet ira tua, neque etiam illa, quam prætendis esse iustam, iræ eiusmodi ratio: Verùm vehementer falleris, & licet secus putes, omninò frustrà excandescis. Arefactam esse hederam, eandemque tibi nequaquam vsui futuram imposterum, non est res tanta, vt idcircò commoueri magnoperè debeas: nosti quàm parum ad illam contuleris. Illam tu neque plantasti, neque coluisti, neque rigasti, neque etiam multo tibi illa seruiit tempore; vt paucis horis, quibus ad vmbram tibi faciendam teque recreandum, eadem es fruitus, illi adeò affici debeas: nata sub diluculum vno dumtaxat die in virore suo stetit, die altero proximè insequente, & quidem sub auroram, corrosa à verme interiit. Quid hic causæ tantarum irarum?

Argumentum Dei contra Ionam.

3 Gregorius Mastrillus, ex nescio quo innominato auctore, ait IONAM argumento ex verbis propriis desumpto argui falsitatis & perstringi à Deo in hunc modum: *Tu ducis mortem meliorem quàm vitam: quare igitur doles mortem arbusculæ vnius, si mors magis optanda quàm vita? non commiserei debes arbusculæ mortuæ, cùm meliùs sit iam mortua quàm viuit si verò tibi vni appetis mortem: quid desles commoditatem amissam? cùm homini iam desperatò omnis res quæ ad conseruandam vitam commoda est ingrata sit? Non igitur te viuere tædet, vt dicis.* Argumentum hoc ad hominem; ex quo ægrè elctari potuisse IONAS videtur, neque ad ipsum satis apposite ac solidè respondere, resumemus paullò pôst, & illi aliquantò clariùs proponemus.

Auctor Ionam alloquitur & arguit.

4 Audebo nunc ego Domini voci, bona eiusdem veniâ, meam quoque iungere, & iisdem verbis quibus ille te iterùm mi IONA rogare, in ea qua tunc eras constitutum iracundiâ. *Putásne benè irasceris tu super hedera?* Nam priusquam te, de rebus tuis, & pro te ipso differentem audiam, ac certius statuam, causa tua æquane an iniqua videatur, scire cùm primis velim, cur hîc irascaris, & in quem sæuias? Si in Deum qui fecit hederam exarescere, impius, ingratus, iniquus, insolens & superbus es; qui communi omnium Domino, tam benè de te merito, te opponere vilis homuncio non times, non trepidas? Si irasceris, indignaris, & sæuis in hederam, quòd ipsa damno tuo exaruerit, teque hærentem in Niniuitico agro vmbrâ suâ destituerit, insanus es; atque prorsus vt mentis impos hîc agis & furis. Etenim à viro sui compote indignatio in res agendi libertate destitutas non rectè proficiscitur; cùm ab his non accipi possit iniuria. Dixit namque Seneca Philosophus, & verissimè: *Nulla est iniuria nisi à consilio profecta.*

Irrationabilis in res ratione destitutas est ira.

5 Verùm ne miremini actum hunc iraci IONÆ. Ira vbi semel alicuius animum occupauerit, sursum deorsum agit omnia, vt benè dixerit Q. Horatius Flaccus.

Ira furor breuis est: animum rege: qui nisi paret
Imperat, hunc frenis, hunc tu compesce catenâ.

Horat. l. 1. Epist. Epist. 2.

Chrysost. lib. 3. de Sacerd.

Et Plutarchus in Moralibus: *Iratus à furioso tempore tantùm distat.* In quam sententiam similiter Chrysostomus sed clariori quàm illi luce veritatis illustratus: *Nihil,* inquit, *sic ingenij perspicuitatem, nihil sic mentis aciem hebetat vt ira, nullum ordinem seruans, ab animi impotentis impetu nata. Hæc & prudentes perdit, quasi enim in nocturna pugna aliqua, obtenebratus animi oculus non internoscit amicos ab aduersariis, neque ignobiles à claris; sed omnes simul vno*

vno loco habet, & si iactura etiam aliqua calamitasq. subeunda sit, omnia perfert, vt animi voluptatem impleat satietq. Est enim etiam quædam voluptas iræ excandescentia; cuius tyrannis humanum animum vbi possedit, voluptatis tyrannide crudelior truculentiorq. est, vniuersum illius statum sursum ac deorsum conturbans, incolumitatemq. excarnificans. Hæc & plura alia ibidem Chrysostomus.

Ira facit hominem insanire, secundùm Senecam, & SS. Patres.

Sen. lib. de Ira.

6 Porrò per iram perdi sapientiam, & quandam contrahi insaniam, præter Senecam Philosophum, qui disertis verbis ait: *Immodica ira gignit insaniam.* Et iterum: *Nihil inter insanum & iratum est, non vnus dies, alter semper insanit, alter semper irascitur,* idem omnes Patres vno ore testantur. D. Hieronymus: *Quid iracundo*, inquit, *furor suus confert? quem sæuissimis exagitatum stimulis conscientiæ, ita ab omni consilio ac mente deturbat, vt dum irascitur, insanire credatur?* Ampliùs D. Gregorius qui dum plurima prouenientia ex iracundia mala atque incommoda (quæ hîc non pigebit paucis recensere) enarrat hoc primum statuit. Ipsum audite: *Per iram iustitia relinquitur; quia dum perturbata mens iudicium sine ratione exasperat, omne quod furor suggerit rectum putat.* Pergit deinde: *Per iram gratia vitæ socialis amittitur; quia qui se ex humana ratione non temperat, necesse est vt bestialiter viuat; per iram mansuetudo amittitur; per iram concordia rumpitur; per iram lux veritatis amittitur, quia cùm menti iracundia confusionis tenebras incutit, huic Deus radium suæ cognitionis abscondit.* Ita Gregorius. Hugo autem Victorinus breuiter exponens quid de ira sit sentiendum. *Ira*, inquit, *est subita animi tempestas, quæ dum inordinatè se concutit, cor hominis ad insaniam protrahit.*

Hieron. ad Demetriadem Virginem.

Greg. l. 5. Moral.

Varij actus iracundorum insani enarrantur.

Sen. lib. 1. de Ira.

7 Vultis audire actus amentiæ perfectæque insaniæ ab iracundis hominibus profectos? Cneus Piso iratus ad supplicium duci iussit eum qui ex cõmeatu sine commilitone redierat, quasi interfecisset quem non exhibebat, neque roganti tempus ad conquirendum dedit. Damnatus ergo extra vallum deductus est, & iam ceruicem porrigebat, cùm subitò apparuit ille commilito qui occisus videbatur. Quare centurio supplicio præpositus condere gladium spiculatorem iubet, damnatum ad Pisonem reducit, redditurus Pisoni innocentiam. Ingenti concursu deducuntur complexi alter alterum cum magno gaudio castrorum commilitones, conscendit tribunal furens Piso, & iubet duci vtrumque, & eum militem qui non occidit, & eum qui non perierat: post adiecit etiam tertium; nam illum centurionem qui damnatum reduxit etiam duci iussit, inquiens: *Te duci iubeo, quia damnatus es, te quia causa damnationis commilitoni fuisti, te quia iussus occidere Imperatori non paruisti.* Numquid hæc admiranda prorsus & inaudita insania est, non aliunde quàm ab ira profecta.

8 Quid plura? Xerxes indignabũdus Atho Monti, ita narrat Plutarchus, epistolium misit in hæc verba: *Atho infelix ad cælum vsque porrecte, ne meis operibus facias lapides magnos, & ad eruendum difficiles; alioquin excisum te proiiciam in mare.* Quid poterat esse maioris amentiæ?

Cyrus potens Persarum Rex contra Gynden fluuium magnâ indignatione commotus atque inflammatus irâ, quasi ab illo illatas sibi vlcisci volens iniurias (absorbuerat enim, quemadmodum narrat ex Herodoto Petrus Damianus, dum rex militum vallatus agminibus transuadaret, vnum regiorum equorum candore formaque præcellentem) contestatus est; eum, quia tam præclarum vorauerat equum, ita permeabilem relinquendum, vt aliquando vix posset attingere genua feminarum. Quod vt fieret strenuè annum integrum in hoc ridiculo opere rex tantus perpetuans, velut reum Maiestatis fluuium multis vtrimque fossis aperuit, & per quadringentos sexaginta riuulos illius aquas diuisit; sicque, quod stultè iratus dixerat,

Petrus Damianus l. 4. Epist. Epist. 17.

xerat,

xerat, ridiculè furens insaniâ adimpleuit.

Ionas si hedera iratus fuit, egit vt insanus.

9 An non meritò similis amentiæ IONAM damnemus si tam proteruè cōtra hederam eò quòd vmbram suã ei subtraxerit, iram hãc futilem indignationemque susceperit. Ne hoc verò de illo tamquam homine parum sanę mentis & firmi cerebri dicamus; dicendum erit Deo iratum fuisse, tamquam hederæ nuper virentis, mox etiam arescentis auctori. Quod eandem in eo impotentiam animi, maiorem quoque impietatem & impudentiam arguit, nec minorem in alio genere insaniam.

Ampliùs declaratur Dei argumentum contra Ionã de hedera.

10 Porrò hîc idcircò à Deo, cui illius sensa animi penitissimè erant perspecta, illâ interrogatione *Putásne benè irasceris tu super hedera?* præclarè instruitur, ac si ab eo audiat, quod est idem auctoris suprà citati, sed innominati, à Gregorio Mastrillio allatũ argumentum, fusiùs & clariùs aliquantò deducendum. Numquid æquum est hominem, cui mors quàm vita potior, tam iniquo animo vnius plãtulæ interitum pati? tanto in illam ferri desiderio? & idcircò tã grauiter eius auctori irasci? Vitã hominis non magni facis? & quidem tui ipsius; desiderans, ac omni horâ paratus illã perdere: quid ergo curas tantopere vitam arbusculæ vnius, vt illam interire nullo modo cupias? Si tibi mors præ vita videtur optanda, pereuntem arbusculam non est quod lugeas. Si tui ipsius interitum petas, quorsum amissam commoditatẽ aliquam tam iniquo fers animo? Homini vitæ suæ pertæso, & ad mortem anhelanti, res aliqua vitæ conseruandæ subseruiens placere grataque esse non potest; sed magis displicere, atque ab illo æquè vt vita respui. Itaque vel te non tædet vitæ tuæ, quod tamen affirmas, vel si verum est quod ais, illius commodo seruientem arbusculam interire & emori, sicuti tibi sic constituto nullo prorsus futurum incommodo est, sed potiùs magno ad id quod optas subsidio; ita nec dolori esse debet causáque iracundiæ.

Assignatur ratio cur Ionas rogetur in causa propria.

11 Rogatur rursus, quod aliquoties factum, ipse sua propheta, vt iterùm sicut priùs, & proprio iudicio conuincatur, & ore proprio damnetur: discat insuper ex interrogatione propositâ quid & quomodo de seruatis Niniuitis sentire, quomodo de beneficio illis præstito loqui debeat. Argumentum illi à Deo propositum, sumptum ex loco Rhetorico, qui vocatur à minori ad maius; quo ita conuincitur, vt reductus videatur ad metam non loqui, Si vtendum sit terminis inter philosophos & Theologos vsitatis, est tale: Tu doles, de eo quod minimum est, atque illud modis omnibus conseruari cupis; me verò non vis dolere de eo quod maximum est, & illud perdi desideras: vide quàm iniquus sis præ desiderio. Si iustus est, vt tu contendis, dolor tuus, quantò iustior est miseratio mea. Æquum & dignum est, maneat, & intacta maneat Niniue, ciuitas tam copiosa, tam numerosa: hæc quamdiu egerit pœnitentiam, quamdiu renuntiauerit vitiis & peccatis pristinis, legibus meis obsecundans, volo non pereat. Illam multò magis quàm hederam tuam seruari expedit.

Nouatiani redarguũtur agẽtes contra eos qui aliquando deliquerant.

12 Nolebãt Nouatiani ad Catholicæ Ecclesiæ communionem admitti eos, qui aliquando deliquerant, quantumuis pœnitentes; prorsus, quemadmodũ secundùm quorundam sentẽtiam, nec IONAS Niniuitas; verùm agens contra hos Eusebius Emissenus certè vsurpat verba Domini IONAM commonentis, iisdemque Nouitianos & commoneri & condemnari ostendit hoc modo: *Cùm ad Prophetam dicat putasne benè irasceris tu? num tibi videtur quòd errorẽ Nouatianorum Dominus arguat in Propheta vtique Iona, qui inclinatum pœnitentiâ populum, cùm videat humiliari, nequaquam optat absolui? & ideò impugnator occultus, apertè beneficium negat, cuius interdicit officiũ, absque dubio rebus ipsis eam suscipiendã non esse pronuntiat, quã perpetua obligatione subtracta, absolutionis fine cõdemnat.* Verùm meæ mentis non est hîc

Euseb. Emiss. hom. de Pœnit. Niniuitarum.

hîc pluribus contra Nouatianos agere, & propositi argumenti robur ostendere, cùm iam pridem hæc illorum hæresis exoleuerit.

Cur Ionas hic respondeat non antè.

13 Ad IONAM interroganti Domino de sua iracundia respondentem conuertamur. BENE, inquit ille, IRASCOR EGO VSQVE AD MORTEM. Secundùm Albertum Magnum hîc respondet, quia videtur sibi rationem turbationis habere: superiùs autem tacuit, quia eam non habuit. Secundùm D. Hieronymum, eumque secutos Haymonem & Remigium; *Superiùs iam saluato*, vt illi loquuntur, *per pœnitentiam Niniuitarum populo, iisdem verbis interrogatus Ionas nihil respondit, licet videret non esse factum quod prædixerat; sed Domini interrogationem suo silentio comprobauit. Sciebat enim Dominum clementissimum esse, & multæ miserationis. Nunc autem cùm in siccatione hederæ intellexit Israelis reprobationem, audacissimè respondit: Bene irascor ego vsque ad mortem. Non enim Niniuitas sic saluare volui, vt Iudæi perirent: nec sic volui lucrari alienos, vt perderem proprios.*

Notatur Ionæ in respondendo audacia.

14 Benè est ab his auctoribus notatum, quòd IONAS audacissimè responderit, neque audacissimè tantùm, verùm etiam imprudentissimè, ne dicam impudentissimè. Quare meritò dici illi à Domino potuisset, quod dictum est ab eo alteri cuidam seruorum suorum ac Prophetarum: *Numquid irritum facies iudicium meum: & condemnabis me, vt tu iustificeris?* Etenim quando eius sententiâ Deus iniquè agit, atque immeritò ei hederæ vmbram eripit; ipse verò ob eandem sibi ereptam irasci se meritò, sibi & persuadet, & asserit, apertè satis Deum condemnat, vt se iustificet.

Iob c.40. v.3.

Pertinacia eiusdem redarguitur.

15 Stupenda planè res, cùm non ignoraret IONAS quàm secum egisset placidè, amanter, benignè Deus, & etiamnum ageret; non posset etiam non ipsum illud quod tam bene nouerat menti eius frequentissimè obuersari: non fuisse commotum magis hominem, vel eius maiestate ac dignitate, vel hac ipsa in se eiusdem largissima & propensissima benignitate; verùm his non obstantibus potiùs actum in iracundiam, alia omnia meditatum, conatumque recta consulenti opponere sese, monenti contradicere, & audacter atque imperterritè repugnare, factumque suum tueri, dicendo: *Benè irascor.* quod non est aliud, quàm in sua perstare malitia melioribus consiliis spretis, malum propugnare, gesta non benè tueri mordicus velle.

Ionas ex iracundia & tædio locutus dixit quæ dixit.

16 Ampliùs illius verba expendamus. BENE IRASCOR EGO, inquit. Hebræa habent *vehementer*. Chaldæus *valdè*. Tigurini *iustè ac meritò irascor*. LXX *valdè contristor*. Nec est absimile vero quin iracundiæ in IONÆ pectore residenti grauis quoque iunctus fuerit mœror; ex quo vehementer afflictus, eruperit in verba hæc qualia proficisci solent ab homine tetrico, moroso, sibi molesto ac graui. *Benè irascor ego vsque ad mortem:* id est, secundùm Ioannem Mariana, ita irascor, vt mori malim quàm hæc pati. Secundùm Emanuelem Sà, ita vt penè moriar, vel mortem optem. Putabat nimirum perturbatus & commotus animo vehementer non solùm irasci se meritò, sed insuper esse licitum sibi, ex indignatione hac simul & mœrore optare mortem, breuemque vitæ simul & laborum ac tædij terminum præstolari.

Tantum sensit impetum iracũdiæ, vt illo noxius esset sanitati corporis.

17 Alij volunt expressam à IONÆ fuisse pauculis hisce verbis, eam in qua erat constitutionem mentis ac corporis; indicasse iis scilicet, quomodo exarserit iracundiâ, & vti sibi videbatur, iustè exarserit; adeoque exarserit vehementer, vt tamquam morti proximus deficiens ex ea, (more illorum, qui ab ebulliente intus & nimium efferuescente sanguine victi, iamque sui impotes facti, propè suffocantur, non aliud vociferantes, quàm interruptis ex ægritudine vocibus, rumpor, pereo, dispereo iracundiâ) vim sibi ab animo irato inferri quodammodò senserit. Neque id dictum

hyperbolicè, quemadmodum in eo genere solemus subinde liberaliùs loqui; sed ex rei veritate, Dionysius Rikelius arbitratur: qui rectè annotauit hominem ex ira nimia, & commotione vehementiore sanguinis circa nobiliores partes corporis, atq; cor ipsum vitæ sedem præcipuam solere vel lethalem infirmitatem, qualis est apoplexia, morbus iracundis communis & frequens, vel quod fit subinde, etiam mortem incurrere.

Vehemens iracundia nocere solet, & vel morbos, vel mortem causare.

18 Neque vllum est dubium, quin grauis iræ passio, propter inflammationem ebullitionemque sanguinis circa partes iam dictas, sæpè interiora depascatur, adinstar ignis. Cuius rei etiam exteriùs non obscura signa se produnt frequenter dum tota ardere videtur facies, scintillare oculi, concrepare dentes, palpitare cor, feruere pectus, tremere corpus, omniaque membra sudore diffluere, atque ad quoduis opus obeundum inutilia effici. Accidit quoque, vt homines quidam iracundi, inflammato iam & bulliente in visceribus sanguine, si eis obsistatur; ita vt exercere iram suam in id quod vellent pro libitu suo non possint, neque etiam illam ob quam irati sunt à se molestiam amoliri; mœrorem quemdam contrahant, atque ex eo tædium, magno suo inprimis periculo, nec minore subinde incommodo alieno: vt proinde minùs mirandum sit quod hîc IONÆ accidit.

Id exemplis probatur.

19 Noui & vidi ipse paucis abhinc annis, virgines duas, sicuti hæc animi impotentia sexum muliebrem faciliùs quàm virilem occupat, illique adhæret tenaciùs; vna quidem in vrbe, sed non in vnis ædibus, neque omninò eodem tempore; alteram nobilem, plebeiam alteram, vsque adeò vehementer non semel, sed sæpiùs irâ indignationeque commotas, vt inde continuâ cordis palpitatione, ad multum temporis vehementissimè laborarent, ac anhelitu quasi intercluso æstuarent; cùm verò interrupta per vices varias denuò rediret ira, aut potiùs cum memoria rerum præteritarum indignatio, quod fiebat multoties, ita aduerti constitutas, vt viribus prostratæ & fractæ propè colliquescerent; cor verò ipsum obrutum feruido & bulliente circa præcordia sanguine, iam non ampliùs trepidare, & vt anteà crebris motibus palpitare, sed omninò deficere videretur; vt ego qui ad vnam & alteram tamquam ad moribundas nocte concubiâ fueram euocatus, spectatâ constitutione præsenti, eas animam agere singulis quibus euocabar vicibus, & omni ferè momento quo aderam arbitrarer. Atque hoc ex occasione irati IONÆ hactenus.

Tria Ionæ peccata sic recensentur.

20 Nunc vt ad ipsum reuertamur, in quo hîc potissimum deliquerit, videndum nobis est. Tria suggeram. Priuatum commodum quærens, illique nimium deditus, auidus inquam honoris proprij ac gloriæ, hoc bono communi, contra quam faciendum erat, antetulit, de suo abundè sollicitus, de alieno non ita. En primum.

Peccauit insuper, quòd, cùm velit Deus lætari nos de vindicta, quâ vlciscitur impios, iuxta illud Dauidicum: *Psal. 57. v. 11.* *Lætabitur iustus cùm viderit vindictam; manus suas lauabit in sanguine peccatoris*; id ipse nimio suorum amore non visus sit velle agnoscere, improbans Dei in Iudæos peccantes iustitiam, atque eiusdem in Niniuitas resipiscentes misericordiam.

Ex quo secutus est error siue delictum tertium, idque grauius, quòd nimirum damnatus criminis, prætexens futilem aliquam in eo excusationem (quemadmodum Adam olim in suo) quâ illud obtegeret & velaret, idem non modò extenuare, sed quadam iustitiæ & æquitatis specie vsque eò palliare & conuestire conatus sit, vt Deo potiùs cum quo agebat, & à quo arguebatur quàm sibi id imputandum asseuerare vix visus sit erubescere.

Vitia Ionæ tria nunc etiam dominari ostenditur. Et primò commodum proprium.

21 Quærendis & inueniendis hoc tempore vbique pluribus IONÆ æmulis, & similium vitiorum potiùs, quàm virtutum ipsius imitatoribus, nil opus esset, vt video, lucernâ Diogenis; eos etiam absque hac non esset difficile inue-

inuenire. Sunt enim non pauci, qui, vt ille, irascuntur super hedera; id est more illius, præferentis priuatũ suum commodum, & hoc qualecumque solatium ex quiete placida sub hederæ vmbra proueniens, Niniuitarum incolumitati ac saluti; tamquam si hæc ad eum non spectet, minimeque eius intersit, quid de ciuitate tam nobili, potente, opulenta, tot referta hominibus fiat: sunt inquam, qui more Ionæ, hac ratiône agentis, non tantùm non commouentur aliorum periculis, salute, interitu & malis quibuscumque, siue hæc corporis sint, siue animi, siue vtriusque simul; sed cuncta etiam in oculis suis perire malunt, atque omnes innumeris incommodis, & nullis non aduersis casibus subiacere potiùs, quàm vt sibi vel tantillum de priuatis suis desideriis gustuque decedat.

Secundò iudicium proprium. 22 Sunt & alij parum admodum diuinorum iudiciorum capaces, & nimium iniqui rerum æstimatores, qui æquè ac Ionas affectibus propriis & humanis rationibus innituntur, sapiẽtes magis quæ carnis sunt, quàm quæ spiritus. Moysi videre cupienti magnam rubi ardentis visionem, dictum est à Domino: *Solue calceamentũ de pedibus tuis*: id est, interprete S. Augustino, inuolucra carnalium cogitationum. (Exodi c.3. v.5.) Ionas quoque non potest, necdum depositis carnis & sensus cogitationibus, quales sunt illæ propriorum commodorum, quas alebat in mente, tam sublime mysterium, reprobationem nempe Iudaici populi & vocationem Gentium penetrare; adeoque nec iustum illud Dei iudicium perspicaciter intueri. Et quomodo nos eiusmodi infirmitatibus longeque grauioribus circumdati, hoc præstare poterimus? Esto igitur certum, debere eum, qui vult nosse, & videre magna Dei mysteria, omnes affectiones proprias, & liberiores cogitationes atque iudicia sibi detrahere, seque Dei vnius & eorum quos Dei loco habere debet iudicio subiicere.

Tertiò excusationes in peccatis. 23 Alij denique & illi similes Ionæ excusant quidquid vnquam deliquerunt, nisi fortè dissimiles quia ampliùs ipso sua excusant: intereà, quantumcumque graue sit quod patrarunt, vel patratum negant, vel nullam in eo culpam agnoscunt, quod culpâ ipsâ deterius est, vel certè longè magis periculosum ac noxium. Etenim crimen patratum, cùm nouâ dicendi agendique velatur libertate, aut tamquam rectè factum defenditur, non tantùm non expurgatur, sed augetur ampliùs, noui peccati, quod hoc modo committitur, accessione; fitque tandem hac licentiâ, seu potius impudentiâ, *supra modum peccans peccatum*, vt loquitur D. Bernardus.

24 Peccauit quispiam, & grauiter quidem; verùm culpam agnoscit, confitetur errorem, deprecatur veniam: *Agnitio culpæ meretur veniam.* Ecce breui salua omnia; quod postulauit, quodque ingenuo suo candore meretur, non difficulter consequitur; remissionem obtinet, quam sibi sic indulgeri petit, veniam impetrat, pristinæ sedi restituitur. Dixit illa apud Ouidium more suo, aliâ quidem mente. (Ouid. in Ep. Phyl. ad Demophoôtem.)

Simplicitas semper digna fauore fuit.

Ego verò id meo sensu sic interpretor: *Simplicitas*, simplex inquam & syncera minimeque fucata culpæ agnitio *semper digna fauore fuit*. apud Deum æquè ac homines semper merita est, & meretur gratiam. *Ionas quod malè fecit vult videri benè factum.*

25 Ionas hîc non tantùm culpam suam non agnoscit, se excusat, sua contra apertam veritatem & rationem euidentissimam tuetur liberè; verùm etiam, quod malè & perperam gessit, tamquam benè laudabiliterque factum, apud supremum arbitrum, quem nullum latet secretum, ne quidem abdita cordium, ita tuendum, & tuendum pertinaciter suscipit, ac si hoc nomine laudem commendationemque amplissimam mereatur. *Benè irascor*, inquit, *vsque ad mortem*. Quod tantundem est ac si ei exprobret, & perfrictâ fronte dicat: Fruticem, cuius recreabar intuitu, odore pascebar, vmbrâ tegebar; fruticem tam amœnum, adeò virentem *Vult etiam Deum malè fecisse tollendo ei hederam.*

& gratum: ita breui natum, auctum, & productum in arborem fruticem perpetuâ aut plurium saltem annorum ætate dignissimum, in præmium laboris mei, in remedium honoris mei, in medicamentum ægritudinis meæ, in refrigerium æstus mei, à te conditum & productum, non debuisti optime & clementissime Deus tam citò destruere. Nunc verò, cùm hoc feceris, nullâ mei, qui tamen legatum tuum ad Niniuitas tam egi constanter, generosè, intrepidè, habitâ ratione; satis apparet quàm inuisa tibi sit vita mea, quamque optes vt peream; quandoquidem hoc fieri in odium mei volueris, vt scilicet diutius victurus, imposterum omni destitutus solatio, non nisi vitam acerbissimam viuerem.

Se benè fecisse irascendo.

26 Quare quòd nunc ego irascar, & quidem vsque ad mortem, id iure meritissimo facio: habeo enim, quæ me ad hoc moueant, causas iustissimas. Neque iniquum votum meum est, ne tantum incommodorum vlteriùs patiar, atque vti incœpi miser esse deinceps pergam, mori velle. Hoc igitur imple, & me illius compotem facito, ac ne diutiùs hominibus omnibus, inprimis verò diuinæ Maiestati tuæ viuam inuisus, interfice me.

Rebus minimis turbantur homines.

27 Mirum profectò, & miserum videre quàm paruis rebus commoueantur & turbentur etiam viri magni! quàm subinde quoque sancti homines, segregati à communi multitudine, totique, vt putabatur, diuinis intenti obsequiis, futilibus & nugatoriis quibusdam capi & absorberi se sinant. IONAS vir tantus, tam Deo carus, obitis tam præclaris pro eo legationibus celebris, non modò recreatur hederâ vnâ; verùm etiam sic ei afficitur, vt propter ademptam sibi illius vmbram, cum Deo contendere, eumque in ius vocare quodammodò audeat. Similibus & minoribus subinde reculis etiam nos, qui sapientes tamen videri volumus, vehementer capimur, totoque in illas affectu ferimur subitò: irascimur quoque & indignamur, si sublatæ à nobis fuerint; more puerorum, qui crepundiis suis oblectati, eripi sibi illa non nisi cum ingenti dolore, lacrymis, clamoribus, contentione patiuntur. Vndę hoc? Quia nondum toti, tametsi hoc profiteri videamur, in Christi scholā transiuimus, nondum eius imitatores facti sumus. Clamat Paulus: *Qui sunt Christi carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis suis.* Dum igitur multa adhuc concupiscimus, multa inordinatè amamus, & appetitionibus nostris pluscululum indulgentes, ab iis turpiter, minùs ad rem nostram vigiles & attenti, superamur, apparet quòd nondum toti Christi simus.

Causa assignatur.

Ad Gal. c. 5. v. 24.

Traditur modus hoc superandi.

28 Quid igitur facto est opus vt tales esse possimus? Appetitiones illæ noxiæ prauæque cupiditates ad viuū resecādæ sunt, & ne iterùm quauis occasione pullulent, radicitus extirpandæ, neque cunctandum dum creuerint denuò, sed superandę ipso in semine. Verè de affectibus Seneca: *Facilius est initia eorum prohibere quàm impetum regere. Nam sicut in præceps dato corpori nullum sui arbitrium est, nec resistere deiectum potest, sed omne consilium irreuocabilis præcipitatio abscidit: ita animus si in iram, amorem, aliosue affectus se proiecerit, non facilè reprimet impetum; rapiet illum ad imum vitiorum procliuis natura. Optimū igitur ipsis repugnare seminibus, cuiuscumque demum malignioris effectus.* Quod ni fiat, ipsa paulatim adolescūt, & crescunt in culmum, & quidquid magno labore & culturâ eximiâ enatum fuerat virtutis suffocant. Agunt deinde cuniculos ad rationis arcem, ibi radices suas figunt, eamque sensim sine sensu velut aliud agētes subruunt & euertunt. *Imbellis,* inquit idem Seneca, *est primò omnis affectus, deinde ipse se concitat, & vires dum procedit parat, excluditur faciliùs quàm expellitur.*

Sen. epist. 85. & 116.

Superandæ affectiones prauæ initio.

29 Faciamus ergo primò ante omnia, quod facillimum est, atque affectiones illas, quæ vel esse noxiæ cum tempore possent, tametsi necdum tales videantur, prouidâ curâ præuertendo

tendo excludamus; ne vbi irrepserint robur acquirant. Certò quippe nouerimus quantò minùs seruire vitiis volumus, tantò minorem vlli illarum indulgendam esse libertatem. Fiet hinc vt facilè stabiliamus suũ quemadmodum oportet rationi sceptrum atque imperium, & mittamus deinceps importunos illos exactores sub iugum, illosque in perpetua contineamus seruitute. Quod qui generosè fecerit verè liber est, alioquin seruus, secundũ illud S. Augustini: *Bonus, etiamsi seruiat, liber est: malus etiamsi regnet, seruus est; nec vnius hominis, sed quod grauius, tot dominorum, quot vitiorum.*

30 In libro Cantici Canticorũ docet & monet sponsus sponsam eiusque socias, quid agendum sit circa illas, de quibus hîc loquimur, affectiones prauas, nomine paruularum vulpium designatas. Iubet inquam cautæ vt sint, non contemnant & negligant; sed laborẽt nauiter & strenuè, nec desistant ab opere donec ceperint, id est de iis victoriam obtinuerint, quoniã non parum noxiæ sunt. *Capite*, inquit, *nobis vulpes paruulas, quæ demoliuntur vineas.* Cant. c. 2. v. 15. Hæc quam tradidi interpretatio, non mea est; sed Hesychij Ierosolymitani, in sermone de temperantia & virtute ad Theodulum qui extat Tomo VII. Bibliothecæ SS. Patrum postremæ editionis Coloniensis, in quo ait: Hesychius ser. de Tẽpe. & virtute Centuria 1. n. 44. *Antequam animus conflictu militari multam comparauerit experientiam, non est tutum sinere vt ingrediantur cogitationes in cor nostrum, idq. potissimùm initio, quando delectatur adhuc anima nostra dæmoniacis suggestionibus, atque gaudet, & sectatur eas. Quin huiusmodi cogitationes sunt potiùs attendendæ, statimq. amputandæ atque repellendæ, vbi obiectæ fuerint. Cùm autem animus in eo admirando opere immoratus exercitatus fuerit, intellexerit, & illæsum belli habitum acquisierit, vt & verè pernoscat eas, & vulpeculas facilè prehendere possit, tum scitè permittat illas introgredi, vt illas ope Christi expugnet, coarguat, & captiuas abducat.*

Secundùm Hesychium igitur vulpes paruulæ sunt cogitationes prauæ, affectiones, suggestiones diaboli, ab ira, odio, inuidia, libidine, gula, impietate, aut alio quocumque vitio tamquam à radice profectæ; quæ cùm primùm nascuntur in animo, neque adhuc vsque ad peccatum succreuerunt, priusquàm cor nostrum ingrediantur penitiùs illudq; subruant & euertant, expugnandæ, capiendæ, & mox in captiuitatem ducendæ sunt; vt priuatæ suâ impunè grassandi libertate nos vltrà nequaquam aggredi valeant; multò minùs cum damno impetere, atque in terram prosternere.

Hoc ipsum monuit aliquãdo D. Hieronymus Eustochium, in illa quam ei inscripsit Epistola, sanè præclara de Custodia Virginitatis, non procul ab initio, dicens: *Docet Hieronymus Eustochiũ.* *Nolo sinas cogitationes crescere. Nihil in te Babylonium, nihil confusionis adolescat. Dum paruus est hostis, interfice: nequitia, ne Zizania crescant, elidatur in semine.*

31 At videamus, quandoquidem vulpes illæ paruulæ omnino capiendæ & interficiendæ sunt, quænam optima sit & expeditissima idipsum præstandi ratio: quis modus vincendi affectiones noxias prauasque cogitationes superandi commodissimus. *Quod fecerũt venatores cum vulpibus, hoc nobis cum malis cogitationibus est agendum.* Id, nisi fallor, docebunt nos vulpium venatores, hi sicuti eas à se deprehensas vel allisione mactant; vel si eas capere atque hoc modo perimere nequeant, igne antrorum foraminibus opposito, aut suffocant, aut erumpere conantes in ignem cogunt: *Allidendæ ad petram Christum.* ita nobis cum affectionibus nostris & cogitationibus prauis, quæ verè astutissimæ sunt vulpeculæ, est agendum. Vt allidat eas ad petram docet Eustochium loco citato Hieronymus: *Audi*, inquit, *Psalmistam dicentem:* Psal. 136. v. 9. *Filia Babylonis misera, beatus qui retribuet tibi retributionem tuam. Beatus qui tenebit & allidet paruulos tuos ad petrã. Quia enim impossibile est in sensum hominis non irruere innatum medullarum calorem, ille laudatur, ille prædicatur beatus, qui vt cœperit cogitare sordida, statim interficit cogitatus, & allidit ad petram: petra autem Christus est.*

32 Eædem etiam affectiones exurendæ *Exurendæ memoriâ inferni.*

dæ ſunt oppoſito illis igne terribili, qui in loco damnatorum ardet, & ardebit ſemper. Quis enim cedat affectionibus prauis locumque det vitiis, vbi meminerit pro tantilla quæ ex illis eſt voluptatula æternum ſibi paratum incendium. Certè ſola huius ignis memoria, facilè apud quemcumque vel maximè etiam ſui immemorem & abiectum in ſcelera omnia, cunctarum ſæculi voluptatum obliuionẽ inducet, tentationes & ex illis enatos infelices quoſlibet partus ſuffocabit, & opprimet, atque vel eminus tantùm propoſitus menteque conceptus hic ignis omnia peccatorũ monſtra conſumet.

Hoſtes qui nos impugnãt debiles ſunt.

33 Adhæc in mentem mihi venit obſeruatio quædã D. Gregorij Nyſſeni ſanè præclara, dicentis non tantùm ſuborientes tentationes, ſed etiam hoſtes noſtros omnium ferè quas patimur tentationum auctores, vocari vulpes paruulas per contemptum, vt ſciamus quàm viles, quàm debiles, quàm ſint virtutis exiguæ. Si capiendum à nobis aprum ex ſylua prodeuntem & vineam depaſcentem, ſi rugientem ibi leonem, ſi ſæuientem tigrim, ſi feram ſingularem ibi exercentem dominatum ſuum ſponſus dixiſſet; eſſet quod timeret ſponſa & ſociæ, quod timeremus etiam nos, multum illis hoſtibus roboris ineſſe arbitrati: nunc cùm vocantur vulpes paruulæ, licet quia vulpes doloſæ ſint, tamen quia paruulæ magnas vires habere non poſſunt. Tales ſunt omnes ſpiritus nequitiæ; rectores & principes tenebrarũ harum, nobiſcum collati verè imbelles, quoniam ſi vti potentiâ noſtrâ velimus, longè ſumus illis viribus potiores. Itaque cùm nos proſternunt & vincunt, non ſuâ virtute, ſed noſtrâ nos vincunt ignauiâ. *Alligatus eſt*, inquit S. Auguſtinus, *diabolus tamquam innexus canis catenis, & neminem poteſt mordere, niſi eum qui ſe illi mortiferâ ſecuritate coniunxerit. Quàm ſtultus eſt, quem canis in catena poſitus mordet, tu te illi per voluntates & cupiditates noli coniungere, & ille ad te non præſumit accedere, latrare poteſt, ſollicitare poteſt, mordere non poteſt niſi volentem: non enim cogendo, ſed ſuadendo nocet nec extorquet à nobis conſenſum, ſed petit.*

Diaboli impotentia ab Auguſtino deſcripta. Aug. ſer. 197. de Tempore.

Conari ſeipſum & paſſiones ſuas initio vincere, magna ſapientia eſt.

34 Ex quibus apparet quàm faciant ſapienter, qui quàm primùm fortiter & conſtanter prauis cupiditatibus enaſcentibus, & bellum nobis indicentibus obluctantur; neque ab vllis appetitionibus, aut animi hoſtibus eas concitantibus atq; inflammantibus, vinci ſe ſinunt: ſed tam diu generosè pugnant, donec victores euaſerint, & quidem illo victoriæ genere, quod maximum eſt & nobiliſſimum; quippe quo omnibus fortiores effecti, ſuper omnes & omnia imperium exercent, etiam ſuper ſe ipſos. Benè monuit Ethnicus Vates

Ouid. in epiſt. 3. Briſeis Achilli.

Vince animos (& quod ad propoſitum noſtrum de IONA, hic vel maximè facit) *iramq́, tuam, qui cetera vincis.*

Sunt qui Ionam magis ex mœrore, quàm ex ira ſic locutum aiunt.

35 Certè iram viciſſe magnũ omninò victoriæ genus eſt: ſi viciſſet hanc IONAS, fuiſſet aliquantò ſapientiùs locutus, neque ſtatim prorupiſſet in has voces: *Benè iraſcor ego vſque ad mortem.* Verùm tam improuidũ, & imprudens reſponſum ex quorumdam ſententia dandum potiùs videtur afflictionibus eius, & dolori quã iræ. Significat enim ipſe his verbis ſecundùm Ariam Montanum, ſe commotum non tam vitæ cupiditate, aut mortis odio, quàm miſeriæ longitudine, ferre adeò iniquo animo deſiderium plantæ illius; quâ non mortem, quam expetebat, ſed moleſtiæ diuturnitatem ipsâ morte grauiorem, vitare ſe poſſe ſperauerat. Interim ſiue hoc ipſius dictum iræ, ſiue mœrori imputemus, nullo ex capite rectè dixit, quod dixit.

Quid Ionas doceatur arefactione hederæ, quid nos.

Ribera in c. 4. Ionæ.

36 Ex ſententia Franciſci Riberæ, arefactione hederæ & moleſtiâ quam exinde IONAS ſubiit, Deus ad oculum illi oſtendit, neque adeò pro re tantilla dolendum, neque ita propriis fidendum atque inhærendum conſiliis, vt nihil dandum ſit alienis.

Subiungit idem Ribera, quod eſt etiam à pluribus obſeruatum, Deum ita nunc quoque cum carioribus ſuis agere ſolitum; vt eos, quoniã vel maximè emen-

emendatos & reductos in viam virtutis cupit, aduersitatibus & persecutionibus probet atque instituat; quas si grauiùs ferre quemquam illorum viderit eũdem interroget vti hic IONAM: *Putásne benè irasceris tu?* vt sic de errore suo monitus, discat nolle sensu proprio duci, sed magis illius, cui omnia debet accepta, cuius beneficio viuit & viuet, sanctissimis legibus gubernari, ab illius nutu voluntateque pendere.

Multi suā culpam primò non agnoscunt, & deinde vt Ionas redarguti silent.

Quia tamen non omnes statim ad illam disciplinam formantur, neque illud perfectionis verbum ita capiunt, inuenire nonnullos subinde est, qui æquè ac IONAS culpam suam nequaquam agnoscunt; sed magis aut æquè saltem proteruè, dicunt ac ille: *Benè irascor ego vsque ad mortem,* qui eadem etiam facilitate, deinde conuicti erroris sui, obmutescunt, neque habent vltrà quod addant. Ego quoque modò quod addam non habeo: itaque hoc illorum silentio meum etiam iungam, proximè enuntiaturus extremas Domini voces ad IONAM, quibus ipse docetur misericordiã; vt iisdem hanc nos quoque doceamur, atque imposterum semper de proximorum bono & salute, non secùs ac de nostra, lætemur.

LECTIO VNDECIMA.

ET DIXIT DOMINVS: TV DOLES SVPER HEDERAM, IN QVA NON LABORASTI, NEQVE FECISTI VT CRESCERET. QVÆ SVB VNA NOCTE NATA EST, ET SVB VNA NOCTE PERIIT. *Vers.* 10.

ET EGO NON PARCAM NINIVE CIVITATI MAGNÆ, IN QVA SVNT PLVS QVAM CENTVM VIGINTI MILLIA HOMINVM, QVI NESCIVNT QVID SIT INTER DEXTERAM ET SINISTRAM SVAM, ET IVMENTA MVLTA. *Vers.* 11.

A R G V M E N T V M.

Dei cum IONA *colloquium exponitur. Quàm solidè hic ab illo conuincatur malè agere ostenditur. Causæ seruatæ Niniues explicantur; in iisdem mira Dei declaratur & laudatur clementia: In Iona non satis sapienter agente nostra ostenditur & damnatur amentia. Denique felix huius historiæ exitus laudato Ionâ, seruatis Niniuitis, auctaque sic mirum in modum Dei gloria, memoratur.*

1 *D. Basil. Seleu. Orat. 12.*



IONAM, secundùm verba D. Basilij Seleuciæ Episcopi, *mœrore percussum aduertens Deus; vt de benignitate diuina iudicet iterùm hortatur.* Secundùm Albertum Magnum, is qui dixerat per Isaiam domui Iacob: *Ego Dominus Deus tuus, docens te vtilia*: instruit Prophetam nostrum & docet, atque vt faciat idipsum exactiùs, & ad captum illius nostrumque omnium accommodatiùs, parabolâ vtitur: TV DOLES, inquit, LXX. *pepercisti*, Paraphrastes Chaldæus *misertus es*, SVPER HEDERAM, quam nolebas perire; sed omninò saluam esse cupiebas. Hoc autem cupiebas, *Tu*, qui Propheta, *Tu*, qui in lege mea enutritus & eruditus, *Tu*, qui missus à me ad prædicandum Gentibus: *Tu*, quem ego à maris, atque à ceti periculis, quem à morte ipsa liberaui. *Tu*, cui animulæ vnius pereuntis redemptio carior esse debebat rebus omnibus à me vmquam ad tuum alio-

Isa. c. 48. v. 17.

Dei Ionam alloquentis sermo exponitur.

aliorumque hominum obsequiũ condiris. Quia verò cupiebas, & pro voluntate tua factum non est, iam *Tu doles super hederam*, plantam adeò vilem & ignobilem, quæ præterquã quòd creatura mea sit, nihil in se habet à quo magnoperè commendetur; & tametsi habeat, à te certè non habet: nosti enim quàm parum pro illa egeris, scis quòd illius te culturę nequaquam impenderis. Planta est IN QVA NON LABORASTI, neque terram arando, in qua creuit, neque plantam ipsam serendo, plantandoue; aut etiam plantatam irrigando: sed NEQVE FECISTI VT CRESCERET: feci id ego, qui solus rebus omnibus *incrementum do*. Quid ergo adeò doles de ipsa deperdita? cur hanc tantoperè saluam cupis? Si non planta, aut frutex; sed procera quædam atque eminens arbor, si à te plantata, si pluribus annis, mẽsibus, aut saltem diebus, magno studio atque labore exculta, si non ad vmbram tantùm faciendam; sed ad cibum palato tuo sapidũ & gratum, aut ad parandam graui alicui tuæ infirmitati medicinam valuisset, esset maior aliqua doloris ratio, & tolerabilior luctus tuus; nunc, cùm nihil in illa operæ, nihil laboris, nihil in excolenda eadem à te sit impensum industriæ, commodi etiam inde non multum acceperis, quid est quod te crucias?

1.Cor. c. 3. v. 7.

2 Obiicit illi Deus, vti audistis, quòd non laborarit in hedera, an fortè qui hoc illi vt argumentum futilis nimium doloris sui proponit Dominus, ampliùs laborauit in Niniue? Minimè gẽtium, multò etiam minùs. Sine labore Deus omnia disponit, omnia ordinat, creat, producit, ad perfectionem deducit, atque conseruat. Quid igitur ait: *Tu doles super hederam, in qua non laborasti:* quasi ipse in Niniue laborarit? Ad captum IONÆ quocum agit, ac nostrûm omnium loquitur; alioquin constat abundè, Deum, qui nec corpus habet, nec mẽbra, vtpote purus spiritus, non esse laboris capacem, & cuncta quæ fecit à principio atque à diebus æternitatis vsque modò, & facturus est vmquam, sine fatigatione ac molestia facere ac fecisse. Itaque hic aliud illi non dicit, quàm: Tu, mi IONA, affligeris, ob rei quam non fecisti interitum, quòd si plantulam, cuius te amissio conturbat, ipse tuis manibus terrę mandasses, cooperuisses glebâ, stercorasses, tuâ fouisses industriâ, aquâ rigasses quotidie sæpiùs, & hoc mensibus ac annis; si eiusdem surculos multo labore, sudore, atque aliquibus etiam impendiis, tuo tuguriolo alligasses, iustior esset dolor tuus, & si eo casu vehementior, etiam aliquantò esset tolerabilior: nunc censes quidem illum prorsus iustum, & de me interim non cogitas, cui causæ & plures, & grauiores, & iustiores doloris suppetunt, cum tuis nequaquã conferendæ. Ego tot habeo in ciuitate Niniue, quam prorsus perditã cupis, homines, quos ad imaginẽ & similitudinem meam creaui, quos vt seruiant gloriæ meæ cõdidi; illos tu vt penitus deleam summo studio à me contendere velle videris; & quia iniquo tuo desiderio, non acquiesco indignaris & doles. Vide quàm rectè, iurene an iniuria id facias ipse considera.

Deus in rebus creãdis & conseruandis non laborat.

Ionæ iniustitia doloris sui ostenditur.

3 Pergens in sua ratiocinatione monitoria, & amico cum IONA colloquio Dominus; quid factũ de hedera breuiter illi, quo meliùs erudiatur, exponit: SVB VNA, inquit, NOCTE NATA EST, ET SVB VNA NOCTE PERIIT: Ac si dicat cùm fuerit vitę tam breuis, quid ob hanc te adeò crucias. Nõ aliter tibi euenisse cum ea vides quàm cum hominibus amãtibus fungos nocte natos vnica, quos deinde nox altera corrũpit & destruit, atque optatas illis delicias tollit. Putes hederam hanc fuisse ramum virentem, quem dissectum ab arbore in oblectationem aliquam & leuamen mœroris tui, voluerim ante fores tuas constitui: non habuisset ille virorem perpetuum, eundem nec hederam hanc habere volui. Temporaneum vt esset negotium hederæ, sicuti etiam tugurioli tui mens mea fuit; cui tuum est acquiescere.

4 Hebraicè est בִּן לַיְלָה *Ben laila*, id est, *filia noctis:* eò quòd vnâ nocte nata siue producta sit, non tamen eadem mortua

Hederam vna nocte natam, die vno vixisse ostenditur.

mortua: tum enim amicâ illius vmbrâ frui IONAS non potuisset, quæ tantùm solis seruit ardoribus propulsandis. Clarè habet Chaldæus *quæ in hac nocte fuit, sed nocte alterâ periit*. Creuit igitur hedera nocte, die proximâ IONAM protexit, recreauit, æstuantem refecit; nocte insequente, aut certè peractâ, sub auroram solis defecit, atque à verme arrosa tota exaruit, & iterùm IONAM, luctantem cum diurnis caloribus, æstuque solis vehementi, prorsus destituit, eumque incommodi illius impatientem, vehementer afflixit. Bidui igitur spatio acta & peracta hæc omnia.

Error hominum nõ considerãtium, breuitatem gaudiorum sæculi.

5 IONAS, in quo hic etiam errasse mihi videtur, rem vidit, & incommodum sensit, sed mysterium non satis intellexit; & quod ex hedera hac discere debuisset, non didicit; breuitatem scilicet simul & vanitatem gaudiorũ commodorumque sæculi huius. Est hic error maximus sanè, & tamen plerisque mortalibus communis, qui non satis intelligunt, aut si intelligãt, nequaquam perpendunt, vt debent, quantum sit vanitatũ in voluptatibus, honoribus, diuitiis, quibus hîc fruimur; quàm breuia sint & leuia, quæ in iis sunt, gaudia; hæc quomodo subitò velut nocte vnâ obueniant, & vbi vix diurna fuerint, nocte alterâ, vel etiam ante noctem, à verme nescio quo corrosa & detrita euanescant, prorsus sicut somnia dormientium.

Relinquẽda diuitiæ, voluptates, honores, antequam nos relinquant.

6 Putant nonnulli securos se in deliciis suis, diuitiis, honoribus, gloria; sed eheu, miseri seipsos seducunt. O quantum absunt illi à vera securitate! iacent, iacent nescij sub vmbra hederæ, mox ab ea destituendi cùm aduentu vermis hederam erodentis, tum verò vnà cum reculis in quibus magnam habebant fiduciam repositam, spes etiam suas, & quam sibi imaginabantur perennaturam felicitatem, amittunt. Quid igitur agendum? Dixit nobilis ille Poëta.

Horat. l. 1. Epist. Epist. 2.

Sperne voluptates, nocet empta dolore voluptas.

Adiungo: sperne similiter diuitias, honores, & gloriam, si velis sub tuguriolo tuo in pace, quiete, animique securitate viuere, ad quam illa non prosunt.

Horat. l. 2. Ode 16.

Non enim gazæ, neque consularis
Submouet lictor, miseros tumultus
Mentis, & curas laqueata circum
Tecta volantes.
Viuitur paruo benè, cui paternum
Splendet in mensa tenui salinum,
Nec leues somnos timor, aut cupido
Sordidus aufert.

Horat. l. 3. Car. Ode 16.

Quanto quisque sibi plura negauerit.
A Dîs plura feret.

O quàm benè, etiam hoc ait idem Poëta, si pro dîs Deum posuisset: Deus enim est, qui quò quis sibi ipsi plura negat, ei etiam plura largitur, & si fortasse non ita modò, certè posteà. Et quid ni neget, si sapiat, quisque sibi plurima, & omnibus quantum fieri potest commoditatibus interdicat sibi; quando, tametsi secùs faciat, & præter ea quæ habet, plura etiam appetat, non idcircò ipsa consequitur; & demus consequi, diu illa possidere non potest: accepta enim & possessa sicut vmbra prætereunt.

Indicato Ionæ quid sit hedera, quid Niniue, illi iudicium de vtroque, & quidnam sit potius permittitur.

7 Deus primò IONAM docuerat, quemadmodum audistis, quid fuerit illa, quâ ipse est fruitus, hedera, cuiusnam conditionis & naturæ, ad quid vtilis, vel potiùs quàm parum vtilis. Docet deinde, quid Niniue, qualis quantaue ciuitas, quàm plena populo, quodnã multitudinis maximæ quæ ibi erat ingenium, qui mores: vtraque verò inter se confert, & collatione factâ, illi diiudicandum relinquit, quidnam sit potius, Niniuen seruari an hederam: vt tantò meliùs cognoscat absurdissimum errorem suum, quo saluam vult hederam, & perire Niniuen, eundemque damnet, quod fecisse eum probat muta vox atque silentium, quando conuictus argumento tam euidenti & ratiocinatio-

ne tam solida ne verbulum quidem opposuit, nec quod opponeret habuit.

Nimia proprij commodi cura dãnatur. 8 Notanda hîc inprimis videtur, & magnoperè improbanda nimia proprij commodi cura, quam de se rebusque suis IONAS habuit. Cur putatis dolebat esse arefactam hederam? num quia ipsa perierat? Minimè. Cur igitur? Quia cùm æstuantem eum anteà protexisset; nuncin feruore caloris deserebat. Quare verbis illis ei à Domino dictis: *Tu doles super hederam, in qua non laborasti*, videtur & mea, & Ioannis Antonij Velazquij sententiâ inesse aculeus aliquis, ac si dixerit: Non tu de hederæ malo, nec quòd illam feceris aut auxeris, siue erga eandem amicè te gesseris; sed de tuo tantùm incommodo doles: quippe, qui tua tantùm respicis & amas, aliena non curas: aliter ego, qui cùm nullum de Niniue interitu percipiam detrimentum, non possum tamen de illius excidio non dolere, atque illius non saluti prospicere. Lex enim veri amoris est amare nullâ indigentiâ, nullâ vtilitate quæsitâ, cùm non sit vectigalis amicitia: amo autem omnes Niniuitas ęquè ac Iudęos, vt communis omnium parens: *Omnes homines volens saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.*

Velazquez tom. 2. in Epist. ad Phil. ad c. 2. v. 30. in fine.

1. ad Tim. c. 2. v. 4.

Deus appositè Ionam docet pro sua constitutione. 9 Obseruat Chatardus admirabilem hîc Dei prudentiam in reprehendendo IONA, qui videns inanem ac ridiculum illius dolorem & iram, leui quoque ac ridiculâ quadam similitudine, hæc in illo ridens ac damnans cortexit, illique sic omnem sermonem præripuit. Accommodat autem huic rei illud Pauli: *Quod infirmum est Dei, fortius est hominibus.* Et: *Quæ stulta sunt mundi elegit Deus, vt confundat sapientes: &. infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia*; ostendens sic eum homines ipsos quandoque per belluas, atque etiam per bestiolas docuisse, vt apud Iobum: *Interroga iumenta, & docebunt te.* Et apud Sapientem: *Vade ad formicam ô piger, & considera vias eius, & disce sapientiã.* Quo pacto dixit etiam Christus in Euangelio: *Estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ.* Quoniam verò turpe est hominem à bestiis edoceri, Deus, si quando illi vehementer succensere vult, & exprobrare ingratum animum, id etiam exemplo bestiarum facit, vt eum ampliùs pudore suffundat. Apud Isaiam: *Bos*, inquit, *cognouit possessorem suum, & asinus præsepè Domini sui; Israel autem me non cognouit, & populus meus non intellexit.* Neque per animalia tantùm rationis expertia, verùm etiam per res inanimas eos subinde docet & monet. Sic Christus à rerum corpori necessariarum sollicitudine nimia auocare suos cupiens, *Considerate*, inquit, *lilia agri, quomodo crescunt: non laborant neque nent.* Et alibi: *Ab arbore fici discite parabolam.*

1. Cor. c. 1. v. 25. & 27.

Iob 12. v. 7

Prou. c. 6. v. 6.

Deus homines sæpè docet per bestias & res inanimas.

Mat. c. 10. v. 16.

Isa. c. 1. v. 3.

Matt. c. 6. v. 28.

Mat. c. 24. v. 32.

Quomodo, & quid per hæc Ionas doceatur. 10 Sic videmus hoc loco Deũ exemplo cùm rei inanimæ, tum bestiolæ alicuius, vermis nempe & hederę, IONAM de sua perturbatione & errore insigniter commonere in hunc sensum: Numquid eum habendum ludibrio & insimulandum temeritatis censes, qui propter hederam, corrosam à verme & arefactam, vnâ nocte natam, & alterâ pereuntem, adeò indignatur, vt eum vitæ suæ tædeat? Talem te considera, teque pertinaciter tuis sensibus inhærentem hîc argui puta ab hedera; & commoneri mysterij illius, quod non capis, non intelligis, nisi ego tibi per hæc obuia aperuero. Iudaica gens, quæ tantum tibi dolorem videtur adferre, huic hederæ similis est: nam infidelitatis vermẽ peperit & nutriuit, à quo deinde corrosa emarcuit. Hoc autem, quod hîc à Deo IONAS docetur, clarè apparuit, quando vnâ nocte, id est sub veteri lege, quæ nox erat, & vmbra futurorum, nata; alterâ etiam nocte interiit; id est quemadmodum noctua Euangelij lucem refugiens, densam infidelitatis caliginem sensit; adeò vt oculis quidem aspiceret, sed nihil splendoris Euangelij videret.

11 Dei

PP. Dei cũ Iona colloquium explanant Theodoret. Theod. in c. 4. Ionæ.

11 Dei admonitionem ad IONAM, paucis verbis ab ipsomet Propheta hic recensitam SS. Patres copiosiùs declarant, & quidem Theodoretus non admodum prolixè, sed benè & clarè in hunc modum: *Te vtar iudice, considera an æquum sit te ex cucurbita dolere, quam non coluisti, neque plantasti, neque irrigasti; sed sub auroram nata, die sequenti à verme & sole consumpta est. Atque etiam vide, an non æquum sit me tantæ vrbi ignoscere, quæ à me creata est, in qua habitant plusquam duodecim myriades virorum, qui ignorant dextram & sinistram suam, & pecora multa.*

D. Basilius Seleuciæ. D. Basil. Ora. 12.

12 Paullò prolixiùs, & multò ornatiùs D. Basilius Seleuciæ Episcopus, qui Dominum sic Prophetam suum alloquentem inducit: *Si vehementer ob colochyntam animo deiiceris, si vastata colochynta indoles ô Propheta! si te planta quòd vltrà viuere nequeat contristat, quomodo tandem ex hominum exitio me affectum iri putas? Flosculi misereris, ego ciuitati non parcam? Tu quidem solum non excolueras, non seueras: hi verò meæ culturæ plantæ sunt, meæ fructus dexteræ. Tu quidem peccantes signas oculis: ego verò meorum quibus vt peccarent opportunitas defuit supra duodecim myriades video. Colochyntæ fructus te miseret; ego naturæ racemis, quæ exsiccabantur veniam non habebo? Esto alios damnes, quid habes quòd recens natos incuses? Quam tibi accusationis materiam dederunt pecora, & peccatores facti pœnitentes?* Hæc ille.

S. Ephrem Syrus. S. Ephrem ser. in Ionam ope. tom. 3.

13 Clarissimè nec minùs ornatè ac copiosè perstringit IONAM verbis Domini, atque ceteris acriùs increpat B. Ephremus, dicens: *Debes in vili ac miseranda cucurbita quasi per experientiam discere, quanta sit vis diuinæ clementiæ, tu parcis cucurbitæ, & ego ciuitati. Tugurium tuum sit speculum ciuitatis: tugurium abiectum quæris, & vrbem funditus euertis. Vbi rectum iudicium tuum ô Iona? Cur cucurbitam ciuitate potiorem ducis? Super vili cucurbita commiserationis affectum ostendis, & in ciuitatem durissimum ac seuerissimum te exhibes? Itáne in oculis tuis magnificata est cucurbita in cibum concessa edentibus? Eam sìccine rem corruptibilem resipiscentibus Niniuitis prætulisti, & folia maioris æstimas homine ratione prædito?* Hactenus Patres.

Explicatur fusiùs idem Dei cum Iona colloquium ex mente auctoris.

14 Sinite quæso nunc, vt & ego Patribus illis calculum meum adiiciam, atque verba Domini ad IONAM pensiculatiùs aliquantum pro modulo meo expendã. In primis emphasim habent illa pronomina TV & EGO, quemadmodum habuerunt vsurpata à Ioanne Baptista, & dicta Christo Domino, venienti vt baptizaretur ab eo, in hunc modum: *Ego à te debeo baptizari, &* TV *venis ad me.* Et alterum eorum vsurpatum à Petro dicente: TV *mihi lauas pedes.* Emphasim similiter habent duo hæc: HEDERA & NINIVE, quæ sibi mutuo opposita à Domino hoc loco vsurpari videntur ad IONAM non ineruditum in multis discipulum suum, ex rerum euentis ampliùs erudiendum. Ait igitur: TV qui homo es, non tui iuris sed mei, seruus non dominus; velles pepercissem HEDERÆ propter te; quia te oblectabat, tibi præstabat obsequium: EGO qui Deus & Dominus sum, nullique subditus impero omnibus, habeo quæ me moueant, vt parcam NINIVE; sunt enim in ea quæ me oblectant, sunt multa quæ gloriæ meæ seruiunt. Quid igitur tibi in mentem venit, vt parcendum putes HEDERÆ propter TE, & non parcendum NINIVE propter ME? TV aliquem TIBI fructum sed perbreuem & exiguum sperabas ex HEDERA: EGO MIHI EX NINIVE amplissimum & perpetuò duraturum.

Opponuntur, Hedera & Niniue.

15 HEDERA, absque vllius labore nata est, incrementum accepit, eoque quo subsistit stipite, ramis, & frondibus aucta est: NINIVE, non nisi multorum manibus, operâ, labore, atque industriâ, ad tantum peruenit fastigium.

HEDERA, vnius noctis spatio surrexit, &

& creuit in eum quem vidisti fruticem: NINIVE, illam quam vidisti potentiam atque amplitudinem, non nisi pluribus consecuta est sæculis.

HEDERA, vni tibi vmbram fecit, te solum refecit, tibi soli in solatium & obsequium seruiit: NINIVE, multis hominum millibus vsui fuit, illis locum & domum suppeditauit, illis ad plurima seruiit, & quod præcipuum est, mihi quoque ad gloriam, ad eamque nunc iterum seruiet.

HEDERA, semper sterilis, nullis fœcunda fructibus, nihil tibi quo viueres, nihil quo stares subministrauit: NINIVE, præter adultos, semper fœcunda parens, alit solorum infantium qui admodum vtiles partus & fructus sunt, millia centum viginti.

HEDERA, periit quidem, sed sine vllo rei alterius detrimento: NINIVE, si periisset, non nisi cum multarum ruina vrbium, adeoque nobilissimi Assyriorum Imperij interitu, periisset.

Cur Deus se cũ Iona, Niniuen cum hedera compararit.

16 Comparat ergo se Deus cũ IONA, NINIVEN cum HEDERA: vt quando omnia, quæ ad IONÆ dolorem extenuandum faciunt, enarrauerit, subiiciens quæ suum meritò augeant, ipse qui sic instruendus erat intelligat, quantò iustior sua in NINIVITAS, quàm ipsius in HEDERAM sit misericordia; quamq; se magis dolere super pereunte NINIVE, quàm ipsum super HEDERA pereunte conueniat: sicque inducatur ad diuinæ consentiendum in acceptanda Niniuitarum pœnitentia misericordiæ. Induci autem si vllo hoc certè argumento debuit: nemo enim ignorare potest, nisi prorsus desipiat, quantò potior sit etiam millenis millibus hederarum, quarum tamen vni tam ridiculè & insipienter, postpositis tot hominum millibus, IONAS afficitur, iam non dico homo vnus, sed vel iumentum vnum, motu sensuque præditum; quia hederæ licet aliqua qualicumque vita viuant, nullius tamen habent sensus officium.

17 Verùm relictis ratiocinationibus nostris, sensuq; de hac re SS. Patrum, ipsa Domini verba expendamus, suppeditabunt ea nobis, tantæ ipsius clementiæ atque in Niniuitas benignitatis, quam meritò admiremur, causas complures, easque grauissimas. ET EGO, inquit, NON PARCAM NINIVE, CIVITATI MAGNÆ. En prima: loci nimirũ amplitudo. Pergit: IN QVA SVNT PLVS QVAM CENTVM VIGINTI MILLIA HOMINVM, QVI NESCIVNT QVID SIT INTER DEXTRAM ET SINISTRAM SVAM. En altera: numerus tantus hominum innocentium, qui ciuitatis interitum & mortem non commeruerunt. Subiungit: ET IVMENTA MVLTA. En tertia: multiplex diuersorum animantium genus, vti prorsus innocuum, ita ad hominum vsum apprimè vtile ac necessarium. Causas has diuinæ benignitatis vbi accuratiùs expendit S. Cyrillus Alexandrinus, exclamat: *O incomparabilem incomprehensamq́ clementiam! quæ nobis oratio ad laudãdum sufficiet? aut quod os aperientes misericordi & bono Deo cantica gratiarum persoluemus? longè enim fecit à nobis iniquitates nostras. Cerne quæso quomodo Ionam alieno tempore, & sine causa in mærore versari demonstret, cùm oporteret, pro eo ac sanctum decebat, factum Domini plausu approbare, & faustâ acclamatione prosequi.*

Causa tres data à Deo cur pepercerit Niniue.

S. Cyrill. Alexand. in c. 4. Ionæ.

18 Causas à Domino datas illius suæ in Niniuitas clementiæ nunc iterùm repeto, & discutio singulas.

Prima causa seruata Niniue, magnitudo ciuitatis.

De prima, quæ complectitur amplitudinem & magnitudinem ciuitatis, nil opus est dicere: quoniam quæ eò spectant, partim primo, partim tertio capite abundè retulimus. Ex quibus satis constare potest quanta illa fuerit, adeoque quàm suâ mereatur magnitudine, neque tam citò, neque tam facilè subrui & euerti: cùm magni alicuius & splendidi operis, cui erigendo multum sit temporis, operæ, & laboris impensum, antequam destruatur, longè maximam haberi oporteat rationem. Etenim meminisse oportet id facilè satis iam erectum destrui posse, sed non ita facilè destructum denuò erigi atque assurgere.

19 Se-

Secunda causa. Multitudo innocentium.

19 Secunda causa, eaque potior: quòd sint in Niniue, quam IONAS destructam volebat, *Plus quàm centum viginti millia hominum, qui nesciunt quid sit inter dexteram & sinistram.* Clariùs Paraphrastes Chaldæus: *Qui nesciunt inter dexteram & sinistram decernere.* Pro eo quod nos *centum viginti millia*, habent Hebræa, *duodecies dena millia*, quod idem est. Et Tigurini, vti legit etiam Theodoretus, *duodecim myriades.* atque hoc etiam, myriade pro decem millibus sumptâ, in idem recidit. Sic verò sumendum: nam si myrias hîc millionem significet, qui ponunt duodecim myriades, longè recedunt à veritate; neque enim credibile est, Niniuen tam fuisse copiosam, vt habuerit infantium milliones duodecim, id est centies & vicies centena millia.

Varia sententia, Quinam intelligantur per eos, qui nesciũt quid sit inter sinistram, & dextram.

20 Quinam intelligendi per eos, de quibus hîc dicitur: *Qui nesciunt quid sit inter dexteram & sinistram*, non videtur magnoperè dubitandum. Plerique & veteres, & neoterici putant mentionem fieri paruulorum. Ita S. Hieronymus, Haymo, Remigius, Theodoretus, Theophylactus, & disertè S. Cyrillus Alexandrinus, *eos*, inquit, *quibus tempus ætatis nondum dedit vt sciant, quæ dextera, quæ sinistra sit. Paruuli* verè, vt ait Rupertus, *nesciunt quæ manus, vtrùm dextera, an sinistra, valentior, & vsui cuilibet aptior sit; quia nondum sunt experti: æqualiter enim adhuc pro tẽpore, quia nuper de vulua prodierunt, vtrumque brachiolum, vtraque manus omninò imbecillis est.* Consentiunt in hanc Interpretationem S. Albertus Magnus, Franciscus Ribera, Emanuel Sà, Cornelius à Lapide, Tirinus, & alij.

21 Ioannes Mariana dissentit: comprehendi enim velle videtur eorum numero simplices omnes; id est eos, in quibus fraus nulla, aut dolus; aut certè horum nulla capacitas. Quare exponens verba illa *Viginti millia hominum.* Per homines, inquit, etiam mulieres intellige. Estius cum Mariana consentiens numero illo centũ viginti, censeri eos putat omnes, qui siue infantes essent, siue ætate prouectiores, immunes à culpa. Isidorus Clarus eos, qui vitiis necdum assueuerunt. Rupertus eos, qui nesciunt inter Dei veritatem & hominum mendacium decernere. Quã Ruperti interpretationem non satis probat Martinus del Rio. Verùm nescio an obseruauerit non fuisse eam à Ruperto positam vt litteralem; cùm quoad sensum litteræ planè cum aliis sentiat.

Del Rio tom. 2. Adagiorũ.

Verior sententia intelligẽdos solos paruulos.

22 De paruulis, & solis quidem, intelligendum esse locum illum longè verius est. Nam multos fuisse ætate prouectiores, verè innocentes ac sine crimine, in ciuitate adeò corrupta, nobis quis audeat polliceri? audebit quilibet tales fuisse infantes; quos ob simplicitatem & innocentiam, atque defectum vsus rationis, quid inter dexteram & sinistram, quid inter bonum & malum intersit, decernere non potuisse, adeóque nec peccare, certissimum est.

In Niniue maxima fuit populi frequẽtia.

Admirabilis, & planè stupenda fuerit in hac ciuitate frequentia populi: neque enim esse dubium potest, quin censa fuerint multa centena capitum millia, quando ibi numerabantur solorum infantium duodecim myriades, siue vt Scriptura sacra loquitur, centum viginti millia, ex quo numero facilis esse potest de reliqua multitudine coniectura. *Ille enim*, vt ait Haymo numerus *innocentem & simplicem paruulorum & lactentium monstrat ætatem, vt hinc colligatur quantus fuerit numerus maioris ætatis, si tantus fuerit paruulorum.*

Haymo in c. 4. Ionæ.

Quæritur cur, cùm Deus parcere voluerit Niniue propter paruulos, eò Ionam miserit nuntiatum interitum.

23 Quærit Paulus Palatius, cur, si propter paruulos perire Niniuen noluerit Deus, illuc tam sollicitè IONAM destinauerit, iusseritque eum clamare ac dicere: *Adhuc quadraginta dies & Niniue subuertetur*, cùm satis ei fuerit perspectum quanta esset sicuti alibi, ita etiam in illa ciuitate multitudo paruulorum, decretum etiam illi fuerit horum intuitu omnibus parcere; neque, vel idcircò de subuersione ciuitatis cogitare. Propositæ à se quæstioni respondet: Deum vitæ

Respondet Palatius.

ac necis Dominum, tametsi largiri vitam omnibus possit ac tollere, neque cuiquam facturus sit iniuriam, si sustulerit; appendere tamen, habitâ quàm maximè æquitatis ac iustitiæ ratione, in altera lance innocentes ac simplices, peccatores in altera; & videre, num horum iniquitas illorum præponderet innocentiæ; vt librata lance, consideratâque proborum innocentiâ, & improborum nequitiâ, vbi apparuerit cuius partes sint potiores, num scilicet nequitia innocentiam opprimat, an verò contra eandem præualeat innocentia, quod iustum fuerit exequatur.

Auctor respondet. 24 Ego verò, qui tamen nihil Palatij sententiæ detractum cupio, aliam non existimo fuisse rationem, cur adhibitus IONAS legatus à Deo, ad denuntiandum genti peccatrici infelicitatem, & damna grauissima, quæ tametsi metueret non erat subitura; quàm vt eum ad opus tam eximium, quale erat conseruatio ciuitatis tam nobilis & in hac multitudinis tantæ, socium adscisceret; vel, vt meliùs dicam, ad laborandum in vinea tam syluestri ac deserta operarium aduocaret. Prorsus sicuti modò, tametsi seruare, ducere ad hæreditatem regni cælestis, donare per se immortali gloriâ omnes possit; neque vllius in hoc, quemadmodum nec in aliis, ope subsidioque indigeat; vtitur oratoribus, vtitur conscientiarum arbitris, aliis quoque quos præesse, quos seruire curandis animi ægritudinibus voluit, tamquam instrumentis: atque ita multorum medetur languoribus, eradicat vitia, virtutes inserit, facitque ex rebellibus tributarios sibi atque obsequentes.

Cur hic non fiat mentio populi pœnitentis quæritur. 25 Est & altera quæstio, digna accuratiori examine: cur nimirum, cùm hîc fit mentio innocentium paruulorum, tamquam eorum qui ad conseruationem Niniue plurimum illâ suâ innocentiâ contulerunt; mentio etiam non fiat adultorum; ciuium inquam dictæ ciuitatis siue virorum siue mulierum, lugentium ac pœnitentium, quorum preces & comploratio, saccus & cinis, rem eandem non parum quoque promouerunt: quando præsertim, sicuti in hac historia legimus, verbis ipsius Prophetæ enarratum, *Vidit Deus*, oculo nimirum approbationis, quemadmodum alibi diximus, *opera eorum*, vtique incolarum ætate prouectiorum vrbis huius maximæ, *quia conuersi sunt de via sua mala: & misertus est Deus super malitiam, quam locutus fuerat vt faceret eis, & non fecit.* Numquid ergo his æquè, aut ampliùs, quàm paruulis, etiam Domini testimonio, est totius ciuitatis, atque (si ipsum periclitabatur) imperij salus tribuenda? Est vtique, non diffiteor.

26 Quomodo ergo illorum hîc nulla memoria? Dicam. Hanc IONAS, conseruatæ ciuitatis causam non ignorabat; docetur autem à Deo Magistro & pædagogo suo quod nescit. Sciuisse actam esse à Niniuitis pœnitentiam, nec modò sciuisse; sed id ipsum spectasse coràm certissimum est. Et quoniam sciebat eam valuisse ad remissionem culpæ & pœnæ, etiam dicebat: *Scio quia tu Deus clemens, & misericors es, patiens, & multæ miserationis, ignoscens super malitia.* In paruulorum verò gratiam aliquid à Deo factum, aut futurum, penitus ignorabat. Proponitur igitur hîc ei, tantus paruulorum, innocentiâ suâ velut precantium, numerus: atque hæc propositio valet pro monitione, & tantumdem est ac si audiat dicentem Dominum: Tametsi aliud non sit quod meam excitare valeat clementiam, quod commouere viscera misericordiæ meæ, certè factura hoc fuerit multitudo tanta innocentium paruulorum, simul cum nocentibus peritura: illa meritò iram meam, quantumuis iustam, à ciuitate etiam scelestissima auerterit. *Ratio redditur.*

27 Etenim hoc bonitatis meæ non est, vt turba tanta paruulorum, quæ ne minimum quidem peccauit, me auctore tam innocenter & miserè pereat. Dixit mihi aliquando seruus meus Abraham, cùm aperuissem illi consilium *Deus bonitatem suâ & clementiam Ionæ declarat.*

lium

lium meum, de perdenda ob iniquitatem suam Sodoma & Gomorrha: *Absit à te vt rem hanc facias, & occidas iustum cum impio, fiatq; iustus sicut impius, non est hoc tuum: qui iudicas omnem terram, nequaquā facies iudicium hoc.* Et roganti vt parcerem illis si inuenirentur ibi decem iusti, dixi: *Non delebo propter decem.* Si ergo Sodomitis parciturus eram propter decem, quid ni modò parcam Niniuitis propter ampliùs decies decem millia paruulorum, in quibus nulla improbitas, nulla malitia; sed plurima & maxima innocentia. Non me sic iustum esse oportet, vt nullus sit locus clementiæ. Hanc Dei clementiam egregiè nobis reducit in memoriam Iobus, cùm ait: *Recordare obsecro te, quis vmquam innocens periit? aut quando recti deleti sunt?* vt proinde non habeant quod admodum metuant Dei iustitiam innocentes.

Gen c.18. v.25.

Vers. 32.

Iob c. 4. v.7.

Tertia causa cõseruatæ Niniue multitudo iumentorum.

28 Tertia causa conseruatæ ciuitatis, indicata IONÆ à Deo fuit, quòd ibidem essent *Iumenta multa.* Iumentorum nomen alij aliter hîc interpretantur: ego cum Alberto Magno, Ioanne Chatardo, Francisco Ribera, & pluribus, prorsus vt sonat. *Iumenta,* inquit Albertus, *cùm propter hominem facta sint, & peccatoribus dignè auferantur, pœnitentibus tamen iustè conseruantur,* imò interdum etiam duplicantur. Sic factum legimus apud Iobum, vbi dicitur: *Dominus conuersus est ad pœnitentiam Iob, cùm oraret ille pro amicis suis. Et addidit Dominus omnia quæcumque fuerant Iob duplicia.* Iumenta hæc, sicuti nonnumquam in hominum gratiam Deus seruat, ita subinde, cùm ita censuerit faciendum, in hominum pœnam interimit.

Iob c.42. v.10.

Cur propter ipsa?

Hîc seruandi ratio videtur, quòd & ipsa ieiunauerint, & saccis operta suo etiam modo pœnitentiam egerint; sed sicuti sine culpa id fecerunt, non enim peccarant, ita etiam sine merito: cùm enim sint ratione destituta, sunt & culpæ, & meriti omnis expertia. Proinde non tam propter ipsa, quàm propter homines, seruata sunt, propter quos etiam condita, & quorum sunt subiecta imperio: *Omnia,* inquit Dauid, *subiecisti sub pedibus eius,* de homine loquitur, *oues & boues vniuersas, insuper & pecora campi.*

Psal. 8. v.8.

Dei in homines bonitas, miserentis iumentorum propter homines, cõmendatur.

29 O magnā Dei in homines bonitatem, non ipsorum tantùm sed iumentorum quoque, propter ipsos, miserentis! vt facilè inde appareat, quàm ei curæ sint homines. Neque hîc miretur quispiam, tam potentem Deum etiam iumentorum propter ipsos misereri; cùm dixerit de eo Sapiens: *Diligis omnia quæ sunt; & nihil odisti eorum quæ fecisti.* Ceterùm cùm omnia quoque à manu eius pendeant ipseque sit solus, de quo dici possit: *Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione,* in ipso solo speremus: *Dat enim omnibus affluenter, & non improperat.* Imò cùm ipse sit, qui *potest omnia facere super abundanter quàm petimus, aut intelligimus,* ipsi quoque placere studeamus; & quæramus vnum dumtaxat illud, quod ipse nobis quærendum proposuit, *Regnum,* videlicet Dei, *& iustitiam eius;* sicque consequemur nullo negotio quod promisit, *& omnia adiicientur nobis:* Conuertamur ad Dominum cum Niniuitis à via nostra mala: tum non tantū nos & nostra ipse seruabit; sed eadem etiam locupletabit & augebit, facietque nos bonis gaudere & hîc temporalibus, & quod maximè optandum, deinde æternis.

Sap.c.11. v.25.

Psal. 144. v.16.

Iac.c.1. v.15.

Ad Ephes. c.3.v.20.

Mat. c. 6. v.33.

Per iumēta quidam homines irrationabiles intelligūt.

30 D. Hieronymus, Haymo, & Remigius, per *Iumenta* intelligi volunt homines irrationabiles, & ventri seruientes, qui pecudum more sensu tantùm non ratione ducuntur, & non cælum, sed terram prospectant; quibus congruit illud Psalmistæ: *Homo cùm in honore esset non intellexit; comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Multū enim talium hominum, siue valdè copiosum huiusmodi iumentorum numerum fuisse in Niniue affirmat Hieronymus.

Psal. 48. v.13.

Vtinam nunc etiam plurima passim vbique eiusmodi iumenta non sint. Verè si vitam nostram spectemus, videbimus quàm frequēter mereamur, ad horum similitudinem, magis dici belluæ

belluæ & iumenta, quàm homines: quippe qui magis iumentorum & belluarum, quàm hominum more viuimus, Deoque minùs paremus quàm pecudes. Corui ad imperium Domini Eliam pauerunt: nos, pauperes, sæpiùs à Deo moniti, non modò non pascimus; sed etiam vexamus, & deuoramus, vt escam panis. Leones, quibus tamen innata est feritas, etiam famelici Danielem quodammodò miserati eundem non læserunt: nos viris iustis insidiamur, eos mordemus, & omnem in eos sæpè crudelitatem exercemus. Deridetur, quod minimum est, eorum simplicitas penè omni loco, omni tempore, atque ab omnibus. Vrsi illatam Eliseo iniuriam vindicarunt: nos Dei præconibus, viris piis & sanctis iniuriam inferimus, eos ludibrio & contemptui habemus. Canes Lazari vulnera blando linxerunt obsequio: nos egenis, membris Christi, graue subinde vulnus infligimus, nedum de mensa nostra micas porrigimus. Numquid ergo hæc agendo, magis iumenta, pecudes, imò belluæ quàm homines sumus? Dixit Christus de Herode: *Dicite vulpi illi.* Et de Nerone Paulus: *Liberatus sum de ore leonis:* arbitrantes illos indignos hominis nomine, qui in iumentorum & ferarum naturam degenerassent. Quo ergo nomine compellabimus eos, qui vulpinam vafriciem, leoninam crudelitatem, lupinam rapacitatem, & omne ferinum ingenium simul combiberunt, homines eos appellabimus, an iumenta & feras? Iumentorum & pecudum, vel potiùs ferarum nomine digni sunt prorsus. Reuocet eos quæso qui tales sunt ab hac ferina deformitate, is qui eos ad imaginem & similitudinem suam creauit, quique tot Niniuitas de faucibus leonis, qui circuit vniuersum orbem quærens quem deuoret, clementer eripuit.

Luc. c. 13. v. 32. 2. ad Tim. c. 4. v. 17.

Alij homines mechanicos & simplices.

31 Alij per *Iumenta* intelligunt homines simplices, mechanicos, & similes, rerum omnium præterquam operis sui ignaros; qui suis reculis, & labori manuum intenti, de aliis vix cogitant; eosdem illos quos Dauid sicuti ipsi arbitrantur designauit cùm dixit: *Homines & iumenta saluabis Domine.* Fuit in hac sententia inter ceteros Philippus Bonæ Spei Abbas, qui cùm loci IONÆ, quem tractamus, meminit, ita eundem exponit. *Dignum visum est ei, qua est incomprehensibilis, bonitati, vt ampliùs sceleribus obuoluta parcat ampliùs ciuitati: & cùm eius meritis non nisi subuersionis debeat detrimenta, dono tamen gratiæ in ea saluet homines & iumenta. Bona iumenta, qua cùm salutis dona diuinitus impenduntur, in huius sorte gratiæ electis hominibus adiunguntur; dum spretâ libertate, cuius præcipitio fuerant peritura, assumunt Christi iugum, nec recalcitrant in iunctura, de quibus Dauid: homines inquit & iumenta saluabis Domine. Non solùm enim eos qui ratione & scientiâ præeminentes, sola cælestia iam sequuntur; sed eos quoque saluat, qui iisdem præcedentibus obsequuntur, qui animum inclinantes ad percipiendum salutis documenta, præceptori vt sessori exhibent se iumenta.*

Psal. 35. v. 7.

Philippus de silentio Clericorũ c. 82.

Multi simplices homines ciuitates sæpè conseruãt.

32 Eiuscemodi *Iumenta* in quauis ciuitate, quantumuis corrupta ac perditissimis referta hominibus, non desunt: sunt enim vbique multi verè simplices, ac rerum omnium ignari, qui ignorant & errant, neque nisi ex simplicitate errant, hi cùm ad instar iumentorum nullâ scientiâ & prudentiâ, nullâ etiam agantur malitiâ, semper ab ipso vitæ exordio ductum naturæ secuti; sunt hoc vel maximè commendabiles, quòd ab innocentia & prima simplicitate numquam recesserint. Tales, cum iustis pauculis, mirum quanto sint, potentissimis vrbibus, in quibus luxus, ambitio, auaritia, libido, & mille eiusmodi vitiorum pestes stabulantur, atque idcircò omni die ruinam possunt metuere, sæpè præsidio; quàm eas frequenter à diuina vindicta tueantur: vt eo nomine potentissimi quique, qui nimium securè sceleribus suis indormiunt, his plurimùm debeant, tametsi id parum agnoscant, & hos suos vt sic dicam seruatores, vix verbo, vix oculo vno dignentur,

Quare illis potentes & diuites plurimùm debent.

tur. Quòd si id meliùs aliquantò perpenderent, non ita eos ludibrio, non contemptui haberent, ipsi suo tempore contemnendi. Sciant fortè quempiam esse ex maximè in speciem vilibus & abiectis, qui totam in manu sua gerit fortunam ciuitatis, à quo vno illi omne bonum; per hunc fieri, vt conseruentur in eo in quo sunt statu, quotquot opibus & honoribus abundant. In quolibet igitur etiam maximè pannoso honoranda virtus est, quæ

Horat. l. 3. Car. Ode 2.

—— Repulsæ nescia sordidæ
Intaminatis fulget honoribus,
Nec sumit aut ponit secures
Arbitrio popularis auræ.

Quare repelli à nullo debet; sed ab omnibus suspici, haberique in pretio.

Per iumēta Chatardus intelligit Gentiles.

Luc. c. 19. v. 30.

33 Ioannes Chatardus per *Iumenta* ait intelligi posse Gentiles, qui erant tamquam iuuenculus indomitus, & velut pullus ille asinæ alligatus, *cui nemo vmquam hominum sederat*, quem solui iussit Christus, & adduci ad se per Prophetas & Apostolos suos, vti hîc Niniuitas per Ionam Deus: hunc enim, inquit ille, miserat ad eos, vt solueret infidelitatis vinculum, quo erant constricti, & excuteret è ceruicibus eorum iugum seruitutis, quo maximoperè premebantur.

Melius est in Dei quàm in hominum manus incidere.

34 Spectatâ hac admirabili Dei in iumenta æquè ac homines benignitate & clementiâ, discimus Sodales, quanto sit melius in ipsius quàm in hominum manus incidere, nimis atrociter minimam etiam iniuriam vindicantium; dum nihil aut simplicitati, aut ignorantiæ, aut humanæ imbecillitati concedendum putant. Profectò si in Niniuitarum causa Ionas constitutus arbiter ferre debuisset sententiam, hæc in omnes omnino, etiam pœnitentes, ob peccata præterita fuisset capitalis: quippe ante actam pœnitentiam iam decreta, neque ob eam illius iudicio mutanda. Non valuisset apud illum vllus commiserationis affectus, nullus fuisset locus gratiæ. Deus verò actæ memor pœnitentiæ, atque illius habitâ ratione, omnes absoluit, omnes ab imminenti mortis periculo liberat, vitâ donat.

Ionas immisericors, Deus misericors.

Vt talis cognitus Regi Dauid fuit.

2. Reg. c. 24. v. 14.

35 Beneficam hanc & clementem cum suis Dei ac Domini nostri agendi rationem sciens Dauid, propositâ sibi, eo mandante, per Nathan Prophetam optione gladij, famis, & pestis, pestem elegit, Dei non hominis flagellum, vt aliis mitius, dicens: *Melius est vt incidam in manus Domini, multæ enim misericordiæ eius sunt, quàm in manus hominum.* Et benè elegit: eligamus nos etiam, magis cum Deo, quia misericors est, quàm cum homine, qui est hominibus lupus, habere negotium; &, cùm ab eo fugere non possimus: *Quò enim ibo à spiritu tuo? & quò à facie tua fugiam?* dicebat Dauid; declinemus ab irato ad placatum, ac modos quæramus, quibus illum ex irato placatum nobis facere possimus.

Psal. 138. v. 7.

Hedera allegoricè Iudaicum populum significat.

Mat. c. 11. v. 13.

36 Priusquam deflectamus ad nos, & videamus quomodo per Ionam, vel potiùs in Iona erudiamur à Deo, paulisper ad mysticum Ionam Christum Iesvm orationem conuertamus. Dici is potest non laborasse in hedera; quia non idcircò passus & mortuus est, vt Moysaicæ legis cæremonias confirmaret. *Propheta enim & lex vsque ad Ioannem:* sed vt seruaretur mundus. Hedera etiam, sicuti *sub vna nocte nata est, & sub vna nocte periit:* ita Iudaicus populus, citò legem accepit, citò deseruit; tum vitulos aureos, Dei veri cultu neglecto, adorans, ac Ieroboamum sequens; tum verò maximè, Christum mundi Redemptorem & verum Regem suum negans coram facie Pilati, illumque affigens Cruci. Lux Iudæis hæc vltima fuit quando *Mane facto consilium inierunt omnes principes sacerdotum, & seniores populi aduersus Iesvm, vt eum morti traderent.*

Mat. c. 27. v. 1.

Nam hanc, cum ortu ipso, excepit eodem planè tempore in Iudæorum cordibus tetra nox, quâ etiam eorum vti lex, ita lux & fides periit: dicente B. Leone Pontifice Maximo ad ipsum illud declarandum: *Hoc mane Iudæi, non ortus vobis lucis contigit, sed occasus; nec vestris oculis solitus dies prodiit; sed impiis mentibus nox tetra cæcitatis incubuit.* Sequitur, quod maximè ad rem nostram facit: *Hoc mane vobis templum ad altaria diruit, Legem & Prophetas ademit, regnum & sacerdotium sustulit, in luctum æternum omnia festa conuertit.*

Leo Magnus ser. 2. de Pass. Domini.

Applicātur etiam reliqua Domini verba Iudæis.

37 Sunt qui putent Iudaico populo super socios suos dolenti, dici posse æquè ac IONÆ, *Tu doles super hederam*; quia populus ille, super hederam, Iudæã nimirum patriã suam, destructam à Romanis & vastatã, sicut & super derelictos ac dissipatos Ierosolymæ ciues consodales suos, profugos in terram alienam, atque deserto s ab omnibus, doluit vehementer, & dolere vsque modò non cessat. Sed dicit illi Deus: *Et ego non parcam Niniue ciuitati magnæ?* Non prouidebo Gentium toto orbe dispersarum multitudini maximæ: plus scilicet quàm millenis hominum millibus ad simulacra muta, pro vt ducũtur, euntibus per ignorantiam potiùs quàm malitiam, de via salutis: vt sciant nimirum & intelligant veritatem; quã si scirent multi vias suas corrigerent, & ambularẽt in semitis meis. Expedit igitur illis, vt sciant aliquando, quid *sit inter dexteram & sinistram*, quid inter Dei veritatem, hominumq; intersit mendacium. Quod quia adhuc nesciunt, meritò illis compati, esseque subsidio debeo.

Dolent homines futiliter cum Iona recreationes sibi sublatas.

38 Aggrediamur nunc ea dicere, quę ad instituendos nos pertinent, quæque ex doctrina Domini, IONÆ haurienda fuerunt monita, hauriamus etiam nos, & eadem doceamur.

Reprehenditur inprimis ille, & meritò, quòd tantopere doleat super hedera, cui plus satis afficiebatur: reprehendimur etiam nos, nec immeritò, quòd doleamus nimis vehementer sublatam nobis aliquando recreandi nos occasionem aliquam, cui pluſculum intendebamus. Declarabo quid velim: est dicatus encæniis, theatris, spectaculis dies, illuxit is turbidus & tenebrosus, minatur pluuiam, ventos, grandinem, tonitrua, fulgura; ecce in nobis subitò luctus, ferè qualis esse solet in morte primogenitorum; luctum mox excipit ira, clamor, indignatio; ne dicam, quod subinde etiam accidit, impiæ in Deum & cælites voces, in cælum ipsum ac aërem maledicta, quasi in nos ipsa peccauerint. Quid vobis videtur, numquid hoc est verè dolere super hedera? Non sic fieri à nobis solet quando solennibus verni ieiunij feriis, aura minùs arridet: neque enim magnus tunc luctus, multis maius etiam esse gaudium solet; quòd se hac occasione subducere à concione & pietatis exercitatione, sine nota aliqua neglecti boni operis & torporis assumpti, possint; & auram magis, quàm suam culpare socordiam. Est tamen ibi maior doloris causa, quàm ob arefactam hederam, id est ob impeditum aliquod plenum vanitatis spectaculũ, cùm diuina, in quibus plus solidi gaudij, longè omnibus rebus humanis debeant præualere.

39 Sunt & alij, quod potissimùm nobiles spectat, & ferè nobilissimos quosque ampliùs, qui magis dolent super *hederam*, quàm super *Niniuen*. Dico clariùs: equum præstantem, canem aquaticum, venaticum, falconem, psittacum, accipitrem, aut mortuum, aut perditum dolent; amissos famulos, quos sępè ad parcendum equis, improbo labore fatigarunt, ne dicam necarunt, non dolent. Pudet propè dicere, quod Domicelli nostri facere non erubescunt, dicam tamen: malunt illi hominem perdere, nobilissimum animal ratione præditum, Christi pretioso redemptum sanguine, & cælo natum, quàm bestiam ad solum

Nobiles sæpè magis dolent canem aut auem amissum, quàm hominem mortuum.

ſolum hominis obſequium, atque pro eo laborandum à Deo conditam & creatam. Quid vobis videtur? numquid hoc eſt cum IONA dolere magis ſuper *hederam* quàm ſuper *Niniuen*? Non ſic facit bonus herus aut dominus, qui ſubditos & famulos ſuos diligit: is enim ſuorum æquè ferè ac propriis caſibus commouetur, illis condolet & compatitur; & ſi poſſet, quouis modo illatum illis damnum atque incommodum reſarcire vellet.

Bonus Princeps cõpatitur ſuis ſubditis.

Pineda lib. 6. in Salomonẽ c. 20. n. 25.

40 Benè in ſuo Salomone obſeruauit Pineda, optimum Principem (idem debitâ iuſtâque proportione de quocumque domino habente legitimum in ſibi ſubiectos imperium ſentiendum & dicendum eſt) facilè ſubditorum ærumnis flecti, de eorum infirmitate dolere, eorum annuere precibus, parcere delinquentibus, & eos quaſi filiorum loco habere: ſtultam proinde eſſe illam Stoicorum ſectam, quæ negat ſapientem miſereri atque ignoſcere. Certè quò quis ſapientior, eò clementior eſt: ſecundùm quod dixit Ariſtoteles: *Sapiens miſericors eſt, inſipiens immiſericors & inuerecundus.* Nec mirum ſapientem eſſe miſericordem: ſicut enim accedit ad Deum propiùs ſapientiâ, ita & miſericordiâ; ad Deum inquam, qui vti ſapientiſſimus, ita eſt etiã, ſi ſic loqui liceat, miſericordiſſimus: IONAS, qui ſuo tempore inter ſapientes cenſebatur, debuiſſet etiam curare vt eſſet inter miſericordes; & Niniuitarum habitâ ratione, illis imprimis compati, deinde de obtenta gratia gratulari. Hoc etiam vobis curandum eſt quàm maximè, ſi verè ſapientes eſſe, & dici velitis, vt ſubditorum veſtrorum magnâ commiſeratione ducamini.

Ariſt. l. 2. Rhetoric. c. 8.

Ionas Niniuitis cõpati debuiſſet.

Deus quia non tantũ iuſtè decernit & iudicat, ſed etiã iuſta imperat, eius imperia ſunt ſequenda.

41 Ex eadem Domini cum IONA collocutione diſcere, quod erit tertium, & poſſumus, & debemus; quàm Deus non ſolùm ſit iuſtus in iudicio; verùm etiam in imperio, id eſt quàm non ſolùm iuſtè iudicet; ſed etiam iuſta imperet; adeòque quàm illa ipſius tam iuſta & ſancta nequaquam ſint aſpernanda imperia, ſed quàm maximè & quàm promptiſſimè ſequenda. Profectò ſi homo ea quæ placent ſibi, cupiat vehementer; iraſcatur etiam, atque non leuiter indignetur, ſi quid ſecùs quàm volebat euenerit; cùm tamen in ſuis deſideriis errare poſſit & falli, atque vt fallatur perſæpè eueniat; quid ni Deus, *Cuius prouidentia in ſui diſpoſitione non fallitur*, ſuam quoque fieri in omnibus cupiat iuſtiſſimam voluntatem? Hęc vt fiat, poſtulamus quidem quotidie, prout à Chriſto Domino inſtituti ſumus, dicentes: *Fiat voluntas tua, ſicut in cælo & in terra*; ſed non eam, quantum eſt ex parte noſtra, explemus.

In Orat. Dom. 7. poſt Pent.

Mat. c. 6. v. 10.

Celeres nos eſſe in Dei obſequium oportet.

42 Et quidem nemo, ſcio, diffitebitur, quin plurimi ſint tituli quibus nos omnes ſibi Deus quàm maximè, quã iuſtiſſimè ſubditos cupit; quoniam plurimis illi toti debemur; quamuis verò alius non ſit, quàm is qui naturæ ordine primus eſt, titulus creationis, numquid ęquiſſimum eſt creatori ſubiici creaturã? obtemperare hominem Deo? Quid igitur moras trahimus? quid lenti ſumus in obſequium eius, cui omnia debemus? *Hilarem*, inquit Apoſtolus, *datorem diligit Deus.* Ergo agamus, nec quod nobis omninò faciendum eſt, cum quadam lenta ſegnitie, mœrore, & tædio faciamus.

2. Cor. c. 9. v. 7.

Deus interdum liberalior eſt in homines, quàm eius ſerui velint.

43 Quartum hoc loco diſcimus: Dei nimirum in homines amorem eximium, profuſamque bonitatem & cognoſcere, & admirari. Theophylacti Bulgarorum Epiſcopi inſignis obſeruatio eſt, & veriſſima: quòd Deus interdum Sanctos & electos ſuos contriſtare non curet, dummodo aliis, ipſis quantumuis repugnantibus, & quodammodò inuitis, ſuam copiosè miſericordiam impertiat. Olim pluuiam cohibuerat Elias, terrâ plurimum arente & ſitiente, annis tribus & menſibus ſex, vt loquitur in ſua Canonica S. Iacobus Apoſtolus; quid tum? miſit eum, fortè nihil minùs optantem, ſed nec cogitantem, Deus longi temporis ſiccitatem ſoluturus,

ad

3.Reg.c. 18.v.1. ad Achab Regem, & ait: *Vade & ostende te Achab; vt dem pluuiam super faciem terræ.* Sic cùm IONAS esset Niniuitis comminatus exitium, & suæ comminationis exitum sollicitiùs expectaret, quantumcumque, veritus successum votis suis minùs prosperum, irasceretur, doleret, atque non parum obmurmurans mori cuperet; existimauit Deus longè, neglectâ hac ipsius indignatione, mœrore, ac iracundiâ, Niniuitarum salutem conseruationemque potiorem.

Amor Dei nos ad amorem prouocat. 44 Quantum nobis similiter ex hac Domini bonitate sæpè proueniat commodi, nemo nouit, nisi qui eius in nos amorem nouit: & hunc qui nouit, verè ferreus est, nisi studeat redamare. In quam sententiam cùm dixisset S. Augustinus: *Non est maior ad amorem inuitatio quàm præuenire amando*, rectè subiunxit: *& benè durus est animus, qui dilectionem si nolebat impendere, nolit rependere.* Aug. lib. de catechisandis rudibus c. 4.

Dei erga nos bonitas ostenditur in cura paruulorũ. 45 Eandem hanc Domini bonitatem, quod quintum est non parum ad institutionem nostram faciens, ostendit nobis eximia illa quam habet cura de paruulis; quando eos hîc non modò cum aliis perire non finit; sed in eorum gratiam, ne ipsi cum ceteris pereant, ceteros quoque conseruat. Infantes Deo curæ esse sacræ Litteræ docent abundè. Christus inprimis, quando apud Matthæum ait, certos esse singulis destinatos Angelos: *Videte ne contemnatis vnum ex his pusillis: dico enim vobis, quia Angeli eorum in cælis, semper vident faciem Patris mei, qui in cælis est.* Quod signum est curæ Dei eximiæ quam habet de illis: vti & illud, quod aliàs dixit: *Sinite paruulos venire ad me, talium est enim regnũ cælorum.* Sed hanc ipsam de qua loquimur curam expertum se testari etiam quisque poterit, si meminisse velit beneficiorum in ipso natiuitatis exordio, imò adhuc in vtero matris à primo conceptionis suæ instanti ab eo acceptorum. Mat.c.18. v.10. Mar.c.10. v.14.

Parentes curam suorum infantium habere debẽt. Sciant igitur parentes, qui infantium suorum curam non habent, illosque vel turpiter negligunt, vel prauà institutione maloque exemplo corrumpunt, grauiter se hic Dei exemplo damnari; & cogitent quàm illius iudicio, qui ex ipsis natos adeò non vult negligi, vt etiam de pecoribus & iumentis, imò & de auium pullis leges condiderit, pœnam mereantur. Exo.c.20. & 23. Deut. c. 22.

Deus est hostis illorũ qui persequuntur infantes. 46 Porrò sicuti Deus paruulorum amicus est, ita etiam illorum, qui inimici sunt paruulis, hostis maximus. Testabitur hoc expertus Pharao: occidi is iusserat Israëlitici populi masculos omnes, à quibus sibi plurimum metuebat. Testabitur Herodes: is quoque quia timebat regno suo, occidi iusserat omnes pueros à *bimatu & infra.* Verùm vtrisque illud infeliciter cessit: nam ille, vnà cum omnibus suis Ægyptiis, quibus Rex præerat, vice versâ, vt esset malum consilium consultori pessimum; proprium primogenitum perdidit. Nec hîc stetit diuinus in eum furor: nam impletâ mox iniquitatum eius mensurâ, primò castigatus decem terribilibus plagis, tandem illam accepit plagam, omnium grauissimam, communem, inquam, suorum æquè ac sui ipsius, cùm Israëlem insequeretur, inter Rubri maris vndas, ab illis absumptus, interitum. Hic verò cùm inexplebili cibi, quemadmodum anteà sanguinis auiditate, laboraret, nec rabidis incitata faucibus satietas implere ingluuiem posset, interiùs quoque intestina vlceribus tabida computrescerent, grauissimis colli cruciaretur doloribus, humor liquidus ac luridus pedes eius tumidos oberraret, nec similis illi circa pubem deesset afflictio, ipsa etiam verenda consumpta putredine scaterent vermibus, post intentatam sibi propriis manibus aliquando necem, miser occubuit. Vt ex his prorsus appareat, quàm vindex innocentium paruulorum sit Deus. Exod.c.1. v.16. Mat. c.2. v.16. Exo. c.12. v.29. Exod.c.7. & seq. Exo. c.14. v.28. Iosephus l.17. Antiq.c.9.

Paruuli actualem fidem non habent. 47 Colligit ex iis, quæ hoc loco dicuntur de paruulis, quòd nimirum *nesciant quid sit inter dextram & sinistram,*

ſtram, Gabriel Vaſquez, vti ex eodem obſeruarunt Cornelius à Lapide & Iacobus Tirinus, paruulos nequaquam actualem fidem habere: hac enim inter bonum & malum, virtutes & vitia, Deum & creaturas diſcernitur, adeoque ſcitur quid interſit inter ſiniſtram & dextram, quod infantes Niniuitici dicuntur neſciſſe.

Non iuſtificamur per fidem ex opere operantis, vt vult Lutherus, ſed ex opere operato per Sacramenta.

Atque hinc apparet quàm falſum nuper ex Lutheri ſchola dogma prodierit, tradens iuſtificari nos præcisè per fidem ex opere operantis, non per Sacramenta ex opere operato, vt Theologorum terminis vtar: Sacramenta verò adhiberi dumtaxat, ad fidem ea recipientis excitandam, quâ hic conſequatur iuſtitiam; ipſos proinde paruulos, qui in baptiſmo ab originis labe purgantur, actum elicere fidei, ſicut Ioannes Baptiſta in vtero matris ſuæ elicuit, quâ & ipſi iuſtitiam conſequantur. Quæ præterquam quòd quotidianæ experientiæ aduerſentur, vti nimis eſt manifeſtum, etiam cum Scriptura ſacra hîc clariſſimè pugnant, viſaque ſunt Anabaptiſtis adeò abſurda, vt docere maluerint non eſſe baptiſandos paruulos, ſed expectandum dum adoleſcant, & compotes rationis actum fidei qua iuſtificentur eliciant potiùs, quàm dicere ipſos ratione vti, & poſſe illâ ætate inter bonum & malum diſcernere.

Delatus à Niniuitis Ionæ honor recẽſetur.

48 Sed his relictis, quæ noſtri inſtituti non ſunt, proindeque obiter animaduerſa ac notata ſufficiant, tempus eſt, vt IONAM, quem anteà mœrore & iracundiâ ægrum reliquimus, nunc paullò meliùs cohortatione Domini conſtitutum, & ſi non omninò adhuc ſanum, ſaltem conualeſcentem reuiſamus. Ait S. Ephrem Niniuitas cognitis diuinis in eum beneficiis, & quibus à Domino cumulabatur ſolatiis, maiorem ei honorem deferre ſtuduiſſe. Audite quo pacto: *Eum*, inquit, *inter vlnas ſuas rapuerunt ac inſtar Regis cum gloria ciuitatem ingreſſus eſt, & reſedit ibi, congregatiq́ reſipiſcentes adorabant ipſum, ac munera cum decimis offerebant ei, & quacumque inter tribulationes deſtinauerant. Aperuit Rex theſauros, qui erant apud ipſum, obtulitq́ ipſi dona valdè honorifica: vno omnium ore laudibus celebratus eſt Ionas, ingreſſusq́ in curru regio conſedit.*

S. Ephrem tom. 3. ſer. in Ionam.

A legatis vſque Ieroſolymam ducitur.

49 Addit idem Sanctus, deductum eum non multò pòſt, comitantibus Niniuitarum legatis Ieroſolymam vſque, quam tamen hi nequaquam ingreſſi ſint, in confiniis ſubſiſtentes pro imperio IONÆ; qui metuebat ne ſi eis ingreſſum permitteret, ipſi ibidem Gentilium mores magnamque improbitatem intuiti, qui iam reſipuerant, & colebant vnum Deum verum, rurſum idolis immolare diſcerent, atque ad mores priſtinos repedarent.

Non tamen ſinuntur ingredi.

Quomodo autem IONAS eos ingreſſu prohibuerit, & comitari vſque in vrbem cupientibus reditum ſuaſerit, quæſito colore, & quodam prætextu inuento, ipſe quoque ſubiungit, hæc ab eo dicta recenſens: *Nunc in terra noſtra magnum celebratur feſtum, & non licet alienigenis huc ingredi: & licet fideles ſitis, non tamen introire poteſtis ad magnum feſtum Dei, cùm ſitis incircumciſi: propterea in pace & gaudio reuertimini ad patriam veſtram, ad eum qui miſit vos: & quando feſtum Dei præterierit ſi volueritis huc redite.*

Gratum ſibi hoc fuiſſe beneuolentiæ genus Ionas oſtendit.

Intereà valdè gratum ſibi fuiſſe hoc populi eum vſque Ieroſolymam comitantis beneficium, IONAS, ſi B. Ephremo credimus, ſatis oſtendit: quandoquidem in vicinia vrbis illius, *quòd eò vſque eum proſecuti eſſent*, ita loquitur Ephrem, *oſculo atq́ complexu ſalutauerit eos de more, & benedixerit ipſis.*

50 Porrò quid acciderit, poſtquam prohibiti ſunt Niniuitæ, qui eum fuerant comitati, ingredi Ieroſolymam, & quomodo ducti curioſitate ſcire tentauerint quid in ea ageretur, ipſe etiam Ephremus ſubiicit in hunc modum: *Poſt ipſius*

Ascenderunt Niniuitæ montem, vt viderent quid Ierosolymis ageretur.

discessum, conspexerunt dum adhuc ibi essent montem excelsum valdè, quem cogitabant ascendere, vt saltem è longinquo terram desideratam prospicerent. Ad cuius montis verticem cùm peruenissent, vniuersam terram conspexerunt, & obstupefacti sunt, animoq; valdè consternati, cùm illos dæmonibus sacrificantes cernerent, & sub nemore libamina, ac sub collibus idola, ante ianuas simulacra, & eos qui ingrediebantur reuerentiam iis exhibentes. Quamobrem incœperunt dicere, numquid somnium est quod conspicimus? Ierusalemne terram cernimus, an Sodomorum? Haccine est semen Abrahæ, an dæmones fortè suis nos præstigiis fascinant, atque illudunt? Numquid superstitiones patriæ nos diffugerunt, & hic domicilium suum sumpserunt? Idola ibi diligenter ac sedulò confregimus; sed numquid huc venerunt & sedem firmarunt? Surgentes profugiamus à populo illo pessimo, vt non absorbeamur in operibus eorum. Nam pro Niniue, quæ non est subuersa, fortasse Israel subuertendus erit. His dictis timore perculsi in suam reuersi sunt patriam, glorificantes Deum. Hactenus S. Ephrem: quæ vti ab eo narrata, an sic etiam gesta, an verò commemorata tantùm, non tam ex fide historiæ, tamquam quæ ita omninò euenerint, quàm adducta & recensita cum exornatione aliqua oratoria, vt quæ saltem eo modo euenire potuerint, non habeo quod dicam: quia nihil simile in sacris Litteris habemus, nihil etiam certi asserere audeo. Itaque liberum sit cuique de iam actis iudicium, & credat ea qui volet.

Finis & successus totius legationis Ionæ explicatur.

51 Nunc, vt tandem aliquando ad finem huius historiæ & Operis nostri veniamus: tametsi nusquam recenseat IONAS quid ad propositum à Domino argumentum responderit, sed nec an responderit; nihilominùs ita illo conuictum & confusum fuisse existimo, vt vel pudibundum eius silentium pro sufficienti responso haberi potuerit; vel, vt vult Ioannes Treminius, agnoscendo proteruiam suam, de hac profusis vberibus lacrymis veniam postularit; quibus & maculam omnem, & contractam ignominiæ notam detersit. Benè ergo hic cesserunt omnibus omnia. *Niniuitæ* IONA perorante, ac Dei gratiâ adiuuante egerunt pœnitentiam, IONAS Domino illum instituente culpam agnouit: *Niniuitæ* honorarunt IONAM & dederunt Deo debitum honorem & gloriam, quòd eorum causam agens *cum Propheta suo contenderit*, & *linguam suam*, vt iterùm B. Ephrem verbis vtar, *ex aduerso contendentis iustam ferre sententiam fecerit.*

Quid ipse fecerit absoluta legatione sua.

52 His peractis, secundùm citatum sæpiùs S. Ephremum, IONAS, velut re præclarè gestâ, iam functus debitè legatione suâ, venit quamprimùm Ierosolymam: secundùm S. Epiphanium, Hugonem Cardinalem, & alios nonnullos, mœstus & verecundus, ob successus è mente ipsius minùs prosperos, quos suscepta legatio habuerat, è terra Israel, in quam latenter venerat, latenter quoque secessit, matre comite & sociâ peregrinationis adscitâ in liberum & voluntarium septennij exilium; donec illo exacto, defunctâ iam matre, in patriam postliminio repedauit, secundùm ea quæ alibi quoque recensuimus. *Lect. Proëm. 2. n. 26.*

Quidquid hac de re sit, quam habeo pro satis dubia & incerta, certum mihi videtur, eum statim in suo ab Assyriis Ierosolymam abitu, si non antè, quod multis etiam verosimilius videtur, errorem suum agnouisse, commendasse Deum in suis operibus admirabilem, eius bonitatem, misericordiam, & gloriam prædicasse.

Ionas & multi Niniuitæ saluati.

53 Itaque seruatus est IONAS, cuius memoriam, vti sacris adscripti diptychis, recoli quotannis certo tempore, tam in Græca, quàm Latina Ecclesia, etiam Lectione secundâ Proëmiali annotauimus: seruati etiam, IONA declamante & perorante, ab interitu Niniuitæ; de quibus dictum à Deo habent Biblia Gotica, *Lect. Proëm. 2. n. 30.*

vti

vti in illis secundùm obseruationem Ioannis Marianæ ad calcem huius historiæ adiungitur, quod in nullis aliis, quantum quidem scio, habetur: *Sed parcam & miserebor eis; quoniam magnum est nomen meum.* Illorum etiam multi, quemadmodum graues auctores censent, nimirum quotquot in pœnitentia perstiterunt, non tantùm à corporis, sed animi quoque interitu, æternis inquàm suppliciis liberati, æuo beato fruuntur.

Relapsa in vitia Niniue deinde periit.

54 E contrà verò, quoniam illorum etiam non pauci, aut saltem posteri illorum, relictis melioribus, quibus imbuti per IONAM fuerant vitæ institutis, ad mores reuersi sunt pristinos & scelera, si non maiora prioribus, illis certè aut paria, aut non admodum dissimilia resumpserunt; post pauculos annos, vt ait Iacobus Salianus non totos viginti; vt alij aliquantò plures; vt alij pauciores; vt Tirinus nono anno Oziæ siue Azariæ Regis Iuda, à Phul Babyloniorum præfecto, & Arbace Medo validissimis exercitibus cincti, expugnati, & subiugati sunt; Sardanapalo Rege, ne esset hostibus suis ludibrio, in medio foro extructâ pyrâ pedes altâ quadringentos, in eaque suas, cum vniuersa supellectile, mensis nimirum aureis quinquaginta totidemque lectis, concubinas, ac demum seipsum, flammis absumendum dante præcipitem: quemadmodum alibi fusiùs enarrauimus. Vnde non solùm captâ ciuitate, sed translato simul ad Persas & Medos regno, deletaque maiestate Imperij Assyriorum Niniuitæ vastati, quemadmodum Propheta Nahum prædixerat, & quidem anno ab illius prædictione centesimo trigesimo octauo, secundùm quod ait Cornelius à Lapide, funditus perierunt: verumque apparuit illud vulgatum cuius est apud celebriores historicos memoria: *Lento gradu ad vindictam diuina procedit ira, tarditatemq; supplicij grauitate compensat.*

Cap. 1. Lect. 3. n. 21.

Cornelius Argum. in Nahum. Iustinus lib. 20. Val. Max. lib. 1 c. 2.

Mali licet serò, semper tamen puniuntur.

Profectò sicuti est iustissimum, ita reipsâ probatissimum illud Q. Horatij Flacci.

Raro antecedentem scelestum
Deseruit pede pœna claudo.

Horat. l. 3. Car. Ode 2.

Prædictio Tobiæ de euersione Niniue.

55 Ita futurum cum Niniuitis præuidit aliquando Tobias senior; quare moriens præcepit filiis suis, vt relictâ Niniue tempestiuè aliò demigrarent. *Video enim*, inquit, *quia iniquitas eius finem dabit ei.* Bene dixit *Iniquitas*; non *Tempus edax rerum*, non *Inuidiosa Vetustas*, consumens omnia, non Chaldæorum, aut Medorum arma; sed *Iniquitas:* hæc enim quidquid fuit hostium in eius perniciem armauit. Secutus verò quem Tobias præuiderat Niniuitarum interitus, satis ostendit quod aiunt nonnulli, ad priorem illorum pœnitentiam Dei de ciuitatis excidio decretum non prorsus abolitum, sed suspensum fuisse. Quare cùm redierunt ad scelera, Deus quoque reuocauit sententiam, & ad vindictam ac pœnam, non iterùm vt priùs interminandam dumtaxat, sed etiam explendam; ad ciuitatis, inquam, & imperij euersionem processit: atque ciuitatem quidem primo quoque tempore deleuit, & illius incolas perdidit; imperium verò ipsum, non multò pòst ad alios transtulit.

Tob. c. 14. v. 13.

56 Vobis sufficiat videre hîc SODALES, atque agnoscere in tanta tamque acerba tam grauium suppliciorum facta per IONAM Niniuitis commonitione, voluisse Deum vel maximè ostendere, quàm ei curæ nostra sit salus, quamque cupiat, vt non pereat impius, sed magis vt conuertatur & viuat. Ex quo sequitur ruinæ atque interitus nostri causam nos esse, nequaquam interituros nisi volentes.

Epilogus ad B. V. Sodales.

57 Itaque quâ possum sollicitudine & curâ neque affectu minore, vos hortor & moneo SODALES; si

ſi peccantes *Niniuitas* ſecuti eſtis aliquando, nunc etiam ſequimini pœnitentes; ita tamen vt cum illis deinde non redeatis, quemadmodum canes ad vomitum, atque arbitremini minas Domini, eſſe minas tantùm, quas nulla vmquam ſupplicia excipient. Scio quàm ſit magna ad peccandum illecebra impunitatis ſpes: ſed ne dubitate, nemo apud Deum niſi citò reſipiſcat per pœnitentiam, & peccatum eluat, peccat impunè: nam cùm ſit iuſtus, *iuſtitiam diligit, & odit iniquitatem.* Pſal. 44. v. 8. Caſtigatos poſt iterata peccata Ciues, Optimates, Regem, totamque Niniuen vobis ob oculos ponite, & tam multorum adeò formidabili exemplo,

Diſcite iuſtitiam moniti, & non temnere Diuos. Virg. lib. 6. Æn.

FINIS.



AD MAIOREM DEI

ET

IMMACVLATÆ SEMPER VIRGINIS

MARIÆ GLORIAM.

INDEX

INDEX LOCORVM
SACRÆ SCRIPTVRÆ
QVI IN HOC OPERE CITANTVR,
ET
VEL BREVIVS VEL FVSIVS EXPLICANTVR.

Littera P. paginam, N. numerum marginalem, siue §. indicat.

EX GENESI.

Pro

EX LIBRO IV. REGVM.

EX LIB. I. PARALIPOMENON.

EX LIB. II. PARALIPOMENON.

EX TOBIA.

EX IVDITH.

EX ESTHER.

EX IOB.

EX PSALMIS.

Lassa-

EX ECCLESIASTICO.

EX ISAIA.

Num.

EX IEREMIA.

EX THRENIS.

EX BARVCH.

EX EZECHIELE.

EX DANIELE.

In

EX

EX MALACHIA.

EX LIBRO I. MACHABÆORVM.

EX LIB. II. MACHABÆORVM.

EX NOVO TESTAMENTO.

EX MATTHÆO.

EX MARCO.

EX LVCA.

EX IOANNE.

Quid

EX EPIST. I. AD CORINTHIOS.

EX EPIST. II. AD CORINTHIOS.

EX EPIST. AD GALATAS

EX

IN-

INDEX
MORALIVM
AD CONCIONES.

In quo omnes numeri intelligendi ſunt incluſiuè. In titulo cuiuſuis Dominicæ, Feſti, aut Feriæ, primus numerus deſignat caput, ſecundus initium, tertius finem Euangelij. Numeri marginales verſum. Littera P. ſignificat paginam, N. numerum paragraphi Lectionis citatæ, vti antè in Indice Sacræ Scripturæ eſt obſeruatum.

DOMINICA II. ADVENTVS.
Matthæi 11.2.10.

Sed

9. *Sed quid existis videre? Prophetam?* Quid Propheta & prophetia? p.3.n.9. Prophetæ sunt videntes, os Domini, præfatores,&c. p.11. n.34. vsque 38. & 44. p.40.n.27.28. Pharao, Nabuchodonosor, Caiphas, & Astronomi non fuerunt veri Prophetæ.p.10.n.29. 32. Nec soli diuites prophetant. p. 83. n.15. An ex suo sensu,an potiùs diuino imperio?p.380.n.6.vsque 11. Certus Prophetarum scopus Christus fuit.p.3.n.7.

9. *Etiam dico vobis, & plusquam prophetam.* Omnes veri Prophetæ cõditiones Ioan. Baptistæ conueniunt. p.4. n.13. 28.30.32. Et munia.pag.12. num. 39. vsque 43.

10. *Hic est enim de quo scriptum est: Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam.* S. Ioannes Baptista habitus est Angelus incarnatus. p.13. n.42. Alij Prophetæ itidem dicti Angeli.p.12.n. 38. vnde Prophetæ commendentur? p.14.n.45. & seqq.

Prophetis honor debetur & habetur. p.637.num.48.49. Etsi non omnes statim perfecti. p.524. n.35. & seqq. vsque 44.

10. *Qui præparabit viam tuam ante te.* Vid. Dominic.3.& 4.seqq.

De Prophetis bonis & malis, Vide Fest. S.Stephani. v.34.& Dom.7. post Pent.v.15.

DOMINICA III. ADVENTVS.
Ioannis 1. 19. 28.

v.19. *Miserunt Iudæi ab Ierosolymis Sacerdotes & Leuitas.* Etsi Ioannes tantùm prædicaret in regione Iordanis;tamen etiã Ierosolymis vox eius audiebatur. Procul scilicet & remotè concionator audiatur.p.365. n.8. Feruens enim & zelosus prædicator longè lateque innotescit & fructificat.p.398. n.39. non tamen vagabundus est.p.365.n.9.

19. *Vt interrogarent eum: Tu quis es?* Sic ferè solent homines aliorum facta curiosiùs inuestigare,quàm sua.videlicet, Nõ vident manticæ quod in tergo est. p.171.n.54.55.

20. *Et confessus est,& non negauit.* Legitimè interroganti cãdidè & simpliciter est respondendum. p.174.n.1. Confitentes non seipsos laudent, aut excusent. ibid.n.2. Quin accusent potiùs. ibid.n.3. Ad sui confusionem & humiliationem, in memoriam reuocatis etiam beneficiis à Deo acceptis. p.176.n. 12.& seqq.p.180. n.24.vsque 27.

Et confessus est: Quia non sum ego Christus. Humilis confessionis vtilitas. p.180.n.28. 20.

Et interrogauerunt eum: Quid ergo? Propheta es tu? De Prophetis vid. Dominicam superiorẽ & Lect.1.Procemialem. 21.

Ego vox clamantis in deserto. Nõ tamẽ ad arbores,sed ad homines,& quidem liberè, spe metuque posito, sicut ferè solent Sancti. p.370.n.29. 23.

Ego vox clamantis in deserto: Dirigite viam Domini. Concionatores surgere, stare,clamare, & alios excitare debẽt. p.42.n.3.&c. Clamare,inquam opportunè,importunè: nam qui importunus quibusdam videtur clamor, subinde opportunus est.p.367.n.21. Et non sine fructu. p. 182.n.32.33. p.369.n.24. Ergo sicut Ionas in Niniue, sic quiuis zelosus prædicator liberè clamet, solius pietatis & caritatis intuitu, neglectis parergis. p.358. n.11.vsque 14. p.366.n. 14.& seqq. Non tamen inconditè, fanaticorum more; sed discretè moneat & moueat.p.366.num.13. Quasi præco Dei.ibid.num.14. 23.

Dirigite viam Domini. Via interdum significat cogitationes & opera.p.488. n.31. Via Domini dirigitur maximè per pœnitentiam, de qua fusè Dominica sequenti. 23.

Feria IV. *quatuor temporum, quæ dicitur Missus. Vide Festum Natiuitatis Domini & Annuntiationis B. Virginis. 25. Martij.*

DOMINICA IV. ADVENTVS.
Lucæ 3.1.6.

Factum est verbum Domini super Ioannem Zachariæ filium in deserto. V.2.

Et venit in omnem regionem Iordanis, prædicans baptismũ pœnitentiæ in remissionem peccatorum. 3.

Magna

NATIVITAS DOMINI.

Lucæ 2. 1. 20.

in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Bona voluntas præmio, mala supplicio digna. p.164. n.25.

Vide festum Annunciat. B. V. M. 25. Martij.

FESTVM S. STEPHANI.
Matthæi 23. 34. 39.

34. *Ecce, ego mitto ad vos Prophetas, & sapientes & Scribas.* Varia Prophetarum nomina. p.11. n.34. vsque 38. Et munia. p.12. n.41. & seqq. & dignitas. p.12. n.39. 44. &c.

34. *Et ex illis occidetis, & crucifigetis: & ex eis flagellabitis, &c.* Prophetæ & Sancti multis iniuriis, & morte etiam affecti. p.383. n.20. Nec mirum, cùm veritas odium pariat. p.447. n.25. Sed patiẽtia & constãtia est virtus Prophetarum propria. p.14. n.47. Quos & Deus non rarò solatur, etiam in tormentis. p.575. n.23. vsque 29.

37. *Ierusalem, Ierusalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos, qui ad te missi sunt! quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas.* Christus præ ingenti desiderio cõuersionis Iudæorum, quasi æstuat. p. 609. n.19. Sic & noui Christiani præ desiderio baptismi. Ibid. n.18.

38. *Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta.* Quasi dicat, maiorem patiemini persecutionem, quàm patres vestri: quia non tantùm Prophetas occidistis, sed ipsum Principem Prophetarum occidetis. p.609. n.17. Pœna enim plerumque est peccatis proportionata. p.225. n.8.9.

FESTVM S. IOAN. EVANG.
Ioannis 21. 20. 24.

V. 20 *Petrus vidit illum discipulum, quem diligebat Iesus, sequentem, qui & in cœna recubuit super pectus eius.* Familiaritas cum Deo, etiam ficta, Ethnicis auctoritatem parit; quantò magis vera cum vero Deo. p.38. n.19. & seqq.

21. *Petrus dixit Iesu: Domine, hic autem quid?* Curiositas est nauis Ionæ, in incertum locũ, vel in certum periculum nauigans. p.72. n.17. In rebus fidei periculosa; ideoque reprehẽsibilis. p.222. n.38. Naturalis interdum licita & bona est. p.161. n.16.17. Imò necessaria. p.171. n.53. Superiorum enim est omnibus intendere, & singulis. p.124. n.1. vsq; 18. Sed & se interrogare. p. 170. n.51.

Quid ad te? tu me sequere. Correptio, amicitiæ est: adulatio verò inimicitiæ. p.186. n.13. & seqq. 22.

De Curiositate, Vide Dominicam 2. Aduentus v.3.

FESTVM SS. INNOCENTIVM.
Matthæi 2. 13. 18.

Tunc Herodes, videns quoniam illusus esset à magis, iratus est valde; & mittens occidit omnes pueros, qui erant in Bethleem. Caritas compassionem habet, superbia indignationẽ. Ambitiosi malo alieno gaudent, tristantur bono. p.523. n.30. Mala ex ambitione, seu præpostera honorũ cupidine, aut infamiæ timore orta. p.520. n.18. vsque 31. p.611. n.24. Ambitio enim æstus quidam est. p.607. n.10. p.611. n.24. 16.

Mittens occidit omnes pueros. Non tamen gratis; nam à Deo innocentium patrono, & infanticidarum hoste grauiter fuit punitus. p.636. n.46. 16.

DOMINICA INFRA OCTAVAM NATIVITATIS.
Lucæ 2. 33. 40.

Ecce, positus est hic in ruinam multorum in Israel. Christi vita multos Christianos confundet. p.168. n.42. 43. V 34.

Anna Prophetissa non discedebat de templo. Solebant enim Prophetæ secundùm quosdam vnà habitare, more nostrorum nũc cœnobitarum. p.295. n.22. Felices Religiosi, qui in monasterio, tamquam in domo Dei, in cella velut cælo, quieti securiq; viuũt. p.303. n 27. 37.

Ieiuniis & obsecrationibus seruiens nocte & die. Talibus enim hostiis promeretur Deus. p.233. n.8.9. Prophetæ, etiamsi in raptu alienentur à sensibus, nouerũt tamen quid dicant. p.10. n.29.

De Prophetis vide suprà Dom. 2. Aduentus & Dom. 7. post Pentecosten.

CIR-

nes Sanctorum nobis prosunt. p. 130. n.24.& seqq. p. 331. num.7.

3. *Vinum non habent.* Quia multi hospites illud (etiam carnalium delicia-rum) exhauriunt: senectus, morbus, mors, &c. p.602. n.42.43.

5. *Dicit mater eius ministris: Quodcumque dixerit vobis, facite.* Sodalium B.V. munus est, magnæ Matri, eiusque mandatis obedire. p.169. n.44.45. Obedientia Deo placet, & remuneratur: inobedientia displicet, & peccatum est. pag. 66. n.21. & seqq.

10. *Cùm inebriati fuerint.* Ebrietatis incommoda. pag. 121. n.20.21. Antiqui hedera coronari soliti contra ebrietatem. p.587. num.28.

DOMINICA III. POST EPIPHANIAM.

Matthæi 8. 1. 13.

V.2. *Ecce leprosus veniens, adorabat eum, dicens: Domine, si vis, potes me mundare.* Lepra peccatum est; cuius confessio & manifestatio, quamuis secretum esset & graue, necessaria est ad veniam obtinendam. pag. 135. num. 39. vsque 46.

3. *Et extendens Iesus manum, tetigit eum, dicens: Volo. Mundare.* Confessarij faciles sint & benigni. Ibid. Dei velle, est facere. p.570. num.1.

4. *Vade, ostende te sacerdoti.* Confessio sacramentalis suadetur. p.115. n.24. 25. Sacerdotum dignitas. p.169. n.46. De qua vide plura Dominica 13. post Pentecosten v.14.

5.
6. *Cùm autem introisset Capharnaum, accessit ad eum Centurio, rogans eum, & dicens: Domine, puer meus iacet in domo paralyticus, & malè torquetur.* Bonus Princeps curam habet suorum, iisque compatitur. Vir quippe sapiens, etiam misericors est. p. 449. n.31.34. & seqq. p.459. n.15. & seqq. p.462. num.24.25. p.467. n.39.40. pag. 469. num. 1. vsque 10. pag. 477. n.28. p.480. n. 1.16. 22.30. & seqq. pag. 499. num. 18. pag. 635. num. 40.

9. *Nam & ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites; & dico huic: Vade & vadit,* &c. Ex legem esse non expedit, libertas enim multorum malorum caussa. pag.386. n.29. 30. & libertas libertate perditur. ibid. num. 31. 33. Obedientiæ è contrario varia est vtilitas. pag.398. n.41. & seqq. Sicut & inobedientiæ multa damna. ibidem.

Dico huic: Vade, & vadit; & alij, Veni, & venit, & seruo meo, Fac hoc, & facit. 9.
Quatenus licet & expedit, vt Reges ac Principes, aut Magistratus leges ferant subditis profuturas. Vide suprà v.6. & p.470. n.3. vsque 29. De Obedientia, vide suprà Dominicam 1. & 2. post Epiphaniam.

Non inueni tantam fidē in Israel. Hæc 10.
quomodo Ionæ in Niniuitas, quomodo 11.
nostris in nostros conueniant. pag. 395. n.27. vsque 40. Vide Dominicam seq. v.26.

Dico autem vobis, quòd multi ab Oriente, & Occidente venient, & recumbēt cum Abraham, &c. filij autem regni eiicientur foras. Cur hi potiùs vocantur, quàm illi? p.37. n. 17. Relictis tepidis Christianis succedunt quotidie ethnici cōuersi ad fidem. p.397. n.35.36. A bonis maioribus degenerasse, dedecore & supplicio dignum magis est, quàm illos numquam habuisse. pag. 176. num. 11. vsque 14.

DOMINICA IV. POST EPIPH.

Matthæi 8. 23. 27.

Ascendente Iesu in nauiculam. Variis V.23.
nauibus in huius mundi mari nauigatur. p.85. n. 22. vsque ad finem Lect. 4. Vide Dominicam 4. post Pentecost. Et moralibus, nam Ecclesia Catholica nauis est, & quidem tutissima. p.88. n.32. quamuis sæpè tempestatibus impetita. p.98. n.33. sed ea omni ope iuuanda est. p.112. n.15.

Item Sodalitas B.V.M. & Religio; quæ nec ipsæ carent suis fluctibus tentationum. p. 86. n.26. & seqq.

Coniugatorum, laboriosa est. p.85. n.24. Peccatorum vti & hæreticorum infelix; quippe quæ ad infernum tendant, eoq; fugiendæ. p.87. n.30. & seqq.

constans est ad aduersa.p.288.n.30.nec vmquam de prouidentia Dei eiusque auxiliatrice manu diffidit aut desperat. p.133.n.34.36.

26. *Tunc surgens,imperauit ventis & mari.* Et stat suus imperio ac monitioni fructus.p.133.n.31. Deus enim sua prouidentiâ & potentiâ complectitur,& gubernat omnia: ventos,vermes,&c.pag. 604.num.2.

26. *Et facta est tranquillitas magna.* Calamitates enim & aduersitates non sunt perpetuæ. p.303.n.25. Nam Deus suis adest in tribulatione.p.311.n.24. Et sedat mare non tantùm per se, sed etiam per intercessionē & reliquias Sanctorum.p.111.n.10. Vel nobis conclamantibus & collaborantibus, non otiosis. p.122.n.14.15.

27. *Porrò homines mirati sunt,dicētes: Qualis est hic?* Miracula conducunt ad faciendā fidem;etsi sola non sufficiant. p.393. num.17.

27. *Qualis est hic, quia venti & mare obediunt ei?* Et omnis creatura.p.89.n.1.7.& seqq.p.226.n.14.p.250.n.15.p.252.n.24. p.302.n.20.p.331.n.3.vsque 15.p.591.n.2. & seqq. Et ea, quæ non sunt,tamquam ea,quæ sunt.p.331.n.6.Imò etiam mortui. ibid.num.7.Nec Deo tantùm, sed & SS.amicis eius. p.257.n.8.9.

DOMINICA V.POST EPIPHAN.

Matthæi 13.24.30.

V.24. *Simile est regnum cælorum homini,qui seminauit bonum semen in agro suo.* Seu per se, seu per suos ministros. nam & hoc semen Dei est.p.391.n.9.Per corporalia benè docetur.Vide Dom.seq.

25. *Cùm autem dormirent homines.* De somno & somniis, vide Dominicam superiorem v.24.Somnus Prælatorum & Superiorum periculosus est sibi, & aliis.p.121.n.21.p.123.n.29.30. & seqq. p.125.n.5.vsque 20. Nec nō subditorum. p.120.n.19.vsque 30.

Prælatorū officium.p.125.n.5. & seq. vsque 22.p.131.n.25.vsque 30. vigilantia ipsis commendatur,& docetur. Ibid.

25. *Cùm autem dormirent homines, venit inimicus eius, & superseminauit zizania in medio tritici, & abiit.* Zizania sunt peccata,quorū diabolus magna caussa, dum malos seminat inter bonos. p.92. n.15.vtri plures sunt?p.94.n.21.

Cùm autem creuisset herba, & fructum fecisset, tunc apparuerunt & zizania. Frequentiora fortassis quàm bona semina: nam illorum magis ferax videtur ager cordis humani,quàm horum.pag. 299.num.7. 26.

Malitia & peccatum in lucem prodit,& cælum ascendit: Vel curru.p.55. n. 14.15. Vel voce in cælum clamans. p.56.n.15.vsque 19. Et quidē voce tam stentorea, vt Dei pietati,ad puniēdum tardæ,pœnas, vindictamque, quasi vi extorqueat. p.58.n.26.

Accedentes autem serui patrisfamilias dixerunt ei:Vis imus, & colligimus ea? Officium concionatorum est liberè detonare in peccatores,& peccata pro viribus extirpare. p.4. n. 12.13. p.10.30.31. p.12.n.39.& seqq.p.389.n.1.vsq; 5.Vide etiam suprà Dominicam 2. Aduentus v.9.Dominicam 3.Aduentus v.23. Dominicam 4.Aduentus v.3.& 4.Festum S.Stephan.v.34.Dominicam 6. post Epiphaniam v.31. 27. 28.

Et ait:Non. Deus nō statim punit malos,ne quidem idololatras. p.104.n.15. 29.

Ne fortè colligentes zizania, eradicetis simul cum eis,& triticum. Deus parcit sæpè multis malis propter vnum bonum. p.93.n.16. Interdum tamen ob vnum noxium multi plectuntur innoxij & innocentes.p.92.n.12.& seqq.p.93.n.16. 17.18. Nec sine caussa.Ibid. n.19.Hinc deserenda malorum societas, bonorum sectanda. p.95.n. 22.23. Quin & mali etiam suo tempore extirpandi, ne eorū contagione boni inficiantur,aut cum malis puniantur. p.92.n.13. vsque 25.p.208.n.27.p.226.n.15.vsque 18. 29.

Colligite primum zizania, & alligate ea in fasciculos ad comburendum. Rex Niniuitarum perit incendio.p.57. num.20. & seqq. 30.

DOMINICA VI.POST EPIPHAN.

Matthæi 13.31.35.

Simile est regnum cælorum grano sinapis. Quod magnam habet acrimoniam. V.31.

DO-

DOMINICA SEXAGESIMÆ.
Lucæ 8. 4. 15.

V. 4. *Cùm turba plurima conuenirent, & de ciuitatibus properarent ad Iesum, dixit per similitudinem.* Verbum Dei magno studio audiendum. p. 395. n. 26. Deus homines aptè docet per similitudines rerum etiam inanimatarum. p. 627. n. 11. & seqq.

5. *Exiit qui seminat, seminare semen suum.* Christus is fuit, & Prophetæ, seu concionatores. p. 52. n. 1. vsque 12.

6. *Aliud cecidit supra petram, & natum aruit.* (Matth. 13. 6. *Sole orto æstuauit & aruit.* Æstuare quid propriè sit. p. 607. n. 10.) *sunt, qui ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedūt.* (Marc. 4. 17. *Orta tribulatione & persecutione propter verbum, confestim scandalizantur.*) Sol persecutionē significat. p. 608. n. 14. 15.

10. *Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, cæteris autem in parabolis: vt videntes non videant, & audientes non intelligant.* Discrimen legis veteris & nouæ: synagogæ & Ecclesię: Iudæorum excæcatorum & Christianorum illuminatorum. p. 578. n. 35. & seqq. p. 626. n. 10.

11. *Est autē hæc parabola: semen est verbum Dei.* Bonum, vtile & iucundum. p. 15. n. 51. vsque 57. Sed quia in terra absconditum, obscurius est, eget interprete. p. 17. n. 58. 59. & praxi. p. 18. n. 61.

13. *Nam qui supra petram: qui cùm audierint, cum gaudio suscipiunt verbum.* Et sic suscipi debet: sed & radicari. p. 54. n. 10.

14. *Quod autem inter spinas cecidit: hi sunt, qui audierunt, & à sollicitudinibus, & diuitiis, & voluptatibus vitæ, euntes, suffocantur: & non referunt fructū.* Conscientia peccatoris angustiarum & dolorum spinis obsidetur. p. 119 n. 12. vsque 17. Sed ipse tandem aliquando punctus, salubriter compungitur. p. 346. n. 7. & seqq.

14. *A voluptatibus vitæ, euntes, suffocantur.* Voluptas carnalis, & luxuria, propria est hæreticorum. p. 414. n. 8. 9. Designata per hederam, quæ omnem succum exsugit, & necat etiā sua sustētacula. p. 580. n. 44. Voluptas, honor, &c. omnia temporalia, vana sunt, & mera foliis frondens hedera, sine fructu virtutum. p. 588. n. 28.

Quod autem in bonam terram: hi sunt, qui in corde bono & optimo, audientes verbum retinent. Quasi semper virentem hederam. p. 580. n. 45. 15.

Et fructus afferunt in patientia. Concionum & verbi Dei auditi fructus. p. 448. num. 29. vsque 34. p. 494. num. 54. 56. 15.

DOMINICA QVINQVAGES.
Lucæ 18. 31. 43.

Ecce ascendimus Ierosolymam, & consummabuntur omnia, quæ scripta sunt per V. 31.
Prophetas de filio hominis. Tradetur enim 32. 33.
gentibus, & illudetur, & flagellabitur, & conspuetur: & postquam flagellauerint, occident eū, & tertia die resurget. Christus promptè se ad mortem offert, vt nos viuamus. p. 200. n. 33. 34. Et verò in hoc mundo pugnandū, sed & vincendum est ad obtinendum triumphum. Dulcia non meruit, qui non gustauit amara. p. 270. n. 32. vsque 36. De passione Christi vide Fer. 6. Parasceues.

Factum est autem, cùm appropinquaret Iericho, cæcus quidam sedebat secus viam, mendicans. Cæci sunt peccatores, infideles, idololatræ. p. 391. n. 8. 9. Et hæretici. p. 395. n. 25. Peccator cæcus quouis currit, aut diuertit extra viam, potiùs quàm viam virtutis ambulet. p. 71. n. 11. vsque 16. 35.

Cæcus quidam sedebat. Sedere situs mœrentis & pœnitentis est. p. 463. n. 27. 35.

Et clamauit dicens: Iesu fili Dauid, miserere mei. Ægritudo corporis sæpè facit ad sanitatem mentis. p. 606. n. 9. Peccator ad Deū clamare debet, vt salutem consequatur. p. 211. n. 38. Et quidem in fortitudine, hoc est, vehementer & instanter. p. 483. n. 15. 38.

Et qui præibant, increpabant eum, vt taceret. Ille verò multò magis clamabat: Fili Dauid, miserere mei. Instanter clamandum. p. 483. n. 15. Et ad Deum potiùs, quàm ad homines recurrendum, ob insignem suam misericordiā. p. 633. n. 34. 35. Deus enim sępè clementior & 39.

QVADRAGESIMA.
Feria IV. cinervm.
Matthæi 6. 16.21.

FERIA VI.
Matthæi 5. 43. vsque c.6. 4.

ter Christianos videtur abolita.p.204. num.14.

44. *Benefacite his, qui oderunt vos.* Contraria enim contrariis curantur. p.489. n.35.36.

44. *Et orate pro persequentibus & calumniantibus vos.* Conuicia & calumniæ patienter ferendæ. p. 208.n.25.fortitudo maxima est, iniuriam acceptam cõtemnere, & se non vindicare.p.206.n. 20. 21. Inimicitiarum damna grauia sunt. p.208.n.26.

45. *Vt sitis filij Patris vestri, qui in cælis est: qui solem suum oriri facit super bonos & malos: & pluit super iustos & iniustos.* Magna Dei in homines beneficentia, & liberalitas; etiam in malos. p.536.n. 31. & seqq.

DOMINICA I. QVADRAG.

Matthæi 4.1.11.

V.1. *Iesus ductus est in desertum à spiritu, vt tentaretur à diabolo.* Tẽtationes immittuntur à diabolo. p.293. n.14.15. Quomodo cum eo luctandum. p.466.n.36. & seqq. Solitudo & singularitas tentationi obnoxia.p.567.n.31.& seqq. Hinc non in omnibus laudanda. Ibid.n.32. & seqq. Singularitatis detrimenta. p. 568.n.33. 34. Antequam aliis prædices, benè tibi viuendum est. p.40.n.27.

2. *Et cùm ieiunasset.* Ieiunij lex rigidè obseruanda.p.403.n.16.& seqq. p.475. n.19.20. Vide Fer.4. Cinerum v.16.

2. *Cùm ieiunasset quadraginta diebus & quadraginta noctibus.* Quadragenarij numeri mysteria.p.377.n.27.28.Quadragesimale ieiunium probatur.p.475. n.19. vsque 22. Commendatur. p.414. n.7.9.p.416.n.16. Exẽplificatur.p.378. n.29. An Niniuitæ ieiunauerint & pœnitentiam egerint totos quadraginta dies, an verò solùm tres. p.373. n.5. & seqq.p.478.n.29. Pœnitentiæ tempus varium hominibus à Deo datum.pag. 378.n.31.Ieiunium non semper ad propria peccata expianda valet, sed interdum etiã ad aliena.p.461.n.20. p.472. num.11.&c.

3. *Accedens tentator dixit ei: Si filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant.*

Qui respondens dixit ei: Non in solo pane viuit homo. Corpus deliciosè habitum, facilè, vt equus indomitus, recalcitrat.p.407.n.34.35. Deo eiusque verbo omnia, etiam lapides, obedire, diabolus ipse nouerat. p.330.n.1. vsque 7. 4.

Mitte te deorsum. Proprium est peccatorum, mittere se deorsum, & cadere mente & corpore. p.80.n.4.5. 6.

Mitte te deorsum: Scriptum est enim, Quia Angelis suis mandauit de te; & in manibus tollent te, &c. Peccata fronte blandiuntur, sed caudâ feriunt, plus enim mali habent in recessu, quàm in accessu. p.298.n.3. Ergo Principiis obsta.Ibid.n.4.5. 6.

Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me. Diabolus multa spondet, vt lapsum vel descensum suadeat, sed falsò. p.80.n.6. Cultus diaboli, seu falsorum deorum stultus & inutilis. p.104. n.14. 18. & seqq. 9.

Tunc dicit ei Iesus: Vade Satana, scriptum est enim: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies. Deum esse, contra Atheos, clarum est. p.107.n.24.& seqq. Nec tamen Sancti, aut eorum imagines sunt idola.p.105.n.18. vsq; 23. 10.

Tunc reliquit eum diabolus: & ecce Angeli accesserunt, & ministrabant ei. Angeli quã promptissimi sunt ad obsequium hominum.p.251.n.20.25. 11.

FERIA II.

Matthæi 25. 31. 46.

Cùm venerit filius hominis in Maiestate sua, & omnes Angeli eius cum eo, tunc sedebit super sedem maiestatis suæ. Sedes maiestatis regiæ qualis olim fuerit. p. 451.n.39. vsque 48. Sedere Christo iudici benè quadrat, quippe contractiori in humanitate, quàm stans fuerit in diuinitate. p.563.n.13. V.31.

Et congregabuntur ad eum omnes gẽtes. Vtique ad iudicium; vt in eo recipiat vnusquisq; propria corporis sui, prout gessit.p.505.n.7.Opera enim in iudicio examinabuntur, & bona proderunt. Ibid.n.8. vsque 13. 32.

Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum: Esuriui enim & 34.
35.

 dedi-

FE-

FERIA V.

Matthæi 15. 21. 28.

V.22. 23. *Ecce mulier Chananæa à finibus illis egressa clamauit, dicens: Miserere mei, Domine, fili Dauid. Qui non respondit ei verbum. Et accedentes discipuli eius, rogabant eum, dicentes: Dimitte eam; quia clamat post nos.* Aliorum orationes, maximè Sanctorum, peccatoribus vtiles. p. 130. n. 22. vsque 27. Quin & defunctis. pag. 331. num. 7.

24. *Ipse autem respondens ait: Non sum missus, nisi ad oues, quæ perierunt, domus Israel. Tunc respondens ait: O mulier, magna est fides tua; fiat tibi sicut vis.* An ergo Deus mutabilis? 381. n. 12. vsque 16.

FERIA VI.

Ioannis 5. 1. 15.

V.5. *Erat autem quidam homo ibi, triginta octo annos habens in infirmitate sua.* Ex inueterata peccandi cõsuetudine vix sine miraculo emergitur. p. 303. n. 26.

7. *Vis sanus fieri? respondit ei languidus: Domine, hominem non habeo,* &c. Pusillanimitatis tentatio vincenda per fiduciam in Deum. p. 291. n. 5. vsque 30.

14. *Ecce sanus factus es: iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.* De Recidiua peccati, vide suprà Fer. 4. v. 45. Eius timore, licet sibi optare mortem. p. 547. num. 32. 33. Item, ne quis alios videat in peccata labi, aut relabi. Ibidem num. 33. 34.

15. *Abiit ille homo, & nuntiauit Iudæis, quia Iesus esset, qui fecit eum sanum.* Peccatori pœnitenti non tantùm propositum emendationis conuenit; sed & zelus animarum. p. 318. n. 14. p. 324. n. 4.

DOMINICA II. QVADRAG.

Matthæi 17. 1. 9.

V.4. *Domine, bonum est nos hic esse: si vis faciamus hic tria tabernacula.* Homines exiguis plerumque rebus lætantur, & delectantur. p. 583. n. 11. vsque 19.

FERIA V.

Lucæ 16. 19. 31.

V.19. *Homo quidam erat diues, qui induebatur purpura & bysso, & epulabatur quotidie splendidè.* Schema est ciuis huius mũdi; sed paulò pòst vel guttam aquæ frustrà mendicantis. p. 386. n. 32. 33.

Habent Moysen & Prophetas: audiant illos. Promissiones veteris Testamenti vmbratiles. p. 578. n. 35. Lex vetus per Ionæ hederam significata. Ibid. 36. Discrimen synagogæ & Ecclesiæ ex gentibus. Ibidem. 29.

Si Moysen & Prophetas non audiunt: neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent. Quia videlicet in malo obdurati & æternorum immemores. pag. 396. n. 32. & seqq. 31.

FERIA VI.

Matthæi 21. 33. 46.

Agricolæ videntes filium, dixerunt intra se: Hic est hæres, venite, occidamus eum, & habebimus hæreditatem eius, & apprehensum eum eiecerunt extra vineam & occiderunt. De morte & passione Christi. Vide Feriam 4. post Dom. 1. Quadragesimæ & Feriam 6. Parasceues. V.38. 39.

Cùm ergo venerit Dominus vineæ, quid faciet agricolis illis? Aiunt illi: Malos malè perdet. & grauiùs castigabit, quàm qui tantùm seruos occiderint. p. 609. n. 17. Quemque pro ratione delicti. p. 225. n. 8. 9. p. 609. n. 17. 40. 41.

Ideo dico vobis, quia auferetur à vobis regnum, & dabitur genti facienti fructus eius. Deus non tantùm Iudæos, sed omnes omninò homines prosequitur suâ prouidentiâ; & his à fide deficientibus substituit alios. p. 44. n. 8. & seqq. p. 397. n. 35. & seqq. 43.

SABBATHO.

Lucæ 15. 11. 32.

Homo quidam habebat duos filios. & dixit adolescentior ex illis patri: Pater, da mihi portionem substantiæ, quæ me contingit. Prodigus ardet, vt fugiat; sed inopiam expertus, ardet, vt redeat. p. 291. num. 7. V.11. 12.

Et diuisit illis substantiam. Dei gratia numquam homini negatur, aut deest in necessariis. p. 43. n. 17. & seqq. 12.

Et

DOMINICA III. QVADRAG.

Lucæ 11.14.28.

FERIA III.

Matthæi 18. 15. 22.

DOMINICA IV. QVADRAG.

Ioannis 6. 1.15.

Regem, fugit iterum in montem ipse solus. Vanitati sæculi renuntiare magna est sapientia. p.599. n.32. Nam ex superbia & ambitione plerumque bella, &c. p.453. n.51.

FERIA IV.

Ioannis 9. 1. 38.

V.2. *Rabbi, quis peccauit, hic, aut parentes eius, vt cæcus nasceretur?* Punitur enim quis interdum ob delicta maiorum, vel parentum suorum. p.164. n.26. & seqq. Sunt & qui de prosapia sua gloriantur. p.176. n.8. Verùm parum illa prodest sine propriis virtutibus. Ibid. num.9. vsque 14.

3. *Respondit Iesus: Neque hic peccauit, neque parentes eius; sed vt manifestentur opera Dei in illo.* Mala pœnæ à Deo sunt. p.283. n.11. vsque 15. p.286. n.23. Etsi id homines non cogitent. p.284. n.13. Ergo æquanimiter toleranda. pag.279. n.33. p.286. n.24.

6. *Hæc cùm dixisset, exspuit in terram, & fecit lutum ex sputo, & liniuit lutum super oculos eius,* &c. Ergo cæremoniæ non sunt vituperabiles, aut inutiles; atque imprimis luti & cinerum, quorum vsus est in capite Quadragesimæ. p.462. n.23. imò multiplicem habent vtilitatem. Ibidem vsque 43. Vide Feriam 4. Cinerum v.18.

14. *Erat autem sabbatum quando lutum fe-*
16. *cit Iesus. Non est hic homo à Deo, qui sabbatum non custodit.* Christus erat vermis arrodens synagogam, & veterem legem sensim abrogans. p.594. num.14. vsque 18.

31. *Scimus quia peccatores Deus non audit: sed si quis Dei cultor est, & voluntatem eius facit, hunc exaudit.* Probatur exemplo Ioppitarum nautarum & hæreticorum. p.130. n.22.23.

FERIA VI.

Ioannis 11. 1. 45.

V.1. *Erat quidam languens Lazarus à Betha-*
3. *nia. Miserunt ergo sorores eius ad Iesum, dicentes: Domine, ecce, quem amas, infirmatur.* In extremis de solo Deo cogitandum: ad ipsum recurrendum. p.312. n.27.28. Nec intercessiones Sanctorum reiiciendæ; prosunt enim viuis atque defunctis. p.331. n.7. Vide Feriam 5. post Dom. 1. Quadrag. v.23.

Domine, si fuisses hic, frater meus non 21.
fuisset mortuus. Sed & nunc scio, quia qua- 22.
cumque poposceris à Deo, dabit tibi Deus. Mors & vita æquè desiderari & peti potest. p.611. n.27.

Iesus eleuatis sursum oculis, dixit: Pater, 41.
gratias tibi ago, quoniam audisti me. Ego 42.
autem sciebam quia semper me audis. Orationis Christi vis & efficacia. pag.278. num.27.

Lazare, veni foras. Potenti Christi vo- 43.
ce opus ad dormientem & grauiter stertentem peccatorem excitandum. p.121. n.21.

DOMINICA V. QVADRAG. SEV PASSIONIS.

Ioannis 8. 46. 59.

Qui ex Deo est, verba Dei audit. Reue- 47.
renter, ne puniatur. p.35. n.8. Et attentè: quia cum spiritu lecta prosunt. Ibid. n.10. Et libenter audita. p.54. n.10.11.

Nónne benè dicimus nos, quia Samarita- 48.
nus es tu, & dæmonium habes? Inuidia mater calumniæ. p.214. n.13. Concionatorũ auditores fastidiosi sunt. p.370. n.30.

Ego non quæro gloriam meam: est qui 50.
quærat, & iudicet. Videlicet iustè: Deus enim iudex iustus est & incorruptus. p.228. num.20.

Dixerunt ergo Iudæi: Nunc cognouimus 52.
quia dæmonium habes. Iudicium proprium sæpè est temerarium. pag. 619. n.20.22. Quanta hic malitia: quæ ne iam quidem minuitur, sed augetur. p.370. n.33.

Abraham pater vester exultauit, vt 56.
videret diem meum: vidit & gauisus est. Quis hic dies? quid videre? pag.11. num.36.

Tulerunt ergo lapides, vt iacerent in 59.
eum: Iesus autem abscondit se, & exiuit de templo. Iniurias illatas remittere, quamuis vlcisci possis, & obliuisci, Christianum est, & laude dignum. p.205. n.18. vsque 29. p.348. n.21.

FE-

Desi-

Luc. c.22. v.15. *Desiderio desideraui hoc Pascha mãducare vobiscum.* Christus promptè obtulit se ad mortem. p.200.n.33.& seqq.

19. *Hoc est corpus meũ, quod pro vobis datur, hoc facite in meã commemorationẽ.* Christus seipsum immolat oblationem mũdam; & etiamnum immolatur per Sacerdotes. p.325.n.6.

v.32. *Et tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.* Multi post lapsum fiunt ferventiores, quàm ante lapsum fuerant. p.359.n.6.7.

Luc. c.23. v.46. *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum.* Christus in extremis recurrit ad Deum, nobis in exemplum. pag. 313.num.28.

Ioan.c.18. v.5. *Ego sum.* Christus se ad mortẽ offert, vt nos viuamus. p.200.n.34.

14. *Expedit vnum hominem mori pro populo.* Nam morte Christi tempestas peccatorum multum sedata est. p.230. num.29.30.

Ioan.c.19. v.11. *Respondit Iesus: Non haberes potestatem aduersum me vllã, nisi tibi datum esset desuper.* Non est potestas, nisi à Deo. p.221. n.35. Quare iudices iustè, quasi Dei iudicium, debent iudicare. ibid.n.36.

DOMINICA PASCHÆ.
Marci 16. 1. 7.

v.6. *Iesum quæritis Nazarenum, crucifixum: surrexit; nõ est hic.* Ionas fuit typus mortis, sepulturæ, & resurrectionis Christi. p.210.n.34. p.337.n.30.vsq; 41. Et Resurrectionem etiã Ionas nouerat. p.303.n. 24. Fuit etiã testis resurrectionis Christi: & cum eo resurrexit secundũ quosdam. p.27.n.32. p.339.n.39. Christi resurrectio prototypon fuit nostræ resurrectionis. ibid.n.41. Corporum resurrectionem docet ratio. p.340.n.42. Resurrectio animorum spiritualis suadetur. ibidem n.43. vsque 49.

FERIA II. PASCHÆ.
Lucæ 24. 13. 35.

v.32. *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dũ loqueretur in via: & aperiret nobis Scripturas?* Vis & efficacia S. Scripturę. p.35. n.10.11. p.344.n.1.& seqq.

FERIA III. PASCHÆ.
Lucæ 24. 36. 47.

Tunc aperuit illis sensum, vt intelligerẽt Scripturas. S. Scriptura est liber vitæ, diligenter legendus, maximè Sacerdotibus; quia obscurus. p.15.n.51.vsq; 55. Eius lectionis vtilitas. p.17.n.56.57. Multa paucis comprehendit. p.332.n.9. v.45.

Oportebat ... prædicari in nomine eius pœnitentiã, & remissionem peccatorum in omnes gentes. Ecclesiæ amplitudo. pag. 590.n.34. 47.

FERIA IV. PASCHÆ.
Ioannis 21. 1. 14.

Mittite in dextram nauigij rete; & inuenietis. Deo duce & suasore nihil difficile. p.336. num.28. v.6.

Ascendit Simon Petrus, & traxit rete in terram plenum magnis piscibus centum quinquaginta tribus. & cùm tanti essent, non est scissum rete. Quanti fuere? cetine aut balænę, pisciũ monstra? p.247.n.6.7. 11.

DOMINICA IN ALBIS.
Ioannis 20. 19. 31.

Cùm esset serò die illo, vna sabbatorum, & fores essent clausæ, vbi erant discipuli congregati propter metũ Iudæorum; venit Iesus, & stetit in medio, & dixit eis: Pax vobis. Caritas Pręlatis necessaria, maximè in subditorũ tentatione. p.209.n.29. v.19.

DOMINICA II. POST PASCHA.
Ioannis 10. 11. 16.

Ego sum pastor bonus. Qui mala mihi illata accipio de manu Dei (dicat quisque sibi pastor) in pœnitentiã præteritarum negligentiarũ. p.284.n.15. Quid Deus à pastoribus & prælatis in iudicio sit quæsiturus. p.170.n.51. v.11.

Bonus pastor animam suam dat pro ouibus suis. Id demum perfectæ caritatis est, animã suam & vitã pro proximo exponere. p.193.n.6.& seqq. Pastores enim & concionatores non tantùm animæ suę; sed & aliorum debent habere curã. p.54.n.8. p.132.n.30. 11.

DOMINICA III. POST PASCHA.

Ioannis 16. 16. 22.

DOMINICA IV. POST PASCHA.

Ioannis 16. 5. 14.

DOMINICA V. POST PASCHA.

Ioannis 16. 23. 30.

DOMINICA VI. POST PASCHA, SEV INFRA OCT. ASCENSIONIS.

Ioannis 15. 26. vsque c.16. 4.

DOMINICA PENTECOSTES.

Ioannis 14. 23. 31.

Dei mirabilis est, ideoque tutò ei acquiescitur. p.240.n.1 vsq; 6.p.251. n.20. vsque 26. Etsi enim suos castiget, tamen non destituit. p.336.n.26. sed ex labyrintho miseriarum educit. ibid n.27. Hinc numquam desperandum rebus etiam afflictissimis. ibid. n. 28.p.340.n. 45. vsque 49. Nec concionator facilè turbari debet, sed humanus esse & mansuetus. p.335.n.24.

28. *Pater maior me est.* Homine, magnitudinem autem suam ostendit in creatione magnarũ creaturarum. p. 247.n.7. vsque 14.p.283.n.8.& miraculis. p. 335. n.25. Piscis Ionæ fueritne creatus quinta die mundi? p.250.num.16.

FERIA III. POST PENT.

Ioannis 10. 1. 10.

V.1. *Qui non intrat per ostium, sed ascendit aliunde, ille fur est & latro.* Prælati tempestiuè seipsos interrogent, quomodo ad prælaturã peruenerint. p.170.n.51.

4. *Cùm proprias oues emiserit, ante eas vadit: & oues illum sequuntur, quia sciunt vocem eius, alienum autem non sequuntur.* Dux spiritualis, similibus probatur esse necessarius. p.439.n.49.

10. *Fur non venit, nisi vt furetur, & mactet, & perdat.* Quod tyrannorum proprium est. p.189.n.23.

FESTO SS. TRINITATIS.

Matthæi 28. 18. 20.

V.18. *Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra.* Deo obediunt omnia. p.252. num.24.

19. *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* In nomine SS. Trinitatis Sacramentũ baptismi peragitur. p.365. n.11. Quam iter tridui Ionæ significabat. ibidem. In qua nihil tenebrosum, sed omnia clara. ibidem.

DOMINICA I. POST PENT.

Lucæ 6. 36. 42.

V.36. *Estote misericordes, sicut & Pater vester misericors est.* Quod, si vmquam, ostẽdit in Niniuitas. p.504.n.5. vsque 11. p.508. n.16. vsque 20. p.511.n.28.& seqq. p.530. n.12. p.532.n.19. vsque 39.

Nolite iudicare, & non iudicabimini. 37.
Iudicium temerarium omnino vitandũ. p.214.n.10. vsque 16. Sed de omnibus benè sentiendum. ibidem 10. & 15. Id pulchro exemplo docetur. p.215.n.14.

Dimittite, & dimittemini. Dimittendũ 37.
alteri, vt nobis à Deo debita nostra dimittãtur. p.489.n.35.36. Etiam inimico. p.208.n.28. De dilectione inimicorum. Vide Feriam 6. post Cineres v. 44.

Date, & dabitur vobis. Eleemosynę vis. 38.
Vide Dom.8. post Pent.v.9.

Eadem quippe mensura, qua mensi fueritis, remetietur vobis. Lex Talionis est: 38.
Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. p.217.n. 22. vsque 32. Vide Dominicam 5. post Pentecosten v. 21.

Quid vides festucam in oculo fratris tui, trabem autem, quæ in oculo tuo est, non considera? Plerique aliena vitia considerant, non item sua. p.171.n.54.55 p. 185. n.9. Vide Dom.10. post Pent.v.11. 41.

Hypocrita, eiice primùm trabem de oculo tuo. Hypocritæ non latent Deum; sed eorum hypocrisis tandem detegitur. p.152.n.12. vsque 20. & diuinitus punitur. p.153.n. 18.19. 42.

De hypocritis, vide Fer.4. Cinerum v. 15.

FESTVM VEN. SACRAMENTI.

Ioannis 6. 56. 59.

Caro mea verè est cibus. Id verò quærendum aut cõsiderandum sub sacram communionem. p.171.n.53. V. 56.

DOMINICA II. POST PENT.

SEV INFRA OCTAVAM VENERAB. SACRAMENTI.

Lucæ 14. 16. 24.

Homo quidam fecit cœnam magnam, & vocauit multos. Quænam hæc cœna? pag. 73.n.21. V.16.

Et misit seruum suum horâ cœnæ, dicere inuitatis vt venirent; quia iam parata sunt omnia: & cœperunt simul omnes excusare. Quare cœna illa magna tam 17. 18.

 parum

DOMINICA III. POST PENT.

Lucæ 15.1.10.

DOMINICA IV. POST PENT.

Lucæ 5. 1. 11.

Ascen-

DOMINICA VIII. POST PENT.

Lucæ 16. 1. 9.

DOMINICA IX. POST PENT.

Lucæ 19.41.47.

mundi, pomis Sodomæis similes sunt. p.599.n.33.

42. *Dicens: Quia si cognouisses & tu.* Cognitio sui, magna & vtilis est sapientia. p.530. n.11. Cognitio & consideratio v..ria, peccati remedium. p.326. n.12. Deus nihil æquè optat ac seruare homines & ciuitates integras. pag. 627. num.14.15.

43. *Et quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi; nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis.* ἀλογιςία & inconsiderantia mundanæ vanitatis multorum malorum caussa est. p.588. n.30.p.625.n.5. Homines transformat in iumenta.p.631.n.30. Hominum durities, qui diuinæ vindictæ exemplis non permouentur.p.186. n.11.12. Magna est mundanorũ cæcitas & vanitas.p.167.n.40. Status Ierosolymæ peccantis compositus statui Niniue pœnitentis. p.530. n.13. Pœnitentia non differenda. p.190.n.28.

43. *Quia venient dies in te: & circumdabunt te inimici tui vallo, & circumdabunt te: & coangustabunt te vndique.* Videlicet post quadraginta annos, iam enim necdum impleta est mensura peccatorum tuorum.p.372.n.3.4.

Deus autem misericors clementer præmonet, & tempestiuè minatur, vt homines resipiscant, ne cogatur punire.p.37.n.16.p.52.n.1.vsque 5.p.372.n. 2. p.382.n.16.p.500.n.21.p.508.n.16.17.

44. *Et ad terram prosternent te, & filios tuos, qui in te sunt.* Pleræque omnes quantumuis maximæ vrbes destructæ. p.45.n.15.vsque 25.p.48.n.23. vsque 27. p.362. n.34. Quæ vrbes toto orbe magnæ, & quibus ex caussis. Vide Festum Epiphaniæ Domini v.1. Vrbium maximarum regnorumque interitus nos de vita intereunte monent. p.49. n.27. Vanum ergo magnas vrbes, domos, ac palatia exstruere. Ibidem n.25.& seqq. Mundi vanitas.p.623.n.5.6.

44. *Et non relinquent in te lapidem super lapidem.* Vrbi Ierusalem interitus denuntiatur. p.368.n.22. Item vrbi regnoque Valentiæ, ibid.n.23. Hac phrasi significatur plena & integra subuersio.p. 376.n.21. Prædictio hæc Christi similis est prædictioni Ionæ de Niniue. p.384. n.2& seqq. Ciuitates & regna, in sensu mystico, subinde vtiliter euertuntur & reædificantur. p.381.n.12.p.523.n.32. 33. Romani, quasi vermes, Ierusalem euerterunt. p.593. n.12.

Non relinquent in te lapidem super lapidem, eò quòd non cognoueris tempus visitationis tuæ. Mortalium cæcitas & peccata, caussa sunt bellorum, calamitatum & euersionum ciuitatũ, &c. p.59. n.28. vsque 31.p.81.n.8.p.112.n.16. vsque 21.p.138.n.5.& seqq.p.596.n.22. Nullum enim peccatum impunitum. p.223.n.1. vsque 19. 44.

Et quidem pœnâ plerumq; peccatis proportionatâ.p.225.n.8.9.p.609.n.17.

Et ingressus in templum, cœpit eiicere vendentes in illo, & ementes, dicens illis: Scriptum est: quia domus mea domus orationis est. Templum domus Dei, & locus orationis est. p.268.n. 20.& seqq. 45. 46.

Et erat docens quotidie in templo. Templi vsum, vide Dom. infra Oct. Epiphaniæ v.42. & 46. 47.

DOMINICA X. POST PENT.

Lucæ 18. 9. 14

Duo homines ascenderunt in templum, vt orarent. Templum domus Dei, & locus orationis est.p.268.n.20.& seqq. non tamen solum templum est orationis locus. p.267.n.18,19.p.269.n.23.vsque 29.p.277.n.25. V.10.

Vnus Pharisæus, & alter Publicanus. Inter humilem & superbũ, latum discrimen est. p. 180.n.27. Omnis generis homines Deum orant.p.528.n.2. vsque 9. Quòd si minùs liceret in templo, saltem ad templum se corpore & mente conuertebãt oraturi.p.313.n.31.vsque 35. 10.

Pharisæus stans, hæc apud se orabat: Deus gratias ago tibi, quia non sum sicut cæteri hominum. Prosperitas multa mala, atque imprimis superbiã generat. p.279. n.32. Superbia autem multos fecit hæreticos.p.222.n.38. sed & Christianos arrodit, quasi vermis.p.603.n.46. Hinc illi fortiter resistendum. Ibid.n.47.48. 11.

Non sum sicut ceteri hominum: raptores, iniusti, adulteri: velut etiam hic Publicanus. Plerique magis aliena, quàm sua 11.

 pec-

DOMINICA XI. POST PENT.

Marci 7. 31. 37.

DO-

DOMINICA XII. POST PENT.

Lucæ 10. 23. 37.

V.23. *Beati oculi, qui vident, quæ vos videtis.* Magistrum videlicet salutis eiusq; doctrinam audiunt. Audiuit Rex Niniue, vnus ex mille. p.442.n.5.

24. *Multi Reges voluerunt videre, quæ vos videtis: & audire, quæ auditis, & non audierunt.* Solēt enim ferè Reges & Principes vltimi audire & cognoscere quæ ad bonum publicum spectant. Ibid.n.3. Caussæ. Ibidem. Et inde mala. Ibidem num. 4.

25. *Magister, quid faciendo vitam æternam possidebo? At ille dixit: In lege quid scriptum est? quomodo legis? Ille respondens dixit: Diliges, &c. Hoc fac, & viues.* Ergo non saluat fides sola p.413.n.6. De hoc argumento plura vide Dom. Septuagesimæ v.1. & 8. Feria 2. post Dom.1. Quadragesimæ v.34. Dom.7. post Pentecosten v. 19. Legum obseruatarum vtilitas. p.489.n.36. & 46.

27. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, &c.* Deus super omnia diligendus. p.205.n.16. Vide etiā Dom.17. post Pentecosten v.36.

27. *Et proximum tuum sicut teipsum.* Id fecerunt Ionæ socij multis modis; in exemplum aut confusionem Christianorum. p.204.n.13.14.

30. *Homo quidam descendebat ab Ierusalem in Iericho, & incidit in latrones.* Fuge malum consortium, maximè tamen hæreticorum. p.95.n.22. vsque 25. Descensus duplex: corporis & mentis p.80.n.4. Sed hic valdè periculosus. ibid. n.5. Quem tamen multis promissis suadet diabolus. Ibidem n. 6. Graue est iter agentem incidere in latrones; sed multò grauius incidere in iniustos iudices. p.220.n.33.

33. *Samaritanus autem quidam iter faciens, venit secus eum: & videns eum, misericordia motus est.* De magna Dei in homines, maximè peccatores, clementia & misericordia vide Sabbatum post Dom. 2. Quadragesimæ v.20. & Dom. 1. post Pentecosten v.36.

34. *Et appropians alligauit vulnera eius infundens oleum & vinum.* Iudices & Prælati oleum clementiæ infundant vulneribus subditorum. p. 53. n.3. & seqq. p.551.n.9. vsque 34. Item confessarij pœnitentium. p. 136.n.43. & seqq. p.172. num.58.59.

Et imponens illum in iumentum suum, duxit in stabulum, & curam eius egit. Afflictis condolendum. p.188.n.22. Irrationabiles homines ac simplices, item gentiles, velut iumenta sunt; tamen etiam ad Deum pertinent p.631.n.30. & seqq. Stabulum autem, hic mundus est, quasi hospitium peregrinorum. p.177. n. 16. & seqq. vel theatrum actorum. ibidem n. 19. & seqq. 34.

Et altera die protulit duos denarios, & dedit stabulario, & ait: Curam illius habe; & quodcumque supererogaueris, ego cùm rediero, reddam tibi. Opera supererogationis, & vota antiqua sunt, & Deo grata. p. 236. n.19. Atque ethnicis etiam nota. ibidem n.20. 21. 35.

DOMINICA XIII. POST PENT.

Lucæ 17. 11. 19.

Cùm ingrederetur quoddam castellum, occurrerunt ei decem viri leprosi. Sub nomine viri, etiam fœminæ intelliguntur. p.487.n.30. Et Magistratus ac Iudices. p.402. num. 11. V.11.

Lepra peccatum est, contagione latiùs serpens p.92.num.15. & 22. ac seqq. hinc fugiendum p.95.n.22.23. Et ne vel vnius quidem peccatum in Rep. ferendum; sed exterminandū. ibid. n. 13.14. Quia vel vnius peccatum sæpè luunt multi. ibid.n.12.17.18. Et quidē meritò. p.94.n.19. & seqq. Sicuti vnius probitas & virtus sæpè seruat multos. p.93.n.16.

Fugiendum ergo consortium malorum, maximè hæreticorum. p.95. n.22. vsque 25.

Qui steterunt à longè. Timor Dei reuerētialis ei gratus est p.179 n.23. Qualis hic timor? p.181.n.29. Timoris caussæ variæ. ibid. n.30. & seqq. p.181.n.2. vsque 5. Nec tantùm boni, sed etiam mali vtiliter Deum timent. p.182.n.35. vsque 41. 12.

Et leuauerunt vocem. Peccatorum inquies & angustiæ. p 117.n.6. & 10. vsq; 17. 13.

Et

DOMINICA XIV. POST PENT.
Matthæi 6.24.33.

DOMINICA XV. POST PENT.
Lucæ 7.11.16.

Et

14. *Et ait: Adolescens, tibi dico, surge.* Vitæ nostræ cursus perbreuis, instar peregrinantium. p.178. n.16. & seqq.

Deus non vult mortem peccatoris, sed vt à morte resurgat. p.340. n.43. & seqq. p.347. n.17.

Concionatorum est alios à morte, aut somno peccati excitare. p.42. n.3. & seqq. Nostrum etiam surgere. p.43. n.6. Videlicet à peccatis. p.67. n.28.

16. *Propheta magnus surrexit in nobis.* De Christo omnium Prophetarum & prophetiarum scopo, & alia de Prophetis & prophetiis, vide Dom. 2. Aduentus v. 9. 10. Festum S. Stephani v. 34. & Dom. 7. post Pentecosten v. 15.

DOMINICA XVI. POST PENT.

Luca 14. 1. 11.

V. 2. *Et ecce homo quidam hydropicus erat ante illum.* Peccator, maxime auarus, semper sitit, & inquietus est. p.287. n.26. Tales ferè omnes mundani: nec enim huius mundi res animum eorum satiare possunt. p.597. n.25. vsque 30.

11. *Qui se humiliat, exaltabitur.* Humilitas Deum vincit. p.457. n.6. Ergo quanto magnus es, humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam. p. 451. num. 39. vsque 54.

DOMINICA XVII. POST PENT.

Matthæi 22. 35. 46.

V. 36. *Quod est mandatum magnum in lege?* Quod diuinâ nititur auctoritate. Hinc plerique legislatores illam sectati vel mentiti sunt. p.38. n.18. & seqq. Quod omni retinaculo fortius & potentius. p.303. n.22. Piis & religiosis Principum edictis obgannire, hæreticorum est. p.492. n.48. & seqq.

36. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, &c.* Deus super omnia diligendus. p.205. n.16.

DOMINICA XVIII. POST PENT.

Matthæi 9. 1. 8.

V. 1. *Ascendens Iesus in nauiculam.* De nauibus & nauiculis variis, vide Dominicam 4. post Epiphaniam v. 23. & Dom. 4. post Pentecosten v. 3.

Et ecce offerebant ei paralyticum, iacentem in lecto. Paralyticus hic, & acediosus in Iona dormiente, & altum stertente, satis expressus. p. 116. n. 1. per totam Lect. Modus talem iuuandi. p.129. n.19. & seqq. 2.

Et videns Iesus fidem illorum, dixit paralytico: Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. Fiducia & fortitudo animi in aduersis Deo grata est; adeoque exauditur, oratione adhibita. p.305. n. 1. & seqq. Quod multis exemplis demonstratur. ibidem vsque 19. Sanctorum est propria. p.311. n. 21. & seqq. Ast impij in aduersis casibus vix de Deo cogitant. ibidem n. 22. Fiducia in Deum, hominem illuminat. p.597. n.28. 29. Nũquam de Dei misericordia desperandum. p.340. n.45. vsque 49. 2.

Cùm vidisset Iesus cogitationes eorum. 4.
Deo oculatissimo aperta sunt omnia, etiam interiora hominis sensa. p.151. n. 9. vsque 17. p.537. n.35. Quod considerare, magnam adfert vtilitatem. p.151. num. 10. 11.

DOMINICA XIX. POST PENT.

Matthæi 22. 1. 14.

Simile factum est regnum cælorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo. De nuptiis, vide Dom. 2. post Epiphaniam. V. 2.

Et misit seruos suos vocare inuitatos. 3.
Quomodo Deus homines vocet per se, & per suos, vide Dom. 3. Aduentus v. 23. Dom. 4. Aduẽtus. Dom. Septuagesimę. Dom. 2. post Pentecosten.

Illi autem neglexerunt: & abierũt, alius in villam suam, alius ad negotiationem suam. Peccator præ terrenis negligit cælestia. p.73. n.21. 5.

Reliqui verò tenuerunt seruos eius, & contumeliis affectos occiderunt. Vide festum S. Stephani v. 34. 6.

Rex autem, cùm audisset, iratus est. De ira iusta & iniusta, vide Dom. 2. post Pentecosten v. 21. Dom. 5. post Pentecosten v. 22. 7.

Nuptiæ quidem paratæ sunt, sed qui inuitati sunt, non fuerunt digni. Ite ergo 8.
ad

inconſtantia exemplis demonſtratur. p.601.n.39 .& ſeqq.

26. *Procidens autem ſeruus ille, rogabat eum.* Vexatio dat intellectum.p.279.n.31.vſque 35.p.291.n.7.8.Etiã Reges Dei ſerui ſunt, ideòque ei accedere & coronas ſuas offerre debent. p.451.n.39.p.453. n.49.vſque 54.

26. *Dicens: Patientiam habe in me, & omnia reddã tibi.* Homini de Dei miſericordia numquam deſperandũ, etiam in rebus afflictiſſimis.p.497.n.9.10.p.502.n.29.30 Nec peccatori in viã redire volenti. p. 359 n.8.10. Quantumcũq; aberrauerit. p.530.n.12. Et quotieſcũque. p.521.n.23. & ſeqq.nedũ mors ſibi conſciſcenda ab vllo.p.198.n.25.26.Modò peccator peccatum ſuum cum humilitate agnoſcat. p.180.n.25.vſque 28.p.194.n.11. vſq; 16. Maxima enim eſt Dei patientia & clemẽtia,in exſpectãda conuerſione peccatoris.p.348.n.17.p.530.n. 12.p.532. n. 16.vſque 37. Sed quantũ diſtat patientia diuina ab humana! p.535.n.27.vſque 30.p.552. n.12.13.Reſponſio mollis frangit iram. ibid.n.11.

27. *Miſertus autẽ Dominus ſerui illius, dimiſit eũ, & debitũ dimiſit ei.* Diuina miſericordia omnibus quidẽ ſemper patet, & parata eſt;ſed nõ ab omnibus acceptatur.p.501.n.25.Ionę mirabiliter miſertus eſt Deus.p.247.n.4.5. In quo apparet diuinam iuſtitiam pugnare cũ victrice miſericordia.p.256.n.3. vſq;8.p.285.n.16 Hæc ſẽper ob oculos habẽda. p.262.n. 35.36. Deus benignus eſt etiã in immerentes,& eos,quos caſtigat.p.256.n.5.& ſpõte inuitat ad pœnitentiã.p.427.n.7. Quę eſt perfecta cũ Deo reconciliatio. p.347.n.13.& ſeqq. Signa culpæ peccatori à Deo remiſſæ.p.348.num.19. Hic quoque iudicibus lenitudo commendatur.p.201.n.1.

28. *Egreſſus autẽ ſeruus ille, inuenit vnũ de cõſeruis ſuis, qui debebat ei centũ denarios: & tenens ſuffocabat eũ.* Quàm homo eſt fragilis & labilis! p.530.n.10.11.Indulgẽtiâ videlicet plerũq; fit deterior. p.500.n. 22.& ſeqq.Etiam qui videntur ſancti, rebus minimis ſæpè mouẽtur, & grauiter turbãtur.p.620.n.27.p.263.n.1. & ſeqq. Idque ex deſiderio proprij, vt plurimũ, cõmodi.p.626.n.8.quod latè in mundo dominatur. p.618. n. 20. 21. Remedia ſunt.p.620.n.28.vſq; 34. Peccatoris tepidi ac relapſi indignitas & turpitudo. p.500. n.23. 28. Qui nouiſſima, quãuis acriter prædicata, vel non credit, vel non timet, hinc facilè relabitur. p.388. n.37. Cùm tamen vita breuis ſit, & incerta hora vltima.ibid. 38.

Et tenens ſuffocabat eum, dicens: Redde, quod debes. Qui conſeruum ſuffocat (ita vt innocentiam ſuam manifeſtare non permittatur, aut pro ea dicẽs nõ audiatur) non meretur miſericordiã;ſed meritò euocatur ad tribunal Dei, & talione punitur. p.160.n.10.& ſeqq.Innocẽti enim ſæpè Deus adeſt & opitulatur. p. 161.n.13.Reo ergo dandũ tẽpus & facultas pro ſe loquendi. p. 162.n. 17.Inimicitiarum damna. p. 208.n.26. 28.

Vidẽtes autẽ conſerui eius quæ fiebãt, contriſtati ſunt valde: & venerũt, & narrauerũt Domino ſuo omnia, quæ facta fuerãt. Socij fiunt accuſatores peccatoris ac iudices.p.158.n.1.vſque 4.Cõſiliarij Principum nõ ſint canes muti, ſed liberi monitores.p.447.n.26.27.Cõtra ac aulici & adulatores, qui palpũ obtrudũt Dominis ſuis. p.445.n.19.p.454.n.52. Adulatorũ ſeu aulicorũ fraudes,&c. p.446. n.20. vſq; 25.Hinc aula expellẽdi.ibid. n.26.Et peccata quædam ad Deum in cælum clamant.p.352.num.34. 31.

Tunc vocauit illum Dominus ſuus, & ait illi: Serue nequã, omne debitum dimiſi tibi, quoniã rogaſti me: Facienti quod in ſe eſt, Deus non deeſt. p.595.n.4. 32.

Nonne ergo oportuit, & te miſereri cõſerui tui, ſicut & ego tui miſertus ſum? Legem talionis niſi homo ſibi indicat, Deus indicit. p. 192.n.1. & ſeqq.p.217.n.22. & ſeqq. Pœnã quis multis titulis mereri poteſt.p.166.n.32. 33. 33.

Et iratus Dominus eius tradidit eum tortoribus. Sequitur nocentes vltor à tergo Deus.p.73.n.18.& ſeqq.p.89. n.1. &c. Deus peccatores variis modis torquet; iudiciũ enim ſine miſericordia ei, qui non fecerit miſericordiam. p.606. n.8. Omnis creatura Dei ſatelles eſt, & miniſter, ſeu tortor: mare, piſcis, vẽtus, vermis, ſol, &c.p.246.n.2. vſq; 6.p.250.n.15. 34.

mortem expetere, æquè ac vitam? ibid. n.4. vſque 34. Quibus ex cauſſis licitum mortem expetere. ibidem. nec enim mors malum eſt. ibidem 7. Sancti, qui deſiderauerunt citius mori. pag. 540. num. 8. 9. vſque 34. Sancti, qui deſiderauerunt diutius viuere, ſeu tardiùs mori. pag. 544. num. 21.

20. *Et ecce mulier, quæ ſanguinis fluxum patiebatur duodecim annis, acceſſit.* Tribulatio, infirmitas, & vexatio dat intellectum, atque ad Deum ducit. pag. 182. num. 34. p. 357. num. 4. 5. Corpus afficere ac lædere poteſt, non animam. p. 301. num. 16.

20. *Acceſſit retrò, & tetigit fimbriam*
21. *veſtimenti eius. Dicebat enim intra ſe: Si*
22. *tetigero tantùm veſtimentum eius, ſalua ero. At Ieſus conuerſus, & videns eam, dixit: Confide, filia, fides tua te ſaluam fecit. & ſalua facta eſt.* Timor Dei reuerentialis, cultus eſt ei gratus. p. 179. num. 23. Reliquiarum ſacrarum vis. p. 111. num. 10. p. 331. num. 7.

DOMINICA XXIV. POST PENT.
Matthæi 24. 15. 35.

V.15. *Cùm videritis abominationem deſolatio-*
16. *nis ... ſtantem in loco ſancto: qui legit, intelligat: tunc qui in Iudæa ſunt, fugiant ad montes, &c.* Deus clemens misericorditer præmonet nos malorum, & concedit tempus pœnitentiæ. p. 376. n. 20. vſque 31. Vide etiam Dom. 9. poſt Pentecoſten. v. 43.

20. *Orate autem vt fuga veſtra non fiat*
21. *hieme, vel ſabbato. Erit enim tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi vſque modò, neque fiet.* De oratione eiuſque vi & efficacia, vide Dom. 4. poſt Epiphaniam v. 25. Patientia læſa fit furor. p. 378. n. 31.

23. *Tunc ſi quis vobis dixerit: Ecce hic eſt Chriſtus, aut illic: nolite credere.* An ergo Magi, Herodi Chriſtum in Bethleem demonſtranti, perperam crediderunt? Vide Epiphaniam v. 10. Quid credendum, & conſiderandum de Chriſti præſentia in V. Euchariſtia; vide feſto V. Sacramenti v. 56.

Surgent enim pſeudo-chriſti & pſeudo- 24.
prophetæ. Nónne Chriſtus hic noſtra deſignauit tempora, pſeudo-chriſtorum, & pſeudo-prophetarum feraciſſima? p. 4. n. 14. vſque 27.

Et dabunt ſigna magna & prodigia, 24.
ita vt in errorem inducantur (ſi fieri poteſt) etiam electi. Neſcit homo vtrùm odio, an amore dignus ſit. pag. 498. num. 12. 14.

Conditionatæ huiuſmodi locutiones in S. Scriptura vim ſuam habent & gratiam. p. 496. n. 8. 13.

Qui ſtat, videat ne cadat: nam Niniuitæ poſt talem pœnitentiam relapſi ſunt, ac funditus deleti. pag. 639. num. 54. 55.

Ecce prædixi vobis. Id Prophetarum 25.
eſt, de quibus, vide Dom. 2. Aduentus v. 9. Feſtum S. Stephani v. 34. Dom. 7. poſt Pentecoſten. v. 15. Et Niniue interitus prædictus à Tobia. pag. 639. num. 55.

Statim autem poſt tribulationem die- 29.
rum illorum, ſol obſcurabitur, & luna non dabit lumen ſuum. An obtenſo ſacco cilicino? p. 428. n. 10. Quantus tunc inde futurus horror. p. 481. n. 7. & ſeqq. De Eclipſibus ſolis, &c. vide Feriam 6. Paraſceues Matth. 27. v. 45.

Et tunc plangent omnes tribus terræ. 30.
Timore ſupplicij peccata planguntur, & vitantur. p. 58. num. 27. Timoris Dei neceſſitas, vis & vtilitas. p. 181. num. 29. vſque 41.

Et videbunt Filium hominis venientem 30.
in nubibus cæli cum virtute multa, & maieſtate. Ad iudicandos bonos & malos; quando ſuus cuique, ſed longè diuerſus, aſſignabitur locus & terminus. p. 167. n. 38. 39.

De iudicio, ſignis, & maieſtate iudicantis, &c. vide Dominicam 1. Aduentus v. 25. & ſeqq. & Feriam 2. poſt Dominicam 1. Quadrag. v. 31. & ſeqq. Conuerſionem S. Pauli 25. Ianuarij v. 28.

descendere de solio superbię,& sub piscatoribus humiliari p.443.n.8.

25. *Abscondisti hæc à sapientibus,& prudentibus,& reuelasti ea paruulis.* Obedientia cæca,etiã in rebus fidei, laudabilis est, & sæpè necessaria.p.221.n.37.38.

25. *Reuelasti ea paruulis.* Qui dicantur paruuli.p.629.n.20.& seqq.& horum Deus non exiguam curam gerit ibid.& n.23.

28. *Venite ad me omnes,qui laboratis & onerati estis: & ego reficiam vos.* Tam grata Deo est pœnitẽtia peccatoris,vt etiam sponte illũ ad eam inuitet. p.427.n.2.

30. *Tollite iugum meum super vos. Iugũ enim meũ suaue est.* Iugum Christi,& virtutis suaue,peccati graue. p.83.18.vsque 21. Pusillanimitas & inanis metus superandus ei,qui Deo benè velit seruire.p.290. n.1.vsque 30.

Epistola Actorum 1. 15. 26.

V.17. *Sortitus est sortẽ ministerij huius.* Sortiũ antiquitas & vsus apud Ethnicos, Iudęos & Christianos. p.139.n.11.& seqq. Sors triplex.ibid. vsque ad finẽ Lectionis. Sortẽ eliguntur Sancti in patronos. p.155.n.25.vsque 35.

26. *Et dederũt sortes eis.* Quas?nam sors triplex est.pag.139.n.11.& seqq. Diuisoria, vt plurimũ licita est.p.140.n.12.&seqq. Cõsultoria, partim licita, partim illicita.p.142.n.21.vsq; 25.Diuinatoria semper illicita.p.144.n.26.& seqq.nisi Deo expresè mãdante mittatur.p.145. n.29.

Diuinatores, Magi, Arioli, diabolum consulentes puniti diuinitus & humanitus.p.145.n.30.31.Et ab Ecclesia damnati.legibusq; Cæsareis.p.147.n.39.40.

26. *Et cecidit sors super Matthiam.* p.141. n.18.Et super Christum.p.154.n.21. & seqq. De sortiũ speciebus,antiquitate, vsu,& modo, &c. agitur fusissimè tota Lectione 12.& 13. c.1.

CATHEDRA
S.PETRI ANTIOCHENA. 22.Feb.
Matthæi 16.13.19.

V.18. *Super hanc petrã ædificabo Ecclesiã meam, & portæ inferi non praualebũt aduersus eã.* Quia Christus ei adest. p.112. n.13.14. Vide Dom.4.post Epiph.Ecclesia omnibus modis à nobis iuuãda.p.112.n.15.

S. IOSEPH CONFESS. 19.Martij.
Matthæi 1. 18. 21.

Ioseph vir eius,cùm esset iustus, & nollet 19.
eam traducere,voluit occultè dimittere eã. Lenitas & mansuetudo Christianis commendatur,exemplo ethnicorum. p.203.n.6.vsque 14.

ANNVNTIATIO B.V.M. 25.Martij.
Lucæ 1. 26. 38.

Missus est Angelus Gabriel à Deo in ci- V.26
uitatem Galilææ. De Angelis, eorumque ministeriis, vide festum S.Michaelis.

Hic erit magnus,& filius Altissimi voca- 32.
bitur. Filius Dei è cælo quasi fugit in mundum.p.78.n.46.47.descendens in vterum B. Virginis & in nauim Crucis. p.88.n.34.& seqq.

Dixit autem Maria ad Angelum: Quo- 34.
modo fiet istud, quoniam virum non cognosco. Nec cognoscam,aut cognoscere possum,cùm vouerim castitatem.Vota enim Deo grata sunt; eorumque vsus laudabilis. p.325.n.10.p.328.n.18.

Sunt item vtilia. p.240.n.36.37.pag. 326.n.12.

Antiqua etiam & meritoria ac præmio digna.p.236.n.19.& seqq. vsque ad finem Lect.Immò opus ex voto factum duplex habet meritũ.p. 239.n.34. Modò in eo nullus sit abusus.p. 242. n.44. & seqq. Hinc etiã Apostoli vouerunt. p.237.n.27.& seqq. Et Christus ipse. p. 329.n.25.& seqq.Quin & Ionas.p.323.n. 1.&c.325.n.8.9.Et Anna mater Samuelis. p.327.n.16. Et Nazaræi.ibid. vnde consequenter & Religiosi. p.328.n.17.

Maximè in necessitate aliqua positis vouere licet, modò id maturè & deliberatè fiat.p.241.n.39.&seqq.Nec facilè quærenda est dispẽsatio.ibid.n.41.Nec vota negligenda,aut eorũ impletio differenda.neglecta enim,diuinitus sæpè puniuntur.ibid.n.42.43.p. 326.n.12. & 19.vsque 24.Quãtumuis hæretici multum obganniant:sed refutantur. p.238. n.28.30.& seqq.

Violauit sua Caluinus,sed num impunè?p.240.n.35. vota contra hæreticos defenduntur.p.327.n.14.vsque 18.

14. *Sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto; ita exaltari oportet filium hominis.* In arborem crucis videlicet; sub cuius vmbra vtiliter, securè, lætique quiescamus. pag. 589. num. 34. & seqq.

VIGILIA NATIVITATIS S. IOANNIS BAPTISTÆ.

Lucæ 1. 5. 17.

6. *Erant autem iusti ambo ante Deum.*
15. *Et erit magnus coram Domino.* Hoc est, verè magnus, verè iusti. nam illi demum verè iusti sunt & magni, qui coram Deo, & in oculis eius tales sunt. p. 358. n. 16. 17. Ratio phraseos n. 18.

NATIVITAS S. IOAN. BAPTISTÆ. 24. Iunij.

Luc. 1. 57. v. 68.

V. 60. *Nequaquam: sed vocabitur Ioannes.* Nomina non gratis & frustra imponuntur: sed sunt significatiua. p. 41. n. 30. 32. p. 45. n. 13. p. 174. n. 2. vsque 12.

61. *Et dixerunt: Quia nemo est in cognatione tua, qui vocetur hoc nomine.* Conueniant rebus nomina, & nominibus acta. p. 177. n. 15. & seqq. Parentum vita bona malam filiorum confundit. ibidem num. 14.

63. *Et postulans pugillarem, scripsit, dicens: Ioannes est nomen eius.* Nomina forte pueris feliciter & religiosè imposita. p. 155. num. 27.

SS. APOSTOLORVM PETRI ET PAVLI. 29. Iun.

Vide Cathedram S. Petri Antiochenam, 22. Febr.

VISITATIO B. V. MARIÆ. 2. Iulij.

Lucæ 1. 39. 47.

39. *Exurgens Maria abiit in montana cum festinatione, in ciuitatem Iuda.* In hoc mundo & vita peregrini sumus; eoque non standum, sed festinanter transeundum est. pag. 175. n. 7. vsque 22. Sodalium B. V. propria est misericordia. p. 191. n. 30.

Et factum est, vt audiuit salutationem Mariæ Elizabeth, exultauit infans in vtero eius. Ad præsentiam & inuocationem Mariæ etiam mortui mirabiliter reuiuiscunt. p. 220. n. 32. 41.

S. MARIÆ MAGDALENÆ. 22. Iul.

Lucæ 7. 36. 50.

Rogabat Iesum quidam de Pharisæis. V. 36.
Deus libenter inuocatur & inclamatur, vt misereatur. p. 106. n. 22. p. 108. n. 27. & seqq.

Et ecce mulier, quæ erat in ciuitate peccatrix, vt cognouit. Deo primùm per gratiam suã interiùs mouente, monente, & vocãte gratis p. 67. n. 25. Cui motioni peccatrix anima respondere, & cooperari debet. ibid. n. 26. 27. Exemplo sanctorum. ibid. n. 28. 29. amoliendo omnia impedimenta. p. 68. n. 30. & seqq. Etiam peccatorum occasiones & consortia. p. 78. n. 46. Deinde vt cognouit, vtiliter monita & morsa à verme conscientiæ: præstat enim hîc morderi, quàm olim frustrà in æternitate. p. 602. n. 43. Magna vtique vis est conscientiæ in vindictam commissorum peccatorum. p. 209. n. 28. & seqq. 37.

Vt cognouit, quòd Iesus accubuisset in domo Pharisæi, attulit alabastrum vnguenti. Confugiendum, non ad mundũ. p. 72. n. 15. ob mundi mala. ibid. n. 16. vsq; 31. Nec à facie Domini. p. 77. n. 37. & seqq. Sed ad Deum. p. 78. n. 43. & seqq. Nec recursus ille, seu pœnitentia differenda est. p. 513. n. 33. & seqq. 37.

Et stans retrò secus pedes eius, lacrymis cœpit rigare pedes eius. Palam se peccatorem fateri non erubescat verè pœnitẽs. p. 521. n. 24. & seqq. Etiam lacrymando: nam lacrymæ pœnitentiæ, & pro risu gemitus, sunt peccati remediũ. p. 120. n. 18. Et balneum peccatis abluendis. p. 115. n. 25. Quia contraria contrariis benè curãtur. p. 400. n. 2. Ergo Magdalena verum speculum est pœnitẽtium. p. 324. n. 4. p. 449. n. 34. p. 456. n. 1. vsque 6. Dum se, ipso facto, peccatricem fatetur. Humilis enim confessio peccatori necessaria. p. 194. n. 11. vsque 16. Et sicut Ionas in mare amararum aquarum; sic 38.

est Christianorum. pag.232.num.6.7. Et pœnitentia Sanctorum in sacco & cilicio, martyrium est sine sanguine. p.426.n.1. per totā Lectionem. Viuere enim in continuis miseriis, est quasi perpetuò mori.p.541.n.12. Inter miserias tamen huius vitæ viuendum est cum patientia & promptitudine ad mortem.p.543.n.18. Hinc pessimè faciunt, qui ex impatientia sibi mortem consciscunt. p.548.n.37.

25. *Qui amat animam suam, perdet eam.* per pœnitentiam, de qua vide Dom. 4. Aduentus v.3. & ibi citata.

26. *Si quis mihi ministrauerit, honorificabit eum Pater meus, qui est in cælis.* Non tantùm in cælis, sed etiam hic honorificabit, ministrabit, imò amplissimè recreabit, etiam in tormentis. pag. 575. n.19. vsque 29.

ASSVMPTIO B. MARIÆ VIRGINIS. 15. Augusti. *Lucæ* 10. 38. 42.

V.38. *Intrauit Iesus in quoddam castellum.* Maria castellum, & refugium peccatorum. p.188.n.22.

38. *Et mulier quædam Martha nomine, accepit illum in domum suam.* Misericordia propria est virtus Sodalium B. V. p.191. num.30.

S. BARTHOLOMÆI. 24. Aug. *Lucæ* 6. 12. 19.

V.12. *Exiit in montem orare, & erat pernoctans in oratione Dei.* De oratione, vide Dom.4. post Epiphaniam v.25.

13. *Et cùm dies factus esset, vocauit discipulos suos: & elegit duodecim ex ipsis quos & Apostolos nominauit.* De vocatione & electione operariorum, vide Dom. Septuagesimæ v.1.2. & 16. Item festum S. Andreæ & S. Marci v.1.

DECOLLATIO S. IOAN. BAPTISTÆ. 29. Aug. *Marci* 6. 17. 29.

V.17. *Ipse enim Herodes misit, ac tenuit Ioannem, & vinxit eum in carcere.* De persecutione, quam passi sunt Sancti, vide festum S. Stephani v.34. & Dominicam 6. post Pascha.

Dicebat enim Ioannes Herodi: Non licet tibi habere vxorem fratris tui. Sancti, quia nihil sperant, nihil timent (nisi Deum & peccatum) liberè dicunt veritatem. p.367.n.17. vsque 20. Importuna visa monitio, quibusdam interdum est opportuna. ibid.n.21. 18.

Volo vt protinus des mihi in disco caput Ioannis Baptistæ. Videlicet veritas odium parit. p.447. num.25. 25.

S. MATTHÆI. 21. Septembris. *Matthæi* 9. 9. 13.

Vidit Iesus hominem sedentem in telonio. Peccatorum securitas notatur. p.116. num.1. vsque 11. p.120.n.19. & seqq. p.123. n.28.29. Et insensibilitas p.121. num.21.22. V.9.

Et ait illi: Sequere me. & surgens secutus est eum. Conuersio & pœnitentia non procrastinanda. p.190.n 28. 9.

Et factum est, decumbente eo in domo (Matthæi) *ecce multi publicani & peccatores venientes decumbebant cum Iesu & discipulis eius.* Quippe philtrum amoris amor. p.636.num.44. 10.

Iesus audiens ait: Non est opus valentibus medicus, sed malè habentibus. Christus, Ionas, & concionatores boni medici animarum. p.367.n.21. Bonorum medicorū officium. p.369.n.24. pag.581. num. 2. Deus per externa suauiter medetur morbis animi. pag.575. num. 21.22.31.33. pag.581. num.2.3. p.591.n.2. p.606. num.9. 12.

Non enim veni vocare iustos, sed peccatores. In Iona hoc fuit præfiguratum. pag.564. num.20. 13.

S. MICHAELIS. 29. Septemb. *Matthæi* 18. 1. 10.

Videte ne contemnatis vnum ex his pusillis. Nam Deo etiam paruuli curæ sunt. p.636. num.45. V.10.

Angeli

DE

DE S. CATHARINA VIRGINE & Martyre. 25. Nouembris vide Commune Virginum.

COMMVNE SANCTORVM.

MARTYRVM.

Matth. 10. 26. 32.

V.26. *Nihil est opertum, quod non reueletur, & occultum quod non sciatur.* p.158.n.1.

28. *Sed potius eum timete, qui potest & animam, & corpus perdere in gehennam* Timor Dei salutaris est, ideoque sanctis vsitatus. p.498.n.12.

32. *Omnis ergo qui confitebitur me coram hominibus.* Confessio hęc est manifestatio simplicis veritatis, significata per dietam Ionæ. p.366.n.12.

Lucæ 21. v.15. *Ego dabo vobis os & sapientiam, cui non poterunt resistere & contradicere omnes aduersarij vestri.* Hanc Christiani oratoris virtutem feliciter adeptus est Ionas. p.371.n.1. Et alius totum septennium cõtentâ voce clamãs nec voce raucior factus est, nec delassatus. p.368.n.22.

MARTYRVM

TEMPORE PASCHALI.

Ioannis 15. 5. 11.

V. 5. *Ego sum vitis, vos palmites. qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum: quia sine me nihil potestis facere.* Gratia Dei nobis omninò necessaria est.p.209.n.31.& seqq.

CONFESSORVM PONTIFICVM.

Matthæi 25. 14. 23.

V.18. *Qui autem vnum acceperat, abiens fodit in terram, & abscondit pecuniam Domini sui.* Sed temporalia & sua studiosè curauit. p.569.n 37. Verùm magno suo damno. ibid.38.39.

CONFESSOR.

NON PONTIFICVM.

Lucæ 12. 35. 40.

V.35. *Sint lumbi vestri præcincti.* Mortificatio omnium membrorũ homini Christiano necessaria. p.505.num.9.

Vt cùm venerit, & pulsauerit, confestim aperiant ei. Caussæ, ob quas mors optari posse videatur. p.539.n.4.vsque 9. Varij Sancti mortem expetiuerunt. p.540.n. 8.9.& 19.vsque 34. 36.

DOCTORVM.

Matthæi 5. 13.19.

Qui autẽ fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum. Legum latarum & obseruatarum vtilitas. p. 489. n.36.46. V.19.

ABBATVM.

Vide Conuersionem S. Pauli. 25 Ianu.

VIRGINVM.

Matthæi 25.1.13.

Moram autem faciente sponso, dormitauerunt omnes, & dormierunt. Sed aliter prudentes, aliter fatuæ: sicut aliter Christus, aliter Ionas: aliter iustus, aliter peccator. p.121.n.23. Vide Dom. 4. post Epiphaniam v.24. V.5.

Ornauerunt lampades suas. An corpora sua, vario vanoque cultu vestium, capillorum, &c. pag.437. num.41. & seqq. 7.

Nouissimè veniunt & reliquæ virgines, dicentes: Domine, Domine, aperi nobis. At ille respondens, ait: Amen dico vobis, nescio vos. An fortassis quia purpurissa & cerussa deformatæ, vt fœminæ solent? Nónne meliùs vanitatem illam reliquissent? p.494.n.54.55. Variis modis Deus videre, scire, nescire dicitur: scientia approbationis, &c. pag.504. n 5. & seqq. 11.

Vigilate itaque, quia nescitis diẽm, neque horam. Vltima vitæ hora incerta. p.388.n.38. Memoria mortis, etsi amara, vtilis tamen est animæ medicina. ibid. n.40.41. 13.

VIRGINVM ITEM.

Matthæi 13.44.52.

Simile est regnum cælorum thesauro absconditio 44.

condito in agro. Thesaurus castitatis abscondendus est sub cilicio. pag. 435. num. 33. 34.

DEDICATIO ECCLESIÆ.

Luca 19. 1. 10.

2.
4. *Ecce vir, nomine Zachæus: & hic princeps erat Publicanorum, & ipse diues: & præcurrens ascendit in arborem sycomorum, vt videret Iesum:* (contra dignitatem quidem suam; sed mox honoratur, quando) *suspiciens Iesus vidit illum, & dixit ad eum: Zachæe, festinans descende: quia hodie in domo tua oportet me manere.* Videlicet honorem suum pro Dei honore & amore prostituere, non est illum minuere, sed augere. pag. 521. num. 20.

5. *Zachæe, festinans descende.* Opus est Dei gratia præueniente, ad conuersionem peccatoris. p. 358. n. 9.

5. *Zachæe festinans descende; quia hodie in domo tua oportet me manere.* Figura erat Ecclesiæ: sicut & Niniue. p. 349. n. 26. p. 366. n. 11.

Et festinans descendit, & excepit illum gaudens. Feruor pœnitentium laudabilis. p. 501. n. 26. 27. 6.

Stans autem Zachæus, dixit ad Iesum: Ecce dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus: & si quid aliquem defraudaui, reddo quadruplum. Pœnitens faciat restitutionem de illato damno. p. 197. num. 20. 21. 8.

Multi, post lapsum ferueniores fiunt, quàm ante lapsum fuerant. pag. 359. n. 9.

Ait Iesus ad eum: Quia hodie salus domui huic facta est: eò quod & ipse filius sit Abrahæ. Pœnitentia peccatorem Deo perfectè reconciliat. p. 340. num. 45. & seqq. De pœnitentia, vide multa Dom. 3. & 4. Aduentus, &c. 9.

Venit enim filius hominis quærere, & saluum facere quod perierat. hoc est, peccatorem. p. 564. n. 20. Vide Dom. 3. post Pentecosten. 10.

INDEX

INDEX VERBORVM ET RERVM,

QVÆ HOC OPERE CONTINENTVR.

Littera P. paginam, N. numerum, siue §. Lectionis citatæ, vti in prioribus Indicibus est indicatum, designat.

Ooo Aegr-

Ber-

Venti

Con-

Con-

Solli-

Etiam

Ipse

E.

Ecclesia.

Excu-

Frede-

Iniu-

Vt-

Voratur

Qqq Cuius-

re,

Mise-

Ionas

Circa

Illo-

Sub-

Orator.

Orgia.

Oseas.

Otto.

Ozacha.

Caret

Peccatum.

Pro-

S.

Inter-


Esse

Sorte

Timor

Non

FINIS.



ER-

ERRATA SIC CORRIGANTVR.

P. Paginam. C. Columnam. N. Numerum marginalem. L. Lineam indicat.

PAG. XIII. lin. 8. à fine, *viriq;*, lege, *Niniq;*.
P. XXV. l. 3. à fine, *an. Dom.* l. *an Dom.* 431.
P. 11. c. 1. n. 33. l. 3. à fine illius N. *sannais*, l. *sannis*.
P. 14. c. 2. l. 2. *produx*, l. *prodire*.
P. 40. c. 2 l. 2. à fine, *& tunc educes*, l. *& tunc perspicies vt educas*.
P. 42. c. 2. l. 2. ante n. 3. *lethago*, l. *lethargo*.
Ibidem l. 4. à fine, IESV *Christi*, l. *Dei*.
P. 50. c. 1. n. 29. l. 5. *profectionem*, l. *perfectionem*. col. 2. l. 4. *Teglasphalasar*, l. *Teglatphalasar*.
P. 51. c. 2. l. 10. *armamentarium*, l. *armentarium*.
P. 70. c. 1. n. 6. l. 2. *Tharsum*, l. *Tarsum*, sæpius eadem pagina, & sequenti.
P. 73. c 2. n. 1. l. 12. *ad hac pra tam nobili cœna tam ludicra*, l. *ad hac tam ludicra, pra tam nobili cœna*.
Ibidem l. 3. ante num 22. *Amen dico vobis, quòd nemo virorum illorum, qui vocati sunt, gustabit cœnam*. Sic lege, prioribus verbis omissis: *Nemo virorum illorum, qui vocati sunt, gustabit cœnam meam*.
P. 76. c. 2. l 3. *Circumferentia nusquam. Quia*, lege, *Circumferentia nusquam: Sphara: quia*.
P. 82. c. 1 n. 9. l. 9. *Andromade*, l. *Andromeda*.
P. 96. c. 1. l. 6 à fine, *syndoresaos*, l. *synteroseos*.
P. 108 c. 1. l. 11. *ante omnes*, l. *ante annos*.
P. 142. c. 1 l. vltima, & c. 2. l. 1. *Darij hinnitu equi, strato*, sic lege, *Darius hinnitu equi, strato*.
Itidem c. 2. in medio, *hostilium litteris, sicuti:* lege, *hostilium litteris vterentur; sicuti*.
P. 160. c. 1. l. 1. *Prabete aures vestras qui continetis multitudinem*, lege, *Prabete aures vos, qui continetis multitudines*.
P. 204. n. 36. l. 3. *Ioanne Lamberto*, l. *Francisco Lamberto*.
P. 248. c. 1. l. 8. *Bragadam*, l. *Bagradam*.
Ibidem l. 6. post, *anni circiter octodecim*, l. *anni circiter centum & octodecim*.
P. 271. c. 1. l 6. *triginta argenteis*, l. *viginti argenteis*.
P. 301. c. 2. l. 4. ante num. 18. *nudè*, l. *mirè*.
P. 306. c. 2. l. 8. ante n. 8. *Achior*, l. *Achor*.
P. 316. c. 2. l. 2 à fine, *quod habent expectent* l. *habent quod expectent*.
P. 351. c. 1. n. 32. à fine, *prasidentes* l. *prasidentes*.
P. 373. c. 2. l. 9. *addicere*, l. *addiscere*.
P. 415. c. 2. l. 6. à fine, *Auisum*, corrige *Anisum*.
P. 430. c. 1. l. 4 à fine, *vobis*, l. *nobis*.
P. 433. c. 2. l. 18. à fine, *accodat*, l. *accedebat*.
P. 464. c. 1. n. 29 l. 6. *caput tuum*. l. *caput suum*.
P. 466. c. 2. l. 3. *timidum*, l. *tumidum*.
P. 471. c. 2. l. 19. *efœtu* l. *effœtis*.
P. 482. c. 2. l. 4. à fine, *meridies*, l. *dies*.
P. 508. c. 1. l. 6. ante n. 17. *μεζανοήσειν*, lege *μετανόησιν*. & l. sequenti *παρακλήθη*, l. [illegible]*κλήθη*.
P. 509. c. 2 l. 7. à fine, *viriliter*, l. *vtiliter*.
P. 513. c. 1. l. 3. à fine, *libidinis*, l. *libidinibus*.
P. 534. c. 2. in medio, *obice & plenitudine*, lege *obice ex plenitudine*.
P. 562. c. 1. l. 3. à fine, *coniuncti*, l. *coniunctur*.
P. 571. c. 1. n. 3. l. 1. *κηλοκυώθων*, l. *κηλοκυώθλω*.
P. 603. c. 1. l. 5. ante n. 48. *cololatricem*, l. *collocatricem*.
P. 607. c. 2. n. 11. l. 5. *ὀλιγοφύχῳ* l *ὀλιγοψύχῳ*.
P. 616. n. 12. l. 7. *certè*. l. *rectè*.
Et 2. lineis pòst, *Nouitianos*, l. *Nouatianos*.
P. 620. c. 2. l. 7. ante n. 28. *concupiscentiis suis*, omitte *suis*.